✠
BIBLIOTECA
DEL REAL MONASTERIO
DE HUERTA.
Núm. 9.

ALPHONSI

TOSTATI

HISPANI,

ABVLENSIS

EPISCOPI,

Philosophi, Theologi, ac Pontificij Iuris Cæsareiq; consultissimi, nec non linguæ Græcæ, & Hebraicæ peritissimi,

OPERVM

TOM. VII. IN DVAS PART. DIVISVS.

CONTINENS

COMMENTARIA IN LIB. III. ET IV. REGVM.

Nunc primùm in Germania post Venetas impressiones diligentissimè in lucem edita.

PERMISSV *SVPERIORVM.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Ioannis Gymnici, & Antonij Hierati.
ANNO M. DC. XIII.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS;

COMMENTARIORVM IN TERTIVM LIBRVM REGVM

PRAEFATIO.

TANDEM finito libro Samuelis, velut grandi onere liberati, ad librū Melachim nanum mittimus. In quibus nō eadem nomina Latinis, & Hebræis sunt. Hebræi quippe præcedētes duos libros indiuisos habentes, velut vna clausula copulatos, librum Samuelis vocant; quos nos magna intersectione diuidentes, primum, & secundum libros Regum appellamus. Hunc autem vsque ad finem Regum vna clausura comprehendentes Hebræi librum Regum vocant, siue Melachim. Nos verò duos vsque ad finem Regum libros efficimus, & sic quod Hebræi duplici diuisione habent, nos quadruplici sectione tenemus.

Quare Iudæi istos libros Regum diuidunt in duas partes solum, nos verò in quatuor.

QVÆSTIO I.

QVAERETVR quare Hebræi primum, & secundum Libros Regum, sine aliqua diuisione habentes, vocent librum Samuelis, & istos duos sequentes, comprehendentes vno Volumine, vocent libros Melachim, id est, Regum Respondendum, quòd hic sunt duo dubia: primum est, quare illi in duas partes solum istos quatuor Libros diuidant. Secundum est, quare talibus nominibus eos appellent. Ad primum dicendum, quòd Hebræi in diuisione horum Librorum non tenuerunt eandem intentionem, quam nos; sed considerauerunt, quòd totum tempus durationis Regum his quatuor libris comprehēditur: vnde potuissent omnes esse vnum Volumen, sed vt clarius, & distinctius haberetur, susceperunt diuisionem libri ex statu Regum. Reges quidem apud Israël semper fuerunt à Samuele, & Saule vsque ad Babylonis captiuitatem; sed in isto tempore aliquando fuit regnum vnitum, & indiuisum, sicut sub Saule, Dauid, & Salomone: aliquando autem fuit diuisum in duo regna, scilicet, à tempore Roboam vsque ad Babylonicam ciuitatem. Pro tempore ergo, quo fuit regnum indiuisum, vnum librum faciunt, ideo duos libros præcedentes secundum diuisionem nostram ponunt sub eodem Volumine, eo quòd in primo de regno Saulis agitur, sub quo fuit regnum indiuisum. In secundo autem de regno Dauid, sub quo etiam regnum indiuisum stetit. Nam licet Isboseth illud diuidere inchoasset, non permansit ista diuisio, sed mortuo in breui Isboseth, fuit totus Israël sub Dauid. Tempus autem regni diuisi fuit à Roboam vsque ad captiuitatem Babylonis; ideo totum hoc tempus eodem volumine comprehendunt, licet nos in duo diuidamus: nam regnum nunquàm postea reunitum est. Ista est consideratio Hebræorum, & satis conueniens, scilicet, quare totum librum Regum in duos solum libros secent.

Quare isti libri à Iudæis sic appellantur, & duo primi libri quare à Iudæis vocentur Samuelis. Et an sint eius.

QVÆSTIO II.

QVAERETVR secundo, quare isti libri sic appellantur apud eos: nam prima pars, scilicet, duo libri præcedentes vocatur liber Samuelis; secunda autem, scilicet, isti duo sequentes liber Melachim, id est,

Regum appellatur, vel Melachoth, id est, Regnorum, vt ait Hierony. in Prologo Galeato. De prima autem parte, quare vocetur liber Samuelis dubium est, & multi multa opinantur, sicut exposui in Prologo Galeato, & in alijs locis. Quidam enim dicunt, quòd vocatur liber Samuelis, quia Samuel illum scripsit. Sed non stat, quia in 1. lib. Regum, 25. cap. Ponitur mors Samuelis, ideo non solum nō potuit ipse scribere istos duos libros, qui vocantur liber Samuelis; immo etiam non potuit finire primum librum de regno Saulis. Alij dicunt, quòd Samuel incepit scribere libros Regum ab exordio, & scripsit vsque ad mortem suam, scilicet, 24. capitula primi Regum: reliqua autem, quæ supersunt, dicunt scripsisse Dauid vsque ad finem secundi libri Regum, & hoc communius tenetur: & hoc etiam ego secundum aliorum positionem aliquando tenui. Sed non stat, quòd Dauid aliquid scripserit de his libris, quod patet, quia primo Regum 27. dicitur de bellis, quæ agebat Dauid contra Gessuri, & Gerzi, & Amalechitas tempore, quo manebat in terra Philisthinorum. Et ibi dicitur, & agebat prædas de Gessuri, & Gerzi, & de Amalechitis. Hi enim vagi habitabant in terra antiquitus euntibus Sur, vsque ad terram Aegypti, & sic innuitur, quòd tempore Dauid habitabant illæ gentes vagæ in deserto, quando percutiebat eas Dauid: postea autem non habitauerunt in deserto. Vnde dicitur: Antiquitus habitabant vagi. Et sic videtur, quòd ille, qui scripsit illam literam fuit multo tempore post Dauid, eo quòd dixit, antiquitus, & refertur illud ad tempus Dauid. Et sic dicendū, quòd Dauid nihil scripsit de primo, vel secundo libro Regum, qui vocatur liber Samuelis. Item dicendum, quòd Samuel non scripsit de libro Regum 24. capitula, scilicet, vsque ad mortem suam: immo neque scripsit aliquid, nec vnam literam saltem de libris Regum. Quod apparet, quia supra 1. lib. cap. 9. dicitur, quomodo iuerunt Saul, & pueri eius ad inquirendum Samuelem, vt diceret eis vbi erant asinæ perditæ, & quæsiuerūt vbi est videns: & dicitur ibi in litera: olim in Israël sic loquebatur vnusquisque, vadens consulere Dominum: Venite, & eamus ad videntem, qui enim Propheta dicitur hodie, dicebatur olim videns. Et sic apparet, quòd tempore, quo scriptus est ille primus liber Regum, non erat idem modus loquendi in Israël, qui erat tempore Samuelis. Nam tempore Samuelis vocabantur videntes ipsi Prophetæ; quia de ipso Samuele quæsitum est, eod. cap. Vbi est videns, & tempore, quo scriptus est liber vocabantur Prophetæ. Item, quia dicitur ibi: Olim vocabantur videntes, ergo tempus Samuelis respectu illius, qui scripsit librum illum primum, vocabatur Olim. Et sic dicendum est, quòd Samuel nihil scripsit, nec vnam literam saltem de libris Regum: & si scripsisset aliquid, scripsisset gesta Regum vsque ad mortem suam. Sed falsum est, quia etiam gesta sua ante exordium Regum non scripsit, vt patet ex præcedenti probatione. Dicendum igitur, quòd duo præcedentes libri, & duo sequentes non habuerunt diuersos scriptores, quia istud aliqui putauerunt, vt assererent duos præcedentes à Samuele, & Dauid scriptos fore, quod falsum est. Sed dicendum, quòd omnes quatuor libri Regum fuerunt scripti ab Isaia, vel Ieremia, qui fuerunt post omnia hæc tempora, & potuerunt dicere ea, quæ habentur in duobus præcedentibus libris, scilicet, Olim, & Antiquitus, quæ non possunt referri ad tempora Samuelis, nec Dauid. Sed adhuc dicendum, quòd melius est dicere fuisse Ieremiam scriptorem istorum librorum, quàm Isaiam, eo quòd Isaias non vidit captiuitatem Babylonicam, in qua finiuntur libri Regum, sed mortuus est sub Manasse filio Ezechiæ Regis. Ieremias autem potuit cōuenienter scribere omnes quatuor libros, quia ipse vidit captiuitatem Babylonicam, in qua finiuntur isti libri. Sed dicendum, quòd vocantur isti duo libri præcedentes liber Samuelis nominando à materia, de qua agitur, scilicet, quia in primo illorum agitur de Samuele, & principium libri est de natiuitate eius: ideo tam propter dignitatem Prophetæ Samuelis, quàm propter exordia libri, scilicet, quia in Samuele incipit, & Iudæi, vt in plurimum solent nominare libros à principijs, appellatus est liber Samuelis, & quia duo libri præcedentes, secundum Hebræos sunt vnus liber, vocatur totus liber Samuelis.

Ieremiā fuisse scriptorē librorū Regum.

De inscriptione lib. Regum.

QVÆST. III.

QVAERETVR vlterius de nomine istius partis sequentis, quam Hebræi, vt diximus, Melachim, id est, Regum, vel Melachoth, id est, Regnorum appellant. Et dicendum, quòd vocatur liber Melachim, id est, Regum, quia in eo de pluribus Regibus agitur, & tota materia eius de Regibus est Vocatur autem liber Melachoth, id est, Regnorum, quia agitur in eo de duobus Regnis, scilicet, Iuda, & Israël. Hieronymus tamen in Prologo Galeato dicit, quòd melius est multo Melachim, id est, Regum dicere, quàm Melachoth, id est, Regnorum: non enim multarum gētium regna describit, sed vnius Israëlitici populi, qui duodecim tribubus continetur. Sed licet repugnare Hieronymo videatur nefas, tamen videretur melius dicendum, quòd vocaretur Melachoth, id est Regnorum, quàm Melachim, id est, Regum. Quod patet ex intentione Hebræorum diuidentium libros Regum in duas partes: nam in prima parte, in qua regnum fuit vnitū, scilicet, tempore Saulis, & Dauid, non vocant librum Regum, & ponūt illud sub vna sectione: totum autem, quod pertinet ad tempus, in quo fuerunt diuisa regna, scilicet, Iudæ, & Israël, ponitur sub alio volumine, ideo respiciendo diuisionem regnorum, diuisus est liber Melachim à libro Samuelis, & ob hoc melius est appellari librum Regnorum, id est, Iudæ, & Israël, quàm librum Regum. Item quando nominatur liber Melachim, id est, Regum, non dicitur sic, eo quòd de multis Regibus agat, quia tunc etiam duo præcedentes libri, qui faciunt vnam partem apud Hebræos, vocarentur liber Regum, quia ibi agitur de Saule, & Dauid, & Isboseth: tamen non vocatur liber Regum apud Hebræos, quia non agitur in eo de Regibus multis simul regnantibus. In hoc autem agitur de multis Regibus simul regnantibus, scilicet, in regno Iudæ, & regno Israël. Vnde non vocatur apud Hebræos liber Regum, quia agit de multis Regibus sibi succedentibus, sed quia agitur de multis Regibus simul regnantibus.

Latini quare hos libros omnes vocauerunt Regum. Et quare diuiſi ſint in quatuor partes.

QVAEST. IV.

QVAERETVR vlterius; quare ſecundum Latinos iſte liber totus vocatus eſt liber Regum incipiendo à Samuele vſque ad captiuitatem Babylonis,& quare diuiſus eſt in quatuor libros. Reſpondendum, quòd vocatur totus liber Regum, quia de Regibus agitur in illo à principio vſque ad finem, præterquàm cum à principio introducitur quædam pars libri de Samuele, ſed adhuc illud ad hiſtoriã Regum pertinet, quia ibi non ponitur de Samuele,niſi quia ipſe fuit, qui vnxit primum regem in Iſrael, & ſic hiſtoria Samuelis eſt quaſi Prologus ad hiſtoriam Regum.Reliqua autem de regibus ſunt. Ad ſecundum, ſ quare diuidatur iſtud volumen in quatuor partes , dicendum quòd diuiſiones principales huius voluminis ſunt duæ,ſecundùm quod diuidunt Hebræi,ſ.vna à principio vſq; ad librum iſtum tertium,& alia ex nunc vſq; ad finem.Ratio diuiſionis eſt,quia in duobus præcedentibus libris agitur de regno Iſrael vnito,ſc.ſub Saule,& Dauid.Hic autem agitur de regno diuiſo,ideò debuit eſſe alius liber:Sed adhuc prima pars, in qua agitur de regno vnito,ſubdiuiditur in duos libros, cuius quatuor cauſæ aſſignatæ ſunt in Prologo præcedẽtis libri.Præcipua autem eſt,quia in primo libro actum eſt de regno Saulis, qui erat reprobatus,ne vltra aliquis de ſtirpe ſua regnaret.Dauid autem erat electus à Deo ad regnandum ipſe,& poſteri ſui in æternum, præcedent.lib.c.7.Ideò fuit conueniens hiſtoriam Dauid diuidi ab hiſtoria Saulis.Iſta autem pars ſecunda principalis,in qua agitur de regno diuiſo ſubdiuiditur in duos libros, eò quod in primo eorũ agitur,qualiter tam regnum Iſrael,quàm Iuda proſperabantur,& florebant.In ſecundo autem agitur,quomodo iſta duo regna corruere inceperunt. Finis autem vnius habetur ſeq.libr.cap.17. Cùm vndecim tribus fuerunt translatæ per reges Aſſyriorum in terram Medorum:finis ſecundi regni, ſc.Iuda habetur ſeq.lib.24.& 25. ca.Cùm translati ſunt Iuda,& Beniamin in Babylonem. Principium autem caſus iſtorum regnorum fuit, quando propter peccata eorum Deus voluit deprimere illa,& fecit,quòd gentes, quæ olim erant ſubditæ, & tributariæ Iſraelitarum,& Iudæorum rebellarent eis,ſ.Moabitæ,Idumæi,Philiſthini, & reliquæ gentes, & poſtea paulatim iſtæ gentes,& aliæ,quæ prius fuerant ſubiectæ Iſraelitis,ſc. Syri pugnauerunt contra Iſrael,& Iudam,& humiliauerunt eos: & ſic quotidiana calamitate deprimebantur, quouſque ad hoc deductum eſt,vt Iſraelitæ deducerentur in Aſſyrios,& Iuda , & Beniamin in Babylonem:& ſic agit liber iſte de proſpero ſtatu regni Iuda,& Iſrael;ſequens autem, id eſt, quartus eſt de calamitate iſtorum regnorum, quod patet ex principio eius,vbi agitur de rebellione gentium ſubditarum,& dicitur: Præuaricatus eſt autem Moab in Iſrael,i.ſurrexit contra Iſrael nolens manere in tributo,quod ante ſoluebat.Fuit ergo rationabiliter diuiſus totus liber Regum in quatuor libros.

Quare in hoc tertio libro ponitur hiſtoria Salomonis, & non in præcedenti.

QVAEST. V.

QVAERETVR vlterius,cùm in iſto libro agatur de tempore,quo fuerunt regna diuiſa,& ob hoc fuit iſte liber diuiſus à præcedentibus,quare ponitur hic hiſtoria Salomonis:nam debuiſſet ſcribi in libro præcedenti, eò quod tempore Salomonis manſit regnum vnitum,ſicut tempore Dauid,& Saulis. Reſpõdendum,quòd ſi propriè attendatur radix diuiſionis huius libri à præcedentibus,deberet incipere iſte liber in c.12. infr.quia ibi agitur,quomodo regnum diuiſum eſt in electione Roboam filij Salomonis: ponitur tamen in hoc libro tota hiſtoria Salomonis , eò quod fuit tempus ſuum quoddam præambulum ad diuiſionem regnorum poſtea factam.Nam tempore Roboam fuit diuiſum regnum propter peccata Salomonis:ſic.n.prædixerat ei Ahias Silonites,infr.11. Vt ergo cognoſcantur peccata Salomonis,quibus procurata eſt diuiſio regnorum,poſita eſt in iſto libro hiſtoria Salomonis, quaſi tempus ſuum pertineat ad tempus regni diuiſi,eò quod cauſam præſtitit diuiſioni,ſic etiam factum eſt ſupr.1.libr. in principio:nam cum ille ſit liber Regum,debuiſſet incipere in hiſtoria Saulis,qui fuit primus Rex,incepit tamen in hiſtoria Samuelis,qui non fuit Rex. Cauſa huius eſt,quia Samuel fuit,qui vnxit primum Regem Iſrael,& ſic hiſtoria ſua eſt quaſi quoddam præambulum ad hiſtoriam libri Regum;vnde debuit poni in principio eius.ita hic poſita eſt hiſtoria Salomonis,tanquàm præambulum ad hiſtoriam diuiſionis regnorum.

Quare hic ponitur pars hiſtoriæ Dauid. Et mors Dauid quare ponitur in hoc 3. libr. & non in præcedenti.

QVAEST. VI.

QVAERETVR vlterius,quare in libro iſto ponitur quædam pars hiſtoriæ regni Dauid:nam debuiſſet poni in præcedent. lib.eo,quod ibi poſita eſt tota hiſtoria Dauid à principio:hic autem ponitur quædam pars eius,ſcilic.de morte illius,& non videtur aliqua cauſa iſtius ſectionis. Item tempus Dauid non pertinuit vllatenus ad diuiſionem regni,ergo non debuit poni hic cum agatur de diuiſione regnorum.Itẽ Dauid non dedit aliquam cauſam diuiſioni regnorum,ſicut Salomon, ideò non debuit poni hic,tãquàm præambulũ,ſicut ponitur hiſtoria Salomonis, eò quod ipſe præſtitit cauſam diuiſioni. Reſpõdendũ,quòd

conuenienter poni potuiſſet mors Dauid,præceden.libr.in fin. Eo quod in eo ponitur tota hiſtoria regni Dauid:fuit tamen poſita hic mors Dauid,& quædam pars ſenilis ætatis,vt eſſet prœambulum ad hiſtoriam Salomonis: nam ſicut hiſtoria Salomonis ponitur tanquam præambulum hiſtorię diuiſionis regnorum; ita extrema pars hiſtoriæ Dauid ponitur tanquam præambulum hiſtoriæ Salomonis.Et hoc patet,quia in conſtitutione Salomonis in regem fuerunt difficultates, eò quod Adonias volebat regnare,& ſedata eſt controuerſia eorum per Dauid,vt patet 1.c. Oportuit ergo,quòd vel poneretur conſtitutio Salomonis in regem,in præcedent.lib.& ibi poneretur mors Dauid,vel poneretur in hoc libro vtrunque ſimul,eò quod intellectus vnius dependet ex altero,& fuerunt contemporanea : vnde non potuit deſcribi tota hiſtoria Salomonis in hoc libro,quin poneretur in eo quædam pars hiſtoriæ Dauid:fuit igitur melius,quòd poneretur in hoc libro finis hiſtoriæ Dauid,quàm quod poneretur præceden.lib.principium hiſtoriæ Salomonis. Item patet, quia Dauid viuens multa dixit Salomoni,quæ exequi deberet poſt mortem eius,vt patet inf.2.c.Et illa pertinent ad hiſtoriam Salomonis,ideò finis vitæ Dauid debuit poni in hoc libro,tanquàm neceſſarium prœambulum ad hiſtoriam Salomonis.Et per hoc patet ad rationes in contrarium,ſcil.quod non ponitur hic finis Dauid,tanquam præſtans cauſam diuiſioni regnorum, vel pertinens ad tempus diuiſionis,ſed vt præambulum ad hiſtoriam Salomonis,vt dictum eſt.

An iſta,quæ habentur in hoc libro ſint continuata ad præcedentem librum.

QVAEST. VII.

QVAERETVR vlterius,an iſta quæ habentur in hoc libro,ſint continuata ad præcedentem,vel ſit aliqua mutatio ordinis; & an fuerint facta immediatè iſta poſt illa, vel interpoſito aliquãto tempore. Reſpondendum ad primum,quòd ſi comparetur totus iſte liber ad præcedentem eſt continuatio ordinis: nam in præceden.lib. actum eſt de regno vnito,hic autem agitur de regno diuiſo:vnitas autem regni præcedit diuiſionem eius:ſi autem comparetur finis libri præcedentis ad principium iſtius, in quo eſt propria comparatio continuationis. Dicendum,quòd eſt ordo continuatus,quia in fine præcedentis libri agitur de Dauid,quomodo numerauit populum, & iſtud erat in ſenectute ſua. Hic autem agitur de conditione ſenectutis,ſc.quid paſſus eſt,vel fecit in ſenectute ſua vſque ad mortem. Ad ſecundum dicendum, quod iſta,quæ dicuntur hic,fuerunt aliquanto tempore poſt ea,quæ habentur præcedent.lib. in fi.nam tunc Dauid erat vir potens ambulare,& ſanus erat. Hic autem dicitur, quomodo tam ſenex erat,vt iam opertus veſtibus non calefieret:tanta autem mutatio non fit ſubito, ſed oportebat aliquantum temporis intercidere. Aliqui tamen volunt,quòd iſtud fuerit ſequenti anno poſt numerationem populi, quibus non conſentio,quia tamen tempus medium inter numerationem populi, de qua in fine præcedentis libri, & ſenectutem Dauid,de qua hic,nulla habuit geſta magnifica Dauid,nihil hiſtorię commendatum eſt.Intentio autem huius libri eſt, quòd ſcriptura vult deducere lineam Hebræorum per tempora Regum ſuorum, enarrando varietatem euentuum,nunc in calamitates,nunc in proſperitates,ſecundum varietatem actuum ipſorum Iudæorum,aliquando ad Deum accedentium, & aliquando recedentium. Et principalis intentus eſt,vt per enarrationem calamitatum, & proſperitatum alternantium cognoſcatur huius vitæ infelicitas,quæ ad modicum ſaltem in proſperitate ſtabilis eſſe nequit; & per hoc erudiatur homo illam fugere,quæ amatores ſuos manendo ſolicitos efficit,& fugiendo calamitoſos reddit. Hæc autem conueniẽs moralis doctrina eſt. Item vt conſpecto ſucceſſu temporum videantur amaritudines paſſi, qui à Domino elongati ſunt,& proſpera in omnibus eueniſſe eis,qui Deum præ oculis in omnibus habuerunt: & ſic redditur homo perfectè deſiderans Deum ſequi.iſte autem eſt intentus totius ſcripturæ ſacræ, ſiue hiſtoricæ, ſiue propheticæ,ſiue doctrinalis,ſ.vt mores humani corrigantur.ſic patet 2.ad Timot.c.3.Scilicet,Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum,ad arguendum, ad corripiendum,ad erudiendum in iuſtitia,vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus inſtructus. Cõtinentia autem huius libri eſt,quoniam in prima parte ſua,quæ vſque ad capitulum 12. extenditur, ponitur tota hiſtoria regni Salomonis, & ædificatio templi.In c.autem 12. incipit hiſtoria diuiſionis regni,& narratur ſimul hiſtoria regni Iudæ, & Iſrael,& ponuntur de Regibus Iuda quatuor,ſc.Roboam, Abia, Aſa,Ioſaphat.De Regibus autem Iſrael ponuntur ſeptem,ſc Ieroboam,Nadab,Baaſa,Ela,Zamri,Amri,Achab. Sequens autem liber incipit in hiſtoria Ioſaphat Regis Iuda,& Ochoziæ Regis Iſrael,vt patet ſequ.libr. cap.4. Interponuntur autem geſta Eliæ Prophetæ,qui fuit contemporaneus Regi Achab,à decimoſeptimo vſq; ad viceſimum c.& ſic finitur tota continentia libri huius,tam in Regibus Iudæ,quàm Iſrael:reliqua autem 4.lib. ſcribuntur.

Intentio huius libri.

Continẽtia huius libri.

ALPHONSI TOSTATI EPISCOPI ABVLENSIS

IN TERTIVM LIBRVM REGVM COMMENTARIA.

CAPVT I.

ET Rex Dauid ſenuerat, habebatq; ætatis plurimos dies: cumq; operiretur veſtibus, nō calefiebat. Dixerunt ergo ei ſerui ſui: Quæramus Domino noſtro Regi adoleſcentulam virginē, & ſtet coram Rege, & foueat eum, dormiatq; in ſinu ſuo, & calefaciat Dominum noſtrum Regem. Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſraël, & inuenerunt Abiſag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad Regem. Erat autem puella pulchra nimis, dormiebatq; cum Rege, & miniſtrabat ei, Rex verò non cognouit eam.

DESCRIPTVM eſt in præcedentibus duobus libris de regno Iſraël vnito, hic agitur conſequenter de regno Iſraël diuiſo. Ideò vt prænotatum eſt, duo libri præcedentes apud Hebræos in vno volumine habentur, eo quòd de regno vnito agunt, & vocatur liber Samuelis. Duo etiam ſequentes libri vno volumine comprehenduntur, quia de regno diuiſo ambo agūt. Diuiditur autem pars iſta, quæ agit de regno diuiſo in duas, quia primò agitur de regno Iuda, & Iſraël, prout vtrumque floruit. Secundò prout vtrumque corruit ſeq. lib. nam ibi agitur quomodo gentes ſubiectæ Iſraëlitis inſurrexerunt contra eos, vt dictum eſt in prologo. Et quia vbi vnum regnum finitur, alterum incipit, agitur primò de vnitate regni ſub Salomone, quod ponitur tanquā præambulum, & poſteà agitur de diuiſione regni circa finem vitę Salomonis infra 11. Prima diuiditur in duas, primò ponitur Salomonis inſtitutio: ſecundò inſtituti confirmatio ſeq. cap. Prima diuiditur in tres partes; primò ponitur Dauid ſenilis conditio; ſecundò Adonias ambitio ibi. *Adonias autem.* Tertiò Salomonis promotio ibi. *Dixitq; Nathan.* Circa primum dicitur. *Et Rex Dauid ſenuerat.* Hic non ponitur aliqua hiſtoria Dauid, ſed ſolùm conditio ſenectutis ſuæ: nam inter numerationem populi, quam fecit Dauid, quæ habetur in fine præcedentis libri, & mortē Dauid nō fuit aliquod geſtum magnificum Dauid, quia hoſtes non inſurgebant. Etiam quia ipſe erat iam inueteratus, ideò ſolùm ponitur hic conditio ſenectutis ſuæ: *Habebatq; ætatis plurimos dies.* Iſta duo ponuntur tanquam diuerſa, quia licet nos pro eodem accipimus aliquem habere multos dies, vel eſſe ſenem; tamen eſſe ſenem ſignificat defectum corporalium virtutum in operationibus ſuis: & ſi hoc alicui accidat ante multos annos vocabitur ſenex. Habere autem plurimos annos contingit alicui ſine ſenectute, vt cùm quis eſt valde bonæ complexionis, & in magna ætate habet complemētum in operationibus virtutum corporalium, ſicut fuit in Caleb, qui dixit hodie octogintaquinque annorum ſum ſic valens, vt eo valebam tempore, quādo ad explorandum miſſus ſum, & illius in me temporis fortitudo vſque hodie perſeuerat tam ad bellandum, quàm ad gradiendum Ioſue 14. Dauid autem vtrumque habebat, ſcilicet dies plurimos, & etiam defectum virium corporalium, quia cùm operiretur veſtibus, non calefiebat

Quot annorum erat nunc Dauid, quando dicebatur valde ſenex.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR quot annorū erat tunc Dauid? Reſpondendum, quòd nondum erat ſeptuaginta annorum, quod patet quia Dauid regnauit quadraginta annis in Hebron, & Ieruſalem ſequent. cap. & quando conſtitutus eſt in regem ſuper Hebron, erat annorum triginta præcedent. lib. cap. 5. Et ſic vixit ſolùm annis ſeptuaginta, nondum igitur compleuerat illos, quando iſta dicebantur de eo. Sed tunc dicetur, quomodo Dauid dicebatur habere plurimos dies ætatis? Reſpondendum, quòd dicebatur propter duo. Primò, quia Dauid erat in termino ſenectutis: nam quando quis accedit ad illam ætatem, in qua alij mori ſolent, dicitur eſſe multorum dierum, cùm ſit ille terminus vltimus. Nec refert an iſti dies abſolutè ſint multi, vel non, quia quælibet ætas habet terminum ſuum, qui vocatur magni temporis ſecundùm ipſam. Vnde ſicut ante diluuium dicebatur aliquis multum vixiſſe, quando vixerat nongentis annis, eò quòd erat circa terminum ætatis, ita nunc cum quis ſeptuaginta, vel octuaginta annos egerit, multis diebus vixiſſe dicitur, quia circa hanc ætatem mors eſt. Sic etiam apud Pygmæos cùm ad ſeptimum, vel octauum annum acceſſerint, multis diebus vixiſſe dicuntur, quia rari ſuperāt iſtam ætatem, & quia tempore Dauid periodus ætatis erat ad ſeptuaginta, vel octuaginta annos, vt patet in Pſalm. 89. Scilicet, Anni noſtri, ſicut aranea meditabatur: dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis, ſi autem in potētatibus octuaginta anni amplius ipſorum labor, & dolor. Sed Dauid erat ſeptuaginta annorum ferè, ideò dicebatur multorum dierum. Secundò vocabatur

Conditio ſenectutis Dauid

Qualis erat periodus ætatis tēpore Dauid

A multorum dierum, quia non vires corporis multum defecerant in eo, & per hoc aliquis dicitur esse senior, vel plurium dierum. *Cumq; operiretur vestibus non calefiebat.* Id est, in tantùm defecerant vires corporales Dauid, quòd cùm operiretur vestibus, scilicet, in lecto non calefiebat, sed oportuit inquiri adolescentulam, quæ calefaceret eum.

Vnde fuit, quòd Dauid opertus vestibus calefieri non posset.

QVÆSTIO II.

Fatua Rabbinorum opinio

QVÆRETVR quomodo accidit Dauid tanta debilitas, vt opertus vestibus non calefieret? Respondet Rabbi Sa. quòd hoc accidit ei in pœnam, quia amputauit oram chlamydis Saulis, & dicit quòd quicunque contemnit vestes non proficiant ei vestes. Istam rationem approbat Nicolaus dicens, quòd istud venit in pœnam, quia Dauid peccauit amputando oram chlamydis Saulis: nam erat tunc Saul rex, & quandiu manebat in isto principatu honorandus erat. Dicit autem, quòd Deus interdum vult, quòd per quæ quis peccat, puniatur. Sapient. 11. Et sic peccans in vestibus, punitus est in vestibus. Sed dicendum, quòd hoc non stat: nam Dauid non peccauit, amputando chlamydem Saulis, quia istud

B non egit, vt dehonestaret eum, sed vt haberet testimonium innocentiæ suæ, quod aliter habere non poterat, vt declaratum est supra 1. lib. cap. 24. Nec obstat, quod dicit Nicolaus, scilicet, percussit Dauid cor suum, quia illud non fuit quasi doleret, quòd abscciderat oram chlamydis Saulis, sed quia Dauid incitatus erat ad occidendum Saulem, & incipiebat hoc agere, quando abscidit oram chlamydis, & tunc Deus mouit cor illius, & doluit de eo, quod incœperat, & omisit: & istud est, quod percusserit eum cor suum, id est, remorderit conscientia. Item patet, quia si Dauid peccasset, & fuisset ei hoc positum in pœnam ante hoc fuisset positum, quia Deus immediatè infligebat pœnas Dauid, vt peccabat, sic patet pro peccato cum Bersabee, & morte Vriæ: nam immediatè punitus est præcedenti lib. cap. 12. & 13. & 16. Item pro peccato numerationis populi illicò venit pœna præcedenti lib. cap. vltim. sed ista infrigidatio Dauid venit longo tempore, scilicet, quadraginta annis, vel plus, postquàm abscidit oram chlamydis Saulis: ergo non venit in pœnam illius peccati. Item patet hoc quia litera vult hic attribuere istud senectuti, & non alteri causæ, quòd patet ex ordine literæ cùm dicitur, quòd Dauid senuerat, & habebat ætatis plurimos dies, cumque operiretur vestibus, non calefiebat: ergo non est attribuendum alteri causæ. Alij dicunt, quòd incurrit istam infrigidationem, eò quòd erat natus de parentibus veteribus, & semen eorum erat debile, & frigidum. Sic tenet Gloss. ord. interlinearis. Sed ista ratio non multum stat, quia quando quis est filius veterum, si semen est debile, ipse est delicatus tota vita sua, & impotens ad labores. Dauid tamen fuit vir robustus in iuuentute sua, vt patet supra 1. lib. cap. 16. Etiam quia sæpè iste dum esset pastor occidebat leones, & vrsos apprehendens eos manibus, & strangulans, præcedenti lib. cap. 17.

Alia opinio Gl. ord.

C

3. opin. Rabbi Kimhi.

Alij dicunt, quòd istud euenit Dauid, quia fuit vir bellorum, & effusus est sanguis multus de corpore eius, vnde infrigidatus est, quia sanguis calefacit corpus. Alia causa etiam ponitur ex timore, scilicet, quia numerato populo cùm vidit Dauid Angelum percutientem timuit nimis, & cecidit in terram, & intantùm inde conturbatus est, quòd vsque ad mortem mansit in eo iste timor, & infrigidatio. Istud colligitur 1. Paralipom. 21. Scilicet, Et non præualuit Dauid ire ad altare, vt ibi obsecraret Deum, nimio enim fuerat timore perterritus, videns gladium Angeli Domini. Istas duas causas tenet Gloss. ordin. interlinearis, & Nicolaus, & Rabbi D. Kimhi, &

Resp. ad cto. Infirmitas Dauid, q̃ tũc incurrit, est paralysis.

Rabbi Salom. & satis videntur esse conuenientes. Potest tamen dici, quòd acciderat Dauid aliqua ægritudo, per quam infrigidarentur membra, sicut fit in paralyticis, in quibus membra læsa infrigidantur. Ista autem dico, quia non patet Dauid effudisse sanguinem in bello de corpore suo: nam nunquam legitur percussus. Etiam pauor, quem incurrit viso Angelo percutiente, non fuit tantus, vt Dauid haberet tantam infrigidationem, quia tunc ex eo tempore debuisset Dauid sustinere illam. Sed falsum est, quia postquàm vidit Angelum Domini, & cecidit in terram, iuit ad Areuna Iebusæum in aream suam. præcedenti lib. cap. 24. Ideò satis potest dici, quòd ex alia ægritudine hoc accidit. *Dixerunt ergo serui sui.* Viderunt serui Dauid quòd ex nimia infrigidatione mori posset, ideò quæsiuerunt ei remedium, scilicet, adolescentulam virginem. *Quæramus Domino nostro regi.* Istud dicebant inter se familiares Dauid. In Hebræo habetur. *Quæratur Domino meo regi.* Et eadem sententia est, sed est litera barbarica, quia cùm multi loquerentur hic non deberet dici Domino meo, sed Domino nostro: talis tamen mutatio numerorum sæpè habetur in Hebræo. *Adolescentulam virginem.*

Quare quæsita fuit pro calefaciendo Dauid vna adolescentula virgo magis, quàm alia mulier de suis concubinis.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR quare fuit potius quæsita adolescentula virgo, quàm quęcunque alia mulier. Etiam ad quid opus erat quòd quæreretur aliqua mulier, quia Dauid habebat multas vxores, & concubinas, quæ poterant eum calefacere? Respondendum, quòd quæsita est puella virgo, eò quòd mulieres corruptæ non sunt tanti caloris, sicut puellæ virgines, illæ enim valde calefaciunt. In concubinis autem, & vxoribus Dauid nulla erat virgo. Etiam fortassis nulla erat adolescentula, quia non legitur quòd Dauid acceperit aliquas concubinas, postquam accepit concubinas, & vxores de Ierusalem, cùm factus est Rex Israël, vt patet præcedenti lib. cap. 5. Et 2. Paralipomenon 3. Et tamen iam transierant ab illo tempore triginta tres anni, quibus regnauit Dauid super Israël seq. cap. Ideò nulla illarum vxorum, vel concubinarum fuit vtilis ad calefaciendum Dauid, sed quæsita est adolescentula virgo.

Quare non cubabat cum Dauid aliquis paruulus.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR vlterius, quare non cubabat aliquis puerulus, vel iuuenis cum rege, vt calefaceret eum, sicut puella virgo? Respondendum, quod quanquam viri naturaliter calidiores sint mulieribus, tamen mulieres magis calefaciunt viros, quàm vir virum, vel puer virum: vnde Medici dicunt optimum remedium esse contra frigiditatem membrorum, & paralysim imminentem amplexus mulieris, & maximè iuuenculæ: & quia Dauid inciderat in hanc ægritudinem, non fuit ei conueniens amplexus viri, sed fœminæ. Alia fuit causa propter honestatem, quia dato quòd esset aliquis puer, qui tantùm potuisset calefacere Dauid sicut puella: honestius erat, quòd puella eum calefaceret, eo quòd cùm esset valde frigidus oportebat eum fricare nimis, & facere quædam alia erga ipsum, quæ vir non potest agere honestè circa virum, fœmina autem honestè agere potest. Dicit autem Nicolaus, quòd non erat peccatum, quòd ista puella ageret omnia hæc erga Dauid, quia data fuerat ei in vxorem. Sed dicendum, quòd siue sit vxor, siue non, poterat licitè ista facere. Nam Dauid potuit licitè accipere concubinas ex dispensatione, vt declaratum est præcedenti lib. cap. 5. Et illæ erant ad carnales illecebras: ista autem sola fuit ducta propter sanitatem; ideò etiam si Dauid cognouisset illam incidentaliter non peccasset, & tamen nec ducta est ad eum, vt ipse illam agnosceret, nec etiam ipse cognouit illam. Primum patet, quia ducta est vt calefaceret regem propter infirmitatem, nec vnquàm serui Dauid consiliati sunt de inquirendo eam, nisi cùm Dauid non poterat calefieri vestibus. Secundum patet, quia infra dicitur, quòd dormiebat ista puella cum rege, rex tamen non cognouit eam. An verò ista puella data fuerit regi in vxorem, vel in concubinam, vel solùm in famulam non pertinentem ad aliquid istorum, declarabitur sequenti cap. *Et stet coram rege.* Id est, stet semper in conspectu eius, scilicet, rex erat iam languens, & vt plurimùm iacebat in lecto, & ista puella semper assistebat ei dando cibos, & posteà iacendo cum eo in lecto. Nulla autem vxorum Dauid, vel concubinarum ingrediebatur ad regem, vel

Remedium contra paralysim.

stabat

A

ſtabat coram eo. Sic patet infra cùm dicitur, quòd ingreſſa eſt Berſabee ad regem in cubiculo: rex autem ſenuerat nimis, & Abiſag Sunamitis miniſtrabat ei, quaſi dicat, nulla mulier aſtabat ei, niſi Abiſag: nam Bethſabee non intrauit ad Dauid, niſi ad petendum pro ſe, & Salomone ſuper ſtatu regni; alioquin non fuiſſet ingreſſa. *Et foueat eum.* Fouere eſt vegetare, & pertinet ad calorem, ſcilicet, quando quis alterum calefaciendo ei vitam conſeruat, & ſic faciebat puella iſta Dauid. In Hebræo habetur. *Calefaciat eum.* Et idem eſt, ſed litera noſtra poſuit foueat, quia infra dicitur, calefaciat, ne idem ſermo ſæpè repetitus ſit, quod eſt vitium. *Dormiatq; in ſinu ſuo.* Id eſt, dormiat in complexu regis: eſt enim ſinus ſpatium occupatum inter brachia, & quando quis alterum amplexatur, dicitur eſſe in ſinu illius: ita ad hoc quòd iſta puella calefaceret regem, oportebat quòd teneret eum in ſinu ſuo, id eſt, complexum inter brachia: hæc enim, & multa alia faciebat puella, vt calefaceret regem. In Hebræo habetur. *Dormiat in ſinu tuo.* Sed eſt barbarica mutatio perſonæ; quia iſta verba loquebantur familiares regis inter ſe, & quærebant puellam pro rege, & non pro aliquo ipſorum, inter quos fiebat ſermo: ideò oportet quòd dicatur in ſinu ſuo, ſed litera Hebraica barbara eſt in mutatione perſonarum, & numerorum. *Et calefaciebat dominum noſtrum regem.* Scilicet, ipſa recreabit eum calefaciendo, cùm dormierit in ſinu eius, in Hebræo habetur:

B

Dormiebátque cum Domino noſtro rege. Litera autem noſtra mutauit iſtud, quia non videbatur pertinere ad ſententiam, eò quòd mutatum eſt tempus: nam deberet dici, dormiatque, & non dormiebat, quia nihil adhuc factum erat, ſed petebatur conſilium de faciendo. *Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſraël.* Id eſt, ſerui regis quæſierunt per totum Iſraël pulchriorem puellam, quam inuenire potuerunt.

Quare ſerui Dauid quæſierunt puellam pulchram valde pro eo, cum tanta diligentia.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR quare cum tanta diligentia miniſtri Dauid inquiſiuerunt puellam pulchram? Reſpondendum, quòd ſerui Dauid inquirebant puellam principaliter, vt calefaceret regem. Ad hoc autem ſufficiebat quamcunque iuuenculam virginem haberi, quæ vbique reperiri poterat, & non oportebat inquiri per totam terram Iſraël: inquiſiuerunt tamen per totum Iſraël, & non inuenerunt aliquam virginem pulchriorem, quàm Abiſag Sunamitidem, & illam ad regem duxerunt. Hoc autem propter duo. Primò, quia volebant miniſtri regis lætificare eum, & ad hoc volebant quòd puella miniſtraret ei. Si autem illa eſſet turpis, rex eſſet moleſtus ei. Ideò cùm ipſa deberet ſemper iacere cum illo in lecto, & dare ei cibos, & ſtare coram illo oportebat, vt eſſet ſpecioſiſſima, & in omnibus valde compoſita, vt decor illius moueret regem ad quandam lætitiam: nam decor naturaliter ad ſe trahit appetitum, & iocunditatem cauſat. Secundum erat, quia iſta puella debebat eſſe vxor regis, vt ſequenti capite declarabitur: oportebat autem regis vxorem cæteras pulchritudine excellere. *Et inuenerunt Abiſag Sunamitem.* Id eſt, inuenerunt Abiſag Sunamitidem eſſe ſpecioſiſſimam in toto Iſraël. Dicitur autem Sunamitis, id eſt, de vrbe nomine Suna. Iſta vrbs erat in ſorte Iſſachar, vt patet Ioſue 19. Et de hac ciuitate erat mulier cuius filium ſuſcitauit Eliſæus, vt patet ſequenti libro, capite quarto. Scilicet, facta eſt dies quædam, & tranſiuit Eliſæus per Sunam, & poſtea vocauit Eliſæus mulierem illam Sunamitidem, eodem cap. *Et adduxerunt eam ad regem.* Scilicet, quia viderunt iſtam conuenientem propoſito ſuo, & non erat alia pulchrior in Iſraël. *Erat autem puella pulchra nimis.* Commendatur enim valde Abiſag de pulchritudine, quia erat pulchrior omnibus puellis Iſraël: nam cùm in toto Iſraël diligenter inquiſita fuiſſet mulier pulchra, nulla inuenta eſt pulchrior, quàm Abiſag. *Dormiebátque cum rege.* Scilicet, ad calefaciendum eum, quia ad hoc principaliter quærebatur. *Et miniſtrabat ei.* Scilicet, dabat ei cibos manu ſua, vt delectabilius comederet de manu illius, quàm de manu alicuius alterius, eo quòd illa miniſtraret ei omnes cibos mundiſſimè. Iſtud autem generale eſt in

C

Homines delectabilius cõedũt de manu illius quẽ diligunt.

D

omnibus hominibus, qui gratius, & delectabilius ſuſcipiunt cibos de manu quorundam, ſiue virorum ſiue fœminarum, quàm de manu aliorum, & maximè iſtud accidit infirmis, qui valde ſequuntur deſideria ſua: vnde confortantur nimis, quando ſuſcipiunt cibos de manu illorum, à quibus ſuſcipere deſiderant, & in hoc ſemper eis fauẽdum eſt: ſic enim Amnon filius Dauid finxit ſe languere, & petijt à patre vt mitteret ei Thamar ſororem ſuam, vt faceret ſorbitiunculas coram eo, & comederet de manu illius præcedenti lib. cap. 13. & ſic habuit occaſionem ad ſtuprandum eam. *Rex verò non cognouit eam.* Id eſt, licèt dormiret in ſinu regis, non cognouit illam.

Quare ſpecificatur, quòd Dauid non cognouit eam.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR quare dicitur hic, quòd Dauid non cognouit Abiſag: nam iſtud non oportebat hic poni, ſi enim iſtud proficeret aliquid ad excuſandum Dauid, fuiſſet vtile poni, ſic fuit de beata Virgine: nam dicitur, quòd ipſa erat vxor Ioſeph, & quia aliquis putaret, quòd Chriſtus natus eſſet de ſemine Ioſeph, Euangeliſta appoſuit, dicens: Et accepit Ioſeph coniugem ſuam, & non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum. Sic patet Matth. 1. In Dauid autem non erat ſic, quia ſiue cognouiſſet Abiſag, ſiue non, nequaquam peccaret, quia erat vxor illius, & etiam ſi eſſet concubina, non peccaret cognoſcendo illam, quia in Dauid fuit diſpenſatio, vt declaratum eſt præced. lib. c. 5.

E

Reſpondendum, quòd expreſſum fuit hoc propter duo. Primò ad ſignandum ſtatum Abiſag, ſcilicet, quòd maneret virgo rege mortuo: nam cum Abiſag dormiret cum Rege, & calefaceret eum, difficile videbatur, quòd puella mouens ſenem ad calorem non moueret ad libidinem, vt ait Hieronymus. etiam, quia alij in tanta ætate coire potentes ſunt, putaretur ergo veriſimiliter, quòd Abiſag cognita fuiſſet à Dauid. Ad ſignandum ergo integritatem eius, propheta teſtificatus eſt, quòd Dauid non cognouiſſet illam. Secundum fuit propter Adoniam, de quo infra fit mentio, quòd petiuit Abiſag in vxorem, ſi tamen cognouiſſet eam Dauid, fuiſſet omninò illicitum matrimonium inter Adoniam, & Abiſag, & ex hac cauſa ſaltem poterat reijci petitio Adoniæ. Salomon tamen non reiecit ex hac occaſione petitionem Adoniæ, ſed quia per hoc aſpirabat ad regnum, vt patet ſequenti capit. Item ſi Dauid cognouiſſet Abiſag, ipſemet Adonias erubuiſſet petere eam in vxorem. Ideò dicendum, quòd mortuo Dauid conſtabat Abiſag non fuiſſe cognitam ab eo, & ob hoc Adonias non erubuit illam petere in vxorem, & ad hoc ſignandum Scriptura expreſſit hic de Abiſag, quòd non cognouiſſet eam Dauid.

F

An iſta quæ dicuntur de adoleſcentula quæſita regi, ſint intelligenda in ſenſu literali, vel ſecundum allegoriam, vt dicit Hieronymus in epiſtola ad Nepotianum.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR an id, quod dicitur de Abiſag ſit intelligendum ad literam, ſcilicet, quòd fuerit quæſita, vt iaceret cum rege, & calefaceret eum, vel ſit intelligendum in parabola? Reſpondet beatus Hieronymus, quòd iſtud non fuit ad literam, quia videretur eſſe ridiculum, quòd aliquid tale fieret, ſed eſt intelligendum parabolicè, ſcilicet, quòd per Abiſag intelligatur ſapientia, quam Dauid in ſenectute valde habuit ſibi coniunctam: nam in ſenibus eſt ſapientia, & iſta calefaciebat Dauid mouendo eum ad deſiderium, & amorem Dei. Similis modus habetur ſæpè in Scriptura, vt patet Iudicum 9. de lignis vngentibus Regem. Vnde de hoc ait Hieronymus: Num tibi videtur, ſi occidentem literam ſequaris, figmentum eſſe de Mimo, vel Attellanarum ludicra, quòd frigidus ſenex obuoluitur veſtibus, & niſi complexu adoleſcentularum non tepeſcit? Viuebat adhuc Bethſabe, ſupererat Abigail, & reliquæ vxores, & concubinæ; omnes vxores quaſi frigidæ repudiantur, & vnius tam grandæuus caleſcit amplexibus. Abraham multo Dauid ſenior fuit,

A & tamen viuente Sara aliam non quæſiuit vxorem. Iſaac duplices Dauid habuit annos,& cum Rebecca iam vetula nunquàm refrixit. Taceo de prioribus ante diluuium viris, qui poſt annos quingentos, non dico ſenilibus, ſed penè canoſis artubus, nunquam puellares quæſiêre complexus. Moyſes Iſraëlitici populi dux centum viginti annos habuit, ſed Sephoram non mutauit. Quæ eſt ergo iſta Sunamitis vxor, & virgo tam feruens, vt ſenem frigidum calefaciat, & tam ſancta,vt calentem ad libidinem non prouocet? Exponat Salomon patris delitias, & pacificus bellatoris viri narret amplexus. Poſſide ſapientiam, poſſide intelligentiam, ne derelinquas illam,& ſeruabit te. Cùm penè virtutes corporis mutantur in ſenibus,creſcente ſola ſapientia, decreſcant cæteræ vires. Et poſt hoc per multa verba inducit Hieronymus, quomodo Abiſag ſignificat ſapientiam ſenectutis,quia interpretatur pater meus ſuperfluus; & intelligitur de ſapientia, quæ ſuperabundantius venit in ſenectute, quàm in alijs ætatibus. Sed dicendum,quòd ſi velimus intelligere Hieronymum fuiſſe locutum allegoricè, ſiue moraliter,dum tamen relinquat alium ſenſum literalem,expoſitio conueniens eſt. Si tamen dicat intelligendam hoc modo literam, & non poſſe aliter intelligi,non poteſt ſtare ſua expoſitio: & hoc videtur dicere in principio ſuæ expoſitionis, ſcilicet, ſi occidentem literam ſequaris figmentum eſſe videtur, vel Attellanarum ludicra.
B Sed non ſtat,quia neceſſe eſt intelligi,quòd ad literam quæſita fuerit puella nomine Abiſag ad calefaciendum Regem. Quod patet, quia tunc non diceretur, quòd ſerui regis quæſierunt illam regi,quia ipſi non inquiſiuerunt ſapientiam regi,ſed ipſe illam habuit, vt vult Hieronymus, ex conditione ſenectu.Item ſi poneretur iſtud hic tanquam tropologia, nõ ponerentur multæ partes ſuperfluæ, ſcilicet, quòd quæſita fuerit Abiſag per omnes terminos Iſraël,& quòd inuenta fuerit in Suna, quæ ad ſignificationem nihil pertinent. Item non ſtat,quòd intelligatur ſub tropologia, quia hic eſt hiſtoria continuata à principio capituli, vt apparet ex verborum concatenatione,ideò debet poni iſtud, quod dicitur de Abiſag,tanquam hiſtoricè factum. Item patet hoc fortius, quia ſequenti cap.dicitur,quòd Adonias petiuit in vxorem ipſam Abiſag; & propter hoc occidit eum Salomon:ſi autem intelligeretur ſapientia per Abiſag,& non eſſet puella, non peteret eam in vxorem Adonias. Dicendum ergo,quòd iſtud accidit ad literam,& factum eſt, quia erat Dauid ſenex,& frigidus,nec poterat calefieri,niſi amplexu iuuẽcularum. Nam Medici dicunt patientibus membrorum infrigidationem vtiles eſſe fœminarum amplexus,maximè iuuencularum propter imminentem paralyſim. Hieronymus autem putat eſſe iſtam fabulam, quia non exiſtimat ad aliquid prodeſſe amplexus Abiſag regi, ſed iam patet contrarium. Quòd autem allegat de Abraham, & Iſaac, quòd vixerunt maiori tempore,& non mutauerunt vxores, dicendum, quòd fuerunt bonæ complexionis,& non infrigidati ſunt, ita vt egerent calefieri à iuuenculis, ſic etiam fuit de alijs tempore Dauid, qui ſeniores erant,& tamen iuuencularum amplexibus non egebant,ſed Dauid accidit iſta ægritudo ex cauſa ſpeciali. Item quod dicit de viris ante diluuium non ſtat, quia illi peruenientes ad annos nongentos erant fortiores, & ſeniores, quàm nos in anno ſeptuageſimo,eo quòd periodus eorum erat longior, ſimiliter etiam de Moyſe non valet dictum, quia ipſe fuit tam bonæ complexionis, quòd poſt centum, & viginti annos,quibus vixit, non caligauit vnquàm oculus eius, nec dentes illius moti ſunt: Deuterono.vltimo.In Dauid autem ſiue ex mala complexione, ſiue ex alia cauſa ſecuta eſt infrigidatio membrorum generalis. *Adonias autem.* Hic ponitur ſecundum,ſcilicet,Adonię ambitio:nam ambiebat principatum regium,& inquirebat fauores ad illum:& dicitur. *Adonias autem filius Aggith.* Iſte natus eſt in Hebron regnante Dauid ſuper Iudam,& erat mater ſua Aggith. *Eleuabatur dicens,ego regnabo.* Id eſt, eleuabatur in corde ſuo ambiendo principatum regalem;& eleuabatur in ore, dicendo: ego regnabo. Eleuabatur etiam in opere,quia fecit ſibi currum, & equites,& quinquaginta viros,qui præcederent eum.

C

Adoniæ ambitio.

Quare credidit Adonias, & cum eo multi alij poſſe regnare, quamuis prophetatum eſſet de Salomone.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR quomodo Adonias putabat,quod poſſet regnare: nam promiſſio facta erat Dauid de Salomone determinatè,quod regnaret,vt patet præcedenti lib.cap.7.& magis 1.Paralipom. 22. ſed contra prophetiam nihil fieri poteſt. Reſponderi poteſt, quòd non ſolùm Adonias putabat ſe poſſe regnare, ſed etiam putabant hoc alij viri Iſraël: nam Ioab fouebat partem illius,& Abiathar ſummus ſacerdos, & multi alij,qui eum in regem vnxerunt,& celebrauerunt conuiuia,vt patet infra in litera: & ſi putarent nullo modo poſſe regnare Adoniam,non vnxiſſent eum, nec celebrauiſſent feſta,ſed putabant poſſe fieri. Hoc aũt fiebat,quia fortè non audierat Adonias,& alij viri Dauid prophetiã de regno Salomonis,quia fortè Dauid nõ reuelauerat eis. Vel dato quòd audiuiſſent illam prophetiam putabant poſſe eam mutari, quia multæ promiſſiones Dei mutantur propter mutationem illorum, ad quos fiunt; & ſic fortè fieret de regno Salomonis. Vel aliter, quia fortè non credebatur iſti prophetiæ: nam multi inter Iſraëlitas non credebant prophetis:& ob hoc exhortantur credere illis, vt patet 2. Paralipom.20. cùm dixit Ioſaphath:Audite me Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem; credite in Domino Deo noſtro, & ſecuri eritis: credite prophetis eius,& cuncta euenient proſpera. Ideò non obſtante prophetia putabant iſti poſſe regnare Adoniam. Aliter etiam dici poteſt, quòd Adonias, & reliqui fautores eius, licèt crederent prophetiæ: ex deſiderio paſſionali mouebantur ad agendum contra eum:ſic enim accidit valde paſſionatis circa aliquid,quia ipſum deſiderium cogit eos iudicare allquid eſſe poſſibile,quod non eſt.

D

Quomodo Adonias eleuabatur, cùm non competeret ei regnum.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlterius quomodo Adonias eleuabatur, vt regnaret, quia non competebat ei regnum: poterat enim regnum competere alicui tripliciter, ſcilicet,promiſſione Dei, vel ex primogenitura, vel ex diſpoſitione patris. De primo patet in Dauid: nam quamquàm ipſe haberet ſeptem fratres maiores ſe, tamen eum voluit Deus vngere in regem ſupra 1.lib.capit.16.De ſecundo patet,ſcilicet,de primogenitura, quia communiter inter Iudæos regnum veniebat per ius primogenituræ:& hoc quia ſic conſuetum inter alias gentes. Sic enim dicitur primo Paralipomenon 21.ſcilicet,Omnes hi filij Ioſaphat regis Iuda, deditque eis pater ſuus multa munera auri, & argenti, regnum autem tradidit Ioram, eo quòd primogenitus eſſet: & ſic videtur, quòd primogenitura tribuebat ius regnandi. De tertio patet, quia Roboam filius Salomonis habuit multos filios, ſcilicet,viginti octo, & ſexaginta filias, & conſtituit Abiam filium Maacha in capite omnium, eo quòd eſſet ſapientior, & potentior ſuper omnes fratres ſuos, quamquàm non eſſet ipſe primogenitus, vt patet 2. Paralipomenon 11. Adonias autem non habebat regnum poſſidere aliquo iſtorum modorum. De primo patet, quia Deus non promiſerat ei regnum, ſed Salomoni. 1. Paralipomenon 22. De ſecundo patet, ſcilicet, quòd non eſt primogenitus: nam Adonias fuit quartus filius Dauid, ante eum quippe fuerunt Amnon, Cheleab, & Abſalom,vt patet præcedenti lib. cap.3. Amnon autem mortuus erat, præcedenti libro cap.13. Abſalom etiam bello corruit,præcedenti libro cap. 18. Supererat igitur Cheleab, qui tunc primogenitus eſſet, & competeret ei regnum ex hac parte. De tertio patet, ſcilicet, quòd non fuit Adonias à Dauid electus,vt regnaret:ſed magis Salomon, & ſuper hoc iurauerat,vt patet infra in litera,cùm dixit Bethſabe ad Dauid: Nonne tu Dominè mi Rex iuraſti mihi ancillæ tuæ, dicens, quòd Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo? Reſpondendum, quòd competebat regnum Adoniæ vno modo, ſcilicet,per primogenituram,quia de filijs

E

Regnũ poterat cõpetere alicui tripliciter

F

Dauid

A Dauid manentibus primogenitus erat Adonias, eo quòd mortui erant tres præcedentes, scilicet, Amnon, & Absalom, præced. lib. c. 13. & 18. Sed de Cheleab, quamquàm non tãtum pateat, dicendum est, quòd mortuus erat, ideò successio veniebat ad eum: hoc autem colligitur infra in litera, cùm dicitur, quod erat Adonias pulcher valde, & secundus natu post Absalom: ex quo innuitur, quòd cũ mortuus esset Absalom, ipse manebat vt primogenitus, & ad eum pertinebat successio. Si autem viueret adhuc Cheleab frustra poneretur, quòd erat secundus Adonias post Absalonem, quia hoc non esset ad propositum eorum, quæ dicuntur hic. Hoc etiam tenet Historia scholastica, & Nicolaus. Habebat etiam aliud incentiuum Adonias ad regnandum, scilicet, quia erat pulcher nimis, & putabat quòd propter hoc populus faueret ei. Item habebat secum adiutores magnos, scilicet, Ioab principẽ exercitus, & Abiathar summum sacerdotem, quorum fauore, & potentia totum populum sibi conciliare putabat, ideò licèt non deberetur sibi regnum ex iure, per fauores putabat illud adipisci. *Fecitq; sibi currum, & equites.* Id est, fecit currum, in quo portaretur ad modum Regis, & fecit equites, qui sociarent eum. *Et quinquaginta viros, qui ante eum currerent.* Id est, constituit sibi quinquaginta viros, qui præcederent eum: & hoc erat currere. Sic habetur præced. lib. cap. 15. Scilicet, fecit sibi Absalom currus, & equites, & quinquaginta viros, qui præcederent eum: isti quinquaginta viri differunt ab equitibus, quia isti erant pedites, & præcedebant Adoniam, cùm progrederetur. Equites autem insidentes equis sequebantur currum Adoniæ: vel isti quinquaginta viri erant semper cum Adonia, & erant fortè equites. Alij autem qui nominantur equites fortè erant in alijs locis, sicut milites stipendiarij, qui manent in locis suis prompti ad vocationem dominorum, quandocunque fuerint vocati. Sed primum verisimilius est.

B

Quare Adonias fecit sibi currum, & equites.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR quare Adonias fecit sibi currum, & equites? Respondendum, quòd hoc fecit propter duo, primò ad ostendendum statum regium: nam habere ista, erat signum successuri in regnum. Alij autem filij Regis, quamquam honorabiliter viuerent, tamen non sumebant sibi ista insignia, quia propriè pertinebant ad successurum in regno: sic enim fecit Absalom, qui volens succedere patri, immò regnare eo viuente, fecit sibi currum, & equites, & quinquaginta viros, præcedenti lib. cap. 15. Ita Adonias volebat sequi ius illius, qui succedebat in iure, quod habebat Absalom: nam dicitur hic, quòd erat Adonias secundus natu post Absalom. Secundò faciebat hoc, quia Adonias intendebat post paucos dies vngi in Regem, sicut postea factum est: & quia non decebat subitò ascendere de paruo statu ad maximum, voluit aliquanto tempore vti his insignijs, quæ significabant & ostendebant magnam excellentiam status, vt postea in regem vngeretur. *Nec corripuit eum pater suus.* Scilicet, quãquàm Adonias malè ageret vsurpando sibi regnum, non corripuit eum Dauid. *Aliquando dicens: quare hoc fecisti.* Id est, saltem nunquam dixit ei verbo, quare faciebat illam stultitiam. In Hebræo habetur: *Nec contristatus fuit pater suus illum in diebus suis.* Eadem sententia est, quia contristari, & corripere idem sunt, scilicet, quia contristatur homo, cùm quis corripit eum prohibendo illud agere, quod ipse desiderat, & dicitur in diebus suis, id est, nunquam quamdiu vixit.

C

An Adonias peccauerit hæc faciendo.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, an peccauit Adonias, faciendo ista, quæ fecit. Aliquis dicet, quod sic, quia dicitur hic: Et nõ corripuit eum pater suus: nunquam tamen aliquis corripiendus est, nisi de eo, quod malè agit. Respondendum, quòd Adonias egit hic duo: primum erat, quia eleuabatur dicens, ego regnabo; & fecit sibi currum, & equites. Secundum erat, quia fecit se vngi in Regem, & celebrauit festiuitatem regni. De primo dicendum, quòd aut Adonias sciebat Salomonem habere aliquod ius ad regnandum ex diuina promissione, vel ex iuramento patris, aut non. Si primo modo dicendũ, quod peccabat grauiter, eo quòd conabatur subripere ius alterius, & manifestè vsurpabat sibi insignia illius, pro quo Salomon poterat ei indicere iustum bellum, si Dauid ei non exhiberet iustitiæ complementum. Si secundo modo dicendum, quod non videretur peccare Adonias: quia ius regnandi non competebat, nisi ex tribus modis suprà assignatis, scilicet promissione Dei, primogenitura, paterna electione, sed Adonias hoc dato nesciret aliquem habere ius ex diuina promissione, nec electione patris: ideò manebat solùm ius primogenitur̃; sed istud habebat Adonias, ideò iustè poterat propria auctoritate ferre insignia successuri in regno. Si autem dicatur de vnctione Adoniæ, & festiuitate regni, dicendum quòd indistinctè Adonias peccauit: nam dato, quòd indubitanter ipse haberet ius succedendi, non existente in cõtrarium prophetia, nec paterna electione, quòd ipse ignorante patre vngeretur in Regem, & celebraret festiuitatem regni, peccatum graue erat contra patrem, quia vsurpabat ius patris, illo non concedente. Sed adhuc manet dubium de primo, scilicet an peccasset Adonias faciendo currum, & equites. Et dicendum, quod peccauerit, quia litera dicit; Et non corripuit eum aliquando pater suus, dicens: quare hoc fecisti. Et hoc non refertur ad vnctionem in Regem, sed ad currus, & equites, vt patet hic in litera, ergo peccauit faciẽdo currus, & equites, cùm de hoc corripiendus erat. Item patet, quod non fecerit hoc nesciens ius Salomonis, sed sciendo, & volendo repugnare illi, quia si Adonias putasset nulli competere ius regnandi, nisi sibi, securus acciperet insignia successuri in regnum, & non curaret confœderare sibi aliquos adiutores, tanquam nullum haberet repugnantem: confœderauit sibi tamen Ioab principem militiæ, & Abiathar summum sacerdotem, quod patet in litera, scilicet, & sermo ei erat cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar sacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ. Et sic videtur, quòd partialitas erat hic, & consequenter aliquis competitor. Item patet, quia Adonias quando fecit festum magnum in vnctione sua, inuitauit omnes fratres suos, & Salomonem fratrem suum non inuitauit, ergo sentiebat illum sibi competitorem: & sic malo animo agebat ista, & peccabat.

D

Sed dicet aliquis, quòd non peccaret Adonias, quia Dauid tolerabat istud, & per tolerantiam fiebat ei licitum: sicut id quod Ecclesia potest prohibere faciliter, & sine aliquo scãdalo, & non prohibet, licitum fit. Dauid tamen nunquàm increpuit Adoniam super hoc, ergo videbatur approbare nõ increpando. *Quæst. 9.*

Respondendum, quòd Dauid non approbauit factum Adoniæ; quia ignorabat illud, cùm iaceret in lecto, & nesciret ea, quæ fiebant. Et etiam, quia fortè quamquàm Dauid sciret, erat impotens ad corrigendum. Vel aliter dato, quòd Dauid permitteret Adoniæ ista facere, non approbabat illa, sed fortè ex aliqua tenera affectione permittebat; immò dato, quod approbaret, non poterat ei dare ius regnandi, cùm Deus prædixisset Salomonem regnaturum.

E

Quare Dauid non corripuit Adoniam facientem currus; & an peccauerit.

QVÆSTIO XII.

VLTERIVS quæretur, quare Dauid non corripuit Adoniam cùm faceret sibi currum, & equites, & diceret: ego regnabo, quia debuisset iam esse admonitus in eo, quod fecit Absalom contra eum: nam fecit currus & equites, & postea voluit regnum subtrahere Dauid, præcedenti lib. c. 15. Ideò cùm Adonias faceret ista, debuerat nimis timere Dauid & corripere eum? Respondendum, quòd non erat istud signum vsurpandi regnum, sed solùm erat signum successuri in regno. Ideò Dauid non curabat quòd Adonias ista faceret. Item patet, quia si istud esset signum vsurpandi regnum, cùm iam Absalom istud fecisset, & perijsset, nullo modo Adonias auderet aliquid tale ostendere, quia illicò captus fuisset, & occisus, ne moueret seditionem contra Dauid. Sed adhuc dici posset, quòd Absalom à principio fecit currum, & equites, &

F

A quamquàm iſta non eſſent ſignum vſurpandi regnum, tamẽ elatus in ſuperbiam vſurpauit illud. Ita nunc timendum erat de Adonia, quod cùm ſuperbiret, dicẽdo, ego regnabo, poſtea vellet vſurpare regnum Dauid. Reſpondendum, quòd Dauid non arbitrabatur hoc, quia ſciebat quòd Abſalom ſurrexerat contra eum in pœnam delicti ſui, quia occidit Vriam, & iam ſufficienter punitus fuerat pro illo peccato. Ideò non putabatur quòd nunc aliquis de filijs ſuis poſſet inſurgere contra eum. Populus quoque videns currus, & equites Adoniæ, non putauit quod vellet vſurpare regnum Dauid; ſed quòd cùm Dauid iam ſenuiſſet, & valde fuiſſet infrigidatus, credebatur quotidie propinquus morti; & ob hoc Adonias diſponebat ſe ad regnãdum. Alij autem dicunt, quòd Dauid neſciebat iſta, quæ faciebat Adonias, eo quòd erat ſemper in lecto: ideò non poterat corripere illum, ſed non eſt veriſimile, quia iſta fecit Adonias magno tempore: & quamquàm Dauid non videret illa, aliquis enarraret ei. Sed dicendum videtur magis, quòd Dauid hoc ſciebat, & tamen nolebat increpare Adoniam: & hoc quia nolebat facere ſcandalum inter filios ſuos: nam ſi corriperet Adoniam propter hoc, indicaret quòd ipſe non erat ſucceſſurus in regno, alioquin licitè poſſet vti iſtis inſignijs, quæ pertinebant ad ſucceſſurum: voluit igitur tolerare eum in iſto honore vſque ad diem, quo ipſe determinaret quis de filijs ſuis ſuccedere deberet. Iſtud idem fecit in Abſalom: nam tunc benè videbat Dauid Abſalonem ferentem iſta inſignia per quatuor annos, præced. lib. cap. 15. Et tamen non corripuit eum ex cauſa prædicta. Secundum fuit, quia Dauid diligebat Adoniam valde, & nolebat contriſtari eum: nam erat primogenitus eius, & pulcher valde, propter quæ afficiebatur Dauid ad eum.

Dauid nõ corripuit Adoniam propter duo.

B

Dauid an peccauerit non corripiendo Adoniam.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR vlterius an Dauid peccauit, non corripiendo Adoniam? Aliquis dicet quòd ſic, quia cùm peccaret, tenebatur eum corrigere: ſic enim peccauit Heli ſummus ſacerdos: nam ipſe in ſe bonus erat, quia tamen filios ſuos non corripuit, Deus inflixit pœnam ei, & toti domui ſuæ, ſupra 1. lib. cap. 2. Reſpondet Nicolaus, quòd non peccauit Dauid non corrigendo, nec eſt ſimile de Adonia, & de filijs Heli, quia peccatum illorum erat directè contra Deum: nam dicitur quòd filij Heli erant filij Belial neſcientes Dominum, nec officium ſacerdotum ad populum, ſupra 1. libro cap. 2. Peccatum autem Adoniæ, quantum ad extra apparebat, non erat niſi quædam vanitas, vel oſtentatio, quæ permittitur filijs Regum: vel dicit quòd Dauid non corripuit eum eo quod ignorabat. Simile eſt, quia quamquàm vngeretur in Regem Adonias, neſciebat Dauid niſi Bethſabe, & Nathan declaraſſent ei, vt infra patet in litera, ſcilicet, Et ecce Adonias regnat te Domine mi Rex ignorante. Sed dicendum videtur quòd aliqualiter peccauerit Dauid ex negligentia, quia noluit corripere Adoniam. Et hoc patet, quia litera ſignificat hoc, cùm dicitur: Nec corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens: quare hoc feciſti. quod videtur poni ad increpationem Dauid. Sed dicendum quòd nõ tantum peccauit Dauid non corripiendo Adoniam, ſicut peccauit Heli non corripiendo filios ſuos, quia peccatum illorum erat grauiſſimum, ſupra 1. lib. cap. 2. Peccatum autem Adoniæ erat minus, non tamen erat totaliter excuſabile. Cùm autem dicit Nicolaus quòd Adonias non peccabat, niſi in quadam oſtentatione, dicendum quòd ſi fortè ſolum feciſſet ad honorem magnum currum, & equites, fuiſſet oſtentatio, & non præiudicaſſet alicui, tamẽ vſurpabat inſignia ſucceſſuri, cùm ipſe non eſſet ſucceſſurus, & erat hoc in præiudicium Salomonis. Ideò non erat tolerandum. Cùm autem dicit, quòd Dauid neſciebat, an Adonias iſta faceret, dicendum quòd nõ eſt veriſimile, quòd in tanto tempore non diceret hoc aliquis Regi. Cùm verò allegat quòd Dauid neſciebat quomodo Adonias vngeretur in Regem, dicendum non eſſe ſimile, quia illud factum eſt vna die, & in eadem die antequam compleretur, nunciatum eſt Dauid. quod patet, quia immediatè Dauid iuſſit Salomonem vngi in Regem, & adhuc erant in epulis inuitati ab Adonia, quando inſonuit clangor inthronizationis Salomonis, vt patet infra in litera. Quòd autem Adonias faceret ſibi currum, & equites, fuit per multos dies, antequàm vngeretur in Regem; ideò non eſt veriſimile, quòd aliquis nõ nunciaſſet Dauid. Hoc aũt patet, quia dicitur: nec corripuit eum pater ſuus aliquando: ergo videtur quòd magnum tempus erat, ex quo iſtud cœperat, & in nulla parte illius temporis illum corripuit. & magis patet hoc ex litera Hebraica, in qua dicitur, & non contriſtatus eſt eum in diebus ſuis, id eſt, nunquam in diebus ſuis. *Erat autem ipſe pulcher nimis.* Id eſt, Adonias erat valde pulcher, licèt non tantum ſicut Abſalom: nam in filijs Dauid nullus fuit tam pulcher. *Et ſecundus natu poſt Abſalom.* Id eſt, ipſe erat ſequens poſt Abſalom in ordine natiuitatis: nam primus erat Amnon, ſecundus Cheleab, tertius Abſalom, quartus Adonias, vt patet præced. lib. cap. 3.

C

D

Quare dicatur quòd Adonias eſſet pulcher, & ſecundus poſt Abſalom. Et quòd Dauid diligebat Adoniam propter duo.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR quare ponitur hic quòd erat pulcher, & ſecundus natu poſt Abſalom? Reſpondet Rabbi Dauid Kimhi quod dicitur hoc, quia Adonias putauit ſe diligi à patre propter pulchritudinem, ideò ſuperbiuit faciens ſibi currum, & equites. Sed dicendum, quòd iſta litera ponitur tanquam determinatiua præcedentis: poteſt autem eam determinare dupliciter. Vno modo quod ponantur iſta ad ſignificandum, quare Adonias nõ fuit caſtigatus à patre quamquam egiſſet malum: & patet, quia dicitur: nec corripuit eum pater ſuus, & immediatè ſequitur quod erat pulcher nimis, & ſecundus natu poſt Abſalom, q.d. propter hoc non corripuit: nam diligebat Dauid nimis Adoniam, & nolebat contriſtare eum. Iſta autem dilectio erat propter duo: Primum erat, quia erat pulcher inter omnes fratres ſuos, & quantum ad hoc afficiebatur nimis Dauid ad eum, quia pulchritudo naturaliter trahit ad dilectionem. Secundum erat, quia erat ſecundus natu poſt Abſalom, id eſt, erat nunc primogenitus inter omnes fratres, quia ipſe ſuccedebat Abſalom in ordine natiuitatis, & ille mortuus fuerat: ideò manebat Adonias tanquam primogenitus; & ob hoc diligebatur nimis à Dauid, & ſic quanquam peccaret, nollet eum contriſtare corripiendo. ſic patet de Amnon, præced. lib. cap. 13. nam licet Dauid triſtatus fuiſſet valde de ſtupro Thamar, non increpuit Amnon, cùm dicitur: Cùm autem audiſſet Dauid verba hæc contriſtatus eſt valde, & noluit cõtriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus ei erat. Aliter poteſt induci iſta litera ad determinandum ſuperiorem, ſcilicet, quia ſupra dictum eſt, quòd Adonias eleuabatur, & dicebat ego regnabo, & cauſa huius erat duplex. Prima, quia erat pulcher, & per hoc ſuperbiebat nimis, quia pulchritudo ſuperbiam generat. Etiam putabat, quòd propter iſtam pulchritudinem populus iudicaret eum digniorem regno, quàm fratres ſuos: quia bona corporis habitudo nimis confert ad dignitatem: & ſic dictum eſt de Priamo Rege Troiano propter pulchritudinẽ, quòd dignus eſſet regno. Sic ait Porphyrius: Species Priami digna eſt Imperio. Et verum eſt, quòd pulchritudo atteſtatur ſuper bona complexione, & bona complexio ſuper bono intellectu, ſed qui ſunt intellectu vigentes naturaliter aliorum ſunt Domini, & Rectores, vt colligitur 1. Polyticor. Vocatur etiam ſecundus natu poſt Abſalom, id eſt, primogenitus inter fratres reſiduos. Et ex hoc maximè habebat occaſionem ad ſuperbiendum, quia competere poterat ei regnum ex primogenitura, cùm ſolum eſſent tres modi, quibus aliquis haberet ius regnandi, vt ſuprà declaratum eſt.

E

F

Pulchritudo ſuperbiã parit.

Adonias an eſſet primogenitus Dauid nunc.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR vlterius, an Adonias eſſet primogenitus inter omnes filios Dauid, qui nunc erant? Reſpondendum, quòd erat Adonias quartus in filijs Dauid, vt patet præced. lib. c. 3. Duo tamẽ de prioribus mortui fuerãt, ſcilicet,

Amnon,

Ammon,& Abſalom præced.lib. cap.13. & 18. Manebat autem medius eorum,ſcilicet,Cheleab, de quo eſt dubium an mortuus eſſet. Et dicendum eſt,quòd mortuus erat. Primò, quòd aliàs non auſus fuiſſet Adonias inſurgere ad accipiendum regnum, cùm nullum haberet ius verum, vel coloratũ. Item,quia dato,quòd Adonias ex ambitione regni conaretur aliquid vſurpare,tamen nullus de Iſraelitis auſus fuiſſet adiuuare eum,& vngere in Regem, potiſſimè viuẽte Dauid: & tamen omnes viri Iuda,& etiam fratres Adoniæ conuenerunt ad feſtum coronationis ſuæ, vt patet in litera: ergo ipſe erat primogenitus. Item hic dicitur, quòd erat ſecũdus natu poſt Abſalom, ſed iſtud non pertinebit vllatenùs ad propoſitum, ſi adhuc maneret aliquis maior eo in filijs Dauid, ergo ipſe erat primogenitus. Et eſt ſenſus, ante hoc erat Abſalom primogenitus, & quia ille mortuus erat, ſuccedebat, in primogenitura Adonias. Et iſta fuit cauſa, quare etiam Abſalom fecerat ſibi currus,& equites, ſcilicet, quia nullus de filijs Dauid erat maior,cui ex ætate regnum competeret. Item patet,quia dicitur infrà, quòd Adonias vocauit ad conuiuium in die coronationis ſuæ omnes fratres ſuos filios regis:ſi tamen aliquis maior eo eſſet, non venirent omnes ad coronationem Adoniæ, ne præiudicarent iuri maioris, vel ſaltem ipſe maior non veniret ad coronationem, vt non videretur renunciare iuri ſuo. Item dicitur, quòd omnes vocauit Adonias præter Salomonem, & ſic illum non vocabat tanquàm competitorem iure regni ex reuelatione Dei, & ex iuramento patris,ſi tamen alius eſſet maior Adonia,eſſet ille competitor ex iure primogenituræ, ergo etiam illum non vocaret, ſed dicitur, quòd omnes vocauit præter Salomonem,ergo videtur, quòd omnes vocauit præter Salomonem, ergo videtur, quòd nullus erat primogenitus præter ipſum,& ſic tenendum eſt. Vnde iſta fuit cauſa potiſſima, quare inſurgeret Adonias. *Et ſermo eius cum Ioab filio Saruiæ, & cum Abiathar ſacerdote.* Id eſt, habebat Adonias conſilium ſuum in omnibus agendis, cum Ioab principe militiæ,qui erat filius Saruiæ ſororis Dauid, & cum Abiathar ſacerdote, id eſt,ſummo ſacerdote:nam cùm ponatur hic ſacerdos ſine limitatione,ſignificat excellentiam, ſcilicet,ſummum ſacerdotem,& ſic Sadoch, & Abiathar vocantur ſacerdotes Dauid,id eſt,ſummi ſacerdotes,præceden. lib.cap.8. & 20. *Qui adiuuabant partes Adoniæ.* Id eſt, iſti duo fouebãt partem Adoniæ,ſcilicet,quia volebant, quòd ille eſſet rex;ideo ipſi conſulebant ei in omnibus, quomodo ſe gereret ad obtinẽdum principatum.

Quare dicitur,quòd Ioab,& Abiathar fauebant Adoniæ.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, quare dicatur, quòd ex parte Adoniæ erant Ioab,& Abiathar,& quare ipſe volebat habere aliquos partiales ſecum. Reſpondendum ad primum, quòd dicebantur Ioab, & Abiathar adiuuare partes Adoniæ,eo quòd non fauebat totus populus Adoniæ, ad hoc quòd eſſet rex,vt patet in litera, ſcilicet, Sadoc verò ſacerdos,& Banaias filius Ioiadæ,& Nathan Propheta, & Semei, & Cerethi, & Phelethi, & robur exercitus Dauid non erat cum Adonia. Ad ſecundum dicendum, quòd ſi Adonias non habuiſſet aliquem competitorem in iure regni, ſed pacificè poſſet regnare, non accepiſſet aliquos, qui fauerent parti ſuæ ſpecialiter,eo quòd totus populus aſſentiret ſibi, & non haberet aliquem contradictorem: habebit tamen Adonias competitorem,ſcilicet,Salomonem,cui competebat ius regni ex duobus,ſcilicet,ex promiſſione Dei, & ex iuramento patris. Credidit autem, quòd ille repugnaret ipſi nimis, & quòd multi adhærerent illi, eo quòd habebat ius, ideo antequàm aliquid ageret, quæſiuit fautores partis ſuæ, ſcilicet, Ioab, & Abiathar, vt iſti reſiſterent omnibus inſurgentibus ex parte Salomonis.

Quare Adonias voluit habere Ioab,& Ioab adhæſit Adoniæ.

QVÆSTIO XVII.

VLTERIVS quæretur, quare Adonias voluit habere Ioab in fautorem, & quare Ioab voluit aſſentire parti Adoniæ. Ad primum dicendum, quòd Adonias voluit habere Ioab ex parte ſua, quia Ioab erat princeps militiæ,& potentiſſimus in Iſrael, & ipſe faceret, quòd totus exercitus Dauid foueret partes Adoniæ. Ad ſecundum dicendum, quòd Ioab voluit fauere Adoniæ, quia putabat,vel fortè ſciebat, quòd Dauid vellet conſtituere Salomonem in regem, & timebat,quòd cùm ipſe offendiſſet Dauid, occidendo Abſalom,Abner,& Amaſan iuberet Salomoni, quòd occideret eum poſt mortem ſuam. Ideo voluit conciliare ſibi animum Adoniæ, vt ille cuſtodiret eum à periculo: nam ipſo regnante, nihil pateretur Ioab. Aliter poteſt dici, quòd quamquàm Ioab non putaret,quòd Dauid iuberet eum occidi,tamen credebat, quòd mortuo Dauid, cùm Salomon ſuſciperet nouos officiales in regno, fortè nollet, quòd maneret Ioab in principatu militiæ, ſed traderet illum alteri, quem magis diligeret, cuius forſitan iam videbat ſignum Ioab,eo quòd Salomon non afficeretur ad eum, ſed ad Banaiam; ideo procurauit ſibi fauorem cum Adonia, fouendo partes illius, vt mortuo Dauid, maneret in principatu militiæ.

Adonias quare voluit habere Abiathar ſecum, & ipſe voluit eſſe cum eo.

QVÆSTIO XVIII.

VLTERIVS quæretur cur voluit Adonias ſuſcipere Abiathar in partem ſuam,& quare Abiathar voluit eſſe cum Adonia. Ad primum reſpondendum, quòd Adonias voluit habere Abiathar in fautorem,eo quòd ille erat nimis acceptus apud Dauid, quia fuerat cum eo in omnibus tribulationibus, & erat nunc vir potens in Iſrael, cùm eſſet ſummus ſacerdos, cuius erat magna poteſtas,& honor, vt declaratum eſt,Nume.25. Etiam quia ſummi ſacerdotes erant iudices maximi, & populus tenebatur ſequi iudicium illorum ſub pœna mortis,Deuteronom.17. Ideo per illum poſſet totus populus conciliari Adoniæ declarante Abiathar,quòd Adonias eſſet verus ſucceſſor Dauid.Item ad hoc quòd Adonias regnaret, debebat vngi, ſed vnctio fiebat per ſummos ſacerdotes, ideo voluit habere ſecũ Abiathar ſummum ſacerdotem, vt eum vngeret. Ad ſecundum dicendum, quòd Abiathar voluit fouere partem Adoniæ, vt ille etiam foueret partem ſuam:nam prænunciatum erat, quòd domus Heli ſacerdotis periret, & tolleretur ſacerdotium de illa,ſuprà 1.lib.cap.2. & incœperit iam iſta deſtructio, quando occiſi ſunt ſacerdotes Nobe,eodem lib.cap.22. Timebat autem Abiathar, quod propter prophetiam illam, Salomon auferret ei ſummum ſacerdotium, ideo voluit nunc fauorem quærere cum Adonia, vt quamquàm poſtea Prophetæ dicerent Abiathar abijciẽdum de ſummo ſacerdotio, Adonias propter affectionem non expelleret eum. Aliter etiam dici poteſt ſecundùm Hebræos, quòd die,qua Dauid egreſſus eſt de Ieruſalem fugiendo Abſalom Abiathar conſuluit Dominum coram arca,& nõ reſpondit per eum, ſed reſpondit per Sadoc:ideo Dauid vidit,quòd iam ſacerdotium non pertinebat ad Abiathar, & illa die amouit eum: non tamen omninò, vnde manebat in honore ſuo ex quadam tolerantia Dauid, & quia timuit, quòd ſucceſſor Dauid amoueret eum de ſummo ſacerdotio, voluit captare fauorem Adoniæ ante tempus.Sic tenet Rabbi Dauid Kimhi,ſed iſtud improbatum eſt præceden.lib.cap.15. Poteſt autem dari alia cauſa tam de Ioab,quàm de Abiathar, quare adhæſerint Adoniæ, ſcilicet,quia iſti deſiderabant præcellere alios in honore,erat autem propinqua mors Dauid, in qua nouus rex ſumendus erat,& illi,qui à principio fauiſſent ei ante ſuſceptum regnũ, maximè honorarentur ab eo poſteà ideo iſti duo, vt eſſent maximi in domo Adoniæ, incœperunt nunc fauere ei antequàm eſſet rex. Adhæſerunt autem potiùs Adoniæ, quàm alteri, quia putauerunt iſtum potiùs futurum regem, quàm alium,vel quia fortè ab iſto magis diligebantur,& poterant faciliùs habere fauorem eius.

Ioab,& Abiathar, an peccauerint fouendo partes Adoniæ.

QVÆSTIO XIX.

VLTERIVS quæretur, an peccauerint Ioab, & Abiathar, fouẽdo partes Adoniæ cùm ipſe non haberet ius regnandi. Conſiderandum ad hoc, quòd ſicut ſuprà declaratum eſt, triplex erat ius regnandi, ſcilicet, promiſſio Dei, primogenitura, & electio patris. Adonias autem habebat vnum, ſcilicet, primogenituram : Salomon verò habebat duo, ſcilicet, promiſſionem Dei, & electionem, atque confirmationem patris: ideo erat potior in iure ſuccedendi : immò dato quòd Adonias habuiſſet primogenituram, & electionem patris, ſi Salomon haberet promiſſionem diuinam ſolùm, eſſet potior in iure, quia iſte confert ius indubitatum, & derogat iuri cuiuſcunque alterius. Si autem Adonias nõ habuiſſet aliquod ius, peccarent quicunq; fauerent parti eius, eo quòd iniuſtitiam fouebãt, ſed habebat primogenituram, quæ erat quoddam ius ſuper quod poterant inniti quicunque adhærerent ei. Et tunc dicendum, quòd aut ius Salomonis erat manifeſtum, aut non, ſi eſſet manifeſtum peccarent fauentes Adoniæ, quia derogabant Salomoni iniuſtè, ſi autẽ ius eius erat occultum, vtpotê quia reuelatio prophetica, & iuramentum Dauid nondum innotuerant, non peccabant, qui adhærebant Adonię, eo quòd conſtabat eum habere ius, & de nullo alio conſtabat. Sed dicẽdum, quòd Ioab, & Abiathar peccauerunt, quia ipſi nouerant ius Salomonis ; tamen voluerunt fauere Adoniæ ex cauſis dictis. Ex hoc patet, quia alij ſerui Dauid nõ fauebant Adoniæ, vt patet in litera: ſi tamen fuiſſet omninò occultum ius Salomonis ſeruis Dauid, omnes aſſenſiſſent Adoniæ, tanquàm notoriè habenti ius ad regnandum, ergo cognitum erat ius Salomonis. *Sadoc verò ſacerdos.* Hic ponuntur illi, qui non fauebant Adoniæ, ſcilicet, Sadoc ſacerdos, id eſt, ſummus ſacerdos. Sic etiam accipitur de Abiathar, qui vocatur ſacerdos, id eſt, ſummus ſacerdos: nam ambo vocantur principes ſacerdotum, 1. Paralipom. 24. Ponitur autem Sadoc primus, quia erat honoratiſſimus, eo quòd erat ſummus ſacerdos. *Et Banaias filius Ioiadæ.* Iſte etiam non fauit Adoniæ : & erat iſte de viris fortibus Dauid in ſecundo ternario ; & erat ſecretarius eius ad aurem præceden. lib. cap. 23. Diligebat autem illum Dauid, ideo fecerat ipſum principem ſuper Celethi, & Phelethi, præceden. lib. cap. 8. & 20. Iſte fuit poſteà princeps militiæ Salomonis, ſicut Ioab tempore Dauid, ſequen. cap. *Et Nathan Prophèta.* Iſte erat familiaris Dauid, & prænunciauerat ei de regno Salomonis, præceden. lib. cap. 7. Et de pœna pro adulterio Bethſabe. & morte Vriæ; eodem lib. cap. 12. *Et Semei.* Etiam iſte non fauebat Adoniæ.

Semei de quo hic, an ſit ille, qui maledixit Dauid.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR quis erat iſte Semei. Aliqui putant, quòd fuerit ille, qui maledixit Dauid præceden. lib. cap. 16. & poſteà pepercit ei eodem lib. cap. 19. Ex hoc etiam dicit Rabbi Salom. ſuper cap. 3. infrà, quòd iſte Semei erat Doctor Salomonis, & quamdiù ipſe vixit, non accepit Salomon vxorem alienigenam, & mortuo illo illicò accepit. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia iſte Semei habebat magnam poteſtatem in domo Dauid, & erat valdè familiaris ei, cùm ponatur hic nominatim inter viros magnos, qui poterant adiuuare, vel impedire Adoniam : Semei tamen, qui maledixit Dauid, non erat vir magnus. Etiam non habebat aliquem fauorem in domo Dauid, quia licèt Dauid pepercerit ei, propter hoc quod occurrit ei in Iordane, tamen non diligebat eum, immò iuſſit Salomoni, quòd occideret eum poſt mortem ſuam, ſequen. cap. Dicendum ergo, quòd iſte Semei erat aliquis vir potens in domo Dauid, & fortè de cognatione eius, qui poterat adiuuare, vel impedire regnum Adoniæ: ideo ponitur hic, quòd non faueret Adoniæ. *Et Cerethi, & Phiethi.* Etiam iſti non fauebant Adoniæ, quia princeps eorum erat Banaias, præceden. libro, cap, 8. & 20. Et tamen Banaias non fauebat Adoniæ, ideo etiam nec Celethi, & Phelethi fauerent ei. In Hebræo habetur. *Et Rei.* Vbi nos dicimus Cerethi, & Phelethi : multi tamen Hebræorum putant, quòd ſit Celethi, & Phelethi ; & Hieronymus ſic tranſtulit. Poſſet etiam dici, quod Rei eſt nomen alicuius militis magni in domo Dauid, ſicut Semei, & ille etiam non fauebat Adoniæ. *Et robur exercitus Dauid non erat cum Adonia.* Id eſt, pars potiſſima, vel fortiſſima exercitus Dauid non fauebat Adoniæ.

Quomodo robur exercitus Dauid non fuit cum Adonia, cùm Ioab eſſet cum eo. Et quod illius robur fuiſſe dicatur.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR quomodo robur exercitus Dauid non erat cum Adonia, cùm Ioab, qui erat princeps militiæ faueret Adoniæ : & quod erat robur exercitus Dauid, de quo hic dicitur. Ad primum dicendum, quòd ſicut Ioab fouebat partes Adoniæ, ita ſerui ſui fouebant, Ioab tamen, quamquàm eſſet princeps exercitus Dauid, non habebat ſecum ſemper exercitum, ſed ſolùm quando erat in bello: nunc autem non erat bellum, ideo ſoli ſerui ſui tenerent intentionem ſuam : alij autem de exercitu tenerent, quam partem vellent, quia tunc non ſuberant diſciplinæ Ioab. Ad ſecundum dicendum, quod robur exercitus Dauid non vocatur hic maior pars, vel melior de exercitu ſuo, quia ipſe congregabat, quantum volebat de exercitu, cùm opus erat, ſed intelligitur hic de illis, qui erant ſemper in curia Dauid: nam alij milites ſtipendiarij, qui viuebant per varia loca, & alij qui ſolebant vocari tempore bellorum, non erant nunc in curia, vt poſſent fouere vnam, vel alteram partem. Ideò intelligitur robur exercitus pro ſexcentis viris, qui venerant cum Dauid de Geth, & qui ſemper erant cum Dauid: nam conſueuerat Dauid ſemper ſecum habere Phelethi, & Celethi, & viros Gethæos. Quod patet, quia iſti erant cum Dauid in Ieruſalem, quando ſubitò nunciatum eſt, quòd Abſalom eſſet rex, & fugerunt cum Dauid de Ieruſalem: præceden. libro, cap. 15. Sed ſuprà exprimuntur nominatim Cerethi, & Phelethi: ergo oportet, quòd per rõbur exercitus intelligantur ſexcenti viri Gethæi, quia non leguntur alij continuè manſiſſe cum Dauid in curia ſua, niſi iſti. Item patet, quia in Hebræo dicitur. *Et viri fortes.* Vbi litera noſtra dicit, & robur exercitus : iſti tamen ſexcenti viri Gethæi vocantur viri fortes excellenter, præceden. libro, cap. 15. Scilicet, ambulabant iuxta eum legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores valdè ſexcenti. *Immolatis ergo Adonias arietibus.* Hic ponitur feſtum coronationis Adoniæ : nam cùm magno tempore feciſſet apparatum ſucceſſuri in regno, ſcilicet, habendo currum, & equites, nouiſſimè voluit vngi in regem, & fecit magnam ſolennitatem conuiuiorum, ad quæ vocauit viros Iuda, & fratres ſuos. Et dicitur: immolatis arietibus, & vitulis, id eſt, occiſis ad ſolennitatem. *Et vniuerſis pinguibus.* Id eſt, occidit pinguia, ſiue de vniuerſis generibus pinguium ad iſtam ſolennitatem. Per hæc intelliguntur alia pecora, quæ occidi ſolent ad conuiuia, & intelliguntur volucres, & altilia, & quæcunque pertinent ad delectationem guſtus de animalibus.

Feſtiti coronationis Adoniæ.

Quomodo immolata ſunt animalia in feſto Adoniæ. Et quòd immolatio dupliciter accipi poteſt.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR, quomodo immolata ſunt iſta animalia, vel quod ſacrificium factum eſt de eis. Reſpondendum, quod poteſt accipi iſta immolatio dupliciter. Vno modo quòd ſolùm Adonias feciſſet conuiuium magnum, & ad hoc occidiſſet multa animalia. Alio modo, quòd occidiſſet iſta animalia in ſacrificium pro ſolennitate coronationis. De primo patet, quia immolatio ſolùm ſignificat iugulare, vel occidere : & etiam ſi accipiatur victima, poteſt poni pro animalibus, quæ occiduntur in cõuiuijs, & non pertinent ad ſacrificium Dei. Sic patet Gen. 43.

A

Cùm dixit Ioseph dispensatori suo: Introduc viros domum, & occide victimas,& strue conuiuium, quia mecum comesturi sunt meridie. Et tamen ibi non fiebat aliqua immolatio Deo,sed solum fiebat conuiuium: ita poterat fieri hic. Aliter potest dici, quod hic immolarentur Deo victimæ ad solennitatem huius coronationis, & illæ essent victimæ pacificæ, de quibus liceret cuicunque comedere, & ad illas inuitauit Adonias fratres suos, & principes Israel, & istud est verisimilius, quia solennitas regis non fiebat sine immolatione victimarum multarum: sic patet de renouatione regni Saulis facta in Galgala, vbi oblatæ sunt multæ hostiæ pacificæ,& populus comedit de illis,suprà 1.libro, cap.11. *Iuxta lapidem Zoeleth.* Id est, fuerunt victimæ immolatæ, iuxta lapidem,eo quòd ibi fuit factum conuiuium, & paratio ciborum: vel quia ibi fuerunt sacrificia oblata Deo. Est autem iste lapis Zoeleth quidam lapis magnus, & famosus apud Ierusalem,ideo habet nomen:sic enim alij lapides famosi nomina habent. Sic patet suprà 1.lib. cap. 20. cùm dixit Ionathas ad Dauid, quòd lateret apud petram, cuius nomen est Ezel,& Iudicum20. Dicitur, quòd sexcenti viri Beniamin sederunt in petra Phemon. Aliqui volunt, quòd iste lapis Zoeleth erat quidam lapis non magnus apud Ierusalem, in quo iuuenes exercebant vires suas iaciendo eum,vel trahendo per terram. Et hoc putant sequendo interpretationem eius, quia Zoeleth significat lapidem tractum. Sed non dicitur conuenienter, quia tunc iste lapis moueretur de vno loco ad alium,& aliquando esset hic, & aliquando alibi,non habens locum certum:& tamen hic ponitur ad designādum locum certum,cùm dicitur,quòd fuerunt immolata animalia apud lapidem Zoeleth, ergo manebat fixus. Item quia dicitur, qui est vicinus fonti Rogel: in quo signatur, quòd ille lapis semper erat apud fontem Rogel, si tamen esset lapis ad iaciendum,& experiendum vires, aliquando esset ibi, & aliquando alibi, & non diceret scriptura eum esse apud fontem Rogel. Ideo dicendum,quòd erat lapis magnus, & immobilis. *Qui erat vicinus fonti Rogel.* Id est,iste lapis erat vicinus fonti, cuius nomen est Rogel. Istud ponitur ad magis significandum. Hebræi putant, quòd Rogel sit nomen appellatiuum,& significet fullonem,& sic vocant istum fontem fullonis,quia apud illum erat ager, & piscina fullonum, sic enim habetur sequen. libro,cap.18. Cùm dicitur, quòd Rabsaces,& alij socij sui venerunt in Ierusalem, & steterunt iuxta aquæ ductum piscinæ superioris,quæ est in via agri fullonis. Et ponitur ibi Rogel, sicut hic, & stat pro fullone,sic etiam accipitur Isa.7. cap. Scilicet, Egredere in occursum Acham ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via agri fullonis. Dicendum, quod verum est, quod istud nomen Rogel significat fullonem, & tamen aliquando nomina communia efficiuntur nomina propria, sicut patet sæpè in Hebræo:& sic Hieronymus posuit aliquando Rogel, vt proprium,& aliquādo posuit fullonem. Nam Iosue 15.& 18. ponitur fons Rogel,tanquàm terminus diuisionis inter sortem Iudæ,& Beniamin: in quo videtur distinguere fontem Rogel,& fontem agri fullonis. In hoc autem magis est standum Hieronymo,quàm Hebræis, quia ipse nouit totam illam terram,quam profitetur se suis pedibus ambulasse solùm,vt haberet notitiam locorum, de quibus meminit sacra scriptura, vt patet in quodam Prologo suo super Paralipomenon,qui incipit,Eusebius.

Lapis Zoeleth.

B

Rogel, quod nomen sit.

C

Adoniæ vnctio,quare facta fuerit apud fontem Rogel. Et quòd Reges antiquitùs coronabantur apud fontes, & arbores.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR, quare fuit vnctio Adoniæ, facta apud fontem Rogel. Respondendum, quòd in vnctione Regum ipsi subditi imprecantur multa bona Regibus, & desiderant regnum illorum permanere longo tempore,sicut patet infrà in litera de his, quæ imprecabātur super Adoniam viri sui,& de his,quæ imprecabantur super Salomonem vngentes eum, & ad hoc obseruant cæremonias, vt vnctio Regum, vel coronatio fieret apud aliquos fontes, vel arbores. De fontibus ratio est,quia sicut aqua fontis est indeficiens, ita vngentes regem imprecantur regnum illius non deficere,vel magno tempore durare. De arboribus ratio est, quia sicut arbores florent, & virent,ita vngentes regem, imprecantur regnum illius semper florere prosperitate.& virere manendo in robore suo. De vnctione apud fontes patet in Adonia, & Salomone: nam Adonias vnctus est apud fontem Rogel,qui erat famosus: Salomon autem vnctus fuit in Gion,id est, apud fontem Siloe,qui etiam est famosus,vt patet infrà. De vnctione autem apud arbores apparet Iudicum 9. Vbi dicitur de Abimelech, quòd vnctus est in regem apud quercum Sichem: & illa est quercus famosa,& quæ valdè multis annis durauit, vt ibidem declaratum est,fiebat autem apud illam, vt sicut illa arbor erat annosa,ita regnum Abimelech duraret multis annis. *Vocauit vniuersos fratres suos filios regis.* Scilicet, vocauit Adonias istos ad solennizandum coronationem suam, & ad conuiuium magnum, quod faciebat,ex hoc patet, quòd nullus erat in filijs regis competitor regni cum Adonia, præter Salomonem:nam de eo dicitur,quòd non vocauerit ipsum,si tamen fuisset aliquis maior Adonia illi potiùs competeret ius regni,quàm Adoniæ, & illum non vocasset tanquàm competitorem,vel fortè non ausus fuisset vngi in regem. *Et omnes viros Iuda seruos regis.* Id est, etiam vocauit omnes viros Iuda, qui erant serui regis, id est, continui familiares sui in domo sua, & curia. Hoc dicit ad differentiam aliorum virorum Iuda,qui habitabant dispersi per vrbes, & non erant in domo regis,quia illi non vocantur serui regis, & de illis nullus vocatus est ad conuiuium. *Nathan autem Propheta.* Hic ponuntur illi,quos non vocauit Adonias ad conuiuium, scilicet,quia non fauebant parti suę,& primus fuit Nathan Propheta.*Et Banaiam.* Iste etiam non erat de parte Adoniæ,ideo dilexit eum postea Salomon valdè, & fecit illum principem exercitus, infra 4. *Et robustos quosq;.* Hic potest intelligi, quod intelligebatur suprà, cùm dicitur: & robur exercitus Dauid non erat cum Adonia, & intelligitur ibi de sexcentis viris Gethæis, hic tamen debet accipi largiùs, scilicet, tam pro istis Gethæis, quàm pro Celethis,& Phelethis: nam etiam illos non vocauit,cùm non essent de parte sua, vt petet suprà.*Et Salomonem fratrem suum non vocauit.* Omnes alios fratres suos vocauit,& Salomonem non, eo quòd illum sentiebat competitorem. Ex hoc apparet,quòd Adonias sciebat Salomonem habere ius ad regnum, siue ex Dei promissione, siue ex iuramento patris, ideo non vocauit eum, alioquin si ignorasset ius Salomonis, vocauisset eum cum cæteris fratribus.

D

Quos vocauerit Adonias ad conuiuium.

E

An Adonias commiserit crimen læsæ maiestatis, eo quòd vnctus est in regem.

QVÆSTIO XXIV.

F

QVÆRETVR circa istam vnctionem Adoniæ, an ipse per hoc,quod vnctus est in regem, viuente Dauid, & ignorante, commiserit crimen læsæ maiestatis, volendo vsurpare regnum Dauid, sicut Absalom. Aliquis dicet, quod nihil magis egit Absalom, quàm nunc egerit Adonias, scilicet, quia ille viuente patre, & ignorante vnctus est Regem in Hebron. Respondendum, quòd Adonias non læserit maiestatem Regis, nec voluerit vsurpare regnum Dauid faciendo se vngi in Regem,quod patet,quia iam Absalom occisus fuerat ex hac causa, & si nunc Adonias sic insurgeret, dato quòd ipse solus haberet ius succedendi, occideretur; quia patrem volebat de regno expellere,sed hoc nequaquàm aggrederetur Adonias timens exitum miserabilem Absalom. Item si Adonias voluisset vsurpare regnum Dauid,non fauissent ei Ioab, & Abiathar: nam isti erant familiares magni Dauid, & diligebant eum valdè, vnde non permitterent tale quid fieri, potissimè quia Ioab fuit, qui maximè persecutus est Absalom, & occidit eum pro hac vsurpatione,præcedenti libro, cap. 18. Item si Adonias voluisset vsurpare regnum Dauid eijciendo eum de regno, vel occidendo, sicut voluit facere Absalom, fecisset secretissimè istam coniurationem extra Ierusalem, & postea congregatis ad se omnibus fautoribus suis, venisset ad pugnādum contra Dauid: sic enim fecit Absalom,

A qui recedens de Ieruſalem, iuit in Hebron, vt ibi faceret conſpirationem, & vngeretur: & poſteà manu armata venit contra Dauid in Ieruſalem, præcedenti libro, cap. 15. Adonias tamen cum minori parte populi vnctus eſt intra Ieruſalem, & publicè clamatum eſt: viuat rex Adonias, & ſederunt ad cibos conuiuæ eius, tanquàm nihil mali egiſſent, nec timere deberent aliquid mali, ſi tamen conſpiraſſent contra regem ad tollendum ei regnum non debuiſſent eſſe ſecuri, quia deberent putare, quòd totus Iſrael irrueret ſuper eos. Item Adonias vocauit omnes filios Dauid ad conuiuium iſtud, & coronationem ſuam, & venerunt: ſi tamen hic ageretur de vſurpatione regni contra Dauid filij ſui, non conſenſiſſent, quib⁹ nulla vtilitas hic proueniebat, cõſenſerunt tamẽ, & venerunt ad conuiuium: ergo non intendebat Adonias vſurpare regnum, ſed ſolùm volebat vngi in Regem tempore Dauid ad hoc, quòd poſt mortem eius maneret rex indubitatus. Et iſtud multotiens fit, ſcilicet, quòd patres viuentes vngant filios ſuos in reges: ſic enim conſuetum erat Imperatoribus Romanorum, qui filios ſuos Cæſares faciebant, ſic etiam fecit Dauid: nam Salomonem fecit vngi eadem die, qua vnctus eſt Adonias, & vixit poſt hæc aliquanto tempore Dauid, vt patet infrà in litera, & ſequenti capit. Hoc autem ab antiquo conſuetum erat inter alios Reges, ideo voluit hoc ſolùm aſſequi Adonias, nec in hoc læſit regiam maieſtatem: Abſalom autem noluit hoc, ſed patrem viuctem

B de regno expellere, vel occidere, præcedenti libro, cap. 17.

An peccauit Adonias faciendo ſe vngi.

QVÆSTIO XXV.

VLTERIVS quæretur, dato quòd Adonias noluerit vſurpare regnum Dauid, an peccauerit faciendo ſe vngi Dauid neſciente. Reſpondendum, quòd peccauit Adonias in duobus. Primò contra Dauid: nam quod viuente patre filius vngatur in Regem, non eſt regulare, ſed prouenit ex indulgentia patris: Adonias tamen patre non iubente, & neſciente, vnctus eſt: ideo peccauit contra illum accipiendo ius alienum inuito Domino. Item quamquàm Salomon non haberet aliquod ius, & eſſet Adonias primogenitus, adhuc ſpectaret ſucceſſio regni ad determinationem Dauid, quia ipſe poterat facere de filijs ſuis regem quemcunque vellet dato, quòd non eſſet primogenitus. Sic enim fuit de Roboam, qui fecit Abiam non primogenitum ſuum eſſe regem, eò quòd magis placuit ei, vt patet 2. Paralipomenon 11. & hoc ſignificauit Bethſabe, dicens ad Dauid: veruntamen Domine mi rex in te oculi reſpiciunt totius Iſrael, vt indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo poſt te, quaſi dicat, licet Adonias vnctus fuerit nunc in regem non curat de hoc populus Iſrael, ſed aſpiciũt omnes determinationem tuam, ſcilicet quis debeat poſt te regnare.

C Adonias tamen non expectata determinatione Dauid vnctus eſt in regem, ideo præiudicauit iuri Dauid. Nec erat indignum, quòd ex hoc ſolo priuaretur omni iure ſuo ſi quod haberet ad ſucceſſionem regni: & ita factum eſt: nam Dauid priuauit eum iubendo Salomonem vngi. Secundò peccauit Adonias contra Salomonem præiudicando iuri eius. Nam Salomon habebat ius potiùs ad regnum, quàm Adonias, ſcilicet, ex determinatione Dei, & ex iuramento patris, ideo non determinato inter eos de iure ſucceſſionis, quòd ipſe Adonias propria auctoritate faceret ſe vngi in regem præiudicabat valdè iuri Salomonis. Hoc autem cognouit Adonias: nam viſo quòd peccaſſet confugit ad tabernaculum, & tenuit cornu altaris, & noluit exire inde, quouſque miſit ad Salomonem, dicens: iuret mihi hodie rex Salomon quòd non interficiat ſeruum ſuum gladio, & ſic quamquàm ſciret ſe peccaſſe contra Dauid, putauit magis peccaſſe contra Salomonem, & ob hoc petiuit ab ipſo veniam, & non à Dauid. *Dixit itaque Nathan.* Hic ponitur tertium huius cap. ſcilicet, Salomonis promotio; & diuiditur in duo, primò ponitur Salomonis vnctio, ſecundò Adoniæ confutatio ibi, *Adhuc illo loquente.* Prima in tres, quia primò ponitur matris Salomonis petitio. Secundò regis conceſſio ibi. *Reſpondit Rex.* Tertiò petitionis executio ibi. *Dixit quoque Rex.* Circa primum dicitur. *Dixit itaque Nathan ad Bethſabe matrem Salomonis.* Scilicet, Bethſabe erat ignorãs, quòd Adonias vngeretur in regem, ideo non intercedebat apud regem pro filio ſuo: Nathan autẽ propheta notificauit ei, vt loqueretur regi, quòd Salomon vngeretur in regem. *Num audiſti quòd regnauerit Adonias filius Aggith?* quaſi dicat, nunquid non audiſti quòd Adonias filius Aggith regnauerit, i. vnctus fuerit in regẽ hodie? & ſi audiſti, q̃d facis quòd nõ loqueris regi pro filio tuo Salomone? *Et Dominus noſter Dauid hoc ignorat.* Id eſt, non iuſſit ipſe quòd fieret, nec ſcit, an fit. Hoc dixit Nathan propter duo. Primò ad ſignificandum quod erat graue malum Dauid neſciente aliquem vngi in regem, ideo deberet nunciari Dauid. Secundò, & principaliùs dixit hoc, ad incitandum Bethſabe, vt loqueretur ad Dauid pro Salomone: nam ſi Dauid iuſſiſſet quòd vngeretur Adonias in regem, fruſtrà erat petere, quòd Salomon vngeretur, quia rex non mutaret propoſitum ſuum, maximè re non integra, & in præiudicium, & dedecus Adoniæ, qui iam vnctus erat, quia tamen fiebat rege ignorante, poterat haberi remedium: potiſſimè, quia veriſimile eſt, quòd rex iraſceretur, quòd eo neſciente Adonias vnctus fuerit, & ex hoc facilius aſſentiret precibus fuſis pro Salomone. *Nunc ergo veni, & accipe conſilium meum.* Voluit Nathan conſulere Bethſabe, quòd intraret ad regem intercedens pro Salomone, & inſtruxit eam in verbis petitionis,

D

Quare Nathan tam ſolicitus erat cum Bethſabe, vt intercederet pro Salomone ad hoc, vt regnaret.

E

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR, quare Nathan Propheta tam ſolicitus erat circa Bethſabe, vt intercederet pro Salomone. Quidam dicunt, quod faciebat hoc, quia nimis afficiebatur ad Salomonme, & cauſa huius erat, quia ipſe inſtruxerat Salomonem in parua ætate, & Doctores ſolent affici erga diſcipulos, ſicut diſcipuli erga Doctores: immò naturaliter magis diligunt Doctores diſcipulos ſuos, quàm diſcipuli diligant Doctores, ſicut benefactores magis diligunt beneficiatos à ſe, quàm ab eis diligantur: cuius cauſas ponit Ariſtoteles 9. Ethicorum. Alia cauſa eſſe poteſt, ſcilicet, quia Nathan putabat ſe hic fouere partem Dei: nam ipſe ex parte Dei prænunciauerat Salomonem regnaturum, antequàm naſceretur, vt patet præcedenti libro, cap. 7. & magis 1. Paralipomenon 22. Et quia nunc videbat contra prophetiam ſuam vngi. Adoniam ſolicitauit Bethſabe, vt procuraret contrarium. Alia cauſa eſſe poteſt propter magnam familiaritatem Nathan ad Salomonem: nam ipſe impoſuit ei nomen ex parte Dei, ſcilicet, amabilis Domino, præcedenti lib. cap. 12. Et ſicut ſciebat illum à Deo diligi, ita ipſe illum diligebat, & conuerſabatur nimis cum eo, ideo ex quadam affectione procurabat nunc cauſam illius. Alia cauſa poteſt

F eſſe, & fortè efficacior, ſcilicet, quòd Nathan procurabat in hoc cauſam propriam, ſcilicet, quia viderat ſe contemni ab Adonia, eo quod non vocauerat eum ad conuiuiũ, ſicut vocauit Abiathar, & Ioab, ideo voluit procurare, quòd non eſſet ipſe rex, ſed Salomon. Vel magis, quia Nathan demonſtratus fuerat, tanquàm partialis contra Adoniam: nam ipſe ponitur ſuprà primus illorum, qui non erant cum Adonia, timuit ergo, quod ſi Adonias ſuccederet Dauid in regno, quòd occideret eum, vel noceret ei, ideo procurauit, quòd Salomon eſſet rex. *Et ſalua animam tuam filijq́, tui Salomonis.* Id eſt, procura pro vita tua, & Salomonis, vel libera te à morte, & Salomonem.

Quomodo Bethſabe debebat liberare ſe, & Salomonem à morte.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRITVR quomodo Sethſabe deberet liberare animam ſuam à morte, & animam Salomonis, quia iſtud eſt in illis, qui occidendi ſunt, niſi ſe liberent, ſed de iſtis non videtur quòd eſſent occidendi. Reſpondet Nicolaus, quod mortuo Dauid veriſimile eſt, q̃ Adonias occideret Bethſabe pro adulterio, quod cõmiſerat cũ Dauid, &

contra

A

contra ipsum Salomonem inquireret occasionem ad hoc, quòd occideret ipsum, ideo debebat Bethsabe liberare se, & Salomonem. Sed dicendum, quod nō est hoc verisimile, nam dato, quòd posset Adonias de iure occidere Bethsabe pro adulterio non occideret eam in reuerentiam patris sui, & hoc propter duo. Primò, quia erat vxor Dauid patris sui, & erat magnum dedecus Dauid, quòd vxor sua sic occideretur. Secundum erat, quia in hoc directè renouabatur infamia contra Dauid. Nam Bethsabe adulterata fuerat cum Dauid, ideo occidendo eam renouabatur infamia Dauid, quia significabatur, quod pro adulterio, quod ille egerat ista occidebatur. Itē nō stat, quòd vellet Adonias occidere illā, quia istud esset si ex parte illius putaret sibi aliquod præiudiciū generari, sed mortuo Dauid Bethsabe nō poterat aliq d mali agere contra Adoniā, non ergo occideret eam. De Salomone aūt est magis dubiū. Ideo dicendum, q̄ cùm haberet ius ad regnū potius, quā Adonias, & aliqui nunc fauebāt ei timens ne aliquando populus magis assentiret ei, quā sibi, fortè quæreret occasionem ad occidendū illum, vt maneret securus, vel saltē incarceraret eū. Dicēdum igitur aliter, q̄ Nathan dixit: salua animam tuā, & Salomonis, s. ab angustia, quamquā non à morte, quia si Adonias succederet Dauid, maneret Salomō in valdè paruo statu, & Bethsabe: essent enim pauperes, quod patet ex verbis Bethsabe, infrà, s. cùm dormierit Dñs meus Rex, cum patribus suis, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores, id est, miserabiles, & abiecti. Simile habetur præceden. lib. cap. 19. Cùm dixit Ioab ad Dauid, cōfudisti vultus seruorum tuorum, qui saluum fecerunt animam tuam, & filiorum tuo-

B

rum, & filiarum, & animam vxorum, & concubinarū: & tamen manifestum est, quod etiā si Absalom occidisset Dauid, non occidisset concubinas, & vxores suas: nam decem cōcubinas Dauid reperit in Ierusalem, & nullam occidit, sed cognouit eas præced. lib. cap. 16. Et sic videtur, quod dicitur liberata anima vxorum, & concubinarum non à morte, sed à miseria, quia si Dauid mortuus fuisset vxores eius, & concubinæ mansissent abiectæ, & miserabiles, & sic accipitur hic, quòd liberaret Bethsabe animam suam à miseria.

An Adonias potuisset iustè occidere Bethsabe, si regnaret pro adulterio, quod commiserat cum Dauid patre suo, & quæ crimina extinguuntur morte, & quæ non.

Qvæstio XXVIII.

QVÆRĒTVR vlteriùs an Adonias poterat iustè occidere Bethsabe pro adulterio. Aliquis dicet, quod nō, quia magnū tempus erat, quod Bethsabe cōmiserat adulterium, & post illud fuerat facta vxor illius, cum quo adulterata fuerat. Sed dicendum, quod hoc non stat: nam quantumcunq; sint crimina antiqua, potest quis accusari de eis: nam crimina sola morte extinguūtur, vt patet in Decretis, 23. dist. cap. quorundam, & 24. q. 2. cap. 1. Immò, & interdum crimina nō extinguuntur morte, sed potest quis accusari de crimine post mortē, sicut est in tribus casib⁹. Primus est de hæresi, vt patet 34. q. 2. cap. sanè. Secūdus casus, si quis hæreticos hæredes instituerit, vt extra de hæret. cap. si quis Episcopus. Tertius casus, si quis in notorio crimine decesserit, 88. dist, cap. neque. Quanquā ergo multi anni transiuissent post adulteriū Bethsabe poterat accusari de adulterio. Nec etiam valet, quòd postea contraxerit eum Dauid: nam honestas nuptiarum crimē adulterij præteritum nō tollit, sic enim est de baptismo, quia licet omnia crimina, quantum ad pœnam, & culpam remittantur per illum in foro Dei: tamen si quis de crimine conuictus baptizatur nō impeditur, quin capite puniatur. Dicendum ergo aliter, quod nō poterat Adonias condēnare Bethsabe pro adulterio, eo quòd ipsa nō videbatur peccasse, quia Rex eam cognouit quasi inuitam, & nō potuit ipsa resistere, ideo Dauid solus videbatur debere puniri pro hoc crimine. Item ad hoc quòd cōdemnaretur Bethsabe oportebat quòd aliquis eam accusaret: nam secundùm consuetudinem Hebræorū, dato quòd cōstaret crimen iudici, si nullus accusaret reū non poterat condēnare ipsum. Sic patet de muliere illa, quę adducta est ad Christū, & accusata est de adulterio: Christus aūt dixit ad mulierem, recedentibus omnibus accusatoribus. mulier quis te accusat? Et illa dixit: nemo Domine. Et Christus dixit: nemo Domine. Et Christus dixit: Nec ego te condemnabo, vade & ampliùs noli peccare, & sic quanquàm constaret delictum mulieris, quia accusatores desiterunt, Christus noluit cōdemnare mulierem. Ioan. 8. Verum est tamen, quòd ista ratio nō est tam efficax, sicut prima, quia poterat Adonias si desideraret occidere Bethsabe iubere secretè alicui, quòd accusaret eā, & admitteretur accusatio illius, quia quędam crimina sunt, in quibus quilibet de populo admittitur ad accusandum, sed propter primam rationem non poterat eam condemnare, quamquàm accusaretur.

Potest quis post mortē accusari de crimine in tribus casib⁹.

C

D

Nathan Propheta, quomodo timuit mortem Salomonis, cùm sciret verbum Dei immutabile.

Qvæstio XXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo Nathan Propheta timuit mortem Salomonis, cùm dixerit ad Bethsabe, salua animam tuam, & filij tui Salomonis, cùm ipse prædixerit Dauid Salomonem regnaturum post eum, 1. Paralipomenon 22. Et verbum Dei erat immutabile, & sicut non debebat timere mortem Salomonis, ita nec deberet timere, quòd non succederet Dauid. Respondet Nicolaus, quòd ista fuit promissio Dei de futuro, & intelligebatur cum conditione, scilicet, si non poneretur aliquod impedimentum ex parte hominum, & sic intelligitur quæcunque promissio, & comminatio, vt patet Ierem. 18. cap. Poterat autem poni impedimentum ex parte Bethsabe, vel Dauid, aut Salomonis, ne compleretur ista promissio: ideo hortabatur Nathan ipsam Bethsabe agere, quod in se erat, ne Adonias

E

regnaret, sed Salomon. Sed dicendum, quòd ista responsio non stat, quia dato quòd Dauid peccaret grauissimè, vel Bethsabe, aut Salomon non erat impedienda Dei promissio, quia ipse dixerat, quòd etiam propter peccatum non cessaret promissio eius, vt patet præceden. lib. cap. 7. Scilicet, Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium, qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, misericordiā autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul. Ergo poterat puniri Salomon aliter pro peccato, tamen non poterat carere regno, quia Deus firmiter illud promittebat ad omnem euentum. Simile patet infrà 11. cap. Nam Salomon peccauit grauissimè, & tamen Deus non abstulit ibi misericordiam suam ab eo, quia non priuauit eum regno, nec posteros suos; & ibi fit mentio quòd hoc fuerit factum propter Dauid, id est, propter promissionem ei factam. Dicendum ergo, quòd Nathan non timebat Salomonem periturum, nec priuandum regno, incitauit tamen Bethsabe ad procurandum pro eo, quia licèt Deus aliquid diffiniat firmiter euenturum, vult illud interdum per homines procurari laboribus, & orationibus. Sic patet de Isaac, in cuius semine benedicendus erat totus orbis, & tamen Deus dederat ei vxorem sterilem, vt precibus frequenter ad Deum fusis, filium obtineret. Sic patet Genes. 25. Idem dicit Gregorius 1. Dialogorum inquiens, quòd licèt prædestinationes Dei firmæ sint, vult tamē, quòd non nisi precibus sanctorum obtineantur. *Vade, & ingredere ad Regem Dauid.* Scilicet, vt ores pro filio tuo. In Hebræo habetur. *Veni, & vade ad Regem Dauid.* Quod idem est, sed litera nostra est prior. *Et dic ei: nonne tu Domine mi Rex iurasti ancillæ tuæ.* Ista erat forma petitionis. Sciendum quod ponitur ista forma hic, & infrà, & non repetitur per eadem verba: debet tamen intelligi, quòd eadem verba, quę dixit Bethsabe ad Dauid, dixerit sibi Nathan: scriptura tamen quando aliquid sæpè debet describere, non ponit illud per eadem verba, sed aliquando addit, & aliquando minuit, & sic fit hic.

F

Dauid quando iurauit, quòd Salomon regnabit.

Qvæstio XXX.

QVÆRETVR, quia dixit hic Bethsabe, quòd iurauerat ei Dauid, quòd Salomon regnaret post eum, quomodo, vel quando hoc iurauit. Respondet Rabb. Da. Kamhi, & alij Hebræi, quòd quando mortuus est primus filius, quem susceperit Dauid ex Bethsabe, & posteà volebat accedere ad eam, non permittebat Bethsabe, dicens,

quòd

A quod omnes filij eius morerẽtur, sicut mortuus erat ille, ideo quòd malum erat vacare proli inutiliter, & tunc Dauid dixit ei, quòd iam non morerentur filij eius, immò quòd de ea nasciturus erat quidam filius, qui regnaret post Dauid, & tunc iurauit illud promittedo Bethsabe. Aliter etiam introducit dicens, quòd Bethsabe mortuo filio primo non permittebat se cognosci à Dauid, dicens, quòd omnes alij filij Dauid reputarent filios Bethsabe illegitimos, & dicerent eos natos ex peccato, atque contemnerent eos, ideo noluit iam accedere ad Dauid, quia nolebat gignere filios contemptibiles; tunc dixit ei Dauid, quòd non essent filij sui contemptibiliores reliquis, imò quòd vnus de filijs suis regnaturus esset post ipsum, & tunc iurauit ei super hoc. Sed magis videtur dicendum, quòd fuerit ex alia causa, quia non auderet Dauid determinare de aliquo filiorum suorum, quòd regnaret post ipsum, nisi sciret hoc placere Deo, ideo cùm ipse audierit à Nathan Propheta, quòd filius, qui nasciturus erat de eo succederet illi, & iam de omnibus alijs vxoribus habuisset filios, & crederet se non habiturum plures, nec habuit post illam prophetiam, nisi duos filios de Bethsabe, & Deus iussit imponi nomen Salomoni iudicans in ipso nomine, quòd diligeret eum, vt patet præcedenti lib. cap. sciuit certissimè, quòd Salomon erat ille, de quo Deus locutus fuerat, ideo tunc iurauit Dauid Bethsabe, quòd filium eius Salomonem faceret successorem in regno

B *Quòd Nathan sciuit istud iuramentum factum Bethsabe.*

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlteriùs quomodo Nathan sciebat istud iuramentum præstitum Bethsabe ad Dauid ad hoc, quòd instrueret eam, quòd allegaret illud coram Dauid? Respondendum quòd fortè istud iuramentum erat manifestum: nam Dauid concessit illud immediatè, vt proposuit Bethsabe, dicens: viuit Dominus quòd sicut iuraui tibi per Dominum Deum Israel, sic faciam, vt patet infrà in litera. Vel potest dici, quòd Dauid reuelauit istud iuramẽtum Nathan, quia erat secretarius suus, vel Bethsabe reuelauit ei illud, quia erat Nathan familiaris Bethsabe, vt patet hic cùm solicitauerit eam petere pro Salomone, & instruxerit eam in forma petendi. Vel potest dici, quòd fortè Nathan præsens erat, quando præstitum est istud iuramentum. *Dicens, quòd Salomon filius tuus regnabit post me*, scilicet, ipse erit successor immediatus. *Et ipse sedebit in solio meo.* Scilicet, in throno regali. Istud enim erat signum regalis honoris, quia nullus poterat sedere in illo solio, nisi qui iam vnctus erat in regem: sic patet de Salomone, quia ipse prius vnctus est in Gihon: deinde rediens sedit in solio Dauid. *Quare ergo regnauit Adonias.* Id est, cũ tu mihi promiseris hoc, quare Adonias regnauit, id est vnctus fuit in regem. Vel regnauit, id est, cœpit regnare, quia nondũ finitum erat regnum. *Et adhuc te loquente cum rege.* Id est nondũ finiente petitionem tuam. *Ego veniam post te.* Scilicet, veniam ad proponendum id, quod tu incœperas proponere. *Et complebo sermones tuos.* Id est, confirmabo, scilicet quia faciliùs rex condescendet multiplicatis intercessoribus, quàm si tu sola petieris. Vel complebo sermones tuos, id est, id quod tu minus dixeris, ego supplebo.

C *Quare Nathan præmisit Bethsabe ad orandum Dauid pro Salomone.*

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR, quare Nathan misit Bethsabe ante se ad orãdum regem, & posteà ipse iuit: nam si volebat etiam ipse petere, poterat simul ire cum Bethsabe. Respondet Nicolaus, quòd Nathan misit matrem ad orandum pro filio, vt inclinaret cor regis, & ipse inueniret regem dispositũ ad petendum, & sic finiretur negotium. Aliter etiam dici potest, quòd fuit in eo cautus Nathan: nam voluit plures intercedere apud regem pro Salomone, vt multiplicatis intercessoribus rex faciliùs concederet. Voluit etiam petitionem suam

D ex alio fundamento, quàm petitionem Bethsabæ, vt sic plus mouerent duæ rationes, quàm vna. Si autem Nathan, & Bethsabe simul iuissent, petitio amborum censeretur petitio vna, & modicum mouerent, & fortè putaret Dauid, quòd Nathan incitasset Bethsabe ad hoc, ideo ipsa prius iuit. *Ingressa est itaque Bethsabe ad regem in cubiculo.* Scilicet, rex erat senex, & semper erat in camera, & vt plurimum in lecto, ideo Bethsabe illuc introiuit. In Hebræo dicitur. *Venit Bethsabe.* Vbi nos dicimus ingressa est, sed idem est. *Rex autem senuerat nimis.* Istud ponitur tãquàm redditiuum causę superioris dicti, scilicet, quare introiuit Bethsabe in cubiculum, subditur quòd causa est, quia rex senuerat nimis, ideo semper erat in cubiculo: magna autem senectus Dauid erat tam in ætate, quàm indefectu corporis, sed potiùs in defectu corporis, vt in principio declaratum est. *Et Abisag Sunamitis ministrabat ei.* Ista est puella, quam duxerunt serui Dauid, vt dormiret cum rege, & calefaceret eum, & ipsa ministrabat ei, id est, dabat ei cibos, & omnia necessaria, intantum quòd non erat opus, quòd ingrederetur ad regem aliqua de concubinis, vel vxoribus eius. *Inclinauit se Bethsabe, & adorauit regem.* Scilicet, cùm introiuit coram illo, inclinauit se vsque ad terram, & ista erat adoratio, quam omnes faciebant regi. *Ad quam rex: quid tibi, inquit, vis.* Hoc dixit ei Dauid, quia non consueuerat Bethsabe, nec aliqua de vxoribus, aut concubinis Dauid introire ad eum, postquàm Abisag incœpit ministrare illi, ideo credidit, quòd non sine causa introisset, vnde quæsiuit quid volebat. *Quæ respondens, ait.* Hic incipit petitio Bethsabe, in qua ponuntur quinque, ex quibus mouet regem, vt filium suum Salo- E monem in regem constituat. Primùm est humilis petitio, inquantum dicit. *Domine mi.* Verba enim magnam habent efficaciam ad mouendum cor, & qui petendo humiliantur, apti sunt ad recipiendum, quod petunt. *Tu iurasti per Dominum Deum ancillæ tuæ.* Istud est secundum, ex quo potissimè confirmat petitionem suam Bethsabe, inquantum iuramentum Dauid ei ad memoriam reducit, & quia licitum erat, tenebatur illud obseruare. *Salomon filius tuus regnabit post me.* Verba sunt Dauid ad Bethsabe, & sic dicitur filius tuus, id est, Bethsabe. *Et ipse sedebit in solio meo.* Eadem sententia est, quia ad solum regem pertinet sedere in solio. *Et ecce nunc Adonias regnat.* Id est, vnctus est in Regem. Istud est tertium, in quo Bethsabe superbiam Adoniæ expellit, dicendo, quòd ille propria auctoritate regnum vsurpauit: *Te Domine mi rex ignorante.* Id est, tu non iussisti, nec sciuisti, & ille te contempto regnauit. Istud dicebat Bethsabe ad mouendum Dauid in odium Adoniæ, vt eum priuaret regno, quod voluit iniustè, & propria auctoritate obtinere. Nam dato, quòd haberet ius regnandi sine præcepto Dauid, non poterat vngi eo viuente. *Mactauit boues, & pinguia quæque, & arietes plurimos.* Scilicet, ad solennitatem vnctionis suæ fecit hoc celebrans cõuiuium magnum, & ponuntur ista ad exaggerandum odium Dauid contra Adoniam, & insinuandum grauitatem peccati Adoniæ, scilicet, quia non erubuit publicè facere tantam solennitatem rege non iubente. *Et vocauit omnes filios regis.* In hoc prosequitur Bethsabe propriam querelam pro parte sua, & filij sui, scilicet, quia non solùm præiudicauit Adonias iuri Salomonis, cui regnum competebat de iure, sed etiam ostendit contra eum inimicitias, quia cùm vocasset reliquos filios regis ad conuiuium, non vocauit Salomonem: ex quo apparebat, quòd si permitteretur regnare, intendebat malum aliquod irrogare Salomoni. *Abiathar quoque sacerdotem, & Ioab principem militiæ.* Scilicet, vocauit istos ad conuiuium, eo quòd fauebant parti suæ, vt suprà patet. *Salomonem autem seruum tuum non vocauit.* In quo signauit, quòd gerit ad eum inimicitias, & sic Bethsabe non petebat principaliter, vt Salomon regnaret, sed vt Dauid liberaret eam, & ipsum de manu Adoniæ, qui si regnaret videbatur mala infligturus Salomoni, erat autem Salomon filius Dauid, vocauit tamen Bethsabe Salomonem seruum Dauid, ad magis humiliandum. Sic enim Absalom vocauit se seruum Dauid, quamquàm esset filius suus, præcedenti libro, capite 13. & omnes filij regis vocati fuerunt ibi serui regis. *Veruntamen Domine mi Rex.* Hic ponitur quartum in petitione Bethsabe, in quo deuotionem populi in contrarium Adoniæ proponit, scilicet. *In te oculi respiciunt totius Israel.* Id

F est,

A

eſt,ad te accedunt omnes Iſraelitæ. *Vt indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo poſt te.* Quaſi dicat, licèt Adonias iſta faciat, populus non attendit ad illum, ſed reſpiciunt omnes ad te, vt tu determines eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo poſt te. Hoc dicit Bethſebe, quia forte Dauid diceret, ex quo iam Adonias vnctus eſt, & populus ſequitur eum, non poterimus reſiſtere illi. Sic fuit de Abſalom, de quo dictum eſt ad Dauid : Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalom,præcedenti libro, capitulo decimoquinto. Et tunc fugit Dauid à facie eius. Hic autem dixit Bethſabe: Oculi totius Iſrael reſpiciunt ad te,id eſt, non eſt difficile reuocare,quod egit Adonias,quia populus non multum curat de ipſo, ſed omnes accedunt ad te: ideo ſi dixeris, non regnet Adonias,illicò abijcietur à populo. *Eritq; cùm dormierit Dominus meus rex cum patribus ſuis.* Id eſt, quando mortuus fuerit. Hic ponitur quartum petitionis Bethſabe, in quo ſtatum ſuæ perſonæ, & Salomonis inducit, ſcilicet, quòd poſt mortem Dauid ſi Adonias regnat, Bethſabe, & Salomon malè tractarentur. *Erimus ego, & filius meus peccatores.* Id eſt,erimus perſonæ miſerabiles, ſcilicet, quia manebimus in ſtatu abiecto,& vili; & etiam quia Adonias tractabit nos durè,quod ſatis oſtendit cùm noluit filium meum inuitare ad conuiuium, inuitando reliquos filios regis. Litera Chaldaica dicit:erimus ego, & Salomon filius meus exules, ſcilicet, mittet nos in exilium, velut ſi eſſemus peccatores. Rab.Da.Kimhi.dicit:erimus peccatores, id eſt,tu eris peccator,quaſi dicat,ſi nunc permittis, quòd Adonias regnet,eris periurus poſt mortem tuam,quia iuraſti, quòd Salomon re-

B

gnaret. Sed propter honorem regis non dixit eris peccator, id eſt,periurus,ſed dixit erimus peccatores ego, & Salomon filius meus. Sed iſte modus loquendi eſt nimis alienus, ideo magis eſt tenendus ſuperior ſenſus. *Adhuc illa loquente cum rege. Nathan Propheta venit.* Id eſt,nondum compleuerat Bethſabe petitionem ſuam, cùm venit Nathan. Hoc autem fuit, quia ſic dixit Nathan ad Bethſabe, quòd illa loquente veniret ipſe ad complendum ſermones illius. *Et nunciauerunt regi dicentes, adeſt Nathan Propheta*, ſcilicet, cuſtodes cubiculi regis nunciauerunt ei, quòd veniret Nathan : nam non fuit permiſſus intrare quouſque diceretur redi de illo. *Cùm introiſſet in conſpectu Regis.* Scilicet, rex iuſſit, quòd introiret poſtquàm nunciatum eſt ſibi, quòd erat ibi Nathan:nam erat valdè familiaris eius. *Et adoraſſet eum pronus in terram.* Scilicet, cùm introiuit antequàm loqueretur quicquam,inclinauit ſe vſque ad terram,ſicut ſolitum erat in omnibus,qui ingrediebantur ad Regem. *Dixit Nathan, Domine mi Rex.* Hic incipit petitio Nathan : & quamquàm ipſe ſolicitaſſe Bethſabe,vt peteret, non petiuit ipſe ex eadem radice,ex qua Bethſabe,ſed ſicut allegauit Bethſabe ea, quæ tangebant cauſam ſuam, ita Nathan allegauit,quæ pertinebant ad eum,vt videretur quilibet moueri à ſeipſo, eſſentque efficaciores petitiones, & querimoniæ contra Adoniam. *Tu dixiſti Adonias regnet poſt me?* Debet legi interrogatiuè, id eſt, nunquid tu dixiſti hoc?quia infrà facit diſiunctionem, ſcilicet,vel dixiſti,vel non:ſi non dixiſti, quomodo regnat Adonias te neſciente? Si autem dixiſti,quare non reuelaſti mihi?

C

Et ipſe ſedeat ſuper thronum meum. Idem eſt ſedere ſuper thronum,vel regnare poſt Dauid. *Quia deſcendit hodie, & immolauit boues, & pinguia.* Dicitur quòd deſcendit, ſcilicet,de Ieruſalem ad fontem Rogel:nam iuxta fontem illum immolauit boues, & arietes ad ſolennitatem vnctionis ſuæ, & ille fons eſt in valle infra Ieruſalem,quaſi dicat,nunquid Adonias fecit iſtud hodie, quia tu dixiſti ei,vel te neſciente? *Et vocauit vniuerſos filios Regis.* Scilicet, ad conuiuium ſolennitatis ſuæ. *Et principes exercitus.* Vnicus erat princeps ſummus exercitus,ſcilicet,Ioab, & ſub eo erant multi alij minores principes ſubordinati. *Abiathar quoque ſacerdotem.* Iſte erat de principalibus fautoribus Adoniæ, vt patet ſuprà. Sciendum autem, quòd quamquàm omnia hæc retuliſſet Bethſabe Regi,retulit etiam illa Nathan fingens ſe neſcire, an aliquid de hoc dictum fuiſſet Regi, & an veniſſet Bethſabe, ad hoc vt Rex non putaret, quòd Nathan inſtigauerat Bethſabe ad veniendum. *Illis quoque veſcentibus, & bibentibus coram eo.* Id eſt, illis, qui vocati erant ab Adonia comedentibus, & bibentibus coram eo apud fontem Rogel. *Et dicentibus, viuat Rex Adonias.* Iſtud dicebant, quando comedebant, & bibebant coram illo, quia ſic conſuetudo erat in coronatione Regum, quòd diceretur, viuat Rex: ſic enim dictum fuit,quando Saul vnctus fuit in Regem, ſuprà lib.primo, cap. 11. ſic etiam quando Rex Ioas vnctus eſt in Regem,ſequenti lib. cap.11.& 2.Paralip.cap.23. *Me ſeruum tuum, & Sadoc ſacerdotem.* Ponit hic iniuriam ſuam, ſcilicet, quomodo Adonias vocatis alijs ad conuiuium, non vocauit eum,& iſtos qui ſequuntur, in quo oſtendebat,quòd inimicum ſe illis exhiberet,ſi regnaret, & ponit de ſe,& Sadoc ſacerdote, & Banaia,quia iſti non cõſenſerant Adoniæ, & ob hoc non vocauit eos. *Et Salomonem famulum tuum non vocauit.* Id eſt,etiam noluit vocare Salomonẽ: in quo oſtendit,quòd habet eum exoſum,& intendit ei nocere. *Nunquid à Domino meo Rege exiuit hoc verbum.* Id eſt,nunquid te iubente factum eſt ab hoc Adonia? *Et non indicaſti mihi ſeruo tuo quis ſeſſurus ſit ſuper thronum Domini mei Regis poſt eum.* Id eſt,ſi à te exiuit verbum iſtud, quare non indicaſti mihi, quis deberet ſuccedere tibi,quaſi dicat, cùm ego eſſem ſecretarius tuus, debueras mihi reuelare,quis poſt te deberet ſedere in ſolio tuo. Nicolaus dicit, ſi Deus tibi reuelauit, quòd alius deberet ſedere in ſolio tuo poſt te,& non Salomon,quare non reuelaſti mihi? Sed non multum ſtat,quia non credebat Nathan,quòd poſſet reuelari,quòd alius ſederet in throno poſt Dauid, niſi Salomon, eo quòd Deus dixerat, quòd illa promiſſio non erat mutanda præcedenti libro, cap.7. *Et reſpondit Rex.* Hic ponitur ſecundum huius pattis,ſcilicet,Dauid conceſſio:vidit enim quòd Nathan, & Bethſabe iuſtè petiuerant : & etiam indignatus fuit contra Adoniam, quia eo non iubente præſumpſerat accipere regnum, ideo iuſſit, quòd Salomon vngeretur in Regem,& Adonias ceſſaret à regno. *Et reſpondit Rex Dauid,dicens : vocate ad me Bethſabe.* Subintelligendum eſt, quòd introeunte Nathan ad Regem exiuit Bethſabe de cubiculo, quia putabat Dauid, quòd pro alia cauſa veniret Nathan,quàm Bethſabe, vt ergo non audiret Bethſabe ea, quæ proponebat Nathan, iuſſit eam exire de cubiculo, dum loquebatur Nathan : cùm autem ille finiuit petitionem, Rex volens conſentire fecit vocari Bethſabe, quæ nunc expectabat extra cubiculum quouſq; finiret ſermonem ſuum Nathan.

D

Lyranus refellitur

E

Quare Dauid fecit nunc vocari Bethſabe.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR quare Dauid fecit nunc vocari Bethſabe. Reſpondendum, quòd Bethſabe, & Nathan petiuerant idem, & Rex volebat conſentire petitioni vtriuſque, ideo fecit vocari Bethſabe, vt coram ea,& Nathan conſentiret, vt ſicut fuerat vtriuſque eadem petitio, ita eſſet pro vtroque vna reſponſio: hoc volunt quidam. Sed non ſtat, quia præſupponunt, quòd coram Bethſabe, & Nathan locutus fuerit nunc Dauid verba iſta conceſſionis. Sed falſum eſt, quia ſolum erat ibi Bethſabe, quando locutus eſt iſta Dauid, quod patet, quia dicitur infrà : dixit quoque Rex, vocate mihi Sadoc ſacerdotem, & Nathan Prophetam. Dicendum ergo, quòd mox, vt locutus eſt Nathan ad Dauid, receſſit ab eo, & fecit vocari Dauid Bethſabe, & ad eam ſolam locutus eſt hæc. Fecit autem vocari illam ad lætificandum eam, ſcilicet, quia erat triſtis pro regno Adoniæ. Dauid autem diligebat eam valdẽ, & Salomonem filium eius, ideo voluit eam conſolari condeſcendendo petitioni eius. *Quæ cùm fuiſſet ingreſſa coram Rege, & ſteriſſet ante eum.* Scilicet,ingreſſa eſt in ſecunda vice,poſtquàm exiuit Nathan. *Iurauit Rex, & ait.* Forma iurandi eſt, quæ ſequitur, ſcilicet, *Viuit Dominus, qui eruit animam meam de omni anguſtia.* Id eſt, iuro per vitam Dei,qui liberauit animam meam, id eſt, me. Vel animam meam, id eſt, vitam meam. De omnibus anguſtijs,quæ venerunt ſuper me,ſcilicat,quia nulla earum potuit me prorſus deſtruere, eo quòd Deus me eripiebat. *Quia ſicut iuraui tibi per Dominum Deum Iſrael.* Iſtud iuramentum fuerat magno tempore ante hoc nato Salomone: vel ſecundum quòd vult Ra.Da.Kimhi. antequàm naſceretur Salomon,vt ſuprà dictum eſt. *Dicens, Salomon filius tuus regnabit poſt me.* Iſta erant verba iuramẽti. *Et ipſe ſedebit ſuper ſolium meum pro me.* Id eſt,ipſe erit ſucceſſor meus.

F

A *Sic faciam hodie*, Id eſt, ſic complebo faciendo, quòd filius tuus hodie ſedeat in ſolio meo, & ſic tu videbis iuramentũ meum completum hodie.

An Dauid potuit licitè iurare, quòd poſt eum regnaret Salomon. Et an in Iudæis ab antiquo ſucceſsio regni eſſet propter primogenituram, vel poterat diſponere pater de filio ſucceſſore, ſicut volebat.

QVÆSTIO XXXIV.

QVÆRETVR an poterat Dauid licitè iurare, quò poſt eum regnaret Salomon filius ſuus. Aliquis dicet, quòd non, quia iuramentum factum ab aliquo in præiudicium alterius non eſt obligatorium, nec eſt ſeruandum, quòd autem Dauid iuraret, quòd Salomon regnaret poſt ipſum, erat in præiudicium Adoniæ, qui erat primogenitus, & aliorum maior, cùm eſſet Salomon minimus ætate inter filios Dauid, ideo non erat licitum iuramentum, iſtud enim patet, quia in omnibus gẽtibus primogeniti ſuccedunt in regno patribus. Item patet, quia in veteri Teſtamẽto primogenitus habebat duplicem partem hæreditatis, ſuper quemlibet aliorũ filiorum, Deutero. 21. Sed Adonias erat nunc primogenitus, ideo non poterat tollere ei Dauid ſucceſſionem in duplo ſuper Salomonem, & ſic magis pertineret ad eum de iure regnum,
B quàm ad Salomonem, & hoc non poterat ei tollere Dauid, etiam ſi magis diligeret Salomonem, quàm Adoniam. Sic patet Deuteron. 21. Item Iacob dixit Ruben primogenito ſuo. Geneſ. 49. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Et ſic dixit, quod Ruben, ex eo quod erat primogenitus erat maior in donis, & in imperio: ergo imperium primogenito competit, & ſic non poterit ei tolli, niſi propter culpã ſuam, ſicut ablatum eſt imperium Ruben, vt dicitur præallega. cap. ſcilicet, effuſus es, ſicut aqua, non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius: ſed Adonias non peccauerat, quando Dauid iurauit Sethſabe, quòd Salomon filius eius regnaret poſt eum, ideo illicitũ fuit iuramentum. Reſpondendum, quod Dauid non peccauit iurando, quòd regnaret poſt eum Salomon, & hoc propter duo, primò propter Dei reuelationem, quia ipſe determinauerat, quòd Salomon regnaret poſt Dauid, vt patet præcedenti libro, cap. 7. & 1. Paralipomenon 22. Diſpoſitio tamen Dei dat plenum ius ad regnandum. Et dato, quòd aliquis haberet ius ad regnandum, ſi Deus de alio diſponeret, quòd regnaret, ille haberet ius totale, & excluderetur ius alterius. Secundum erat diſpoſitio Dauid, ſcilicet, quia ipſe ordinabat, quòd Salomõ regnaret poſt eum, & ex hoc acquirebatur ei ius, quia primogenitura non dabat totale ius regnãdi. Et patet hoc, quia inter Hebræos nunc nouiter fuerat regnum inſtitutum, & nõ
C veniebat per progeniem, ſed per Dei electionem. Nam de domo Saulis tranſiuit in domum Dauid, ita quando maneret in eadem progenie, nõ erat adhuc ius quæſitum primogenitis ad ſuccedendum, ſed manebat in diſpoſitione parentum, vt diſponerent de regno, ſicut de re ſua inſtituendo quem vellent in regem. Sic patet ſuprà in litera: nam licèt Adonias eſſet primogenitus, & incœpiſſet habere inſignia regnantis, non curabat populus de hoc, ſed expectabat diſpoſitionem Dauid, ſicut dixit Bethſabe, ſcilicet, Veruntamen in te reſpiciunt Domine mi rex oculi totius Iſrael, vt indices eis, quis ſedere debeat in ſolio tuo poſt te. Si tamen eſſet ſolis primogenitis ius regnandi determinatum, non reſpexiſſent ad determinationem Dauid, quia ipſe non poſſet tollere ius illi, cuius erat, & tamen reſpiciebant omnes ad eum, vt determinaret regnaturum, ergo primogeniti non habebant ius ſuccedendi, ſed patres habebant ius determinandi ſucceſſores, ideo potuit Dauid inſtituere, quem voluit. Ad rationem primam in contrarium dicendum, quòd iuramentum Dauid non erat in præiudicium Adoniæ, nec aliorum fratrum ſuorum, quia non erat ius regnandi quæſitum alicui illorum. Et cùm dicitur, quia in omnibus gentibus primogeniti ſuccedunt parẽtibus, dicendum quòd in alijs regnis erat ius regnandi antiquum, ideo erat determinatum, qui deberent ſuccedere in regno, & ſuccedebant vniuerſaliter primogeniti, inter Hebræos autem regnum nũc incœperat, ideo non erat determinatum quis regnaret, ſed D
pendebat ad diſpoſitionem patris, vt ille inſtitueret de filijs ſuis quem vellet. Quod patet hic: nam totus Iſrael expectabat determinationem Dauid circa regnaturum, licèt eſſet Adonias primogenitus: item Roboam filius Salomonis inſtituit de filijs ſuis in regem quem voluit: nam habebat multos filios, quorum non erat primogenitus Abia, & tamen inſtituit eum regem, quia diligebat eum magis, & viſus eſt ſibi aptior ad regnandum, vt patet 1. Paralipomenon 11. Poſteà autem procedente tempore factum eſt inter Iſraelitas, ſicut in omnibus alijs gentibus, ſcilicet quòd ſoli primogeniti haberent ius regnandi, & iſtud introductum fuit ex conſuetudine, ſic enim patet tempore Regis Ioſaphat, Regis Iuda, 1. Paralip. 21. cap. Vbi dicitur, quod habebat Ioſaphat multos filios, deditq; eis munera multa, Ioram autem dedit regnum, eo quòd eſſet primogenitus, & ſic primogenitura erat iam ius determinatum ad regnandum. Ad ſecundam rationem dicendum, quòd quamquàm primogeniti haberent duplicẽ partem in hæreditate patris, non ſequitur quod habebãt ius regnandi, & hoc propter tria. Primò, quia illa lex erat generalis ad omnia bona, quæ poſſidentur. Regnum autẽ erat aliquid ſpeciale diſſimile bonis poſſeſſis. Itẽ quando illa lex data eſt, nõ erat inter Iudæos regnum, ideo videtur quòd extenderetur illa ad ſucceſſionẽ in alijs bonis, ſed non in regno. Et ideo maneret de iure regni, quantum ad ſucceſſionem aliter diſponendum. Item dicendum, quod nõ poterat illa lex habere locum in ſucceſſione regni, quia illa intelligitur de bonis diuiſibilibus, ius autem regnandi erat indiuiſibile, nam non poterant multi ſimul ſuccedere in regno, ſecũdùm partes æquales, vel inæquales, ſed ſicut regnum erat vnicum, ita vnicus ſuccedere debebat in toto iure regni. Quòd autem lex illa intelligatur de rebus, vel iuribus diuiſibilib⁹ apparet, quia dicitur quod primogenitus habebit cuncta duplicia ad quemlibet alium de fratribus, & tamen non poterat ipſe habere duplicia, niſi diuideretur res, & daretur ſibi duplum de illa, quàm cuilibet alteri fratri. Item ſit ratio quarta, quia non poterat applicari ſucceſſio regni ad illam legem: nam ſi eſſent duo filij Regis primogenitus, debebat habere duplum quàm alius, & ſic ad hoc, quòd ſuccederet primogenitus in regno oportebat, quòd regnum eſſet ſolùm duplum in valore ad alia bona, quæ poſſideret pater, ſcilicet, ad pecuniam, & iocalia, ſed hoc nunquàm poterat cõtingere, ideo neceſſe erat tenendo illam legem, quòd primogenitus daret partem regni alteri fratri ad hoc, quòd ipſe haberet ſolum duplum in valore ad illum, Regnum tamen non poterat diuidi, ideo neceſſe erat, quòd manerent inæquales. Dicẽdum igitur, quòd illa lex intelligebatur de ſucceſſionibus hominum priuatorum, ſed non de ſucceſſione filiorum regis. Etiam neceſſe eſt intelligi de bonis diuiſibilibus, regnum autem eſt ius indiuiſibile. Ad tertiam rationem dicendum, quod nõ pertinebat ad primogenitum ius regnandi, quamquàm non peccaſſet, F
ſed ſolùm pertinebat ad eum duplicitas poſſeſſionis in rebus diuiſibilibus. Pro quo ſciẽdum, quod ſecundùm poſitionem communem ad iura primogenituræ pertinet habere duplicem partem hæreditatis, & habere principatum, ideo putauerunt omnes, vt communiter, quod cùm Ruben eſſet primogenitus Iacob, quòd ipſe deberet habere duas ſortes, & ius regnandi: quia tamen peccauit cognoſcẽdo vxorem patris ſui, tranſlatum eſt ab eo totum ius primogenituræ, ſcilicet, duplicitas ſortis, & ius regnãdi, data eſt autem duplicitas ſortis Ioſeph, ideo ipſe habuit duas tribus, ſcilicet, Ephraim, & Manaſſe. Gen. 48. Ius autem regnandi, quod erat alia pars primogenituræ, prouenit Iudæ. Hoc etiam ego aliorum opinionem recitans aliquãdo ſcripſi, ſed veritas eſt, quod ad ius primogenituræ tam in Ruben, quàm in alijs poſteris de progenie Iacob ſolùm pertinebat duplicitas ſortis: ius autem regnandi non erat de iuribus primogenituræ, nec ablatum eſt ab Ruben, tanquàm pars iuris primogenituræ: nec etiam datum eſt Iudæ, tanquam ipſe ſuccederet in aliqua parte primogenituræ: ſed ſolùm fuit ei datum iſtud ius, eo quòd de filijs eius erant viri fortes, & animoſi ad regendum. Iſtud habetur clarè primo Paralipom. 5. Cùm dicitur: Ruben primogenitus Iſrael: ipſe quippe fuit primogenitus eius, ſed cùm violaſſet thorum patris ſui data ſunt primogenita eius filijs Ioſeph, & nõ eſt ille reputatus in primogenitum, porrò

A Iudas, qui erat fortissimus inter fratres suos de stirpe eius principes germinati sunt, primogenita autem reputata sunt Ioseph,& sic patet,quod primogenituræ ius, quod habebat Ruben solùm transiuit ad Ioseph: ille tamen solũ habuit duplicem sortem, ergo duplicitas sortis faciebat solum ad ius primogenituræ: regnum autem non datum est Iudæ, tanquàm pars primogenituræ, cùm dicatur quòd primogenita reputata sunt Ioseph, sed quia de tribu eius erant fortes viri, ex hoc autem patet, quòd Roboam benè egerit accipiendo in regem Abiam filium suum, qui non erat primogenitus, eo quod ipse erat omnibus fratribus suis fortior, & magis dispositus ad regnandum,vt patet 2.Paralipomenon 11. *Submissoq; Bethsabe in terram vultu adorauit regem.* Scilicet,quando rex dixit Bethsabe,quòd filium eius faceret regem,humiliauit se vsque ad terram, adorando regem; quia consuetudo est,quòd quando magni Domini exaudiunt petitiones supplicantium, illi inclinentur ad terram, & osculentur manus eorum.*Dicens viuat Dominus meus rex Dauid in æternum.* Id est, oro, vt viuat per multos dies. Accipitur enim in æternum pro magno tempore,sicut est in consuetudine loquendi.Litera Chaldaica dicit viuat in æternum, scilicet, in vita æterna,quæ post mortem est. Magis tamen intelligitur de temporali vita,vt dictum fuit.*Dixit quoq; rex Dauid,vocate mihi Sadoc sacerdotem.* Voluit Dauid facere immediatè quod promiserat,ideo misit pro illis, qui debebant vngere Salomonem,
B & erant isti,qui sequũtur, scilicet,Sadoc sacerdos,& Nathan Propheta,& Banaias filius Ioiadæ.

Quare misit Dauid pro Sadoc,Nathan,& Banaia,vt vngerent Salomonem.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR,quare potiùs Dauid misit pro istis,quàm pro alijs. Respondendum, quòd istis erant maximi principes in domo Dauid nimium accepti ipsi Dauid, & ad quos valdè pertineret vnctio Salomonis. De primo patet,scilicet, de Sadoc sacerdote: nam ille erat summus sacerdos, & ex hoc erat magnus vir honorabilis in toto populo, & erat acceptus apud Regem: quia Deus prædixerat de ipso, quòd est summus sacerdos in sempiternum præcedenti libro,cap.2. Etiam Sadoc erat maximè necessarius in vnctione Salomonis,eo quòd fiebat vnctio regum per summos sacerdotes,cùm illa esset aliquid sacrum, & non erat alius summus sacerdos, qui posset tunc vngere Salomonem: nam erat alius summus sacerdos, scilicet, Abiathar,qui erat valdè acceptus Dauid,quia tamen ille tenebat partem Adoniæ,& erat in ipsa die in conuiuio cum Adonia, non vocatus est ad vngendum Salomonem. De Nathan Propheta
C dicendum, quod vocatus est ad hoc,eo quòd ipse erat valdè acceptus Dauid, & erat secretarius eius, & venerat ipse ad orandum pro Salomone contra Adoniam, vt patet suprà: etiam quia Nathan prænunciauerat ex parte Dei Salomonem esse regnaturum post Dauid, vt colligitur præcedenti lib.cap.7.& 1.Paralipo. 22. Ideo etiam ipse debebat interesse vnctioni Salomonis. Etiam quia cùm Propheta esset faceret aliquas cæremonias in vnctione Salomonis; vnde dicitur infrà,quòd Sadoc, & Nathan Propheta vnxerũt Salomonem. De Banaia filio Ioiadæ dicendum, quòd vocauit eum Dauid ad istam vnctionem,eo quòd ipse erat valdè acceptus ei: nam fecerat cum Dauid auricularium à secreto,vt patet precedenti libro,cap.23. & 1.Paralipom.11. Erat etiam Banaias magnus princeps in domo Dauid, scilicet, princeps super Celethi,& Phelethi,præcedenti lib.cap.8.& 20. Ideo debuit interesse illi vnctioni ad honorandum eam.Alia causa potest esse generalis vocationis istorum trium, scilicet,quia si Salomon vnctus fuisset sine discordia, vocati fuissent omnes principes Dauid,scilicet,Ioab,quia erat precipuus,& consequenter omnes alij principes: quia tamen omnes tenebant pro parte Adoniæ, præter istos tres, vt patet suprà in litera cum Bethsabe,& Sadoc dixerunt, quòd Adonias vocauerat ad conuiuium omnes filios regis,& Ioab,& Abiathar,& non vocauit Nathan Prophetam, & Sadoc sacerdotem, & Baniam. Etiam suprà dicitur, quòd alij fouebant partes Adoniæ, & isti non. Cùm ergo istu soli reperirentur de principibus,qui fouerent partem Salomonis,isti soli vocati sunt. *Qui cùm ingressi fuissent coram rege,dixit ad eos.* Scilicet,venerunt illicò,nam propheta Nathan, qui locutus fuerat cum Dauid paulò ante super hoc, sciebat quid rex intenderet,ideo festinauit. *Tollite vobiscum seruos Domini vestri.* Scilicet,accipite seruos meos.Loquitur enim Dauid de seipso,sicut de alio,& sic interdum loquitur Deus, sic etiam habetur præcedenti lib. cap.20. cùm dixit Dauid ad Abisai: tolle seruos Domini tui, & persequere Sibam, id est, tolle seruos meos. Nam non habebat alium dominum Abisai, nisi Dauid, nec erant alij, quos tolleret secum ad pugnam,nisi serui Dauid. *Et imponite Salomonem filium meum super mulam meam.* Scilicet,equitet in mula mea,vt ducatur in Gihon,& vngatur ibi. D

Quare Dauid iussit Salomonem ascendere super mulam suam.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRITVR quare iussum est Salomonem ascendere super mulam Dauid. Dicendum,quòd erat aliqua mula soli regi assignata, & nemo audebat ascendere super eam,nisi rex:nam etiam filij regis,nunquàm ascendebant super illam, ascendere autem super eam erat signum regalis honoris, ideo cùm nunc Salomon in regem vngendus esset, debebat ascendere super mulam regis, & ante hoc non licebat ei,nec alicui de fratribus suis ascendere super illam, sic enim pertinebat ad regalem honorem, quòd aliquis ascenderet super equum regis.Sic patet Esther 6.cùm dixit Assuerus præposito suo Aman, quid deberet fieri homini, quem rex honorare cupiebat,& ille respondit,homo quem rex honorare cupit,debet indui vestibus regijs, & imponi super equum,qui de sella regis est, & accipere diadema regium super caput suum. Sic etiam Pharao, cùm vellet honorare Ioseph vestiuit eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit, fecitque eum ascendere super currum suum secundum, & istud significabat honorem regium, quia dixerat Pharao, quòd esset Ioseph secundus post illum in regno. Genes.41. A fortiori ergo debuit hoc fieri in signum regalis honoris ipsi Salomoni, qui rex vngebatur. *Et ducite eum in Gihon.* Est enim Gihon fons Siloe, qui est prope Ierusalem, & vocatur natatoria Siloe.Ioan.9. Etiam habetur de isto fonte. Isa.8. Scilicet,quòd tribus Iuda contempsit aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, ex isto fonte procedebat quidam fluuius,& faciebat magnam lacum apud Ierusalem,& ibi natabant Iudæi:ideo vocatur natatoria Siloe. Illuc etiam misit Christus cæcum, quem illuminauit, vt lauaret oculos suos. Ioan.9. Quare autem apud fontem illum Salomonem Dauid vngi mandauit,causa fuit,quia antiquorum mos erat reges vngere, vel constituere apud aquas, vel apud arbores. Ideo Adonias vnctus est apud fontem Rogel suprà in litera: & Abimelech filius Gedeonis vnctus est in regẽ apud quercum famosissimam vrbis Sichem, vt patet Iudic.9. Quare autem ista consuetudo apud antiquos introducta est, declaratum est suprà in litera.*Et vngant eum ibi Sadoc sacerdos,& Nathan Propheta.* Isti duo debebant eum vngere,id est, facere cęcere cæremonias vnctionis; & dicitur de istis duobus quòd vngerent eum,& non de Banaia,quamquàm iret cum eis,eo quòd ista vnctio erat aliquid sanctum, & nõ poterat esse minister eius,nisi consecratus Domino. Sadoc autem, quia erat sacerdos,erat Domino consecratus: & Nathan,quia erat Propheta pertinebat specialiter ad Deum: Banaias verò erat omninò laicus,ideo non pertinebat ad illum vngere regem, vel facere aliquam cæremoniam vnctionis. *In Regem super Israel.* Id est, vnctio illa dabit ei titulum regni super Israel, & fortè ipsi vngentes proferebant aliqua verba, in quibus significabatur titulus regni, scilicet, quòd vngebant eum in regem super talem, vel talem terram. Accipitur autem hic Israel pro omnibus duodecim tribubus: & non distinguitur hic Israel contra Iudam,nam Salomon rex fuit omnium duodecim tribuum. E

Instituebãtur reges apud aquas, aut arbores. F

Quæ erant cæremoniæ, quæ fiebant in vnctione Regis, secundùm Hebræos.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR quæ erant cæremoniæ, quę fiebant in vnctione regis. Respondendum, quòd rex vngẽdus sedere debebat in throno, & tunc summus sacerdos accipiebat oleum sacrum, quod vocabatur oleum vnctionis, de cuius compositione habetur Exod. 30. Fundebat autem oleum super caput illius. Sed de hoc est diuersitas, quia aliqui volunt, quod solùm tingebatur digitus summi sacerdotis in oleo, & faciebat quoddam signum in fronte ipsius, qui vngebatur. Perueniebat autem illud signum ab aure vsque ad aurem per frontem, vt vult Rabbi Sa. Alij autem volunt, quòd funderetur oleum super capillos, ita vt flueret: deinde ponebatur diadema super caput regis, quod pertinebat ad regnum; & sacerdotes accipiebant librum legis, & ponebant in manu illius, & iurabat legem obseruare, scilicet, non peruertere populum ad idololatriam. De hoc patet 2. Paralipomenon 23. In vnctione Regis Ioas: nam dicitur eduxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema, dederuntq; in manu eius legem tenendam, & constituerunt eum regem: vnxit quoque illum Ioiada, & filij eius: & imprecati sunt, atque dixerunt: viuat rex. Idem patet sequenti libro, cap. 11. Cùm dicitur: Produxitque filium regis, & posuit super eum diadema, & testimonium, id est, legem: fecerunt́que eum regem, & vnxerunt, & plaudentes manu, dixerunt: viuat rex. Post hoc autem accipiebat rex nouiter vnctus librum Deuteronomij de manu sacerdotum, vel faciebat sibi scribi, & habebat secum vt legeret, & sciret regere populũ, ac timere Deum. Sic patet Deuteron. 17. Scilicet, Postquàm sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Deũ suum, & custodire verba, & cæremonias, quæ in lege præcepta sunt, nec eleuetur cor eius in superbiã super fratres suos, nec declinet in partem dextram, vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israel. Post hoc fiebant sacrificia multa, & conuiuia magna omnibus viris de populo ad solennitatem consecrationis regis. Sic patet in vnctione Adoniæ: nam immolauit victimas multas, & fecit conuiuia magna, vt patet suprà in litera. Sic etiam factum est in renouatione regni Saulis in Galgala suprà primo libro, cap. 11. Sic autem factum est de Salomone, nam ductus est in Ghion, & ibi vnctus est, & fuit positum diadema regni super caput, & datus est liber legis in manu eius, & deinde ductus est in vrbem, & sedit super solium Dauid tanquàm rex, & impleta sunt omnia alia prædicta. Hæc autem intelliguntur de vnctione regis, quæ fiebat cum solennitate. Aliquando autem fiebat sine solennitate, & tunc solùm fundebatur oleum super caput regnaturi, & ista vnctio fiebat in secreto ex hoc, quòd non immediatè suscepturus erat regnum ille, qui vngebatur: sic fuit de Dauid quando vnxit eum Samuel in domo patris sui secretè supra primo libro, cap. 16. Sic etiam fuit de Asael, quem vnxit in regem Elias Propheta super Syriam. Sic patet infrà 19. Nam in secreto fudit oleum super caput eius. Sic etiam vnus de filijs Prophetarum ad mãdatum Elisei vnxit in regem Iehu super Israel in secreto in camera, sequen. lib. cap. 9.

Effusio olei erat præcipua cæremonia in vnctione Regis.

QVÆSTIO XXXVIII.

VLTERIVS quæretur cùm Salomon dicatur hic vnctus à Sadoc, & Nathan, quis fudit oleum super caput eius? Respondendum, quòd in vnctione regis erant multæ cæremoniæ, vt suprà declaratum est, & tamen præcipua in illis erat cæremonia effusionis olei. Quod patet, quia ista per se faciebat interdum regem, & omnes aliæ simul sine ista non constituebant regem. Istud apparet in vnctionibus secretis, de quibus præcedenti quæstione dictum est, quia nihil fiebat, nisi effusio olei, & tamen plenè erant reges illi, qui vngebantur: ideo ille qui fundebat oleum super caput regis dicebatur principaliter eum vngere, quamquàm aliæ cæremoniæ fierent per alios. Et de hoc dicendum, quòd Sadoc vnxit Salomonem. Sic patet infrà cùm dicitur, quòd Sadoc accepit cornu olei de Sanctuario, & vnxit Salomonem. Ratio huius est, quia ista vnctio erat ministerium sacerdotale cùm funderetur ibi oleum sanctum, cuius confectio, & tractatio pertinebat ad sacerdotes solùm: Exo. 30. cap. Nathan autem licèt esset Propheta nõ erat sacerdos, ideo non pertinebat ad eum vnctio regis, sed magis ad summum sacerdotem. Sic etiam fuit in vnctione Ioas, quia Ioiada summus sacerdos fudit oleum super caput eius, vt patet 2. Paralipomenon 22. Sciẽdum tamen, quòd interdum Prophetæ vngebant aliquos in reges, sicut fuit de Samuele, quia non erat sacerdos, sed Leuita, & vnxit Dauid, suprà 1. lib. cap. 16. Vnxit etiam Saulem, eodem lib. cap. 10. Elias quoque vnxit Asael, infrà 19. Quidam quoque de filijs Prophetarum vnxit Iehu in regem, sequenti lib. cap. 9. Et isti non erant sacerdotes. Respondendum, quòd vngere reges directè pertinebat ad sacerdotes, quia illud erat aliquid sacrum, fiebat tamen interdum per Prophetas in defectum sacerdotum, scilicet, quando per sacerdotes nullo modo fieri poterat, sicut quando erat occultum quem Deus vellet vngi in Regem: nam si manifestum erat quis vngendus esset, vngebatur per sacerdotes, & sic fuit hic in Salomone, & postea in rege Ioas, sequenti libro, cap. 11. & 2. Paralipomen. 22. Et sic etiam credendũ est fuisse in omnibus alijs, qui vngebantur, quia competebat eis regnum ex successione, interdum autem erat occultum quis vngendus esset, scilicet, quando vngebatur aliquis cui non proueniebat de iure successionis: & hoc fiebat Deo iubente, nam cùm voluntas Dei non manifestetur, nisi Prophetis per illos solùm sciri poterat quis debebat vngi, & vt secretiùs fieret per illos vngebatur, sic fuit in omnib' propositis: nam Saul vnctus est, nõ ex successione, quia ipse primus fuit in regibus Israel. Dauid quoque vnctus est non ex successione, quia filii Saulis succedere debebant. Iehu quoque non erat de progenie regum Israel, & vnctus est ad delendum domum Acab, sequenti lib. cap. 9. Asael autem non erat de stirpe regum Damasci, & vnctus fuit per Eliã ad persequendum Israelitas, infrà 19.

Vngere reges directè pertinebat ad sacerdotes.

Quare dicatur Sadoc, & Nathan vnxisse Salomonem.

QVÆSTIO XXXIX.

VLTERIVS quæretur cùm Sadoc sacerdos solus fuderit oleum super Salomonem, cur Sadoc, & Nathan dicuntur vnxisse eum. Respondẽdum, quòd in vnctione fiunt multæ cæremoniæ, vt suprà declaratum est, ideo licèt vna fiat per vnum poterit alia fieri per alium, & sic dicentur multi vngentes, poterat autem Sadoc fundere oleum super Salomonem, & Nathan imponeret ei diadema, vel poneret librum legis in manu eius, vel peteret ab eo iuramentum de seruanda lege, aut faceret aliquid aliud exhortando ad custodiam legis, & regimen regni, vel fortè, quando Sadoc vngebat eum, teneret Nathan cornu olei subseruiendo: sic enim Ioiada sacerdos, & filij sui fecerunt in rege Ioas: nam Ioiada fudit oleum super caput Ioas: & tamen ipse & filij sui dicuntur vnxisse eum, vt patet 2. Paralipomenon 22. scilicet, Duxerunt filium regis, & imposuerunt ei diadema, vnxit quoque illum Ioiada pontifex, & filij eius. *Et canetis buccina, atque dicetis: viuat Rex Salomon.* Scilicet, Postquàm vnctus esset, debebat hoc dici, scilicet, quòd prius canebatur buccina, & illa cessante omnes dicebãt viuat Rex Salomon, & quando istud dicebant, plaudebant manibus, percutiendo eas in signum lætitiæ, sic patet in vnctione regis Ioas, sequenti lib. cap. 11. Scilicet, Fecerunt́que eum regem, & vnxerunt, & plaudentes manibus dixerunt: viuat Rex. Plausus autem manibus fit in signum lætitiæ, sicut est in Canticis. Sic patet Psal. 46. scilicet, Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. *Et ascendetis post eum, & venietis.* Id est, postquàm fuerit vnctus in regem apud fontem Siloe, ascendetis post eum, scilicet, comitantes eum, & venietis cum eo ad vrbem, vt sedeat in throno regni. In

A Hebræo habetur. *Et ascendetis post eum, & veniet.* Id est, vos ascendetis comitantes eum, & ipse veniet in vrbem, & refertur ad Salomonem: litera autem nostra refert ad omnes, qui veniebant cum eo. *Et sedebit super solium meum*, scilicet, postquàm venerit de fonte Siloe sedebit in throno meo, & istud etiam erat signum regalis honoris, quia ante hoc nullus de filijs Dauid ausus fuerat sedere super thronum, quia illud solùm pertinebat ad ipsum, qui iam erat rex.

Quomodo Salomon dicitur factus Rex viuente Dauid, quia tunc duo essent reges.

QVÆSTIO XL.

QVÆRETVR quomodo poterat stare, quòd Salomon esset rex viuẽte Dauid, quia tunc necesse erat quòd vel Dauid desineret esse rex, vel essent duo reges in eodem regno, vtrumque autem est inconueniens. De primo patet, quia Dauid non desijt esse rex vsque ad mortem suam. De secundo etiam patet, quia tunc aut regnum Israel esset vnum vel duo. Si vnum non poterant ambo esse reges, quia sicut impossibile est duos esse dominos in solidum eiusdem rei, ita est impossibile eiusdem regni duos esse reges in solidum. Si autem erat duplex regnum, iam esset diuisum regnum Israel, & Salomon regnaret in vna parte, & Dauid in
B alia: sed falsum est, quia regnum in Israel nunquàm fuit diuisum vsque ad tempus Roboam mortuo Salomone. Respondendum, quòd Salomon factus est rex per istam vnctionem, sed ex hoc non sequitur inconueniens aliquod, quia ista vnctio non conferebat ei, quòd esset rex cum administratione regni, sed solùm conferebatur ei, quòd haberet ius certissimum succedendi, & regnandi mortuo Dauid: nam si nunc non fuisset Salomon vnctus, poterat post mortem Dauid esse controuersia de successione regni, ideo Dauid fecit, quòd vngeretur in regem, & acciperetur tanquàm rex ab omnibus de regno, non vt nunc regnaret, sed vt regnaret post mortem eius: & hoc dato non oportebat, quòd Dauid desineret esse rex, quia Salomon non erat nunc rex, sed erat vnctus in regem: posteà etiam non oportebat, quòd duo essent reges eiusdem regni in solidum, vel diuideretur regnum, quia nunc Salomon non erat rex, & sic quandiù vixit Dauid ipse fuit rex in solidum totius Israel: hoc significatur in litera, cùm dixit Dauid, & sedebit super solium meum, & ipse regnabit pro me, scilicet, non regnabit quandiù ego regnauero, sed regnabit pro me, id est, loco mei, tanquàm successor, quando ego defiero regnare. Posset autem aliquis dicere, quòd Dauid nunc desijt regnare, & instituit regem filium suum Salomonem ex tunc, ita quòd Salomon haberet titulum regum, & non Dauid, nec aliquid posset de iure
C imperare, sed quandiù ipse vixit, Salomon permisit, quòd ipse imperaret eo quòd erat pater eius, & fecerat ei gratiam, cedendo ius regni. Si tamen loqueremur secũdùm modum Iuristarum, fortè diceretur, quòd Dauid viuens non poterat abdicare à se ius regni, quia ius regnandi inhæret ossibus regis, ita vt ab eis separari nequeat, sed istud non multum obstat, quia non est de iure naturali, nec de iure gentium, cùm apud aliquas gentes principatus regnatiuus sit per annos, & sic regnantes desinent regnare completo tempore suo, positiua autem iura non sunt eadem apud omnes gentes, nec omni tempore, ideo licèt nunc non possit rex abdicare à se regnũ, posset tunc: melius tamẽ est dicere q; etiam Dauid nõ abdicauerit à se regnũ, quia nollet ipse descẽdere de honore suo, vt alius ascẽderet, sed faceret, sicut faciebãt Imperatores Romani, qui viuẽtes faciebãt filios suos Cæsares, & illi succedebant eis, & tamen patres erant Imperatores vsque ad mortem. *Et ipse regnabit pro me.* Id est, erit successor meus, quasi dicat: ex hoc quòd nunc sedet super solium meum acquiret certam successionem, quia non oportebit, vt post mortem meam iterum vngatur in regem, cùm iam rex sit. *Illiq; præcipiam, vt sit dux super Israel, & super Iudam.* Id est, postquàm sederit super solium meum iubebo illi, vt sit rex super Israel, & Iudam, id est, iubebo populo, vt habeat eum in regem super Israel, & Iudam. Accipitur hic Dux pro Rege, quia est nomen commune ad regem, & non regem. Sic accipitur suprà 1. libro primo, cap. 9. scilicet, Cras mittam ad te virum de Beniamin, & vnges eum in ducem super populum meum, id est, in regem, & eodem lib. cap. 10. dicitur, vnxit te Deus in principem, id est, regem. *Et respondit Banaias filius Ioiadæ regi, dicens, Amen.* Iste Banaias non fuerat cum partialibus Adoniæ, & si Adonias regnasset, timuisset Banaias, ideo gauisus est, quòd Salomon institueretur rex, & sic dixit, Amen, quod pertinet ad confirmationem, id est, sic fiat, vnde quando nos habemus in fine quorundam Psalmorum fiat fiat, in Hebræo dicitur: Amen Amen: *Sic loquatur Dominus Deus Domini mei regis.* Id est, oro quòd sicut Dominus meus rex vult constituere Salomonem in regem: ita Deus velit quòd fiat, & prosperetur negotium, quasi dicat, ad hoc, quòd Salomon efficeretur rex, & maneret firmiter in regno pro Dauid, non sufficiebat, quòd Dauid vellet sic fieri, sed etiam, quòd Deus sic disponeret: nam alioquin dissiparetur totum consilium Dauid. *Quomodo fuit Dominus cum Domino meo rege, sic sit cum Salomone.* Id est, sicut Deus fuit cùm Dauid adiuuando eum in omnibus bellis, & prosperando omnes actus eius, sic sit cum Salomone faciẽdo eum triumphare de omnibus hostibus. *Et sublimius faciat solium eius à solio Domini mei regis Dauid.* Id est, Deus exaltet magis honorem, & thronum Salomonis, quàm exaltauit thronum Dauid, quasi dicat, licèt multum exaltauit thronum Dauid, quia fecit eum habere magnum nomen, iuxta nomẽ omnium magnorum, qui sunt in terra, vt patet præceden. lib. cap. 7. Tamen adhuc faciat maiorem honorem Salomonis. Hoc dixit
D E Banaias, quia sciebat, quòd non offendebat Dauid, licèt desideraret maiorem honorem pro filio suo, quàm pro eo. Nã nullus inuidet filio suo, eo quòd bonum filij est bonum patris, & desiderare, quòd Deus daret maiorem honorem Salomoni, quàm dederat Dauid, erat desiderare, quòd Deus daret Dauid maiorem honorem, quàm nũc habebat. *Descendit ergo Sadoc sacerdos, & Nathan Propheta, & Banaias filius Ioiadæ.* Isti tres principes nominãtur, eo quòd non erat aliquis alius de magnis viris in domo Dauid, qui sequeretur partem Salomonis. Nam omnes alij conuenerant cum Adonia, etiam ipsi filij regis, vt suprà patet. *Et Cerethi, & Phelethi.* Isti erant viri bellatores ordinati per legiones, & erant sub manu Banaiæ, præcedenti libro, cap. 8. & 20. Et quia isti erant sub Banaia secuti sunt partem Salomonis. Dicitur autem, quòd descenderunt isti, scilicet, de loco, in quo erat rex, & loquebatur nunc cum eis ad locum, in quo erat Salomon, vt ducerẽt eum ad vngendum in regem. *Et imposuerunt Salomonem super mulam regis Dauid.* Ista erat mula specialiter dedicata regi, & istud erat primum, quod iusserat rex fieri. *Et adduxerunt eum in Gihon.* Id est, ad fontem Siloe, apud quem vngendus erat. *Sumpsitq; Sadoc sacerdos cornu olei de tabernaculo.* Ad vngendum Salomonem requirebatur oleum, & sumptum est cornu olei de tabernaculo, sumpsit autem illud Sadoc, quia ipse erat summus sacerdos.

F

De quo tabernaculo sumptum est oleum ad vngendum Salomonem.

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR, quod tabernaculum erat istud, de quo sumptum est oleum ad vngendum Salomonem. Aliquis dicet, quòd istud oleum sumptum est de Gabaon, quia ibi erat Sanctuarium tempore Dauid, vt colligitur 1. Paralipomenon 16. & 22. Toto enim tempore regni Dauid fuit in Gabaon, quia tempore Saulis erat in Nobe, cùm verò ipse destruxit vrbem propter Dauid, suprà 1. libr. cap. 22. Translatum est tabernaculum in Gabaon, quia Gabaon erat in sorte Beniamin, de cuius tribu erat Saul, fuit autem ibi tabernaculum, quousq; Salomon compleuit Sanctuarium, & tunc duxit altare holocaustorum de Gabaon, & posuit illud in templo, quod ædificauerat: vt patet 2. Paralipomenon cap. 1. Et sic necesse videbatur, quòd duceretur oleum de Gabaon, cùm dicatur, quod ductum est de tabernaculo. In contrarium videtur, quòd non fuerit ductum de Gabaon: nam eadem die, qua incœptum est istud negotium finitum fuit, & breuissimè: nam quando Nathan, & Bethsabe iuerunt ad Dauid, iam erat Adonias cum sequacibus suis apud fontem Rogel immolantes, & manducantes, vt colligitur

Imperatores in vita sua faciebãt filios suos Cæsares, seu Reges Romanorum.

A

ſuprà in litera,& tamen quando Salomon vnctus eſt ad fontem Siloe, finiebant ſequaces Adoniæ prandium ſuum, vt patet infrà in litera,ideo non durauit iſta vnctio Salomonis, per medium diem,immò nec per tres horas, & ſic non poterat Sadoc ire de Ieruſalem in Gabaon,vt inde duceret cornu olei. Reſpondendum, quod hic vocatur tabernaculum domus illa, quam conſtituerat Dauid in Ieruſalem, vt ſtaret ibi arca,de qua dictum fuit præcedenti libr.cap.6. & iſta vocatur tabernaculũ,ſic patet infrà in litera: nam dicitur,quòd Adonias fugit,& tenuit cornu altaris tabernaculi, etiam ſequen.cap.dicitur, quòd Ioab tenuit cornu altaris: & tamen manifeſtum eſt,quod iſti non erant extra Ieruſalem, ergo in Ieruſalem erat templum, ſed nullum aliud erat illud,niſi domus,quam inſtituerat Dauid pro arca. Dicendum autem, quod in illa erat oleum ſacrum, quia fortè ſacerdotes trãſtulerant illud de tabernaculo, quod erat in Gabaon, vel fortè confecerant illud oleum in Ieruſalem, & manebat in tabernaculo arcæ. Nam confectio iſtius olei pertinebat ad ſummum ſacerdotem,vel ad alios iubente eo: nam laici non poterant illud facere,vt patet Exod.30. Aliqui autem Hebræi dicunt, quòd iſtud oleum manſerat ex tempore Moyſi, ſcilicet,quando ipſe cõfecit illud in monte Sinai,vt habetur prę-

B

allegato cap. Sed iſtud non eſt veriſimile, ſcilicet, quòd ex tanto tempore manſiſſet oleum confectum: nam ferè anni quadringẽti,& octoginta tranſierant à tempore, quo Moyſes confecerat iſtud oleum; nam ab exitu de Ægypto vſque ad primum annum ędificationis templi,qui fuit principium anni quarti regni Salomonis, fluxerunt anni quatuor centũ octoginta, vt patet infrà 6.cap. Et tamen modicum diſtabat annus quartus regni Salomonis ab hoc tempore, ideo non erat veriſimile, quòd tamdiù duraſſet aliquod oleum, maximè cùm eſſet commixtum, quin putrefieret, & deficeretur,ideo dicendum, quod poſteà confectum fuerat à ſacerdotibus.

Quo oleo vngebantur Reges,an oleo communi,vel ſacro.

QVÆSTIO XLII.

VLTERIVS quæretur an oleum, quo vngebantur reges,eſſet oleum commune, vel ſacrum. Reſpondendum, quod reges poterant indifferenter vngi oleo ſacro,vel communi, quod patet, quia aliqui vncti fuerunt oleo ſancto,& aliqui oleo communi: namnunc Salomon vnctus fuit oleo ſancto,cùm dicatur, quod Sadoc ſumpſit cornu olei de Sanctuario, & tamen ſi non eſſet oleum ſacrum fruſtrà fuiſſet,quòd ſumeretur de Sanctuario: nam de qualibet alia domo poterat ſumi, ſic etiam fuit de Ioas rege,

C

quem vnxit Ioiada intra templum: nam veriſimile eſt, quòd potiùs vngeret eum oleo ſacro, cùm eſſet intra templum, quàm quòd iret extra templum pro oleo communi, de hoc patet ſequenti libro,cap.11. & 2.Paralipomenon 22. Alij autem reges fuerũt vncti oleo communi,ſcilicet,Dauid,quando vnctus fuit prima vice: nam tunc non potuit haberi oleum ſacrum,vt declaratum eſt ſuprà 1.lib. cap.16. Sic etiam fuit de rege Aſael, quem vnxit Elias; & de rege Iehu,quem vnxit Eliſeus. De Aſael infrà 19. De Iehu ſequenti lib.cap.9. Nam iſti ſecretè vncti fuerunt per Prophetas, vnde non poterant habere oleum ſacrum ad vngendum eos. Dicendum tamen regulariter,quod quando reges pacificè vngebantur, & publicè vngebantur oleo ſacro, & ſic fuit de Salomone, qui publicè vnctus eſt. *Et vnxit Salomonem.* Scilicet,fundendo oleum ſuper caput eius, vel faciendo aliquod ſignum in fronte illius. Iſta vnctio fuit apud fontem Siloe. *Et cecinerunt buccina.* Scilicet, poſtquàm vnctus eſt apud fontem cecinerunt ibi buccina in ſignum magni gaudij pro rege nouiter vncto, & antequàm vngeretur non canebant, quia nondum erat rex. *Et dixit omnis populus,viuat rex Salomon.* Scilicet,deſinente buccina clamabat populus,viuat rex,& iſtud fiebat antequàm aſcenderent de fonte Siloe. *Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum.* Id eſt, poſtquàm vnctus eſt Salomon apud fontem aſcenderunt omnes, qui erant cum eo ad introeundum in vrbem. *Et populus canentium tibijs, & lætantium gaudio magno.* Id eſt,in illa multitudine,quę aſcẽdebat cum Salomone, erat quædam multitudo canentium tibijs, id eſt,in omni genere muſicorum organorum, & etiam erat multitudo lætantium gaudio magno, ſcilicet, canentium in voce,& choreantium ad honorem Salomonis. *Et inſonuit terra à clamore eorum.* Id eſt,tantus erat clamor totius populi præ gaudio, quòd terra inſonabat, id eſt, reddebat voces. *Audiuit autem Adonias.* Hic ponitur Adoniæ abiectio,ſcilicet, quia quamquàm feciſſet feſtum magnum coronationis ſuæ ad nihilum redactum eſt, cùm cognitum fuit Salomonem eſſe vnctum,& dicitur. *Audiuit autem Adonias,& omnes,qui inuitati fuerant ab eo,* ſcilicet, audiuerunt clamorem virorum euntium cum Salomone. Nam Adonias, & viri ſui fuerant apud fontem Rogel celebrantes immolationem, & conuiuia,nunc autem erant intra vrbem in epulis, & audierunt ſonitum feſtiuitatis Salomonis neſcientes quid eſſet. *Iamq; conuiuium finitum erat.* Scilicet, quando auditæ ſunt iſtæ voces,quaſi dicat,conuiuium finitum erat, & tamen omnes ſedebant adhuc ad menſas, & cognito de vnctione Salomonis ſurrexerunt illicò,& fugerunt. *Sed & Ioab, audita voce tocc tubæ,ait.* Ioab erat maximus princeps, qui erat cum Adonia, & cùm audiret tubam, qua clangebatur coram Salomone,miratus eſt, quia viſum eſt ſibi ſignum belli. *Quid ſibi vult clamor ciuitatis tumultuantis.* Id eſt, quid ſignificat, vel ad quid eſt iſte clamor ciuitatis, facientis tumultum magnum, ſuſpicatus eſt enim Ioab aliquod malum eſſe. *Adhuc illo loquente.* Scilicet,Ioab. *Ionathas filius Abiathar ſacerdotis venit.* Iſte erat vnus de exploratoribus Dauid quando Abſalom erat in Ieruſalem, & referebant iſte, & Achimas filius Sadoc ad regem notitiam eorum,quæ fiebant in Ieruſalem,vt patet prę-

E

cedenti libro,cap.17. Iſte autem iuerat ad videndũ illum clamorem,qui fiebant in vnctione Salomonis,& venit ad nunciandum coram Adonia, quia pater ſuus Abiathar ſummus ſacerdos fouebat partem Adoniæ, vt patet ſuprà in litera. *Cui dixit Adonias ingredere,quia vir fortis es,& bona nuncians.* Id eſt, Adonias videns veniſſe Ionathan, à quo poterant ſcire quid iſtud erat, dixit ingredere, id eſt, accede huc, quia vir fortis es,& bona nuncians, id eſt, ſemper tu ſoles nunciare bona, & etiam bona nunciabis, ideo accede, & nuncia, quæ vidiſti,quia bona nunciabis, iſtud autem dicebat Adonias,quia ipſe,& omnes conuiuæ ſui territi erant audientes clamorem, putantes aliquod malum contra ſe eſſe, & tunc credidit Adonias, quod cùm veniret Ionathan ad nunciandum non poſſet eſſe,niſi bonum quod nunciaret,quia nunquàm ipſe ſolebat mala nunciare. *Reſpondit́q; Ionathan Adoniæ,nequaquàm.* Id eſt,non eſt ſic, ſicut arbitraris,quaſi dicat, credis, quod ego bona nunciabo: ſed falſum eſt, quia mala ſunt. *Dominus enim noſter rex Dauid regem conſtituit Salomonem.* Id eſt,iſte clamor eſt pro feſtiuitate Salomonis, quia Dauid conſtituit eum in regem. In Hebræo habetur. *Certè Dominus noſter rex.* Vbi nos habemus nequaquàm dominus enim noſter rex. *Miſitq; cum eo Sadoc ſacerdotem, & Nathan Prophetam.* Refert Ionathas totum factum, & videtur quòd ipſe fuerit præſens toti iſti facto, quouſque videret conſummationem, & iret ad nunciandum Adoniæ, ponit autem principes, qui iuerunt cum Salomone, ſcilicet,Sadoc, & Nathan,& Banaiam, & legiones Cerethi, & Phelethi, vt ſuprà dictum eſt. *Et impoſuerunt eum ſuper mulam regis.* Id eſt, ſuper mulam,quæ erat dedicata ſoli regi, & hoc vt ducerent eum in Gihon ad vngendum. *Vnxerunt eum Sadoc ſacerdos,& Nathan Propheta,regem in Gihon.* Scilicet, apud fontem Siloe, qui dicitur Gihon. Sadoc ſacerdos ſummus fudit oleum ſacrum ſuper caput Salomonis, & Nathan Propheta miniſtrabat ei, & ſic ambo dicebantur vngere eum, vt ſuprà declaratum eſt. *Et aſcenderunt inde lætantes.* Id eſt, aſcenderunt de fonte Siloe cum canticis, & gaudio, & clangore tubæ dicentes,viuat rex: cùm aſcenderent redeuntes in ciuitatem, ſcilicet quod cùm ibant cum Salomone ad fontem non clamabant in ſonitu lætitiæ, eo quòd nondum erat rex, cùm autem redibat clamabant, quia iam erat factus rex. *Et inſonuit ciuitas.* Id eſt, intrantibus eis in ciuitatem inſonuit ciuitas à clamore eorum. In Hebræo habetur. *Et ſubmerſa eſt ciuitas.* Litera tamen noſtra poſuit inſonuit, quia non poterat ſubmergi ciuitas per clamorem. *Hæc vox,quam audiſtis.* Id eſt, tota vox tubarum, & virorum, quam audiſtis, fuit de hoc, nec factum eſt aliquid vltra hoc. *Sed,& Salomon ſedet ſuper ſolium regni.* Id eſt,factis omnibus iſtis,poſtquã redijt Salomon

F

in do-

D

Adoniæ abiectio.

A in domum Regis, ſedit ſuper thronum regni iubente Dauid. *Et ingreſſi ſerui Regis.* Id eſt, ſerui Dauid. *Benedixerunt Domino noſtro Regi Dauid.* Id eſt, imprecati ſunt bona ſuper illum, quia cõſtituerat Salomonem regem, & eſt ſenſus, quòd poſtquàm venerũt de vngendo Salomonem, ingreſſi ſunt ad Dauid, qui erat in lecto ſuo: nam iam ſenex erat, & raro ſurgebat de lecto, & ibi imprecati fuerunt bona ſuper eum, dicentes: *Amplificet Dominus nomen Salomonis ſuper nomen tuum.* Id eſt, Deus det maiorem honorem, & famam Salomoni, quàm dedit tibi. Iſtud enim prius dixerat Banaias, antequàm vngeretur Salomon in Regem, & nunc illo vncto, omnes ſerui Regis imprecabantur illud coram Rege, & in hoc dicebantur benedicere ei: id eſt, imprecari bonum. Nam orare maius bonum pro Salomone, quàm habuiſſet Dauid, erat bonum ipſius Dauid. *Et magnificet thronum eius ſuper thronum tuum.* Id eſt, faciat thronum regni eius potentiorem, & excellentiorem, quàm thronum regni tui. *Et adorauit Rex in lectulo ſuo.* Id eſt, tunc Dauid iacens in lectulo ſuo adorauit: id eſt, inclinauit ſe in lectulo ad reddendum Deo gratias, quia ſic benefecerat ei. *Inſuper, & hoc locutus eſt: Benedictus Dominus Deus Iſraël.* Scilicet, quãdo inclinauit ſe, & adorauit in lectulo dixit verba iſta in laudem Dei. *Qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo videntibus oculis meis.* Reputauit Dauid ad magnum beneficium, quòd ipſo viuente regnaret aliquis de filijs eius, & ſic ſaltem eſſet certus, quòd aliquis de poſteris ſuis ſuccederet ei, & iſtud erat magnum gaudium, quia ſuſpectus erat pro poſteris ſuis. *Territi ſunt ergo, & ſurrexerunt omnes, qui inuitati fuerant ab Adonia.* Id eſt, tunc auditis verbis Ionathan territi fuerunt omnes, qui erant cum Adonia; quia per hoc putauerunt ſe reos mortis, ſcilicet, quòd Dauid occideret eos, quia diſplicuerat ei factum iſtud, & iuſſerat propter eorum iniquitatem vngi Salomonem, qui tam cito vngendus non fuerat, niſi ipſi vnxiſſent Adoniam: etiam timebant, quòd Salomon occideret eos, quia fuerant partiales contra ipſum, ideò cùm omnes eſſent ad menſam, ſurrexerunt præ timore, vt fugerent. *Et iuit vnuſquiſque in viam ſuam.* Id eſt, quilibet iuit per viam ſuam, quo eum voluntas ferebat non fugientes omnes ad vnum locum, nec ſequentes aliquem, vt ducem, ſed quilibet per ſe fugit: Hoc autem fuit, quia cùm Salomon eſſet Rex, Adonias non poterat reſiſtere ei, nec erat aliquis de inuitatis, qui poſſet defendere alios, ideò quilibet per ſe abijt, quo voluntas eum ferebat. *Adonias autem timens Salomonem ſurrexit, & abijt in tabernaculum Domini.* Adonias erat, qui plus omnibus peccauerat, quia omnes propter ipſum fecerant iſtam iniquitatem, ideò ipſe plus timuit Salomonem, quia plus offenderat eum: etiam non ſolùm pro malo, quòd iam fecerat, timebat Salomonem, ſed ſciebat, quòd Salomon haberet eum ſemper ſuſpectum, quòd moliretur ei inſidias, & habita opportunitate aſpiraret ad regimen, & ad tollendum iſtum timorem, Salomon vellet occidere eum. Et dicitur, quod abijt in tabernaculum, ſcilicet, vt ibi defenderetur, quia pro reuerentia tabernaculi non educeret eum inde Salomon ad occidendum. intelligitur autem tabernaculum non ipſum, quod erat in Gabaon, vbi erat altare æneum, & totus apparatus tabernaculi, quod fecerat Moyſes in deſerto, ſed intelligitur de tabernaculo, quod fecerat Dauid in Ieruſalem, vbi maneret arca, quia propter reuerentiam arcæ præſtaretur immunitas confugientibus illuc. In Hebræo non habetur: Abijt in tabernaculum Domini, ſed ſolum abijt, quia tamen dicitur immediatè, quòd tenuit cornu altaris, & illud erat in tabernaculo, litera noſtra dixit, quod iuit in tabernaculum. *Tenuitq; cornu altaris.* Id eſt, acceſſit ad vnam partem altaris, & adhæſit ei.

Quare magis tenuit Adonias cornu altaris, quàm aliam partem.

QVÆSTIO XLIII.

QVÆRETVR quare magis tenuit Adonias cornu altaris, quàm aliam partem ſanctuarij: nam ſi hoc faciebat ad gaudendum immunitate, in quacunque parte tabernaculi gauderet immunitate, & ſic non videbatur ratio, quare teneret cornu altaris. Aliquis dicet, quod tenuit cornu altaris, quia illa pars erat ſanctior reliquo ſanctuario, ſed hoc non ſtat, quia arca erat in eodem tabernaculo, & non eſt dubium, quin ipſa eſſet ſanctior, quàm altare, cùm non eſſet aliquod vas in toto ſanctuario tam occultum, & tantæ reuerentiæ. Fortè reſpondebitur, quod fecit hoc, quia non auſus eſt accedere ad arcam, eo quòd erat valde magnæ ſanctitatis, & non licebat tangere eam, niſi Leuitis, maximè ſi eſſet diſcooperta; quia tunc videndo eam ſolum, moreretur, ſicut fuit de Bethſamitis, qui viderunt arcam, & mortui ſunt, ſupra 1. lib. capite 6. De altari autem non putauit ſic futurum, quia non erat tantæ ſanctitatis, vt moreretur tenendo illud, ideò tenuit. Sed dicendum, quòd non fuit iſta cauſa, quia ſi putaſſet Adonias æqualem conſequi immunitatem in quacunque parte tabernaculi eſſet, non curaſſet tenere altare, & tamen omnes fugientes in tabernaculum tenebant cornu altaris, ſic fuit de iſto Adonia. Sic etiam de Ioab, qui poſtea confugit ad tabernaculum, & tenuit cornu altaris, ſequent. cap. Dicendum igitur, quòd iſtud fiebat, quia immunitas non putabatur in alia parte tabernaculi, niſi in altari, quòd colligitur Exod. 21. ſcilicet, Si quis per inſidias alterum occiderit ab altari meo euelles eum, vt moriatur: ſi igitur tunc non gaudebat immunitate altaris, ex oppoſitis videbatur, quòd quando gaudendum eſſet immunitate, illa eſſet immunitas altaris, & ſic non putabatur plenè immunitas eſſe in aliqua parte tabernaculi, niſi in altari, vnde omnes tenebant cornu altaris. *Et nunciauerunt Salomoni, dicentes: ecce Adonias timens regem Salomonem tenet cornu altaris.* Iſtud nunciauerunt aliqui miſſi ab Adonia, vt Salomon præſtaret ei ſecuritatem, & patet ex verbis ſequentibus, ſcilicet. *Iuret mihi hodie Rex Salomon, quòd non interficiat ſeruum ſuum gladio.* Id eſt, non exibo hinc quouſque rex Salomon iuret mihi, quòd nõ occidat me gladio, id eſt, quacunque morte, quia non ſolùm Adonias ſubiebat mortem gladij, ſed quamque aliam. *Dixitque Salomon, ſi fuerit vir bonus, non cadet, nec vnus quidem capillus eius in terram.* Præſtitit ei ſecuritatem Salomon in hoc, dicens, quòd remittebat ei iniuriam præteritam, intantum, quòd de cætero eſſet vir bonus, & dixit ſi fuerit vir bonus, id eſt, ſi ex nunc in amplius fuerit vir bonus, id eſt, non reperta fuerit in eo aliqua iniquitas proditionis, vel rebellionis, non ſolùm non occidetur, ſed etiam non cadet vnus capillus de capite eius, ſcilicet, non patietur ſaltem minimum damnum. *Sin autem malum inuentum fuerit in eo, morietur.* Id eſt, ſi ex hoc tempore aliquod malum inuentum fuerit in eo, ſcilicet, quòd cogitet de principatu, ſicut prius erat, occidetur, ſic enim factum eſt. Nam quia poſtea petijt Abiſag Sunamitidem in vxorem, quod videbatur ſignum rebellionis, vel aſpirationis ad regnum, iuſſit illum occidi Salomon, vt patet ſequenti cap.

Quare Adonias petijt, quòd Salomon iuraret non occidere illum, potius quàm Dauid.

QVÆSTIO XLIIII.

QVÆRETVR quare Adonias dixit, iuret mihi Rex Salomon, quòd non occidat ſeruum ſuum gladio, & non dixit hoc de Dauid: nam potius debuiſſet dicere, quòd non occideret eum Dauid, quia Dauid erat tunc Rex, & non Salomon? Reſpondendum, quòd Adonias offenderat tam Dauid, quàm Salomonem: offendit autem Dauid, inquantum ſine præcepto eius fecit feſtum coronationis ſuæ, offendit verò Salomonem, quia contra ius illius agebat, ſcilicet, accipiendo regnum, quod illi debebatur: potius tamen petijt ſecuritatem à Salomone, quàm à Dauid, propter multa. Primò, quia magis videbatur offendiſſe Salomonem, quàm Dauid: nam contra Dauid non egit, niſi inquantum eo inconſulto voluit vngi in Regem; tamen non abſtulit ei aliquod ius directè, nec auferre intendebat, quia illo viuente nolebat regnare. Contra Salomonem autem directè egit. inquantum vſurpabat ei totum ius regni debitum Salomoni, & iſta erat magna offenſa, ideò credidit magis ſibi iratum eſſe Salomonem, quàm Dauid, & conſequenter putauit magis neceſſarium ſe petere ſecuritatem ab eo, quàm à Dauid. Secundum erat, quia non poterat credere Adoniam, quòd Dauid vellet eũ occidere propter hoc, & iſtud propter duo: primò, quia Dauid diligebat eum nimis, & quam-

A quàm faceret alias ſtultitias, non corripiebat eum pater, nec ſaltem dicebat ei, quare hoc feciſti? vt patet ſupra in litera; ideò eodem modo credebat, quòd nunc non puniret eum pater, nec etiam increparet. Secundò patet, quia Dauid offenſus fuerat nimis ab Abſalom, qui voluit eum occidere, & expellere de regno; & tamen iuſſit, quòd non occideretur in bello, ſed ſeruaretur. præcedenti libro cap. 18. Et quando cognouit eum mortuum, plorabat inconſolabiliter: Adonias autem ferè nihil offenderat, comparando ad delictum Abſalom: ſi ergo illum non occiderat, nec iſtum occideret: de pietate autem Salomonis, non tantùm confidebat Adonias: nam Dauid erat pater, & licèt multum offenderetur non occideret filium, Salomon autem erat frater, & non tantum diligeret eum, ideò fortè vellet occidere ipſum. Tertiò fecit hoc, quia non ſolùm putauit, quòd Salomon vellet occidere eum pro malo, quod hactenus fecerat, ſed potius, quia ſuſpicabatur, quòd nunquam eſſet fidelis ei, ſed ſemper moliretur inſidias ad aſpirandum in regnum, Dauid autem nihil horum contra ſe timebat: ideò nō inclinaretur ad occidendum Adoniam, ſicut Salomon. Quartum erat, quia Adonias licèt timeret occidi à Salomone, non timebat pro nunc, ſed poſt mortem patris: nam credebat, quòd viuente Dauid non occideret eum, ne pater affligeretur: mortuo autem Dauid occideret eum, & quia ad tollendum iſtum timorem non proficiebat, quòd peteret ſecuritatem à Dauid, quia illo mortuo
B vellet Salomon occidere eum, ideò ſolùm petijt ſecuritatem à Salomone.

Quare Salomon non occidit nunc Adoniam, ſed poſt mortuo Dauid.

QVÆSTIO XLV.

QVÆRETVR vlterius, cùm Salomon vellet occidere Adoniam, nam poſtea occidit illud, ſequenti cap. Quare non occidit eum nunc, cùm deliquiſſet grauiſſimè, & occidit poſtea? Reſponderi poteſt dupliciter: vno modo, quòd Salomon non intendebat nunc occidere Adoniam, quia ſi ipſe non faceret aliam iniquitatem, ſatis erat iſtud peccatum remiſſibile: ideò dixit ei, ſi fuerit vir bonus, non cadet quidem, nec vnus capillus de capite eius in terram. Si autem malum inuentum fuerit in eo, morietur: & ſic quando extraxit eum nunc de ſanctuario, non habebat intentionem occidendi eum, ſed poſtea peccauit petendo Abiſag, & occidit eum. ſequenti cap. Aliter poteſt dici, quòd Salomon habuit ſemper intentionem occidendi Adoniam, ne ipſe inſurgeret aliquando contra eum, tamen noluit occidere propter multa, primò, quia fortè non habebat poteſtatem ad hoc: nam licèt factus eſſet Rex, non imperabat ipſe viuente Dauid, nec erat
C pro tunc factus Rex, ſed pro poſtea: & ſic tota iuriſdictio, & poteſtas erat tunc penes Dauid: vnde Salomon non poterat de iure occidere Adoniam.

Sed obijcietur, quia ſi non poſſet occidere eum nō fugiſſet propter eum ad ſanctuarium, & tamen fugit, & noluit inde exire quouſque Salomon ei ſecuritatem præſtaret. Dicendum, quòd voluit ſibi cauere, quia timuit de facto aliquod malum ſibi poſſe infligi, licèt non de iure.

Secundum erat, quia dato quòd habuiſſet cauſam legitimam occidendi Adoniam, & poteſtatem ad hoc non occidiſſet eum, quia ex hoc ſequeretur magna afflictio Dauid videnti filium ſuum occidi à fratre, ideò non occidit. Tertium fuit, quia forte timuit priuari regno ſi patre viuente occideret Adoniam: nam Dauid priuauit Ioab principatu exercitus, quia occidit Abſalom; & tamen ille merebatur mortem ex multis cauſis, de quo præcedenti libro, capite 18. & 19. Ergo ſi Salomon occideret Adoniam, qui quaſi nihil peccauerat comparando ad Abſalom, Dauid iraſceretur, & priuaret eum regno, inſtituendo alium de fratribus eius. Quartum fuit, vt Salomon iuſtificaret actus ſuos, maximè in principio regni: nam ſi propter primum delictum occidiſſet Adoniam, videretur hoc feciſſe ſolùm ex vindicta, & non amore iuſtitiæ, & crederetur nimis ſeuerus, ideò non expediuit, quòd tunc eum occideret, ſed poſtea. Quintum fuit ad conciliandum ſibi populum, vt regnum ſuum confirmaretur: nam nunc nondum erat confirmatum regnum Salomonis, & ſi occideret tunc Adoniam ſcandalizaretur totus populus de tali facto, & non confirmarentur omnes cum Salomone. Sextum fuit propter illos, qui fuerant cum Adonia: nam maior pars exercitus, & principum fuerat in coronatione Adoniæ, vt patet ſupra in litera; & ſi nunc Salomon occidiſſet Adoniam, omnes quoque, qui cum illo fuerant, timerent ſimiliter occidi, & fugerent, vel cùm multi eſſent fortè rebellarent, quod erat nimis inconueniens Salomoni, ideò noluit occidere nunc Adoniam: nam etiam ſi maiora crimina commiſiſſet, non occidiſſet eum. *Miſit ergo Rex Salomon.* Id eſt, miſit aliquos de ſeruis ſuis ad tabernaculum, vbi erat Adonias. *Et eduxit eum ab altari.* Id eſt, dedit ei ſecuritatem, vt dimitteret cornu altaris, cui hærebat, & exiret. *Et ingreſſus adorauit regem Salomonem.* Id eſt, ingreſſus eſt in domum Salomonis, & adorauit coram eo humiliādo ſe in terram, tanquā coram Rege. *Dixitq; ei Salomon, vade in domum tuam.* Id eſt, non ſtes hic coram me, ſed vade in domum tuam. Hoc poteſt dici dupliciter. Vno modo, quòd Salomon licèt peperciſſet Adoniæ haberet eum exoſum propter iſta, quæ fecerat contra eū; ideò noluit, quod maneret cum eo, ſed quòd recederet à facie ſua, vadens in domum ſuam. Alio modo poteſt intelligi, quòd hoc diceret Salomon totaliter ad ſecurandum eum; ſcilicet, vade in domum tuam, id eſt, non timeas, ſed vade in domum tuam, & ſecurus mane.

Quare Ioab, & alij qui erant cum Adonia, non fugerunt ad tabernaculum.

QVÆSTIO XLVI.

QVÆRETVR quare Ioab, & Abiathar, & alij, qui erant cum Adonia, non fugerunt ad tabernaculum metu Salomonis, ſicut fugit Adonias? Reſpondendum, quòd à principio illi, qui erant cum Adonia neſcierūt qualiter procedendum eſſet contra eos pro coronatione Adoniæ. Ideò cùm Adonias fugiſſet in ſanctuariū, ipſi voluerunt fugere illuc expectātes, quid fieret de Adonia, vt per illū ſcirent quid expediebat eis facere: nam ſi Adonias non occideretur, nullum periculum eis erat; ſi autem occideretur, ipſi timerent ſibi, & inquirerent remedium, ideò dum ſcirent quid de Adonia fieret, noluerunt ire in tabernaculum: quia per hoc oſtenderent ſe nimis timere, & eſſe reos; & tamen ipſi volebant ſe oſtendere habere paucam culpam, quia coronabant illum, cui videbatur de iure competere regnum propter primogenituram, & quia poſtea Adonias liberatus eſt, nullus illorum fugit in tabernaculum. Sed obijcietur, quia Ioab fugit in tabernaculum, & tenuit cornu altaris, ſequenti capit. Reſpondendum, quòd illud fuit poſt mortem Adoniæ, vt patet ex proceſſu literæ; & tunc timuit Ioab, quòd cùm ipſe eſſet princeps in coronatione Adoniæ, quòd etiam F
ipſe occideretur, & fugit in tabernaculum, ſed in iſta vice non fugit.

CAPVT II.

APPROPINQVAVERVNT *autem dies Dauid vt moreretur: præcepitq; Salomoni filio ſuo, dicens: Ecce ego ingredior viam vniuerſæ terræ; confortare, & eſto vir fortis, & obſerua, vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius; & cuſtodias cæremonias eius, & præcepta eius, & iudicia, & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, vt intelligas vniuerſa, quæ facis, & quocunq; te verteris, vt cōfirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt de me, dicens: Si cuſtodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate, in omni corde ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſraël.* *Ioſ. 22. Deu. 31 Ioſue 1.*

Deſcripta in præcedentibus Salomonis inſtitutione in Regem, hic agitur de eius confirmatione. Fit autem confirmatio dupliciter, ſcilicet, per amotionem impedientium, & per accumulationē adiuuantium, vel cōferentium; de ſecūda

capite

A capite sequenti. Confirmatur autem maximè regnum per abiectionem, vel depressionem aliquorum contra Regem machinantium, & sic erant multi contra Salomonem, scilicet, Adonias, Ioab, & Abiathar, ideò agitur hic de istorum occisione, & ne videatur Salomon procedere zelo vindictæ contra istos, ponitur hic ordinatio Dauid circa ista; & diuiditur in duo: quia primò ponitur Dauid ordinatio, secundò Salomonis executio ibi. *Salomon autem sedit.* Prima in duas, primò ponitur Dauid ordinatio, secundò eius defunctio ibi. *Dormiuit igitur.* Prima in quatuor, secundum quòd præmittitur quadruplex Dauid ordinatio. Prima de legis obseruatione, secunda de Ioab occisione ibi. *Tu quoque nosti.* Tertia de beneficiorum Berzellai recompensatione ibi. *Sed & filijs Berzellai.* Quartò de Semei digna punitione ibi, *Habes quoque apud te.*

An ordo sit continuus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic fuerint facta post præcedentia, & an immediatè, vel interiecto tempore? Ad primum dicendum, quòd hic est ordo continuatus: nam supra agebatur de institutione Salomonis in Regem, hic autem dicitur de illis, quæ egit, post-
B quàm institutus est Rex. Etiam supra dicebatur de Dauid viuente, hic agitur de eo moriente, ideò oportet, quòd ista fuerint post illa. Ad secundum dicendum, quòd non apparet, quantum tempus interciderit, sed satis verisimile est, quòd modicum tempus fuerit, quia præcedenti cap. dicebatur de magna senectute Dauid, quomodo opertus vestimentis calefieri non poterat, ideò non est verisimile, quòd postea magno tempore vixerit, hic autem agitur de illis, quæ iussit Dauid Salomoni appropinquans morti, & sic modicum tempus esset inter præcedentia, & ista: & quia siue modicum, siue multum fuerit, non accidit in tempore isto aliquod factum mutabile, Scriptura nihil interposuit inter præcedentia, & ista. *Appropinquauerunt autem dies, vt Dauid moreretur.* Scilicet, quòd ista, quæ hic dixit Dauid, fuerunt aliquot diebus dicta ante mortem suam: vidit autem Dauid, quòd omnino iam deficiebat, & ex hoc cõspiciebat se propinquum morti, & tũc voluit facere ea, quæ habentur hic.

Quæ Dauid ordinauerit post Salomonis vnctionem, quæ non habentur hic.

QVÆSTIO II.

C QVÆRETVR an Dauid fecit aliqua alia post Salomonis vnctionem, præter ea, quæ habentur hic? Respondendum, quòd post coronationem Salomonis Dauid congregauit omnes Leuitas, & sacerdotes Israël, & distinxit illis officia decernens, quòd iam Leuitæ seruirent in tabernaculo ab anno vigesimo, cùm prius seruire consueuissent ab anno vigesimoquinto. Diuisit etiam officia illorum, scilicet faciendo quosdam Leuitas ianitores, & alios cantores, & alios thesaurarios templi, & diuisit illos per vices suas sorte faciens viginti quatuor sortes in cantoribus, vt ministrarent per tempora anni, secundùm successionem suam, & ordinem sortis, & sic tolleretur contentio in ministrando. Fecit quoque diuisiones ianitorum, & thesaurariorum, vt quilibet sciret quid eis operis competeret. Post hæc autem diuisit Dauid sacerdotes, faciens duos principes sacerdotum, siue sacerdotes magnos, vnum de familia Eleazar filij Aaron, & alium de familia Ithamar fratris eius, & diuisit omnes sacerdotes in viginti quatuor partes, vel sortes, vt ministrarent temporibus sibi assignatis sine controuersia ministrationis, & quia domus Eleazar fuit maior, habuit sexdecim sortes: domus autem Ithamar habuit octo, & secundùm istum ordinem manserunt distincti sacerdotes, & Leuitæ in ministrationibus suis, vsque ad destructionem Ierusalem per Romanos, vt ait Iosephus 7. Antiquitatum. Et patet hoc, nam tempore Christi durabat ista ministratio per sortes; quod patet Luc. 1. cùm dicitur de Zacharia patre beati Ioannis, quòd ipse ministrabat in vice Abia, & sorte exijt, vt offerret incensum. De ista ordinatione sacerdotum, & Leuitarum habetur primo Paralipomenon, à capite 22. vsque ad 27. De hoc etiam dicit Iosephus 7. Antiquitatum, scilicet, dinumerans Dauid sacerdotes, & Leuitas, inuenit ab anno trigesimo vsque in quinquagesimum triginta octo millia, ex quibus instituit curatores fabricæ templi viginti tria millia: iudices autem, & Scribas eorum sex millia: ianitores autem domus Dei quatuor millia, & totidem, qui hymnos dicerent Deo, cantantes in organis, quæ Dauid instituit. Diuisit etiam eos per domos, de domo Eleazari sexdecim, de domo Ithamar octo, præcipiens, vt vnaquæque generatio ministraret Deo per dies octo, à sabbato, vsque in sabbatum, & ita omnium generationes sortem miserunt, præsente Dauid, & Sadoc, & Abiathar sacerdotibus, & principibus vniuersis: & prima quidem generatio conscendens, conscripta est prima, & secunda pariter, & tertia, & consequenter vsque ad vigesimam quartam, & hæc diuisio permansit vsque in præsentem diem. Fecit autem de tribu Leuitarum partes viginti & quatuor, & sortiti eodem modo conscenderunt, vt secundùm modum sacerdotum octo diebus, ipsi quoque ministrarent, instituit. Eos autem, qui erant ex germine Moysi, eminentius honorauit. Sed & Salomonem secundò vnxerunt oleo, Regemque fecerunt, & Sadoc Pontificem vniuersæ plebis, deducentes ad regiam Salomonem, & facientes sedere. Et sic vult Iosephus, quòd post vnctionem Salomo-
B nis, & Adoniæ facta fuerit tota ordinatio præcedens, & vnctus fuerit iterum Salomon in Regem. Vnde dicit, quòd Dauid vocauit filios suos deposcens, vt non grauiter ferrent minimum in Regem sublimatum, quia Deus sic mandauerat, sicut & ipse minimus inter fratres suos à Samuele vnctus fuerat, & tunc pacificè celebrata est secunda vnctio Salomonis, consentientibus omnibus fratribus eius, tunc etiam Dauid conuocauit omnes principes Israël, & dixit eis, quomodo Salomon filius suus erat tener, & ipse per se non posset ædificare templum Domino, ideò orauit, quòd ipsi adiuuarent eum, & tunc Dauid obtulit aurum, & argentum, & omnia, quæ congregauerat ex multis temporibus ad constructionem templi, & descripsit quomodo deberent singula fieri in templo, & quid de auro, vel de argento expenderetur in eis: tunc quoque omnes principes Israël, qui aduenerant obtulerunt simul prout poterant, aurum, & argentum, lapides pretiosos pro opera templi, & comederunt, & biberunt die illa in lætitia magna coram Dauid, & vnxerunt tunc secundò Salomonem in Regem, & omnes principes Israël osculati sunt manum eius: hæc omnia patent primo Paralipomenon 28. & 29. Hæc igitur in summa fecit Dauid, quæ subticentur hic: & quia liber Paralipomenon factus est ad enarrandum omnia, quæ omissa fuerant referuntur ibi omnia hæc per modum suppletionis, & habentur 1. Paralipomenon à capite 21. vsque ad finem. *Præcepitque Salomoni filio suo, dicens:* Scilicet, præcepit ei ea quæ habentur hic. *Ego ingredior viam vniuersæ terræ.* Id est, ego morior, sicut moriuntur omnes, qui sunt in terra; & sic mors est via communis: vocatur autem mors via, quia ipsa est medium adeundi in æternum bonum, vel in æternum malum: & sic dicitur Ecclesiastes 12. Ibit homo in domum æternitatis suæ, id est, quando mortuus fuerit ibit ad domum, in qua manebit æternaliter: quia iam non variabitur homo per vices fortunæ, scilicet, nunc in calamitates incidens, & nunc in prosperitate surgens, sed semper aut fœlicitas, aut æterna erit miseria; nec etiam homines de vita in mortem mutabuntur, sicut voluit Pythagoras, quòd anima transiret per multa corpora, & sic semper erat in aliquo corpore humano, de quo patet per Ouidium 15. Metamorphos.

D cap. 15

E

F

Mors quare dicatur via

Quare Dauid distulit vsque ad mortem dare præcepta hæc Salomoni. Et quæ erat antiquorum Patrum morientium consuetudo.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR quare Dauid distulit vsque ad mortem dare præcepta, quæ habentur hic, Salomoni? Respondendum, quòd Dauid daturus erat hic Salomoni quædam præcepta viuendi, quæ sunt pertinentia ad mores: talia

A autem tunc debent dari, quando maximè possunt proficere ei, cui dantur, sed tunc proficiunt, quando maximè in memoria retinentur,& tunc maximè retinentur, quando dantur ab aliquo existente circa mortem, ideò tunc dari debuerunt, ista autem erat consuetudo Patrum veteris Testamenti, scilicet, quòd prope mortem existentes admonerēt filios suos ad custodiam virtutis. Sic fuit de Iacob, qui cùm esset morti vicinus conuocauit filios suos, & annunciauit eis, quæ futura erant. Genes. 49. Sic etiam Moyses moriturus benedixit Israëlitis, & recitauit coram illis totam legem recapitulans illam in Deuteronomio. Et finita recitatione, & cantico contra Israëlitas ascendit in montem Phasga, & mortuus est Deuteronomij vltimo. Ista autem fiebant, quia coniuncti morti proferunt verba habentia maiorem efficaciam, ideò tunc Dauid protulit hæc monita de custodia legis. Item Dauid iussit hic Salomoni post mortem suam punire quædam peccata, quæ facta fuerant ipso viuente, scilicet, in Ioab, & Semei, & si Dauid ista dixisset multo tempore antequam moreretur, obliuiscaretur illa Salomon, ideò apud mortem protulit, quasi immediatè postquàm dicerentur, deberent tradi executioni: scilicet, si Dauid moreretur immediatè. *Confortare, & esto vir.* Id est, accipe constantiam, & fortitudinem, & non sis sicut pueri, qui propter impetum passionum habent maximam mobilitatem in opere, & proposito: sed esto vir, id est, maturus, sicut vir vt propositum de bono constans sit, & non traharis in diuersa per passiones. *Et obserua custodias Domini Dei tui.* Id est, obserua præcepta Dei. Vocantur autem præcepta custodiæ, quia illa Deus custodiri iubet. *Vt ambules in vijs eius.* Id est, vt ambules in rectitudine morum. Via enim Dei est recedere à malo, & bonum facere; & quia omnia præcepta consistunt in hoc, vocantur via Domini: & dicuntur dupliciter via Domini, scilicet, via Domini, id est, à Deo data, quia Deus dedit nobis istum modum viuendi: vel via Domini, id est, via ducens in Deum, quia nulla via est, per quam in Deum veniamus ad percipiendum visionem, & beatitudinem eius, nisi per munditiam cordis. Matthæi quinto. Scilicet, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: præcepta autem Domini dirigunt ad istam munditiam cordis, cùm dicantur ipsa præcepta immaculata. Psalmo 18. Scilicet, Lex Domini immaculata conuertens animas. ergo præcepta sunt viæ, quibus peruenitur ad Deum; dixit Christus Matthæi 19. Si vis ingredi ad vitam, serua mandata. *Et custodias cæremonias eius.* Vocantur autem cæremoniæ præcepta, quæ sunt de modo colendi Deum, sicut obseruare talem, vel talem ritum in sacrificijs, & in soluendo decimas, vel iura sacerdotum, & obseruando munditias, & purificationes legis, & similia, q̄ pertinent ad quendā ritum viuendi, & non determinantur per rationem, sed per voluntatem legislatoris. *Et præcepta eius.* Ista sunt præcepta decalogi, & quæcunque alia moralia contenta in lege, quæ à recta ratione habent initium, & etiam si Deus non imposuisset illa, homo per rectam rationem sciret se obligatum ad ea, sicut tangit Apostolus ad Roman. 2. Scilicet, Gentes, quæ non habent legem naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, dictante eis conscientia. Et non solùm sunt ista præcepta in decalogo, sed etiam multa alia sunt in libris legis, vt illud: Coram capite cano consurge, & honora personam senis. Et illud: Non eris susurro, nec criminator in populis. Et de iustè iudicando, & non accipiendo personam; & non affligendo pauperes; & non maledicendum surdo, nec ponendum offendiculum coram cæco: de quibus Leuitici decimonono. Et similia in alijs locis. *Et iudicia.* Id est, præcepta iudicialia, quæ pertinent ad actiones forales, scilicet, qualiter iudicandum sit de fure, & de violatore virginum, & occisore, & de alijs criminibus, vel contractibus, inquantum sunt materia iudicij. De istis præceptis habentur plurima Exodi 21. & 22. & 23. Habentur etiam aliqua in libro Numerorum, & Deuteronomij: ista autem debebat maximè obseruare Salomon, eo quòd erat Iudex totius Israël. *Et testimonia,* Aliquando accipiuntur testimonia in lege, prout sunt quædam enarrationes, in quibus testatur Scriptura de Deo, quòd aliquid egerit, & sic Scriptura de creatione mundi, vocatur testimonium, & ea, in quibus promittitur, Christum venturum, vocantur testimonia: sed non potest accipi sic hic, & tamen quia Dauid admonet Salomonem, quòd obseruet omnia ista, & obseruatio non est, nisi ad ea, in quibus iubetur aliquid fieri, vel vetatur: & ista sunt præcepta: Scriptura autem, quæ nihil iubet, aut vetat, nec potest obseruari, nec violari (non potest custodiri, vt hic præcipit fieri Dauid;) Dicendum ergo, quòd testimonia hic vocantur præcepta quædam cæremonialia, quæ introducta sunt in memoriam, & testificationem aliquorum actuum Dei. Sic est præceptum de sabbato, quod fuit datum ad memoriam creationis mundi, scilicet, quòd Deus creauit omnia in sex diebus, & die septimo requieuit. Vnde ista ponitur tanquam causa obseruationis huius præcepti Exodi 20. & 31. Sic etiam cæremonia agni Paschalis vocatur testimonium, quia fuit introducta ad significandum, quòd Deus eduxerit Israëlitas de Ægypto: Exodi 13. & Deuteronomij 16. Ex eadem causa ferè obseruatur redemptio primogenitorum, scilicet, quia Deus in Ægypto occidit omnia primogenita Ægyptiorum, tam in hominibus, quàm in pecoribus, & liberauit primogenita Israëlitarum. De hoc Numer. 3. & Exod. 30. Sic etiam festum tabernaculorum iussit Deus obseruari ad memoriam transitus per desertum, scilicet, quia fecerat habitare Israëlitas in vmbraculis, Leuit. 23. Et sic est de multis alijs, quæ propter memoriam gestarum rerum statuta sunt. In his omnibus continentur omnia præcepta legis, & sic volebat Dauid, quòd Salomon obseruaret omnia præcepta legis, nihil omittendo. Sed Rabbi Dauid Kimhi aliter distinguit ista præcepta, dicens, quòd per cæremonias intelliguntur præcepta cęremonialia, vel pertinentia ad ritum, quæ non habent aliquam rationem, sed ex sola voluntate legislatoris, præcepta autem dicit esse cæremonias, quæ habent aliquam rationem, præter voluntatem legislatoris, sed melior est primus modus distinguendi.

B

Via Domini q̄ sit, & quod dupliciter dicitur.

Cæremoniæ q̄ sint.

Præceptorū diuersa genera

C

Testimonia dupliciter accipiūtur.

D

E

F

Isti modi præceptorum, quomodo inter se differant, scilicet, moralia, iudicialia, cæremonialia, & testimonia. Et quomodo tota lex includatur in istis præceptis.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR quomodo differant inter se isti modi præceptorum, & quomodo comprehendatur tota lex in istis? Respondendum, quòd differunt omnia ista membra inter se: nam præcepta, quæ hic vocauimus moralia, sunt ab ipsa ratione secundùm inclinationem naturæ, etiam sine impositione legislatoris; omnia autem alia dependent ex voluntate legislatoris, magis quàm ex ratione. Cæremoniæ autem differunt à cæteris, & primò à præceptis moralibus, quia præcepta sunt secundùm naturam, & cæremoniæ sunt secundùm voluntatem legislatoris. Secundò differunt à iudicijs, id est, iudicialibus præceptis, quæ cæremoniæ sunt ordinantes hominem in Deum per quandam obseruantiam cultus eius: iudicia autem ordinant hominem ad hominem: nam pertinent ad causas forales, in quibus contendit homo cum homine. Tertiò differunt à testimonijs, quia licèt testimonia sint quædam cæremoniæ, tamen cæremoniæ quædam datæ sunt ad significandum aliqua gesta Dei præterita, & istæ vocantur testimonia: aliæ cæremoniæ sunt, quæ non sunt datæ ad aliquid significandum, sed vt obseruentur, & istæ vocantur cæremoniæ: iudicia autem differunt à præceptis moralibus, sicut cæremoniæ, quia tam præcepta iudicialia, quàm cęremonialia erant ex voluntate legislatoris, & non secundùm naturam, moralia autem erant secundùm naturam. Differunt autem iudicialia à cæremonialibus, quia cæremonialia dirigunt hominem ad Deum, iudicialia autem hominem ad hominem. Differunt etiam iudicialia à testimonijs, quia testimonia sunt ad memoriam alicuius beneficij Dei: iudicialia verò non sunt ad aliquid recordandum, sed ad dirigendum actiones forales. Testimonia autem differunt à moralibus, quia illa sunt per naturam, & ista per voluntatem: differunt etiam à cæremonialibus, inquantum quædam cæremoniæ sunt in memoriam quorundam beneficiorum, & vocantur testimonia; aliæ autem cæremoniæ non sunt ad memoriam, & vocantur cæremoniæ solum. Differunt etiam à iudicialibus, quia illa sunt ad dirigendum hominem ad hominem,

A minem,& teſtimonia ſunt ad dirigendum hominem in Deum,ſicut cæremonialia.Cùm autem quæritur,quomodo tota lex includatur in iſtis dicendum quòd omne præceptum, aut eſt ex neceſſitate naturæ ſecundùm determinationem intellectus, aut ex voluntate legiſlatoris. ſi primo modo ſunt præcepta moralia:ſi ſecundo modo, aut illa dirigunt principaliter hominem in Deum,aut hominem ad hominem:ſi ſecundo modo ſunt iudicialia,ſi primo modo, aut illa ponuntur ad recordationem aliquorum beneficiorum Dei,aut nõ; ſi primo modo vocantur teſtimonia,ſi ſecundo modo vocantur cæremoniæ:& ſic nihil aliud poteſt inueniri in lege. *Sicut ſcriptum eſt in lege Moyſi.* Id eſt, omnia iſta genera præceptorum ſunt ſcripta in lege Moyſi, & ſunt obſeruanda eo modo, quo ibi continentur,ſcilicet,vt nihil addatur, nec minuatur, ſic habetur Deuteron.12.ſcilicet,quod prȩcipio tibi hoc tantùm facito Domino,nec addas quicquam,nec minuas.*Vt intelligas vniuerſa, quæ facis.* Id eſt, quando cuſtodieris præcepta, cæremonias,& teſtimonia, atq; iudicia intelliges omnia,quæ facis,ſcilicet, intelliges illa bona eſſe, vel placere Deo: aliter autem agendo non poteris intelligere opera tua eſſe Deo accepta.Alio modo intelligitur, quod deberet Salomon cuſtodire omnia præcepta, cæremonias, &c. id eſt, quod deberet ſemper cogitare circa illa, & tunc intelligeret quid erat bonũ vel quid malum ad faciendum. Si autem non conſideraret in lege,quanquam aliquando peccaret, neſciret an peccaret,vel

B benè ageret propter ignorantiam legis, ſic enim Deus iuſſit Ioſue,dicens:Non recedat volumen legis de ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus,ac noctibus,vt cuſtodias, & facias omnia,quæ ſcripta ſunt in eo:tunc diriges viam tuam, & intelliges eam.Ioſue 1.Hoc autem maximè pertinebat ad Salomonem,quia erat rex,& Deus iuſſerat,quòd quando aliquis cõſtitueretur in regem, acciperet mox librum Deuteronomij à Leuitis,& legeret in eo omni tempore, vt ſic obſeruaret mandata Dei, & timeret eum. Deut. 17. *Et quocunque te verteris.* Id eſt,ſcias quocunque te verteris an ad bonum, vel ad malum te inclines.*Vt confirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt de me.* Id eſt,cuſtodi præcepta Dei, vt meritis tuis Deus confirmet ſermones, quos locutus eſt de me de ſtatu regni, dicens: *Si cuſtodierint filij tui vias meas.* Id eſt, ſi cuſtodierint præcepta, quæ ſunt viæ meæ,vt declaratum eſt ſupra.*Et ambulaueunt coram me in veritate.* Id eſt,in vero animo,& non claudicando in duas partes,ſcilicet,tenẽdo cultum idolorum in corde, & me exterius colendo,quia iſtud Deus reprobat per Iſaiam, dicẽs: Populus iſte labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Iſai. 29. Et iſti dicuntur claudicantes in duas partes, quos increpuit Elias, dicens: Quouſque claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus ſequimini eum : ſi autem Baal ſequimini eum,infra 18. *In omni corde ſuo, & in omni anima ſua.* Cor,& anima ponuntur pro eodem, eſt autem multiplicatio ſermonis ad exaggerandum, & intelligitur dupliciter, vno modo in omni corde ſuo,id eſt,cũ toto corde, ſcilicet, quod non ſequeretur idola ex vna parte cordis, & ex alia ſequeretur Deum,ſicut faciebant Samaritani, de quibus dicitur ſequenti libro,cap.17.Quòd fuerunt gentes iſtæ timentes Dominum: ſed nihilominus idolis ſuis ſeruientes : iſtud autem Deus reprobat, & ſic ad hoc quòd colat Deus quis in toto corde ſuo requiritur, quod excludat à ſe deſiderium deorum alienorum. Sic patet ſupra 1. lib. cap. 7. cùm dixit Samuel Iſraëlitis ſi in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum,auferte deos alienos de medio veſtri Baalim , & Aſtaroth , & præparate corda veſtra Domino, & ſeruite illi ſoli . Secundo modo intelligitur in omni corde, id eſt, cùm tota diligentia, ſcilicet,quòd nõ ſufficit,quod aliquis ſolum Deum colat,ſed etiã,quòd eum diligenter colat: ita vt propter negligentiam nihil omittatur,quod requiritur ad cultum Dei, & nihil cõmittatur,quod ſit contra eum, & ad iſtud pertinet quòd ille, qui debet Deum in toto corde colere, debet ſemper conſiderare in mandatis eius, ſic dixit Dominus ad Ioſue: Non recedat volumen legis huius de ore tuo, ſed meditaberis in eo diebus,ac noctibus.Sic etiam Pſalm. 1. dicitur : Sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.Et iſto ſecundo modo intelligitur hic.*Non auferetur tibi vir de ſolio Iſraël.* Id eſt,ſi filij tui cuſtodierint ſemper præcepta mea, nunquàm ceſſabit aliquis regnare de poſteris tuis.

Qui dicuntur claudicare in duas partes.

C

Quando fuerit dictum Dauid à Deo, quòd non auferetur ſibi vir de Solio Iſraël.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR vbi Deus dixit iſta verba Dauid? Reſpõdendum eſt, quod non reperitur, quia præcedenti lib. cap.7.locutus eſt Deus de poſteritate, & regno Dauid, & tamen ibi non dictum eſt, ſi ſeruarent filij Dauid legem Domini,quòd non auferetur vir de Solio eius. Etiam 1. Paralip. 22. dictum eſt de Salomone ; & tamen ibi non fuit poſitum. Dicendum tamen,quòd hoc dictum fuit Dauid,licet nõ appareat quando.Sic etiam patet Pſal. 131. ſcilicet , Iurauit Dominus Dauid veritatem , & non fruſtrabitur eum : de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam : ſi cuſtodierint filij tui teſtamentum meum,& teſtimonia mea hęc,quę docebo eos, & filij eorum vſque in ſæculum ſæculi ſedebunt ſuper ſedem tuam. Dicendum autem , quòd licet non appareat, quando dicta ſunt iſta , credendum eſt , quod dicta fuerint, quando dixit Deus per Nathan prophetam ipſi Dauid ea, quæ habẽtur præced.lib.cap.7.quia ibi tangitur de iſtis.

D

An præcedens promiſſio Dei fuerit cum conditione.

QVÆSTIO VI.

VLTERIVS quæretur quomodo dictum eſt, quòd ſi filij Dauid cuſtodirent mandata Dei,non auferetur vir de ſolio Dauid, quia promiſſio facta Dauid erat firma ad omnem euentum,ſiue filij ſui peccarent,ſiue non.

Reſpondet Nicolaus,quòd quamquã promiſiſſet Deus Dauid,quòd de ſemine eius ſemper aliqui regnarent, intelligebatur iſtud cum conditione , ſcilicet, ſi filij ſui cuſtodirent legem Dei,alioquin mutaretur promiſſio.

Sed dicendum,quòd non ſtat, quia ad omnem euentum manere debebat promiſſio facta Dauid; & dato quòd peccarent filij eius , non auferretur. Sic patet præcedenti libro capitulo ſeptimo,ſcilicet:Ego ero ei in patrem,& ipſe erit mihi in filium,qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum , & in plagis filiorum hominum:miſericordiam autem meam non auferam ab eo , ſicut abſtuli à Saul , quem amoui à facie mea . Et ſic non erant filij Dauid priuandi regno propter peccatum, ſicut filij Saulis priuati fuerunt peccãte Saule.Idem patet Pſalm.88.

E

Sed tunc obijcietur, quia dicitur hic : Si cuſtodierint filij tui vias meas. Item quia Dauid dicebat , quòd deberet Salomon obſeruare vias Domini ad hoc, quod confirmaret verba promiſſionis,quaſi dicat,aliter non confirmaret,vel ſi cõfirmaret aliter ſuperflua eſſet admonitio Dauid.

Reſponderi poteſt ad hoc dupliciter , vno modo , quòd promiſſio Dei facta Dauid , aut intelligebatur de regnando ſuper totum Iſraël , aut de regnando ſimpliciter, ſcilicet, ſuper totum Iſraël,vel ſuper aliquam partem eius . Primo modo promiſſio Dei erat variabilis , ſcilicet , quia ipſe non promiſerat, quòd ad omnem euentum filij Dauid regnarent ſuper totum Iſraël , ſed ſolùm ſi cuſtodirent mandata eius . Si autem ſecundo modo promiſſio Dei erat ad omnem euentum , ſcilicet , quòd ſiue peccarent , ſiue non, ſemper regnarent ſuper aliquam partem Iſraël . Iſta diſtinctio apparet ex eo quod habetur hic,& præcedenti libro cap.7. Nam hic dicitur , ſi cuſtodierint filij tui vias meas non auferetur tibi vir de ſolio Iſraël , id eſt regnans ſuper totum Iſraël. è contrario ergo ſi filij Dauid non cuſtodierint ſemper præcepta , auferretur progenies Dauid de regno Iſraël.Quod autem habetur præced.lib.cap.7.intelligitur de aliqua parte regni:vnde dicitur ibi miſericordiam autem meam non auferam ab eo , q.d. licet peccet non auferam miſericordiam . Eſt autem miſericordia ad aliquem,quando non permanet in totali fœlicitate,& tamen conſeruatur,ne omnino pereat,cùm verè permittitur perire , aufertur miſericordia ab illo , & ſic erat de filijs Dauid,quia licet peccarẽt non auferretur ab eis miſericordia quia ſaltẽ maneret eis vna pars regni. Vnde veritas erat , q; ſi filij Dauid nunquã peccaſſent,mãſiſſent reges totius Iſraël:ſi

F

autem

A autem peccassent quantumcunq; grauiter, mansissent reges alicuius partis Israël, scilicet tribus Iuda,& Beniamin vsquequo cessaret status Iudaicus. scilicet vsq; ad Christum. de primo intelligitur id,quod habetur hic,& Psalm.131.de secundo intelligitur, quod habetur præced.lib.c.7 .& Psal.88.Et tunc respondendum ad primam rationem, quod intelligitur de regno super totum Israël.Ad secundam dicẽdum, quòd Dauid admonuit hic Salomonem obseruare præcepta, vt confirmaret Dominus sermones suos, scilicet de regno super totum Israël,qui non confirmarentur,nisi Salomon, & posteri sui custodirent legem Dei, & quia Salomon non custodiuit, diuisum est regnum infra 11.& 12.cap.& non hortabatur Dauid Salomonem ad custodiendum præcepta, vt confirmaret Dominus sermones suos de regno Iuda, quia de isto sciebat ad omnem euentum, quod permaneret in posteris suis. Secundo modo responderi potest, non distinguendo de regno Iuda, & Israël, scilicet quod Deus promisit Dauid,quòd filij sui regnarent semper post ipsum, & ipse credebat certissimè, quòd semper regnarent post eum, & tamen admonebat ista facere Salomonem, & hoc propter duo. Primum, quia licet ad omnem euentum filij Dauid regnaturi essent: si tamẽ custodirent præcepta Domini,manerent semper in prosperitate,& ampliaretur eis honor,& omnia bona, si autem non custodirent illa, quamquam non auferretur eis regnum, inciderent in magnas calamitates,& affligerentur ab hostibus,sic patet prẽcedenti libro capitulo septimo,scilicet,qui si iniquè egerit arguam eum in virga virorum, & plagis filiorum hominum,misericordiam autem meam non auferam ab eo. Si autem non peccarent,non haberent istas plagas. Secundum erat ad maiorem cautelam,quia licet Deus confirmaturus esset omnes sermones ad omnem euentum, tamen gratius cõfirmaret custodientibus filijs Dauid legem,quàm non custodientibus,& sic erat cautela custodire illam. Secundum hoc respondetur ad rationes in contrarium. Ad primam dicendum,quòd Dauid dixit illud,non quòd sermones Dei inducerent,quòd filijs Dauid non custodientibus legem, non maneret eis regnum, sed quod non maneret eis in tanta prosperitate.Ad secundam rationem dicendum, quòd Dauid hortatus est Salomonem ad custodiam præceptorũ, vt Deus confirmaret sermones suos,in quibus dixerat,quòd si filij Dauid non peccarent, ipse daret eis regnum in cõtinua prosperitate:alioquin daret eis plagas.

Tu quoque nosti. Hic ponitur secundum huius partis,scilicet de Ioab occisione:ordinauit enim Dauid, quòd occideret eũ Salomon post mortem eius,& dicitur: *Tu quoque nosti,quæ fecerit mihi Ioab.* Id est,tu scis mala, quæ mihi fecit, quia non sunt abscondita.

Quæ mala fuerunt,quæ fecit Ioab contra Dauid.

C

QVÆSTIO VII.

Nic.Lyran.& Sal. impugnãtur.

QVÆRETVR quæ mala fuerunt ista, quæ fecit Ioab Dauid? Respondet Nicol. & Rab.Sal.quòd istud fuit, quia Ioab infamauit valde Dauid ostendendo literam publicè,quam miserat ei Dauid de morte Vriæ, in quo apparebat magna iniustitia Dauid, & tamen non potuisset istud sciri, nisi illud declarasset Ioab.Probat hoc Nicol.quia præcedent. lib. cap. 12. dicitur, quòd Dauid fecit blasphemare inimicos nomen Domini,& exponit Nicol. scilicet,quòd quando sciuerunt literam transmissam blasphemauerunt de Deo, qui tolerabat tam iniquum virum,scilicet Dauid: hæc autem nõ poterant sciri, nisi per Ioab, quia litera ad eum secretè transmissa est.Item patet,quod istud ipse publicauerat, quia totus populus postea cognouit adulterium Dauid cum Bethsabee, & quòd ipse iusserat occidi Vriam: iussio tamen continebatur in epistola transmissa ad Ioab, vnde ipso nolente non potuisset hoc publicari.

Dicendum,quòd non constat ex litera, an Ioab istam epistolam publicè ostenderit, credendum tamen est, quòd non ostenderit, quia sciebat, quòd in hoc offenderet nimis Dauid,& tamen tunc Ioab non desiderabat offendere illum,sed potius toto animo procurabat honorem illius: nam cùm penè ipse accepisset ciuitatem Ammonitarum misit ad Dauid, vt veniret ad vltimum bellum, & caperet ciuitatem,ne gloria victoriæ adscriberetur Ioab præced.lib. cap.12. Item quando Dauid misit ad Ioab istam literam de morte Vriæ, Ioab diligenter executus est, & misit postea nunciari mortem Vriæ ipsi Dauid per quendam nuncium ita occultè, vt nuncius nõ intelligeret verba quæ proferebat præcedent.lib.cap. 11. ideò non est verisimile,quòd ipse publicasset literam illam missam à Dauid. D

Cùm autem arguit Nicolaus,quòd cognitum est istud negocium,& tamen non potuit cognosci nisi per Ioab. Dicendum quod potuit cognosci per Nathan prophetam, qui iuit ad increpandum Dauid. De hoc etiam poterat cognosci per hoc,quòd egit ipse Dauid, scilicet quia accepit vxorem Vriæ mortuo Vria in bello, & peperit Bethsabee de Dauid ante tempus completum, si cognouisset eam solùm post nuptias non peperisset ita,ideò apparebat, quòd ex adulterio gignebatur puer,& cognouerat eam prius Dauid, & ex hoc fecerat occidi Vriam. Item cognito adulterio Dauid, & Bethsabee satis facilè erat cognosci,quòd Dauid iussisset occidi Vriam, vt non posset accusare Bethsabee. Item colligeretur hoc ex multis cæremonijs, quas egit Dauid ipsi Vriæ, vt descenderet in domum suam, & cognosceret vxorem, præcedenti libro cap. vndecimo. & quamquam dum ista fiebant non possent scire serui Dauid, quare fiebant, tamẽ postquam cognitum est adulterium eius cum Bethsabee, satis facilè erat cognosci cur ista facta fuissent.Item apparet, quòd Ioab non potuisset declarare totum istud factum, quamquam ostenderet literam:nam in litera non continebatur, nisi quòd Ioab poneret Vriam in loco, vbi erant viri fortes de hostibus, & moreretur,& non continebatur ibi causa:ideò licet ostenderetur litera, non posset colligi ex ea adulterium Bethsabee cum Dauid,nec etiam mors iniusta Vriæ, quia poterat intelligere Ioab,quòd propter aliquam causam rationabilem iusserat illud Dauid. Ideò non fuit diuulgatum negocium per Ioab, sed necesse fuit alio modo diuulgatũ fuisse. Item quòd præsupponit Nicol. est nimis dubium, scilicet quod Dauid miserit literam aliquam ad Ioab de occidendo illum,quia dato quod sciretur Dauid iussisse mortem Vriæ non constaret, an per aliquam literam, vel per nuncium iusserit. Item si cognitum est, quod huiusmodi litera transmissa fuerit ad Ioab non constat, quod hoc cognosceretur per publicationẽ Ioab,sed magis poterat sciri per hoc, quòd Dauid visus est scribere literam cum Vria, quando transmisit eum ad Ioab præcedent.lib.c.11.dicendum ergo videtur,quod non fuerit hoc factum per Ioab. E

Peccatum igitur, quod fecit Ioab contra Dauid fuit,quia sæpè offendit eum faciendo contra præceptum illius: vnde conquestus est Dauid sæpè de Ioab,& Abisai, dicens: viri isti filij Saruiæ duri mihi sunt; & quid mihi, & vobis filij Saruiæ? præcedenti lib.cap.3.& 16.& 19.præcipuè autem offendit Ioab Dauid,quia præceperat ei,ne occideret Absalom in bello, & ipse occidit illum præceden. lib. cap. 18.posteà autem cùm Dauid fleuit amarè compulit eum Ioab inuitum cessare à fletu pro Absalom incutiens ei timorem, quòd nisi hoc faceret recederent ab eo omnes viri.præceden. lib. cap. 19.& ista fuit durissima pœna Dauid: vnde ex tunc deposuit eum de principatu belli,& instituit Amasam.præallegato cap. sed ipse Ioab per insidias occidit Amasam, & redijt in principatum pristinum inuito Dauid præceden. lib.cap. 20. *Filius Saruiæ.* Saruia erat mulier mater Ioab, & Abisai, & Asael, & erat soror Dauid, vt patet 1. Paralip. 2. cap. *Quæ fecerit duobus principibus exercitus Israël.* Id est etiam tu scis,quid fecerit Ioab,Abner, & Amasæ, qui erant duo principes exercitus, scilicet, quia vtrunque occidit: fuit autem Abner princeps totius exercitus Israël,quia viuente Saule ipse erat princeps militiæ supra 1. libro cap. 14. & 26. etiam sub Isboseth filio Saulis, Abner fuit princeps totius exercitus Israël,id est vndecim tribuum præceden.lib.cap. 2. & 3. Amasa autem fuit princeps totius exercitus Israël,quia Dauid deposuit Ioab de principatu, & instituit Amasam pro eo præceden. lib. cap. 19. & 20. Ioab tamen erat princeps totius exercitus Israël. *Abner filio Ner.* Vocatur sic,quia Ner erat pater suus, & ille erat frater Cis patris Saulis,& erat Abner patruelis Saulis supra 1.lib. cap. 14. *Et Amasæ filio Iether.* Iether est nomen patris Amasæ, qui alio nomine vocatur Iethra præcedenti libro capit. 17. & tamen nihil differt, quia ita aliquando variantur alia nomina, sicut Iethro F

A

thro ſocer Moyſi vocatur Iethro, Exod. 3. & 18. & vocatur Iether. Exod. 4. iſte autem pater Amaſæ vocatur Iether. 1. Paralipo. 2. ex parte iſtius Amaſa non attinebat ad Dauid, ſed ex parte matris: nam Abigail ſoror Dauid erat mater Amaſę. 1. Paralipo. 2. capit. & præceden. lib. cap. 17. & ſic Amaſa, & Ioab erant filij duarum ſororum Dauid, & ambo æqualiter pertinebant ad Dauid: tamen non obſtante iſto vinculo conſanguinitatis propinquere Ioab occidit Amaſam per inſidias præceden. lib. c. 20. *Quos occidit.* Iſtud erat, quod fecit eius, & tamen dicitur, quod nouit Salomon quid fecerit Ioab duobus principibus, ſcilicet, quia non ſolum occidit eos, ſed etiã proditoriè, quòd magis erat. *Et effudit ſanguinem belli in pace.* Id eſt ſanguinem, quem debebat fundere in bello fudit in pace, vel fudit ſanguinem belli in pace, id eſt ita audacter occidit iſtos principes in pace, quaſi ſi occidiſſet eos in bello. *Et poſuit cruorem prælij in baltheo ſuo, qui erat circa lumbos ſuos.* Id eſt poſuit ſanguinem occiſorum in baltheo ſuo: nam quando occidit iſtos principes occidit eos pacificè ſtans iuxta illos, & ſanguis exiliens de vulneribus intinxit baltheũ Ioab, & maximè fuit hoc in occiſione Amaſæ, quia percuſſit eum in latere cum teneret illum per barbam ad oſculandum præceden. lib. cap. 20. & tunc veriſimile eſt, quòd ſanguis exiens ſubito de vulnere inficeret baltheum Ioab. In Hebręo habetur. *Qui erat in lumbis ſuis.* Vbi nos dicimus, qui erat circa lumbos, ſed idem eſt: eſt autem baltheus cingulum pertinens ad dignitatem militarem, & eſt propriè inſignium militaris ordinis. *Et in calceamento ſuo, quod erat in pedibus ſuis.* Id eſt etiam poſuit ſanguinem in calceamento, quia de vulneribus iſtorum duorum virorum fluxit ſanguis decurrens ad pedes Ioab, & intinxit calceamenta eius, quia iuxta illos erat, quando occidebat eos. Hebræi dicunt, quòd per hoc ſignificatur mors Abner, & quòd occidit illũ Ioab in fraude quærens ab illo, quomodo diſcalciaretur calceamentum illius, qui nolebat accipere in vxorẽ ipſam vxorem fratris ſui mortui, de quo Deutero. 25. & cum inclinaret ſe Abner percuſſit illum Ioab, & ſic fuit ſanguis in calceamento, id eſt effuſus fraude calceamenti. Sed iſtud improbatum eſt præceden. lib. cap. 3. ideo dicendum eſt, ſicut ſupra diximus, ſcil. quod ſanguis fuſus eſt, tam per baltheum, quàm per calceamẽta Ioab. *Facies ergo iuxta ſapientiam tuam.* Id eſt, ad occidendum eum facies ſicut intellexeris.

B

Salomoni quomodo dictum eſt à Dauid, quòd prædicta faceret iuxta ſapientiam ſuam.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR quomodo dixit hic Dauid Salomoni facies iuxta ſapientiam tuam: nam nondum acceperat ſapientiam à Deo, de qua habetur ſequenti cap. Aliquis reſpondebit, quod iam acceperat ſapientiam, & illud quod habetur ſequenti cap. fuit ante iſtud, licet ſit ordo mutatus quia ſic facit ſæpe ſcriptura. Sed dicendum, quod non ſtat, quia iſta dicebat Dauid viuens Salomoni: illud autem de ſapientia data factum eſt poſt mortem Dauid, cum iam inciperet per ſe regnare, & iudicare Salomon, vt colligitur ſequenti. c. Dicendum ergo, quod nondum erat data à Deo ſapientia Salomoni, ipſe tamen erat puer ingenioſus, ſicut de eo dicitur in lib. Sapientiæ, puer autem eram, & ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam Sapient. 8. Vidit ergo Dauid, quod Salomon erat induſtrioſus, & poſſet inuenire modum conuenientem ad occidendum Ioab. Aliter poteſt dici, quod licet non appareret aliquod ſignum ſapientiæ magnæ, vel induſtriæ in Salomone: diceret ei hoc Dauid, quia forte accideret poſtea aliquis modus conueniens, per quem poſſet occidere Salomon ipſum Ioab, & Dauid neſciret limitare iſtum modũ ante tempus, & ſi aliquem limitaret, Salomon, vt teneret illum, amitteret omnes alios modos conuenientes, qui ei occurrerent, & hoc eſſet incõueniens: ideo Dauid noluit ei limitare modum aliquem, ſed dimiſit in prudentia ſua, ſcili. quod faceret, ſicut prudentia ei dictaret veniente tempore. *Et non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* Id eſt facies, quod non deſcendat ad inferos, id eſt, ad ſepulchrum pacificè, ideſt, morte naturali, ſed morte violenta affice eum, & tunc non morietur præ magna canicie, id eſt, in magnitudine ætatis, ſed cito morietur, & ſine pace.

C

Quare non iuſſit Ioab occidi pro morte Abſolonis, ſicut Abner, & Amaſam.

D

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR cum expreſſum fuerit hic, quod Ioab occideretur propter Abner, & Amaſam, quos occiderat, quare non expreſſum eſt, quod occideretur propter Abſalom quem occidit. Aliquis dicet, quod non dictum fuit de Abſalom, eo quod iuſtè occidit illum Ioab: alios autem duos iniuſtè occidit, ſcil. per inſidias, Abſalom verò in bello occidit. præceden. lib. cap. 18.

Dicendum, quod non ſtat, quia etiam Abſolonem occidit iniuſtè: nam Dauid vetuit occidi illum allegato c. & quia ipſe erat iudex, & dominus, tenebatur ei obedire Ioab, & tamen eo contempto occidit Abſalom: ergo peccauit potius, quam ſi alias occidiſſet aliquem iniuſtè, & tamen non cõtra mandatum regis. Dicendum igitur, quod de Abſalom non exprimitur hic, eo quod ſupra ſubintelligitur, cum dicitur: tu quoque noſti, quæ fecerit mihi Ioab, ſcil. occidendo Abſalom: nam iſta iniuria erat omnino mea: aliæ autem, ſcil. de morte Amaſæ, & Abner non tantum pertinebant ad Dauid: ideo poſuit illam in principio. Aliter poteſt dici, quod quanquam non facta fuerit hic mentio de Abſalom nõ eſt inconueniens, quia licet peccauerit Ioab occidendo illum, tamen Abſalom merebatur mortem etiã turpiorem, quam habuit cum inſurrexiſſet contra patrem in bellum, ſed prior ſolutio melior eſt.

E

An Ioab merebatur hanc mortem, quam iubebat ei infligi Dauid.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR vlterius an Ioab merebatur mortem, quã iubebat ei infligi Dauid. Reſpondendum quod merebatur eam multis de cauſis, nam ex hoc, quod occidit Abner voluit eum occidere Dauid, ſed timuit, & imprecatus eſt malum ſuper illum præce. lib. c. 3. & ſic merebatur ibi mortem, tum quia occiderat hominem innocentem, tum quia per inſidias fecerat. Item merebatur mortem, quia occidit Abſalom contra præceptum Dauid potiſſime cum potuiſſet eum capere ſine ſcandalo, & ſeruare, vt patet præc. lib. c. 18. Item merebatur mortem, quia occidit Amaſam principem totius Iſrael virum innocentem, & per inſidias, præce. lib. cap. 20. Item reus erat mortis, quia inuito Dauid vſurpauit ſibi principatum exercitus, quem abſtulerat ei Dauid, & dederat Amaſæ. Item reus erat, quia ipſe concitauerat Adoniam ad regnandum, & fouebat cauſam illius contra Salomonem, præced. c. ex hoc autem ſolo dixit Salomon Abiathar ſacerdoti ſummo, quod erat reus mortis infra in litera, & tamen magis erat reus in hoc Ioab, quam Abiathar cum eſſet ipſe maximus princeps in toto Iſrael, & defenſabat maximè partem Adoniæ.

F

An peccauit Dauid iubendo occidi Ioab poſt mortem ſuam.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR vlterius an Dauid peccauit iubendo occidi Ioab poſt mortem ſuam. Reſpondendum, quod non peccauit, quia ſi peccaret, aut hoc eſſet, quia Ioab erat innocens, vel quia pro cauſa iniuſta iubebat eum occidi Dauid, vel quia nõ occiderat eum, dum vixerat differendo pœnam illius, vel quia occidebat eum malo animo. ſed neutrum iſtorum ſtat. De primo patet, quia Ioab non erat innocens, ſed potius ex multis cauſis mortem meruerat, quæ declarantur præced. quæ ſecundum etiam non ſtat, quia licet aliquis ſit peccator, & poſſit occidi pro iniuſta cauſa, quia iudex nõ habet intentionem ad bonam cauſam, tamen hic non fuit ſic, quia Dauid iuſſit occidi Ioab pro his cauſis, quæ habentur hic, quarum quælibet erat iuſta, & ſufficiens cauſa mortis. tertium etiam non ſtat, quia Dauid non potuerat occidere eum tempore ſuo, vt declaratum eſt præced. lib. ca. 20.

Etiam dato, quod Dauid non habuiſſet aliquam cauſam ad differendũ mortem Ioab, & peccauiſſet, nõ occidendo eum, non peccabat nunc occidendo dum tamen occideret pro eadem cauſa, pro qua à principio merebatur mortẽ, nam in delictis lapſus temporis nõ excuſat, ſicut lapſus temporis in rebus, quæ poſſidentur, tribuit ius præſcribendi, ideo quandocunq; delicta claruerint, puniri poſſunt, vſq; ad mortẽ. Poſt mortẽ autem aliquis non poteſt accuſari, vt patet in decretis 23.di.c. quorundã, niſi in tribus caſibus ſpecialibus, de quib⁹ ibi glo. poterat ergo nũc Dauid punire Ioab, vel denunciare ſucceſſori ſuo, quod puniret eum, ſi prius non punierat. Quartum etiam non ſtat, ſcilicet quod Dauid ageret mala intentione, nam Dauid erat tunc propinquus morti, & non eſt credendum, quod moueretur malo zelo ſcilicet propter vindictam, vel alias, potiſſimè cum in litera exprimatur cauſa, quare iuſſit eum occidi.

Dauid quare diſtulit mortem Ioab vſque ad hoc tempus.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR vlterius, quare Dauid non occiderat vſq; nunc Ioab cum mereretur ſæpius mortem. Reſpondendum, quod tunc primo mortẽ meruit Ioab, quando occidit Abner, præc. lib. c.3. & tunc Dauid voluerat occidere eum, tamen non potuit, quia Ioab erat tunc in magna potentia cum fratre ſuo Abiſai, & Dauid erat Rex adhuc non potens valde; ideo licet aggrederetur occidere Ioab non prẽualeret, & ob hoc non aggreſſus eſt, ſed ſolum imprecatus fuit malũ ſuper Ioab, dicens: Maximus princeps cecidit hodie in Iſrael. ego autem adhuc delicatus, & vnctus rex: porro viri iſti filij Saruiæ duri mihi ſunt, id eſt, non poſſum prævalere contra eos; & ſequitur: Retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam ſuam. Secunda vice merebatur mortem, quando occidit Abſalom, ſed tunc non potuit ei infligere illam Dauid, quia Ioab erat potentior cum haberet ſecum totum exercitum, immo Ioab tunc coegit Dauid ad ceſſandũ à planctu pro Abſolone, & gaudendum coram viris ſuis, ne totus populus recederet ab eo præcedenti lib. cap. 19. Tertia vice cum erat Ioab mortis reus, ſcilicet, cum occidit Amaſam, nõ potuit ei Dauid mortem inferre, nec auferre principatum militiæ, cuius cauſæ declaratæ ſunt præcedenti lib. cap. 20.

Sed dicetur, quare non occidit nunc Dauid ipſum Ioab cum poſſet?

Aliquis dicet, quod non poterat, quia adhuc manebat Ioab in principatu ſuo. Reſpondendum, quòd potuerat nunc Dauid occidere Ioab, ſi voluiſſet, quia cum vnctus fuit Salomon in regem totus populus, & exercitus verſus eſt ad ipſum, & fugit Ioab, & reliqui qui erant cum Adonia vnuſquiſque in viam ſuam. præcedeenti cap. & tunc potuiſſet capi Ioab, & occidi. Item patet, quia Salomon non erat maioris potentiæ mortuo Dauid, quam Dauid & Salomon ſimul, dum viuebat Dauid: & tamen Salomon ſolus potuit occidere Ioab mortuo Dauid, & coactus eſt ipſe Ioab fugere in tabernaculum Domini infra in litera: ergo etiam potuiſſet eum occidere Dauid.

Dauid quare noluit ipſo viuente.

Sed dicendum, quod noluit, quod occideretur eo viuente, & hoc propter duo. Primum, quia licet Dauid vellet, quod occideretur Ioab exigente iuſtitia, & tamen compatiebatur ei, & nolebat, quod per ipſum, vel per alium in diebus ſuis occideretur. Secundum erat, quia Ioab licet offendiſſet Dauid fecerat tamen ei multa ſeruitia, & magna, & procurauerat ei multum honorem: nam ipſe erat dux in omnibus bellis Dauid, & abſente Dauid ipſe habebat interdum magnas victorias, & quòd plus erat interdum laborabat vſquequo hoſtes eſſent ei quaſi ſubiecti, & tunc vocabat Dauid, vt veniret ad bellum, & ſic ſine periculo, & labore obtineret magnam gloriam victoriæ, quam Ioab multo ſudore, & vigilia, atque ſolicitudine procurauerat, ſic fuit in bello contra Ammonitas præceden. lib. cap. 12. de his patet per diſcurſum totius libri præcedentis. Inhumanum ergo videbatur, quod Dauid poſt tot obſequia ſibi præſtita, quaſi in præmiũ laborum occideret Ioab in ſenectute: ideo noluit occidere eum, ſed iuſſit, quod filius ſuus Salomon eum occideret.

Quare iuſſit Salomoni, quòd occideret Ioab poſt mortem ſuam cum ipſo viuente noluerit eum occidere.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR vlterius cum Dauid noluiſſet occidere Ioab ꝓpter obſequia ſibi præſtita quare iubebat, quod occideret eum Salomon: nam eadem ratio increpationis videbatur in vtroque, quia inhumanum apperebat, quod Salomon quaſi in remunerationem omnium obſequiorũ præſtitorum patri ſuo Dauid à Ioab, occideret eum.

Reſpondendum quod non erat eadem ratio ingratitudinis, nec apparebat in Dauid, & Salomone, quia Ioab præſtiterat obſequia multa Dauid, & nullum prẽſtiterat Salomoni: ideo cauſa iuſta apparente habebat Salomon colorẽ ad occidendũ Ioab nõ obſtantibus obſequijs exhibitis patri, & tamẽ ipſe Dauid non poſſet hoc pulchrè facere ſecundum opinionem humanam. Item Salomon habebat magnam cauſam ad occidendum Ioab, ſcilicet quia Ioab fuerat nimis ei obuius, ne regnaret cum adiuuiſſet Adoniam: & iſta erat cauſa præcipua, pro qua Salomon poſſet inimicari ipſi Ioab: vnde Ioab non obſtantibus alijs cauſis putabat per hanc ſolam mereri mortem ſibi infligi à Salomone, hoc autem viderat Dauid, quia eo viuente tenuerat Ioab cum Adonia: ideo commiſit ei, quod occideret ipſum, quaſi habito colore. Item adhuc quaſi non ſufficientibus omnibus iſtis ad colorandum mortẽ Ioab, volebat Dauid, quod quæreretur alius color: vnde dixit Salomoni facias iuxta ſapientiam tuam, id eſt, inquiras colorem meliorem, quàm potueris ad occidendum Ioab. *Sed & filijs.* Hic ponitur tertium huius partis, ſcil. de beneficiorum Berzellai recompenſatione. In quo ſciendum, quod Berzellai benefecit Dauid quando fugiebat à facie Abſalom. præceden. lib. cap. 17. Et cum reuerſus eſt Dauid in Ieruſalem, voluit ſecum ducere Berzellai, vt redderet ei viciſſitudinem: ſed Bercellai cùm eſſet ſenex, dixit ſe non egere tali viciſſitudine, ſed quod filius ſuus Chamaan iret cũ rege in Ieruſalem, & benefaceret ei, & ille iuit, & comedebat ſemper in menſa regis, ſicut ſi filij eius. præceden. lib. cap. 19. & dicitur. *Sed & filijs Berzellai Galaaditidis reddes gratiam.* Id eſt, reddes vicem gratiæ filijs Berzellai Galaaditidis. dicitur hoc, quia Berzellai iam erat mortuus, & non poterat quicquam ei recompenſare Salomon, ideo debebat reddere vicẽ filijs eius pro eo dicitur autem hic filius eius, quia à principio vnicus filius Berzellai, ſcilicet Chamaan venit cum Dauid præcedenti libro capitulo decimonono. Nunc autem erant alij filij Berzellai cum illo, qui fortè tempore illo erant paruuli, & omnibus his debebat reddere vicem Salomon.

Eruntq; comedentes in menſa tua. Non erat iſtud totum bonum, quod Salomon deberet facere filijs Berzellai, quia parum erat, quòd daretur eis cibus in menſa regis, ſi nihil aliud conſecuturi erant ab eo, quia iſte erat honor magnus, ſed ferè inutilis, ſed intelligitur, quòd Salomon deberet eis benefacere habita opportunitate, & interim deberet eos honorare tantum, quòd poneret illos in menſa ſua. In Hebræo dicitur. *Erunt in comedentibus menſæ tuæ.* id eſt, de commenſalibus tuis; & idem eſt. Vocatur autem Berzellai Galaaditides, id eſt, de terra Galaad, quia in ille habitabat, & erat de quadam vrbe, quæ vocabatur Rogel. præcedenti libro capitulo decimoſeptimo.

Occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Abſalom fratris tui. Id eſt, venerunt ad recipiendum me, quando fugiebam à facie Abſalom. Nam tunc tranſiuit Dauid Iordanem, & nihil habebat ad ſuſtentationem ſuorum, Berzellai autem, & Machir de Lodabar obtulerunt ei munera multa præcedenti libro capitulo decimoſeptimo: fuit autem præcipuus in benefaciendo Berzellai; ideo filijs ſuis iuſſit haberi gratiam.

Habes quoque. Hic ponitur quartum huius partis, ſcilicet, de Semei digna punitione: commendauit enim Dauid Salomoni, quòd occideret Semei, qui maledixerat ei. *Habes quoque apud te Semei.* Id eſt, habes in principatu tuo Semei, nam erat Iſraelita, ideo neceſſe erat, quòd eſſet ſub principatu Salomonis. Aliqui putant, quod Semei erat doctor Salomonis.

A

vnde dicunt, quod quandiu vixit Semei Salomon non accepit vxorem de alienigenis, & illo mortuo accepit illico in vxorem filiam regis Ægypti: istud autem dicunt, quia mox, vt ponitur mors eius in fine huius cap. sequitur in principio alterius. capitu. quomodo Salomõ accepit in vxorem filiam regis Pharaonis. Item colligunt ex hoc, quia præcedenti cap. ponitur Semei inter fautores Salomonis secundum literam Hebraicam: nam vbi nos dicimus Celethi, & Pheleti non erant cum Adonia dicitur in Hebræo Semei, & Phei, & putant istum esse Semei. Item colligunt, quia dicitur hic habes apud te Semei, id est, habes illum semper tecum ad hoc, vt te doceat.

Sed dicendum istud esse ridiculum; nam Semei non erat vir sapiens, ita vt esset doctor Salomonis. Item dato quòd esset sapiens non accepisset illum Dauid in doctorẽ filij sui, quia habebat eum exosum, eo quòd maledixerat ei durissimè. Item quòd fortius est, si Semei fuisset doctor Salomonis, non iussisset Dauid ei, quòd occideret illum, quia istud erat nefandissimum, velut siquis occideret patrem, quia doctores sunt patres, & sunt tenendi in reuerentia paterna; iussit tamen quòd occideret eum, ideo non erat doctor eius.

Ad rationes Iudæorum.

Item rationes Iudæorum non concludunt: de prima patet, quia per accidens est, quòd post mortem Semei dicatur de coniugio Salomonis cum filia Pharaonis. Ad secundam dicendum, quòd Semei non accipitur ibi pro isto Semei de tribu Beniamin, sed pro Celethi, & Pheleti, vel pro aliquo viro potente in domo Dauid, vt declaratum est præcedenti cap. Ad tertiam dicendum, quòd non habebat Salomon secum Semei, scilicet, quòd semper maneret cum eo ad docendum ipsum, sed erat cum eo, id est, in regno suo, & hoc aliqualiter colligitur, quia dixit Salomon ad Semei, quòd ædificaret sibi domum in Ierusalem, & quòd non egrederetur de vrbe, vt patet infra in litera; si tamen semper esset Semei cum Salomone habuisset domũ in Hierusalem, vel saltem habitaret in domo Salomonis, ex hoc tamen apparet, q̃ ipse non manebat cum Salomone, nec habitabat in Ierusalẽ, sed habitabat in Baurim, & fecit Salomon, quòd veniret in Ierusalem & habitandum. *Filium Gera Filij gemini.* Id est, iste Semei erat filius Gera, & Gera erat filius Iemini, id est, de stirpe Iemini, nam non poterat esse filius illius, cum Iemini esset Beniamin, sic patet Iud. 19. cum dicitur, quòd viri Gabaa erant filij Iemini, & illud erat tempore Iosue, & vsque ad tempus istud fluxerant plures, quam quadringenti anni. *De Baurim.* Est Baurim quædam ciuitas in sorte Beniamin, & est prope Ierusalem, de illa autem exiuit iste Semei quando maledixit Dauid præcedenti lib. c. 16. in ista etiã vrbe latuerunt in puteo Achimaas, & Ionatham exploratores Dauid, cum persequerentur eos viri Absalom eodem lib. c. 17. *Qui maledixit mihi maledictione pessima.* Ista maledictio fuit in rebus, & verbis in rebus quidẽ, quia Dauid transeunte cum exercitu suo Semei iaciebat lapides, & puluerem contra eum: in verbis etiam, quia dicebat verba valde iniuriosa, contumeliosa, & pungitiua, scilicet, egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuasisti regnum pro eo, & dedit dominus regnum in manu Absolom filij tui, & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. præcedenti lib. cap. 16. *Quando ibam ad castra.* Id est, quando fugiebam de Ierusalem à facie Absolom, & transiui Iordanem, & veni in quandam vrbem, quæ vocatur Manain, siue Mahanaim, & ibi mansi toto tempore persecutionis Absalom, & interpretatur Mahanaim castrũ, vel castra pluraliter: ideo in litera nostra ponitur veni in castra, non tamẽ signat exercitum, sed locum.

B

Sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Iordanem. Istud fuit mortuo Absolone cum Dauid rediret in Ierusalẽ, nam Semei supplicaturus pro vita exiuit obuiam Dauid cum mille viris, & fuit de primis, qui venerunt ad Dauid de toto Israel præcedenti lib. cap. 19. *Et iuraui ei per Dominum dicens non te interficiam gladio.* id est, quia venit mihi obuiam petens, veniam iuraui, quod non occiderem eum. ideo non occidi vsque nunc, tu tamen occide eum in Hebræo dicitur. *Si te interficiam gladio.* Vbi nos dicimus non te interficiam, & accipitur (si) pro (non) sicut fit sæpe in litera habraica, & aliquando etiam fit in litera nostra, sic patet Psal. 94. scilicet. Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam, id est, quod nõ introibunt. *Tu noli pati eum esse innoxium.* Id est, tu nõ toleres eum viuere in pace, tanquã si esset innoxius, id est, sicut si nunquam peccauisset. *Vir autem sapiens es, & scies, quæ facies ei.* Id est non dico tibi qualiter occidas eum, sed solum, quod occidas, quia tu vir sapiens es, & poteris inquirere modum. Istud dicebat Dauid, vt Salomon inquireret colorem aliquem ad occidendum Semei, sic enim factum est postea: nam per quandam calumniam occidit eum iubendo ei non exire de Ierusalem. *Deduces{que} canos eius cum sanguine ad infernum.* Id est, facias, quòd non moriatur in pace, sed cum sanguine à te occisus. Descendere autem in infernũ est descendere in sepulchrum, quia Seol, quò hic ponitur in Hebræo est æquiuocum ad sepulchrum, & ad infernum, & communiter ponitur pro sepulchro.

C

An Semei merebatur mortem, quia insurrexerat contra Dauid.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR an iste Semei merebatur mortem. Respondendum quod sic, quia ipse insurrexit contra Dauid, & ex hoc committebat crimen læsæ maiestatis manifestè ei repugnando: pro tali autem crimine non solum delinquentes occiduntur, sed etiam filij eorum priuantur hæreditate, & sola vita eis ex misericordia relinquitur, vt patet extra de hæreticis c. vergentis. Item peccauit grauius Semei, quia lapides, & puluerem contra Dauid iacebat. Etiam quia maledicebat ei vocando illum virum sanguinum, & virum Belial, & proferendo alia verba asperrima, quæ habentur præce. lib. cap. 16. vnde Dauid dixit, quòd ista erat maledictio pessima, vt patet in litera: nõ solum, ergo Semei mortis reus erat, sed etiã multiplicis mortis, si eam susc{i}pere posset.

D

An Dauid potuisset occidere Semei, quia videtur, quòd pepercit ei.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR vlterius dato quòd Semei offendisset Dauid, & esset reus mortis, an posset Dauid illum occidere. Aliquis dicet, quòd non, quia Dauid pepercit ei: ideo non poterat repetere iniuriam. Patet hoc præce. lib. cap. 16. nam potuerat tunc Dauid occidere Semei cum vellet Abisai occidere eum, dicens, quid canis iste moriturus maledicit Domino meo regi, vadam, & amputabo caput eius, & tamẽ Dauid prohibuit dicens, quòd dimitterent eum maledicere: ergo iam nõ poterat eum occidere repetendo iniuriam. Respondendum quod Dauid non pepercit Semei, sed habuit animum exequendi iustitiam cõtra eum, & tamen pro tunc noluit, quòd occideretur, sed quòd permitteretur maledicere ei, si fortè Deus respiciens afflictionem suam misereretur eius: non ergo adimebat sibi ius repetendi iniuriam quamcunque vellet. Item dato, quòd omnino remisisset iniuriam, adhuc poterat occidere eum, quia sicut cum quis suscepit iniuriam, & est priuata persona, potest adhuc accusare iniuriantem, quanquam remiserit fauorem: ita si iudex suscepit iniuriam, licet illam remittat inquantum est persona priuata, & tamen, quia inquantum est iudex pertinet ad eum punire delicta omnium errantium poterit punire iniuriatorem suum. Istud autem tenet in iudicibus supremis, qui non habent alios iudices, coram quibus conueniant iniuriatores suos, sicut sunt reges, vel quicunque non recognoscunt superiorem in foro suo: nam illi poterunt ex officio iudicis punire relinquentes in eos, inquantum illa delicta sunt aliquid contra bonum statum politiæ, & contra honestatẽ legũ, sic enim in Dauid erat, quia ipse erat rex, & supremus iudex, & susceperat iniuriã à Semei: ideo licet remitteret eam, inquantũ erat persona priuata, poterat inquantũ erat rex punire delictum illius, quòd erat iniuriam reipublicæ, & legum. Dicendum tamen, quòd Dauid non remisit simpliciter delictum Semei, sed intendebat punire.

E

F

A

An Dauid fuit periurus iubendo Semei occidi, cum ipſe iuraſſet ei, quòd non occideret illum, & an verba iuramenti ſunt interpretanda ſecundum intentionem iurantis, vel ei cui iuratur.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlterius An Dauid fuerit hic periurus iubendo Salomoni, quòd occideret Semei, cum ipſe iuraſſet ei, quod non occideret illum.

Reſpondendum, quod non fuit periurus, quia Dauid ſolum iurauit non occidere Semei, & ſic nunquã occidit: iuſſit tamen Salomoni, quòd occideret eum.

Sed aliquis dicet iſtud eſſe ridiculum, quia quando quis iurat non occidere alterum, iurat quòd nec per ſe occidat, nec alteri iubeat, nec conſulat, nec fauorem occidenti præbeat, nec occiſionem ratam habeat, nihil enim differt, quòd per ſeipſum occidat, vel quòd aliquid iſtorũ agat. Sic patet. ff. ad l. Corneliam de ſicarijs, in l. nihil. ergo ſicut incideret in periurium ſi per ſeipſum occideret, ita ſi alteri occidere iuberet.

Aliquis reſpondebit, quòd poterat iubere occidi illũ per Salomonem, non tanquam per repetitorem iniuriarum, ſed tanquam per iudicem punientem delicta, ſicut iudex, qui remiſit iniuriam ſuam poteſt adhuc punire iniuriatorem, ſicut

B

præcedenti quæſt. declaratum eſt.

Dicendum quòd non ſtat, quia multũ iſta differunt, ſcilicet, iuro nunquã te occidere, vel iuro nunquã repetere iniuriam: nam ſecundo modo poterat ſeruari iuramentũ occidendo Semei, ſiue per ſe Dauid illum occideret, ſiue iubendo Salomoni, quia occideret eum, tanquã iudex ex officio, inquantum offendit rempublicam, & leges, & non inquantum offendit eum. Si tamen iurauit non occidere eum poſtquam iam patratum erat delictum, non poterat ſeruari iuramentum, ſi occideret eum, ſiue pro iſta cauſa, ſiue pro illa, quia iuramentum directe reſpiciebat ipſum actum occidendi negando illum, & non cauſam occiſionis.

Dicendum ergo aliter, quòd quãdo aliquis iurat alteri ex aliqua conuentione, quæ eſt inter illos, & alias non fieret, tenetur ſeruare iuramentũ ſecundum interpretationẽ verborum, quam ius facit, & quæ cõmuniter accipitur: ſi tamen aliquis iuret, aliquid facere non ex conuentione, ſed ex liberalitate ſua, cum haberet poteſtatẽ id facere, vel non facere, & iuret ſuper illud debet intelligi iuramentũ, ſecundũ quòd ipſe apud ſe intellexit, & non debent referri verba ad interpretationẽ iuris, vel ad communẽ expoſitionem, & non erit periurus, quanquam non ſeruet iuramentũ contra communem verborum ſignificationem. ſic erat in Dauid, quia ipſe iurauit Semei, quòd non occideret eum, & intellexit, quòd non occideret eum, & tamen poſt mortẽ ſuam, quòd faceret occidi illum. Si autẽ iſtud iuramentum intercidiſſet propter aliquam conuentionem, quæ eſſet inter Dauid, & Semei, tenebatur Dauid nõ occidere illũ, nec iubere Salomoni, quod occideret eum, fuit tamen iſtud iuramentum ex liberalitate, quia etiam non iurando potuerat Dauid occidere Semei, quandocunq; vellet ideo ſicut cõferendo ex liberalitate conferret quantum vellet, ita iurando non occidere intelligeret in quocunq; modo vellet, nec in hoc præiudicabat ipſi Semei, quia quomodocunq; Dauid vellet poterat facere de illo, ſiue iurando, ſiue iurando, ſiue non iurando, præiudicaret autem ſi fortè Dauid non iurante ſic poſſet mortem euadere Semei, & ſic iurando non euaſit, ſed vbi totum eſt in poteſtate iurantis etiã ſignificatio verborum eſt in poteſtate eius: ideo non egit Dauid contra iuramentum, iubendo Salomoni, quòd occideret Semei.

An Salomon peccaſſet occidendo Semei etiam contra iuramentum patris.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlterius Salomon peccaret occidendo Semei contra iuramentum patris. Reſpondendũ quòd Dauid non fuit periurus iubendo iſtud, ideo Salomon magis eſſet liber à peccato occidendo Semei. Sed adhuc dicendum, quòd quanquã iuraſſet Dauid non occidere Semei nõ tenebatur hoc iuramento Salomon, eo quòd ipſe iudex erat, & debebat punire delicta, & ipſe non præſtiterat iuramentũ de non puniendo; ideo poterat punire: non enim eſt periurus hæres, licet agat contra ea, quæ iurauit ille, cuius eſt hæres, licet in caſu priuabitur hæreditate, vel punietur alias, ſi non ſeruat iuramentum illius, immo dato quòd ſit iuramentum valde honeſtũ, & teſtator dicat nolo, quòd hæres meus habeat ius aliquod in bonis meis, niſi ſeruauerit iuramentũ meum, & volo quòd ſi adierit hæreditatẽ, & non ſeruauerit iuramentũ meum, quòd ſit periurus: dato quod hæres adeat hæreditatem, ſciens iſtud dictum à teſtatore, & nolit ſeruare iuramentũ illius, non eſt periurus, ſed eſt puniendus alias. Sic igitur Salomon non eſſet periurns, licet occideret Semei, de quo iurauerat Dauid, quòd non occideret eum. Item dato, quòd Dauid iuraſſet nullo modo occidere Semei, & poſtea incidendo in periurium iuberet Salomoni, quòd occideret Semei, non peccaret Salomon occidendo illum, licet peccaret Dauid iubendo. Ratio huius eſt, quia Dauid peccabat, eo quòd agebat contra iuramentũ, Salomon autem nõ agebat tanquam mandatarius Dauid, quia tunc peccaret, eo quòd executor mali malus eſt, ſed agebat tanquã iudex, cui ex officio competebat punire delicta, qui etiã alias puniturus erat Semei, non iubente Dauid.

D

An Dauid peccauerit iubendo occidi Semei.

E

QVÆSTIO XVIII.

VLTERIVS quæretur, dato quòd non eſſet periurus Dauid iubendo occidi Semei, an peccaret aliquo modo. Aliquis dicet, quòd ſic, quod patet, quia agebat ad vindictam cum expreſſerit iniuriam ſibi factam.

Reſpondendum, quòd non peccauit Dauid, quia non egit mala intentione, vel deſiderio vindictæ, ſed amore iuſtitiæ, & hoc erat propter duo. Primũ, quia cum Semei maledixiſſet Dauid maledictione tam dura, indignũ erat eum viuere, & mori in pace tanquã innocentem. Secundum erat ad incutiendum alijs timorem, nam in omnibus pœnis quæ infliguntur delinquentibus principalis intentio legis eſt, vt cæteri timeant, & nullus audeat ſimilia facere, & hoc maximè ſit in magnis criminibus, vbi lex vult habere vetationẽ mali exempli, ſic patet Deut. 21. de filio contumace, qui iubetur lapidari, ſcil. lapidibus obruet eum populus ciuitatis, vt auferatis malum de medio veſtri, & vniuerſus Iſrael audiens pertimeſcat. Sic autem erat in peccato Semei, qui maledixerat regi, & erat iſtud peccatum graue, & ſi Salomon non occidiſſet Semei populus ſciens, quòd maledixiſſet regi acciperet audaciam ad maledicendum propter impunitatem illius. videntes autẽ, quòd puniretur timerent, & nemo auderet maledicere regi: ideo vtile erat ad bonũ publicũ, quòd occideretur Semei. Quòd autẽ Dauid nõ iuberet hoc propter vindictã, apparet ex duobus: primò, quia erat propinquus morti, nam dixit ſupra: ego ingredior viam vniuerſæ terræ, & tamen prope mortẽ ſolent homines eſſe magis ſoliciti pro anima ſua, & minus curare de iniurijs, & vindicta, quia iam vident ſe trahi ad aliud ſæculum, & iſta cura debet homini tanto eſſe intenſior, quanto magis morti appropinquat, vt ait Grego & habetur in decretis 86. diſtin. cap. tanta nequitia. Non ergo erat veriſimile de Dauid, qui erat vir ſanctus, & quando tolerabat iſtam iniuriam, noluit occidere iniuriatorem, cum potuiſſet, ſed potius prohibuit quoſdã volentes occidere eum præcedenti lib. cap. 16. quòd nunc morti propinquus propter vindictam iuberet illum occidi. Secundum eſt, quia ſi Dauid deſideraſſet vindictã, potius occidiſſet Semei, quãdo viuebat ipſe, quaſi, q; iuberet hoc Salomon, quòd poſt mortẽ ſuam occideret eum, nam ſi ipſe viuens occideret illũ quieſceret furor ſuus, & gauderet, ſicut faciunt duæ ſpecies iracundorum, ſcil. amari, & difficiles, nam cum retribuerint, quieſcunt, vt patet 4. Ethi. c. de manſuetudine, poſt mortẽ autem non poterat gaudere, nec triſtari de hoc, qua in anima corpore ſoluta nõ manet affectio paſſionalis, ſecundũ quam triſtetur, & gaudeat de quibuſdã, de quibus triſtabatur hic, & gaudebat. Dicendũ ergo manifeſtè, quòd Dauid iuſſit occidi Semei deſiderio iuſtitiæ propter duo bona ſupra poſita,

F

Quomodo verba iuramẽti ſunt interpretanda.

C

Dauid non iuſſit Semei occidi deſiderio vindictæ, ſed amore iuſtitiæ

Quare Dauid quæsiuerit à Salomone, quòd coloraret mortem Semei.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR quare Dauid dixit Salomoni vir sapiens es scies quid facies ei, in quo iubebat, quòd inquireret contra eum aliquem colorem ad mortẽ, nam istud declarat, quòd Dauid malo animo mouebatur contra Semei, vel non habebat iustam causam occidendi eum, ideo volebat mortẽ esse coloratam, qui tamen iustè agunt nolunt occultari, sed qui male agit, odit lucem. Respondendum, quòd satis videtur difficile excusare Dauid, quia nisi esset sanctitas Dauid satis videbatur, quod deberet dici Dauid voluisse vindictam de Semei, propter iuramentũ, quòd præstiterat non poterat occidere eum, ideo volebat, quod coloraretur mors eius, ne putaretur occisus ex hac causa, & infamaretur Dauid, atque accusaretur, sicut iniustus, quia tamen Dauid erat vir iustus non est sibi imputandum istud ad malum, Sed dicendum, quod Dauid voluit, quòd Salomon quęreret aliquem colorem contra Semei propter duo. Primo, vt mors eius appareret iustior, nam quanto plures causæ essent ad mortem eius, tanto illa iustior appareret, & laudaretur magis à populo. Secundum erat, quia volebat Dauid, quod ista mors appareret iusta, & non solum esset iusta, vt nõ daret de se occasionem blasphemandi: nam sciebat populus, quòd Dauid iurauerat non occidere Semei, & si Salomon occideret illũ ex hac causa, populus accusaret Dauid, vel Salomonem tanquã iniustũ: Dauid quidem, si putaret, quod ipse istud iusserat: Salomonem autẽ, si crederet quòd, Dauid non iubente, ipse occidebat Semei ex illa causa, quia putaretur mors eius iniusta, eo quod populus cõsiderans iuramentũ Dauid, putabat Semei liberũ esse per hoc & tamen non erat liber, quia non obstante iuramento illo, Dauid poterat iubere Salomoni, vel alicui alteri, quod occideret eum, vt supra declaratum est. cum autem Salomon poneret aliquem colorẽ, pro morte semei, putaret populus, quod ex illa causa occidebatur, & crederet mortem eius iustam: posset etiã tunc Salomon dicere, quod illa pœna simul erat pro illo peccato, & pro blasphemia, quã fecerat contra Dauid, & sic populus videret iustè puniri Semei simul pro blasphemia, & pro alio peccato, & quod Deus tradiderat eum in occasionẽ moriendi propter plasphemiã, quam fecerat cõtra Dauid, sic significauit Salomon loquens ad Semei infra in litera, scilicet, tu nosti omne malum, cuius tibi conscium est cor tuum, quod feciſti Dauid patri meo: reddidit dominus malitiam tuam in capud tuum. quasi dicat pro hoc peccato fecit dominus nunc, quòd morereris.

Dormit igitur. Hic ponitur Dauid defunctio, & dicitur.

Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis. Scilicet mortuus est, quia ista est somnus communis, & longissimus, qui durat vsque ad diem iudicij. *Et sepultus est in ciuitate Dauid.* Id est, sepultus est in monte Sion, qui vocabatur ciuitas Dauid, quia Dauid cœperat illud castrum, & fecerat ibi munitiones, & ædificia magna, vt patet præceden. lib. c. 5. & ob hoc vocauit ciuitatem Dauid illam partem.

Mors Dauid.

C

Quare Dauid non fuit sepultus in Bethlehem cum patribus suis.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR quare Dauid non sepultus est in Bethlehem cum patribus suis: nam consuetudo erat apud Hebræos, quòd omnes sepelirentur in sepulchris patrũ suorum, sic patet de Abraham, Isaac, & Iacob, & tribus vxoribus eorum, qui omnes eodem sepulchro, scilicet, in spelunca duplici in Hebron sepulti fuerunt Gen. 49. sic etiam Berzellai petiuit sepeliri in sepulchro patris sui, & matris, præcedenti lib. c. 19. & Achitophel in sepulchro sui sepultus est c. lib. c. 17. sed tota cognatio Dauid erat de Bethlehem, & consueuerant ibi sepeliri, ergo etiã Dauid ibi sepeliendus erat. Respondendum quod si Dauid fuisset persona priuata, sicut fuerant omnes progenitores sui sepultus fuerat in Bethlehem, sicut illi, ipse tamen factus est Rex super totum Israel, etiam promissum est ei, quòd de posteris suis semper essent reges super Israel. Ideo propter regalem dignitatem non debebat ipse sepeliri cum progenitoribus suis, qui fuerant personæ priuatæ. Item in eo videbatur incipi noua progenies, cum ipse esset primus Rex de tribu Iuda, & iam omnes posteri sui pertinerent ad stirpem regiam, ideo potuit eligere nouum locum tanquam caput progeniei, & omnes posteri sui deberent sepeliri ibi. Item Apud Hebræos consuetum erat, quòd quilibet sepeliretur in loco, de quo erat oriundus, sed Dauid, ex quo erat iam Rex videbatur origo sua esse de ciuitate, quæ erat sedes regni, & quia Ierusalem facta fuerat sedes regni debebat ibi Dauid sepeliri cum posteris suis. Sed obijcietur, quia Saul fuit Rex, & tamen ipse, & filij sui sepulti sunt in sepulchro patrum suorum: nam Dauid duxit ossa Saulis, & filiorum suorum de Iabes Galaad, & sepeliuit ea in latere montis in sepulchro Cis patris Saulis, præcedenti lib. cap. 21.

Respondendum, quòd Saul fuit Rex, quia tamen ipse solus regnum habuit, & in eo reprobata est posteritas sua non visus fuit differre à personis priuatis. Vnde cum illis sepultus est, sicut vnus de progenitoribus suis: Dauid autem nunc incipiebat esse Rex in tribu Iuda, & tota posteritas sua in sempiternum successura erat ei in regnum: ideo debuit pro se, & illis facere distincta sepulchra, tanquã progenies regia distincta esset ab omnibus progeniebus Israelitarum. Pro quo sciendum, quod Dauid fecit locum honorabilem in monte Sion, in quo sepelirentur omnes reges de stirpe sua, & ipse primo ibi sepultus est, postea autem sepeliebantur ibi omnes reges Iuda, nisi aliquis esset valde infamis, qui non deberet sepeliri in eodem loco. Sic enim patet de rege Ioram filio Iosaphat, qui occidit omnes fratres suos, & fecit alia nimis horrenda, ideo dicitur, quòd sepultus est in ciuitate Dauid, sed non in sepulchro. Reg. 2. Paralip. 22. item Rex Ioas fuit vilis, quia occidit prophetam Domini in templo, & fuit ingratus sacerdoti magno, qui fecerat eum regem occidendo filium illius. 1. Paralip. 24. vnde ipse postea à seruis suis occisus est in lecto, & noluerunt eum sepelire in sepulchris Regum eodem cap. item Ozias Rex fuit leprosus, & propter hoc ne infamarentur alij reges non est sepultus in sepulchris Regum, 2. Paralip. 26. Considerandum autem, quòd Salomon fecit patri suo Dauid sepulchrum honorabile, & circa illud constituit septem loculos thesaurorum, vnde dicit Ioseph 7. Antiquitatum, quòd post tempus annorum mille trecentorum Hircanus pontifex Machabæus dum ciuitas obsideretur ab Antiocho rege, qui pius cognominatus est filio Demetrij, volens ei dare pecunias, vt ab obsidione recederet, non habens vnde hoc impleret, aperuit vnum loculũ sepulchrorum Dauid, & sublatis inde tribus millibus talentorum partem dedit Antiocho. Post hoc autem multo tempore transacto rursus Herodes Rex alium loculum aperiens plurimas exinde pecunias tulit: nullus autem eorum loculos regum inuenit, erant autem sub terra mechanico modo reconditi, vt ingredientibus in monumentum nullatenus esse possent manifesti. *Dies autem, quibus regnauit Dauid super Israel quadraginta anni sunt.* Scilicet, totum tempus quo regnauit Dauid, tam super Iudam, quam super Israel fuit quadraginta annorum: nam si accipiatur regnum super totum Israel solum, fuit 33. annorum, præcedenti. lib. cap. 5. in Hebron regnauit septem annis: ista est distinctio annorum, scilicet, quòd in Hebron, id est, super Iudam regnauerit annis septem: nam omnes anni quibus regnauit in Iuda computantur in Hebron, eo quod erat Hebron sedes regni, & ibi Dauid semper mansit, & genuit sex filios vsquequo factus est Rex super totum Israel. præcedenti lib. cap. 3. *In Ierusalem triginta tribus.* Id est, super totum Israel regnauit triginta tribus annis, & illi computantur in Ierusalem; quia Ierusalem erat sedes regni, & ibi semper mansit Dauid vsque ad mortem.

D

Consuetudo Iudæorũ in sepeliendo.

E

Quare non fiat mentio de sex mensibus vltra quadraginta annos, quibus regnauit Dauid.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR quomodo dicitur hic, quòd regnauit quadraginta annis Dauid, quia sex menses supersunt, vt colligitur præcedenti lib. c. 5. scilicet septem annis, & dimidio regnauit in Hebron, & triginta tribus in Ierusalem.

Thesauri magni sunt vsque hodie in sepulchro Dauid quos Turcus Solimã circa annum Domini 1510. cum cepit Ierosolymã mira diligentia quæsiuit, & nunquam inuenit.

F

Aliqui respondent, quòd illi sex menses non computantur; quia forte illo tempore fugiebat Dauid à facie Absolonis, & non videbatur regnare, quia dubius erat euentus.

Alij dicunt, quòd Dauid ægrotauit sex mensibus, & in illis nihil regè dignum fecit, vnde non debent computari in regno.

Sed istud non stat, de primo patet, quia sex menses, qui deficiunt hic sunt de tempore, quo regnauit Dauid in Hebron, quia dicitur quod regnauit ibi septem annis, & tamen præcedenti lib. cap. 5. dicitur, quòd regnauit in Hebron septem annis, & dimidio: constat tamen, quòd tempus quo fugit Dauid à facie Absalon non fuit de regno super Iudam, sed super Israel, ideo deberent isti sex menses tolli de triginta tribus annis, ita vt diceretur, quod regnauit in Hebron septem annis, & dimidio, & in Ierusalem in trigintaduo, & dimidio: è contrario tamen fit.

Secunda solutio non stat, quia tempus, quo aliqui reges infirmantur, vel vacant ab operibus regalibus, & gloriosis computatur cum reliquo tempore ipsorum, alioquin multi reges essent, tam Iudæ, quam Israel, sub quibus nulla ætas annotaretur, eo quod nihil gloriosum egerunt, & colligitur ex his duobus libris Regum, & ex secundo libro Paralip. & tamen omnium tempora annotantur. Item si propter hoc factum fuisset, nunquã illi sex menses fuissent descripti, & tamen præcedenti lib. cap. 5. ponuntur illi sex menses.

Dicendum ergo, quòd non ponuntur hic non quidem propter aliquam causam specialem, sed quia interdum scriptura nõ curat de modico, maximè cum iste annus esset impletus. *Salomon autem.* Hic ponitur secundũ principale huius cap. scil. Salomonis executio, quia executus est omnia, quæ iusserat supra Dauid, & diuiditur in duo, quia primò quædã à Salomone præmittuntur, secundò imperata à Dauid executioni traduntur ibi. *Venit autem nuncius.* Prima in duas. Primò ponitur Adoniæ occisio. Secundò Abiathar sacerdotis eiectio ibi. *Abiathar quoque.* Circa primum dicitur. *Salomon autem sedit super thronum Dauid patris sui.* Non est autem intelligendum, quod Salomon ante hoc non sederit super thronum Dauid; nam viuente illo sedit die, quo vnctus est in regem præcedenti cap. & sic credendũ est, quòd postea sederit vsq; ad mortẽ Dauid; dicitur tamen nunc sedisse, quia nunc erat verè rex, prius autẽ magis erat vnctus ad esse regem, quã tunc esset rex. Considerandum autẽ, quòd in hoc versu incipit historia regni Salomonis, & hic finitur septimus liber Iosephi cõtinens tempus quadraginta annorũ, & continet totum regnum Dauid; hic autem incipit octauus liber Iosephi continens tempus annorũ 163. vsq; ad principium sequentis libri. *Et firmatum est regnum eius nimis.* Id est, confirmatum fuit, & pacificatum, quia iam nullus audebat resistere Salomoni. Et dicit Nicolaus, quòd factus est Salomon maioris potestatis, quàm Dauid, quod probat, quia ipse potuit occidere Ioab, & alios, quos non occidit Dauid, sed ista non est sufficiens probatio, quia Dauid noluit occidere istos. *Et ingressus est Adonias filius Aggith ad Bethsabee matrem Salomonis.* Scilicet, ingressus est ad petendum ab ea, quod supplicaret pro eo apud Salomonẽ, & vocatur Adonias filius Aggith, quia istud erat nomen matris eius præcedenti lib. cap. 3.

An aliquanto tempore post mortem Dauid Adonias accesſit ad Bethsabee ad petendum Abisag in vxorem.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR quare Adonias venit ad Betsabee, & quando istud fuerit.

Respondendum, quòd istud fuit aliquando tempore post mortem Dauid, vt ait Historia scolastica. Et ratio huius est, quia venit ad petendum Abisag in vxorem, illa autem fuerat vxor Dauid: ideo oportebat, quòd aliquando tempore post mortem Dauid esset in luctu, & tunc non peteretur in matrimonium: expleto autem tempore luctus, peteret Adonias illam. Considerandum vlterius, quòd intentio Adoniæ erat vsurpare sibi regnũ Salomonis, & ad hoc volebat habere auxilia: habebat autem Abiathar, & Ioab consiliatores, & adiutores, fortissimos, qui induxerunt eum, vt peteret Abisag vxorem Dauid in vxorem, & per illam posset habere occasionem ad accipiendum regnũ, scilicet si illa potens erat, & per potentiam illius adiuuaretur, vel ex hoc, quod fuerat regina haberet aliquem colorem ad hoc, quòd Adonias, si esset vir suus acciperet regnum, sic ait Andreas, & Nicolaus. Voluit autem Adonias ire ad petendum hoc à Betsabee matre Salomonis, vt illa facilius obtineret hoc à Salomone, qui nihil ei negare posset, sic enim patet: nam dixit Adonias ad Betsabee (precor vt dicas Salomoni regi, nec enim negare tibi quicquam potest) vt det mihi Abisag Sunamitem vxorem. Iuit etiam ad Betsabee, quia ipsa erat fœmina non multum instructa, & crederet, quòd Adonias bono animo ista peteret, si autem ipse per se iuisset ad Salomonem ille intellexisset fraudem eius, & non assentiret.

Quæ dixit ei, pacificus ne ingressus tuus? Id est, nunquid venis cum pace? Istud potest intelligi dupliciter, vno modo nunquid venis cum pace, vel venis ad faciendum aliquod malum? alio modo nunquid venis cum pace, id est, venis cum bono, vel accidit tibi aliquod malum, & venis huc tanquam remedium petens? Ista verba propriè dicuntur illis, qui veniunt modo insolito, scilicet, mutato habitu, vel aliter quam solent venire, sic enim seniores Bethlehem videntes Samuelem prophetam, qui erat honoratissimus in toto Israel venientem ad se solitarium dixerunt ei, pacificus ne ingressus tuus? id est, nunquid venis cum pace, vel accidit tibi aliquod malum, & fugis? supra 1. lib. cap. 16. sic forte vidit nunc Bethsabee Adoniam mutato habitu ad se venientem, & putauit, quòd aliquod malum ei incidisset, vel forte Bethsabee videns Adoniam timuit putans, quòd veniret ad nocendum ei, quia erat mater Salomonis, & ad petitionem eius Salomon obtinuerat regnum præced. cap.

Qui respondit pacificus. Id est, in pace venio, & nullum malum mihi est. *Additque sermo mihi est ad te.* Id est, dixit insuper, ego habeo tecum loqui aliquid.

Cui ait loquere. Id est, Bethsabee præstitit ei libenter audientiam. *Et ille, tu, inquit, nosti quòd meum erat regnum.* Adonias volebat persuadere Bethsabee, quòd oraret, vt daretur sibi Abisag in vxorem, & ad hoc voluit ostendere, quòd ipsa esset obligata ad orandum pro eo, & etiam Salomon ad concedendum, eo quòd ius regni erat suum, & ipse consensit, quòd Salomon erat Rex, eo quod Deus illum elegerat, pro quo Salomon tenebatur ei gratias agere, quia non perturbabat eum, cum posset perturbare, & ob hoc debebat ei concedere multa beneficia, quanto magis istud de dando Abisag in vxorem, cum esset paruum? Et dixit Adonias, quòd regnum erat suum, scilicet, ex iure primogenituræ, quia ipse erat maximus inter omnes filios Dauid pro tunc, & Salomon erat minimus, consuetum autem erat apud omnes reges, quòd primogeniti succederent in regno, & in hoc iure erat potior Adonias.

Et me proposuerat omnis Israel sibi regem. Istud erat aliud ius, quod habebat Adonias, scil. quia totus Israel elegerat eum, ex quo acquirebatur ei ius. Non est autem intelligendum, quòd totus Israel elegisset eum, quia multi tenebant cum Salomone antequã vngeretur, & tunc quando vnctus est plures fuerunt cum eo quam cum Adonia, vt colligitur præcedenti capit. Sed dixit istud Adonias, quia multi de Israel tenebant cum illo, eo quòd putabant, quòd ipse regnaturus esset, & sic ratio Adoniæ, licet non esset vera, erat aliqualiter colorata, vt non posset eum Bethsabee publicè redarguere de mendacio.

Sed translatum est regnum, & factum est fratris mei. Id est mandato patris mei translatum est regnum à me ad fratrẽ meum Salomonem, cum iusserit eum vngi in regem.

A domino enim constitutum est ei. Id est, dominus ordinauerat de ipso, quòd esset rex: ideo translatum est regnum ad ipsum: in hoc enim innuebat Adonias, quòd nolebat vllo modo repugnare Salomoni in regno, cum confiteretur illum habere ius, & potissimè, quia dicebat istud esse à Deo, & tamen iura, quæ sunt à Deo, sunt efficacissima, & per hoc reddebat securam Bethsabee quòd non contenderet contra Salomonem: & sic magis inclinaret eam ad orandum pro se.

Nunc ergo petitionem vnam precor à te. Id est, postquàm ego renunciaui toti isti iuri meo ad regnum, quòd magnũ erat, nolo à te, & à Salomone, nisi rem paruulam quam peto, ideo debes exaudire me.

Ne confundans faciem meam. Id eſt, non facias me erubeſcere. Quando enim aliquis petit, & non recipit confunditur, quia videtur neglectus, quaſi non fiat mentio de eo.

Quæ dixit ad eum, loquere. Ideſt, ego faciam, ꝙ petis, ideo propone petitionē tuam. *Precor, vt dicas Salomoni regi.* Scilicet, ꝙ det mihi Abiſag in vxorem, & non peto à te, niſiquòd roges.

Nec enim negare tibi quicquam poteſt. Iſtud interpoſuit Adonias ad excludendam reſponſionem Betſabee, quia forte ipſa diceret non petes à me hoc, quia Salomon non concedet mihi, ideo dixit Adonias, quod non poterat ei quicquam Salomon negare, quia erat filius eius, ideo quod non ſe excuſaret ex hoc. Vel poteſt introduci aliter, ſcilicet, quòd forte Betſabee diceret Adoniæ ego orabo pro te, & tamen intenderet non orare, vel intendebat orare remiſſe, ita vt non fieret, ideo dixit Adonias non poteſt tibi quicquā negare, id eſt, Salomon non negabat aliquid, quod tu petieris: ideo ſi hoc mihi non obtinueris, intelligā quòd non oraſti pro me, vel quod remiſſe oraſti, & ſic Adonias imponebat Bethſabee magnum onus orandi pro ſe efficaciter, ne putaretur ipſa negligens. In Hebræo habetur.

Non faciet auertere faciem tuam. Idem eſt, quòd nihil negare tibi poteſt, quia quando aliquis negat alteri petitum, facit auertere faciem eius, ſcilicet, conuerti ad ruborem, & redire ſine petito.

Vt det mihi Abiſag Sunamitidem vxorem. Iſta Abiſag erat, quæ dormiebat in ſinu Dauid ad calefaciendum eum in ſenectute, & nunc mortuo Dauid manebat puella virgo, quam voluit Adonias habere vxorem.

Et ait Bethſabee, bene ego loquar pro te regi. id eſt, ego intercedam pro te efficaciter apud regem. dixit hoc Bethſabee, quia putauit, quòd iſtud faciliter concederet Salomon tanquam nullius præiudicij eſſet, quia ipſa non conſiderabat, quod malum poterat ſequi ex hoc.

Venit ergo Bethſabee ad regem Salomonem. Quia non habitabat ipſa forte in domo regis, & oportuit, ꝙ nūc iret ad eum.

Vt loqueretur pro Adonia. Id eſt, vt intercederet apud Salomonem pro illo, vt daretur ei Abiſag.

Et ſurrexit rex in occurſum eius. Id eſt, non ſolum veniente Bethſabee ſurrexit Salomon de ſolio, ſed etiam iuit in occurſum eius ad honorandum eam.

Adorauitque eam. Id eſt, humiliauit ſe coram illa. Quanquā enim Salomon rex eſſet, quia tamen Bethſabee erat mater ſua, iuſtum erat, quod coram humiliaretur.

Et reſedit ſuper thronum ſuum. Id eſt, redijt rex ad ſedendum ſuper thronum ſuum, vt mater ſederet in alio throno.

Propoſitus quoque eſt thronus matri regis. Id eſt, fuit poſitus alius thronus pro matre regis, ſcilicet, pro Bethſabee, quia nō erat honeſtum, quod ſedente rege, mater ſua ſtaret. *Quæ ſedit ad dexteram eius.* Iſtud erat ad magnum honorem, magis honorabatur ibi Bethſabee, quam rex: nam ad hoc, quod honotaretur magis Rex debebat ſedere Bethſabee ad ſiniſtram illius. *Dixitque ei petitionem vnam paruulam ego deprecor à te.* Dixit enim hoc Bethſabee propter duo: primo vt Salomon faciliter condeſcenderet, dicēdo quòd petebat rem paruam, quia magnis petitionibus difficilius condeſcenditur. Secundum erat, quia putabat Bethſabee, quod verè eſſet iſta parua petitio, quia non putabat eſſe alicuius præiudicij, ſed Salomon nō ſic exiſtimauit, ſed æqualia fecit petere regnum pro Adonia, & petere Abiſag, vt patet infra. *Ne confundas faciem meam.* Id eſt, non facias me erubeſcere negando petitum. *Dixitque ei rex pete mater mea.* Id eſt, non dubites petere, quod volueris. *Nec enim fas eſt, vt auertam faciem tuam.* Id eſt, non ſolum ego non auertam faciem tuam negando, quod petis, ſed etiam non eſt licitum, quod facerem hoc, dato quòd facerem hoc, dato quod facerem vellem, quia rex nihil debet negare matri ſuæ. In hebræo dicitur. *Non auertā faciem tuam.* Id eſt, non faciam eam auertere præ rubore, & idem eſt, litera tamen noſtra eſt ſignificantior.

Quare Salomon negauit matri ſuæ petitionem, cùm prius dixiſſet, quòd non erat fas ei negare quicquam.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR quare Salomon negauerit poſtea petitionem, cum dixerit, quòd non erat fas, quòd auerteret faciem ſuam.

Reſpondendum, quòd Salomon putauit matrem ſuam velle petere aliquid honeſtum, & illud quanquam magnum eſſet, propter reuerentiam eius nō licebat negari, quia tamē petiuit aliquid irrationabile, & quod erat in periculum Salomonis, ad perdendum regnum, non conceſſit Salomon, ſed fecit erubeſcere matrem redarguens eam, quod talia peterit. Cum autem dicitur, quòd non erat fas, quod Salomon aliquid negaret matri, dicendum quòd intelligitur de honeſtis, quæ alijs negari poterant ſi eſſent magna, & tamē matri non poterant negari propter reuerentiam. Cum autem dicitur, quòd Salomon promiſit ei, quòd concederet petitum, dicendum quod non obligabatur concedere, & etiam ſi dixiſſet quicquid petieris faciam: nam in generali ſermone non veniunt ea, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, vt patet extra de re. iu. in ſexto capitu. in generali: iſtud autem tale erat, quia ſi Bethſabee petiuiſſet illud determinatè, antequam Salomon quicquam reſponderet, nō concederet illud Salomon, ideo nec etiam nunc in generali ſermone intelligebatur, quòd deberet, concedere.

Quæ ait detur Sunamitis Abiſag Adoniæ fratri tuo vxor. Id eſt, rogo, quòd Abiſag Sunamitis detur in vxorem Adoniæ. Vocatur autem Sunamitis, id eſt, de vrbe Sunam, quæ erat in tribu Iſſachar, de qua dictum eſt præcedenti capitu.

Reſponditque Salomon, & dixit matri ſuæ. Scilicet reſpondit negando, & increpando matrē, quòd talia poſtularet. *Quare poſtulas Abiſag Sunamitidem Adoniæ.* Id eſt, quare petis eam in vxorem pro Adonia cum ſit hoc valde irrationabile? *Poſtula ei & regnum,* Id eſt, ſi hoc poſtulas, poſtula etiam regnum pro ipſo, quia iſta æqualia ſunt, vel quaſi conſequentia.

Adonias quid intendebat petendo Abiſag, vt tantum doleret Salomon.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR quare tantum doluit Salomon, quòd Adonias peteret Abiſag, & quid intendebat per hoc Adonias.

Aliqui reſpondent, quòd petebat Adonias Abiſag, quia illa fuerat vxor regis, & ſi illam haberet Adonias per eam vſurparet ſibi regnum, ſic tenet. Ra. Dauid kimhi. & Nico, & Andre.

Dicendum autem videtur quòd non apparet manifeſtè, quare vellet Adonias habere Abiſag, vt per illam haberet regnum, quia non apparet quid illa conferret ei; nam aut conferret ei tribuendo ius ad regnandum, aut tribuendo poteſtatem, qua poſſet aſpirare ad regnum. Nam primo modo, quia Abiſag fuerat vxor regis, & mortuo rege ipſa non manebat regina, nec habebat aliquod ius regnando pro ſe, à fortiori ergo non poſſet alteri tribuere ius regnandi, cui traderetur in vxorem. Secundum etiam non ſtat, quia non videtur Abiſag tantæ poteſtatis, vt per eam poſſet Adonias acquirere regnum, quia ipſa fuerat accepta à rege, vt miniſtraret ei. Et, vt quidam volunt, erat vxor illius: non poterat ergo mortuo rege ei maior manere poteſtas, quàm alteri de vxoribus eius, & iſta nunquam eſt magna poteſtas, ideo non videtur, quòd Adonias eam deſiderauerit, quaſi propter eminentiam poteſtatis.

Dicendum tamen videtur, quòd licet nobis ſit ignotum, quia neſcimus conditiones illius temporis nec habitudines perſonarum particularium, tamen aliquid conferebat de poteſtate iuris, vel facti Abiſag ipſi Adoniæ, ſi accepta fuiſſet ab eo in vxorem. Quod patet ex verbis Salomonis, nam valde iratus fuit, quia mater petiuit Abiſag pro Adonia, ſi tamen non militaret hoc contra Salomonem, ſcilicet, contra ſtatum regni, non fuiſſet tantum iratus. Item Salomon dixit, quare, poſtulas Abiſag Sunamitem Adoniæ poſtula ei & regnum, & ſic æquauit iſta, ſcil. quòd idem eſſet petere regnum pro Adonia, & petere Abiſag in vxorē. Item patet quia dixit Salomon de Adonia ipſe eſt frater meus maior me, & habet Abiathar ſacerdotē, & Ioab filium Saruiæ: in quo manifeſte apparet, quod accipere Abiſag in vxorem erat aliquod adminiculum ad regnandum, quia Salomon enarrauit hic alia adminicula, quæ habebat Adonias ad regnandum, ſcilicet, quòd erat maior eo, & iſtud cōferebat de iure.

Etiam dixit quòd habebat ſecum Abiathar, & Ioab, & iſtud conferebat de facto, quia iſti erant magni conſiliarij ad inueniendum modos, & viri potentes ad efficiendum quòd conſiliarent: addit autem ad hæc quòd vellet habere Abiſag in vxorem, ergo videtur quòd conferebat aliquid de iure vel de facto ipſa Abiſag Adoniæ ad regnandum, ſi traderetur ei.

An Abiſag fuerit vxor Dauid.

QVÆSTIO XXV.

VLTERIVS quæretur an Abiſag fuerat vxor Dauid. Nicolaus, & quidam alij volunt, quòd acceperit eam in vxorem, vt licitè miniſtraret ei, & iaceret cum eo in lecto, atq; calefaceret ipſum in ſenectute. Reſpondendum, quòd non videtur magnum inconueniens dici eam fuiſſe vxorem Dauid, vel non fuiſſe.

Sciendum tamen quòd non eſt neceſſe ad excuſandum Dauid ab aliquo peccato dici iſtam fuiſſe vxorem eius, quia quando Dauid accepit eam ad miniſtrandum, erat omnino impotens ad coitum: nam dicitur precedenti capitulo, quòd erat ſenex, & prouectæ ætatis, & cùm operiretur veſtibus, non calefiebat. Sciebat igitur quòd non poterat cognoſcere illam, & conſequenter poterat ipſa tractare eum qualitercunque, & non eſſet periculum, nec ſcandalum ad hoc, quòd deberet eam accipere in vxorem, vt coitus licitus efficeretur.

Item ſcriptura dicit, quòd Dauid non cognouit eam precedenti capitulo, ideo non fuit neceſſe ad euitandum peccatum in coitu, quòd ipſe eam acciperet in vxorem.

Item dato, quòd Dauid poſſet cognoſcere eam & intenderet cognoſcere, non obligabatur ad excuſandum peccatum accipere eam in vxorem, quia poterat habere in concubinam, & erat licitum Dauid ex diſpenſatione, vt declaratum eſt præcedenti lib. cap. 5. præter hæc dicendum, quòd non videtur fuiſſe matromonium inter Dauid, & Abiſag, quia tunc non licuiſſet Adoniæ petere eam in vxorem, cum fuiſſet vxor patris, talis enim copula prohibetur Leuitici 18. & 20. & tamen Adonias auſus eſt petere, ergo videtur, quòd non fuerat vxor Dauid. Item ſi Abiſag fuiſſet vxor Dauid, Adonias egiſſet contra legem petendo eam in vxorem, & ſic Salomon habuiſſet occaſionem occidendi Adoniam ex hoc, & tamen non impoſuit ſibi hoc crimen, nec accuſauit eum de hoc, ſed potius quaſi non expreſſa cauſa occidit eum, ideo videtur, quòd non fuiſſet vxor Dauid ipſa Abiſag. Item ſi fuiſſet vxor Dauid quando Adonias orauit Bethſabee, vt intercederet pro ipſo apud Salomonem dixiſſet ei Bethſabee iſtud eſſe impoſſibile, & tamen conſenſit orare pro eo iudicans licitum hoc eſſe, ideo non fuerat Abiſag vxor Dauid. Item quando Bethſabee petiuit hoc à Salomone, reſpondiſſet Salomon, quòd non poterat fieri cum eſſet contra legem, ſed non dixit hoc, ſed ſolum, quòd Abiſag eſſet occaſio Adoniæ ad habendū regnum, ergo non fuerat vxor Dauid. Item videtur, quòd dato, quòd Dauid voluiſſet eam accipere in vxorem, non potuiſſet, quia impotens coire non eſt perſona legitima ad contrahendum matrimoniū, vnde ſi contrahatur cum illo, non tenet matrimonium, ſed comperta impotentia coeundi poteſt tranſire vxor ad aliud matrimonium, & è contrario ſi ſit defectus in muliere, ſic patet, extra de frigi. & male. capi. ex literis, & cap. conſultationi. Sed dicit Nicolaus, quòd ſi forte ante matrimonium contractum conſtet de impotentia coeundi & vult mulier contrahere cum viro, poterit manere, vt vxor eius.

Sed dicendum, quòd non ſtat, quia conſenſus iſtorum non poteſt inducere vinculum contra ius, nec poteſt efficere contra naturam rei, ſed de natura matrimonij, & ſubſtantia eſt, quòd ſunt legitimæ perſonæ contrahentes, & quædam pars legitimitatis attenditur in ipſa potentia coeundi, ergo in quibus hoc non eſt, impoſſibile eſt eſſe matrimoniū. Item patet, quia extra de frigidis & maleficiatis capitulo conſultationi. dicitur, quòd ſi aliquis contrahat cum illa, quæ cognoſci non poteſt, nō poteſt eam habere in vxorem, ſed poteſt habere in ſororem, ergo videtur, quòd dato, quòd velit eam habere vxorem non poterit. Idem autem eſt in viro, quòd ſi ipſe eſt omnino impotens ad coeundum, non poterit habere aliquā in vxorem, ſed in ſororem, dato quòd ipſa velit eſſe vxor. Item matrimonium, quòd ſemel eſt verum, & conſummatum, nunquam poteſt tolli quantum ad omne vinculum, ita quòd liceat alteri contrahentium tranſire ad aliud matrimonium. Si tamen reperiantur aliqui impotentes coire, vel fœmina non poſſit cognoſci, poteſt ille, qui habilis eſt tranſire ad aliud matrimonium. extra de frigi. & malefi. cap. laudabilem, & cap. conſultationi. ergo non fuit matrimonium inter iſtos, qui ſic contraxerunt. Item idem eſt de paruulo, qui nondū venit ad potentiam coeundi, & de ſene, in quo iam defecit potentia coeundi, ſed pueri propter hanc impotentiam non poſſunt contrahere matrimonium, & ſi contrahant non eſt matrimonium. extra de frigid. & malefi. cap. quòd ſedem. ergo etiam matrimonium contractum cum ſene impotente nullum erit. In Dauid autem ſic erat, quia tautū defecerat in eo omnis virtus, quòd etiam cum operiretur veſtibus pręced. cap. ergo iam defecerant in eo potentia coeundi, & conſequenter non poterat contrahere matrimonium.

Dicendum tamen, quòd ſi duo ſint inhabiles ad contrahendum, ſcilicet, quòd vir eſt impotens coire, & fœmina nō poteſt cognoſci, vel alter eorum tantum inhabilis eſt, ſi hoc ſciant antequam contrahant, non poſſunt conſentire in ſe inuicem, vt in coniuges, ſed vt in fratres: etiam dato quòd à principio putauerunt ſe eſſe habiles, & poſtea inuentum eſt contrarium, poterunt manere, vt fratres, ſed non vt coniuges, ideo volenti tranſire ad alia vota licitum eſt tranſire. extra de frigid. & malef. cap. laudabilem. Satis ergo probabiliter dictum eſt, quòd quia Abiſag non erat vxor Dauid non potuit aliquod vinculum cauſari inter eos, nec ſaltem publicæ honeſtatis iuſtitia, ideo licuit Adoniæ petere Abiſag in vxorem, & propter hoc non fuit ab aliquo redargutus.

Ipſe eſt enim frater meus maior me. Hic inducit Salomon adminicula, quæ habebat Adonias ad regnandum, & adderetur ei aliud ſi traderetur illi Abiſag in vxorem. Et primum erat, quòd Adonias erat primogenitus, & ex hoc ſecundum conſuetudinem omnium gentium proueniebat ei regnum, noluit ergo Salomon tradere ei Abiſag in vxorem, ne coniunctis pluribus adminiculis Adonias aſpiraret ad regnum.

Et habet Abiathar ſacerdotem. Id eſt, ſummū ſacerdotē, quia Abiathar, & Sadoc erant ſummi ſacerdotes tempore Dauid, & etiā fuerunt aliquo tempore regni Salomonis, infra 4. cap.

Et Ioab filium Saruiæ. Id eſt, habet iſtos duos principes Adonias ex parte ſua, & iſti ſunt magni conſilio, & potentes in familia & exercitu, ideo ſi addatur aliud adminiculum Adoniæ, ſcilicet, quòd detur ei Abiſag inſurget in regnum.

Adonias quomodo dicitur, quòd haberet Ioab, & Abiathar pro parte ſua, cum etiam ipſe eſſet ſubiectus Salomoni.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR, quomodo dicebat hic Salomon, quòd Adonias habebat Ioab, & Abiathar ex parte ſua, nam licet iſti fuerint partiales à principio antequam Dauid inſtitueret Salomonem in regem, tamen poſtea non auſi ſunt ſed potius fugerunt audito, quod Salomon vngeretur in regem præced. cap. Item ipſemet Adonias ſubiecerat ſe Salomoni, & adorauerat eum præced. cap. quomodo ergo haberet aliquos partiales pro ſe contra Salomonem?

Reſpondendum, quòd Adonias publice venerabatur Salomonem profitens ſe ſeruum illius præceden. cap. Idem etiam faciebat Ioab, & idem Abiathar: Salomon tamen, qui erat vir prudens, ſciebat quòd Adonias faciebat hoc ex neceſſitate, & non ſponte, ideo quærebat opportunitatem, vt inſurgeret contra Salomonem, & inuenta illa appareret publicè hoſtis. Idem etiam de Abiathar, & Ioab erat, quia iſti in publico venerabantur Salomonem, ſed cor eorum erat cum Adonia, & aliquando in ſecreto conueniebant, & tractabant, quomodo Adonias inſurgeret in regnum. Hoc autem ſciebat Salomon, & inſuper, quòd quandocunque opus eſſet, Ioab & Abiathar fouerent publicè partes Adoniæ contra ſe, ideo dicebat, quòd Adonias habebat ſecum Ioab, & Abiathar.

Iurauit itaque Rex Salomon per dominum. Iſtud iuramentum fuit ad confirmandum verbum ſuum, ne poſtea liceret ei retrocedere. *Dicens hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.* Iſte modus iurandi eſt frequentatus apud Iudæos ſupra 1. lib. cap. 3. & 20. & 25. Et eſt ſenſus, Deus faciam mihi hæc mala, ſcilicet, quæ nomino, & addat mihi ſuper ea alia maiora, ſcilicet, talia, & talia, quæ exprimo, ſi fecerim tale, vel tale.

Quia contra animam ſuam locutus eſt Adonias verbum hoc. Id eſt deſtruat me Deus ſi Adonias non locutus fuit iſtud contra animam ſuam, id eſt, vitam ſuam, ſcilicet quia iſtud, quòd locutus eſt, faciet, quòd ipſe occidatur. *Et nunc viuit Dominus.* Id eſt, iuro per vitam Dei. Præcedens autem erat imprecatio potius, quàm iuramentum, iſtud autem eſt iuramentum.

Quia firmauit me & collocauit me ſuper ſolium Dauid patris mei. Scilicet Deus collocauit me ſuper ſolium Dauid, quando fecit me vngi in regem, & fecit ſedere in ſolio Dauid viuente eo: firmauit autem ſolium meum quando fecit, quòd omnes mihi obedirent, & non eſſet aliquis publicè repugnans. Hic eſt mutatio ordinis, quia prius eſt collocari in ſolio, quàm firmari regnum. Nam viuente Dauid collocatus eſt Salomon in ſolio, ſed non fuit firmatum regnum eius vſque poſt mortem Dauid, ſic patet ſupra in litera, & ſequenti cap. dicitur confirmatum eſt regnum in manu Salomonis. *Et qui fecit mihi domum.* Id eſt fecit mihi domum regalem: nam ſi Salomon non fuiſſet Rex, eſſet vt perſona priuata, & non haberet domum, ſed computaretur cum alijs de domo Dauid, nunc autem quia rex erat habebat domum ideſt, progeniem per ſe.

Sicut locutus eſt. Id eſt, ſicut promiſit, ſcilicet quia Deus promiſerat Salomonem regnaturum poſt Dauid, vt colligitur præcedenti libro cap. 7. & magis. 1. Paralipo. 22. *Quia hodie occidetur Adonias.* Id eſt non permittam eum amplius viuere.

Miſitque Rex Salomon per manum Banaiæ filij Ioiadæ. Ideſt miſit Banaiam ad Adoniam, vt per manum eius occideretur. Salomon diligebat Banaiam, quia fuerat partialis eius, etiam antequam vngeretur in regem. præcedenti cap. & conſtituit eum ducem ſuper exercitum, ſicut erat Ioab tempore Dauid infra 4. cap. & ob hoc deſtinauit eum ad occidendum Adoniam, quia credidit, quod diligenter ageret iſtud. Etiam pertinebat ad honorem Adoniæ, quòd potius occideretur ab iſto viro, qui erat princeps exercitus, quàm ab aliquo alio minoris poteſtatis.

Qui interfecit eum, & mortuus eſt. Scilicet Banaias interfecit Adoniam. & ponitur (interfecit) pro percuſſit, quia alias ſuperflua eſſet litera, ſcilicet interfecit eum, & mortuus eſt: quia certum eſt, quòd ſiquis interficit alium, ille moritur.

Mors Adoniæ.

An Salomon peccauit occidendo Adoniam.

QVÆSTIO XXVII.

Ratio ex aduerſo.

QVÆRETVR an Salomon peccauit occidendo Adoniam. Aliquis dicet, quòd ſic, quia non occidit ipſum, niſi quia timebat eum, ſcilicet, quòd vellet inſurgere ad regnandum, & tamen nō licet alicui occidere alterum ex hoc ſolo, quòd timet eum, ſed ſolum quando viderit eum actualiter inſurgentem, poterit occidere ipſum defendendo ſe.

Reſpondendum, quòd Salomon non peccauit occidendo Adoniam quod patet, quia Salomon fuit ſemper dilectus à Deo quouſque propter mulieres, quas accepit incæpit colere idola, & tamē nondum Salomon incæperat colere idola quando occidit Adoniam, ergo tunc dilectus erat à Deo, & contra non peccauerat occidendo illum. Item poſtquam Salomon occidit Adoniam, erat nimis Deo deuotus, & petiuit à Deo ſapientiam, & Deus diligebat eum valde: vnde cum ſolum petierit ſapientiam, Deus dedit ei ſapientiam ſuper omnes homines, & inſuper gloriam, & diuitias pluſquā alijs regibus, qui fuerant ante ipſum ſeq. cap. & dicitur ibi, quòd placuit Deo petitio Salomonis, ſi tamen peccauiſſet occidendo Adoniam offendiſſet Deum, non eſſet ei acceptus, ergo non peccauit. Item Eccleſiaſt. cap. 47. ponuntur laudes Salomonis, & peccata eius, & ibi non ponitur de morte Adoniæ, ſi tamen peccauiſſet occidendo illum, peccatum eſſet graue nimis, quia erat Adonias frater ſuus, & ſcriptura non ſubticuiſſet tam graue peccatum, & tamen non ponit illud cum alijs peccatis Salomonis: ergo videtur quòd non peccauit occidendo eum. Item patet hoc, quia Salomon habuit iuſtam cauſam occidendi ipſum: nam erat Salomon rex legitimè conſtitutus, Adonias autem inquirebat opportunitatem, vt eum regno priuaret: iſtud autem eſt crimen læſæ maieſtatis, pro tali autem crimine iura humana mortem legitimè imponunt criminoſis, & etiā filios ſuos priuant ſucceſſione paterna, relinquendo illis ſolam vitam ex miſericordia, vt patet extra de hæreticis, cap. vergentis. ergo poterat Salomon iuſtè occidere Adoniam reum læſæ maieſtatis: hoc autem conuicit Salomon de Adonia, quia petiuit Abiſag in vxorem, & tamen illud erat quoddam ingenium ad habendum regnum. Item Salomon occidendo Adoniam procurauit pacem publicam, quia Adonias conſiderabat quotidie, quando habere poſſet opportunitatem ad expellendum Salomonem de regno, vt ipſe regnaret: iſtud autem fieri non poterat ſine magno ſcandalo, & damno populi, ſcilicet, quia multi ex vtraque parte perirent, ideo ad Salomonem tanquam ad principem pertinebat curare, ne ſcandalum naſceretur in populo, & occidere illum, per quem ſcandalum naſciturum erat ſi viuere permitteretur. Sic autem erat Adonias, quia de ipſo apparebat quòd intentebat facere ſcandalum procurando regnum ergo licuit ipſum occidere non ſolum tanquam hoſtem Salomonis, ſed etiam tanquam hoſtem publicum intendentē perturbare pacem publicam.

Ad rationem prima opinionis.

Ad rationem in contrarium dicendum, quòd non licet alicui occidere alterum ex hoc ſolo quòd timet ſe ab illo occidendum, vel mala ſibi infligenda, immo dato quòd aliquis poſſet ſcire certiſſimè quòd neceſſe erat, quòd aut ipſe occideret alterum, aut alter occideret ipſum, non liceret ei occidere illum, vt ipſe maneret ſecurus, niſi cum videret quòd alius actualiter aggrediebatur ipſum. Ratio huius eſt, quia alias poſſet aliquis occidere alium, antequam peccaret, ſed hoc eſt omnino illicitum, & ſic Salomon non occidit Adoniam ex hoc ſolo, quòd timebat eum, quia tunc occidiſſet ipſum à principio, vt illi vnctus eſt in regem, quia ex ipſo tempore incæpit timere Salomon, quod Adonias ſemper aſpiraret ad regnum, vel etiam poſtquam mortuus eſt Dauid occidiſſet Salomon Adoniam, quia timebat eum, quod patet ex verbis eius ad Berhſabee, ſcilicet, ipſe eſt frater meus maior me, & habet Abiathar ſacerdotem, & Ioab filium Saruiæ. In quo patet, quòd Salomon timebat Adoniam propter iſta adminicula, quæ habebat: noluit tamen occidere eum, vſque nunc, eo quod nunquam inuenit in eo, quod aſpiraret ad regnum, niſi nunc, & ſic potuit eum nunc occidere, ſicut qui timet hoſtem ſuū non poteſt ex hoc eum occidere, & tamen quando viderit eum contra ſe inſurgentem, poterit eum occidere; ita Salomon prȩcedenti tempore timuit Adoniam, quia tamen non vidit eum inſurgere, niſi nunc, non occidit eum ante hoc. Idem patet ex verbis Salomonis præcedenti cap. cùm dixit de Adonia, quòd ſi eſſet vir bonus non caderet, nec vnus capillus de capite eius in terram, ſi autem malum inueniretur in eo, occideretur: nunc autem inuenit malum in ipſo, ſcilicet, quia aſpirabat ad regnum, ideo iuſſit illum occidi. *Abiathar quoque.* Hic ponitur Abiathar electio de ſummo ſacerdotio: nam erat ſummus ſacerdos tempore Dauid, & nunc Salomon fecit ceſſare ſummum ſacerdotium eius. *Et dicitur Abiathar quoque ſacerdoti dixit rex.* Vocatur Abiathar ſacerdos, id eſt, ſummus ſacerdos. *Vade in Anathot ad agrum tuum.* Id eſt non maneas hic in vrbe, vel iniuria in curia mea, ſed vade in Anathot ad agrum tuum, & ibi habita: eſt enim Anathot quædam ciuitas in ſorte Beniamin Ioſue 18. & illa cecidit ſacerdotibus in ſortem Ioſue 21. & ibi habebat domum Abiathar. fuit autem de iſta ciuitate Ieremias Propheta, qui etiam ſacerdos erat Iere. 32. De hoc etiam Hieron. in prologo ſuper Ieremiam. Eſt autem Anathot ciuitas quædam parua, quæ magis vocatur viculus diſtans à Ieruſalem tribus milliarijs, id eſt, Leuca, & dimidia, vt ait Hieronym. in prædicto prologo.

Abiathar electio à ſummo ſacerdotio.

Abiathar, an haberet agrum, cum esset sacerdos.

QVÆRITVR XXVIII.

QVÆRET aliquis, quomodo dixit Salomon ipsi Abiathar, quòd iret in agrum suum, quia non poterat possidere agrum, nam sacerdotes, & Leuitæ nō habebant aliquos agros, sed solū dabantur eis ciuitates, & suburbana ad alenda pecora: Num. 35. & Iosue 13. sed Abiathar erat sacerdos, ergo non possideret agrum.

Responderi potest, quòd nō accipitur hic ager pro agro, sed pro domo, id est, quòd Abiathar iret ad agrum suum, id est, ad domum suam, quam habebat in Anathot.

Sed adhuc obijcietur, quòd sacerdotes poterant habere agros, nam Ieremias erat sacerdos, & tamen cognatus suus venit ad eum, & dixit eme tibi agrum, qui est in Anathot in terra Beniamin, quia tu propinquus es, vt possideas, vt patet Ierem. 32.

Aliquis dicet, quòd Ieremias non poterat regulariter possidere agrum, & ideo nec emere poterat, & tamē nunc emit, quia putauit istud esse à Deo. sic patet alleg. c. cum dicit Ieremias: intellexi autem quòd verbum domini esset, & emi agrum ab Ananeel filio patrui mei, hoc autem Deus volebat ad hoc, quòd Ieremias ostenderet librum illum possessionis, & diceret adhuc possidebuntur domus, agri, & vineę in terra ista, & sic fecit, vt patet eodem cap.

Sed dicendum, quòd hoc non stat, nam quanquam istud sufficeret pro Ieremia ad hoc, quòd moueretur ad emendū agrum: tamen non sufficiebat pro cognato suo, qui dixit ei eme agrum, quia tibi competit iure propinquitatis: ergo videtur, quòd etiam si Deus non iuberet nunc specialiter Ieremiæ emere agrum istum, quod etiam alias posset emere. Item patet, quia cognatus Ieremiæ possidebat agrum, quem vendere volebat ipsi Ieremię, ergo etiā licebat Ieremię possidere agrum. Patet consequentia, quia cognatus Ieremiæ erat sacerdos, sicut Ieremias, ideo si licebat vni licebat alteri.

Respondendum, quòd licebat Ieremiæ possidere agros, & emere sine Dei mandato. Pro quo sciendum, quòd ager aliquando accipitur pro vinea, vel noualibus, quæ coluntur ad segetes, aliquando autem pro omni terra, vel prædio rustico, siue colatur, siue non, sicut sunt loca pascualia, & quæcunq; alia. Primo modo dicendum, quòd nō licebat sacerdotibus, nec Leuitis possidere agros, eo quod non debebant vacare agriculturæ ne essent occupati in agricultura, & temporibus debitis non possent ire ad ministrandū domino in Sanctuario. Si autem accipiatur secundo modo ager, poterant sacerdotes, & Leuitæ possidere agros, nam cum dabatur aliqua ciuitas accipiebatur magnū spacium in circuitu ciuitatis, scil. duo millia passuum ad omnem partem, vt in illis sacerdotes pascerent animalia sua. Sic patet Num. 35. reliquum autem territorium illius vrbis, scilicet vineæ, & noualia dabantur alijs tribubus, in quarum terra Leuitæ accipiebant vrbes, sic patet Iosue 21. cum dicitur, quòd Hebron, & suburbana eius, data sunt sacerdotibus, agros verò & villas Hebron dedit Iosue ipsi Caleb. Hoc autem erat, quia sacerdotes nō poterant habere agros, alioquin ipsi potuissent possidere Hebron cū agris suis. Cum autem dicitur, quòd sacerdotes habebant agros, dicendum quòd forte suburbana illa vrbium sacerdotalium diuidebantur per seipsos sacerdotes, ita vt quilibet possideret partem suam, & ibi pascebat greges suos, vel plantabat arbores, dum tamen non faceret vineas, aut terras ad seminandum, quia istud non licebat Leuitis, & forte talis ager erat, quem possidebat Abiathar in Anathot, & ad illum mittebat eum Salomon, de hoc tamen magis dicetur Ierem. 32.

Et quidem vir mortis es. Id est dignus morte, scil. quia cōmiserat crimē læsæ maiestatis, eo q̄ conspirauerat cum Adonia contra Salomonē, vt patet supra, cum dixit Salomō de Adonia habet Abiathar sacerdotem, & Ioab filium Saruiæ.

Sed hodie non interficiam. Id est quanquam sis dignus morte non te interficiam hodie, neque aliquo tempore, & sic factū est, quia nunquam occidit eum, etiam quia si solum intelligeretur pro illo die, quòd non interficeret eum, & tamen interficeret ipsum post aliqua tempora, non mitteret eum in Anathot ad habitandum ibi.

Sciendum autem, quòd Salomon imposuit nunc Abiathar pœnam exilij, scil. quòd iret in Anathot, & non rediret in Ierusalem. nec maneret in curia, nec etiā introiret in Sanctuarium ad ministrandum. Sciendum etiā, quod Salomon potuerat occidere Abiathar, quanquam esset summus sacerdos, eo quòd in veteri testamento potestas ecclesiastica non erat distincta à potestate sæculari, sed subiecti erant directe sacerdotes regi, sicut laici. Etiā non erat distinctio pœnarū pro sacerdotibus, & laicis, sed ad omnes communis erat sentētia sanguinis in criminib⁹ grauibus, & quia Abiathar commiserat crimen læsæ maiestatis occidendus erat, nisi misereretur eius Salomō, quòd autē sacerdotes subiecti essent laicis patet Num. 27. vbi Deus dixit, quòd Eleazar, qui erat summus sacerdos, & cæteri Israelitæ subiecti essent Iosue. De hoc magis declaratum est Iosue 3. erat tamen Iosue princeps sæcularis, scil. de tribu Ephraim. *Quia portasti arcam domini Dei coram Dauid patre meo.* Ponit hic Salomon aliquas causas, quæ mouerunt eum ad dimittendum Abiathar, & vna fuit, quia portauit arcam corā Dauid, istud fuit, quando Dauid, egressus est de Ierusalē fugiens à facie Absolonis: nam tunc Abiathar, & Sadoc summi sacerdotes portauerunt arcam coram Dauid. præcedenti lib. c. 5. *Et sustinuisti laborem in omnibus, in quibus laborauit pater meus.* Istud erat potissimum, quia Abiathar fuit cum Dauid in omnibus laboribus: nam ex quo cæpit Dauid fugere à facie Saulis venit ad eum Abiathar, vt patet supra 1. lib. c. 22. nam tunc occisi fuerunt omnes sacerdotes Nobe, & fugit Abiathar de interfectione vrbis Nobe, & venit ad Dauid, dixitq; ei Dauid, mane mecum ne timeas, siquis quæsierit animam meam, quæret & animā tuam, mecumque saluaberis. Dauid etiam fuit occāsio, vt occideretur pater Abiathar, & multi de cognatione eius. Vnde ipse dixit ego sum reus omnium animarum patris tui, præal. cap. & ex hoc tenebatur nimis Dauid ipsi Abiathar, & etiā Salomon cum propter Dauid omnes fere de cognatione Abiathar perijssent. Etiam Abiathar ambulabat semper cum Dauid, & consulebat pro eo dominum quandocunque oportebat, vt patet supra 1. lib. cap. 23. & 30. *Eiecit ergo Salomon Abiathar, vt non esset sacerdos domini.* Id est, eieciat eum de officio summi sacerdotij, vt nunquam ministraret, nec etiam ministraret, vt sacerdos minor, hoc patet, quia eiecit eum de Ierusalem, vt nunquam rediret illuc, sed maneret in Anathot, & tamen Sanctuarium erat in Ierusalem, vbi debebat fieri ministratio sacerdotalis, ergo ex illa die priuatus est Abiathar ministerio sacerdotali. *Vt impleretur sermo domini, quem locutus est super domum Heli in Silo.* Id est tunc impletus est sermo domini, qui dictus fuerat de domo Heli sacerdotis, quomodo cessaturum erat sacerdotium de domo illa. Sciendum, quòd hic nō ponitur, vt, denotando causam finalem, sed consecutiuam, quia non eiecit Salomon Abiathar de sacerdotio ad istum finem, vt impleretur sermo domini super domum Heli, sed fecit ad alium finem: fuit tamen consequens ad istud opus Salomonis, quòd impleretur verbum domini super domum Heli, Sciendum autem, quòd verbum domini contra Heli fuit duplex. Primum fuit, quando venit quidam vir Dei, & nunciauit Heli de morte filiorum suorum, & de cessatione sacerdotij in domo eius: supra 1. lib. cap. 2. Aliud fuit verbum Domini contra Heli, quod factum est per Samuelem cum adhuc esset puer, & erat confirmatio prophetiæ prioris. De hoc supra 1. lib. cap. 3.

Quomodo per abiectionem Abiathar impletus est sermo domini contra domum Heli.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR quomodo dicitur, quòd nunc impletus est sermo domini contra domum Heli, nam ante hoc impletus fuerat quando occisi sunt duo filij eius, supra 1. lib. cap. 4. & quando occisi sunt 85. sacerdotes de familia eius. c. lib. cap. 22.

Respondendum quòd impleri prophetiam, accipitur dupliciter. Vno mōdo pro tradi executioni id, q̄ pronunciatū est, siue in toto, siue in parte, & sic quando videmus, quod fit aliquid de his, quæ pronunciata sunt per prophetā aliquem, dicimus q̄ completur prophetia illius, dato quòd nō omnia eueniunt,

A
B
C
D
E
F

Sacerdotes, & Leuitæ, quomodo poterant possidere agros.

Quare Salomō imposuit pœnam exilij Abiathar.

Salomon quare non interfecit Abiathar.

Implere prophetia duplicit er intelligitur.

A

eueniunt,quæ prenunciata sunt. Secundo modo completur prophetia,quando omnia facta sunt quę per aliquē prænuntiata fuerunt. Si primo modo accipiatur dicendū, quod sermo domini contra Heli iam impletus fuerat, & tamen non desinebat quotidie impleri: sic secūdo modo dicendū,quod nunquam fuerat impletus sermo domini contra domūHeli, nisi tunc: Pro quo sciendū, quod Deus prædixit contra Heli multa, & vltimum eorum nunc completū fuit. Nam Deus dixit,quod de omnibus malis, quæ euenirent ipsi Heli, primum esset quod duo filij eius morerentur, vnde supra lib. 1. c. 2. dicitur hoc autem erit tibi signum, quod venturum est duobus filijs tuisOphni,& Phinees in die vna morientur ambo, & sic factū est post paucum tempus, viuente Heli, nam ferentes arcam mortui sunt in bello supra 1. lib. 4. aliud fuit contra domū Heli,scil.quod maxima pars domus suæ moreretur,quando veniret ad virilē ætatem e. lib.c. 2. & istud impletum est, quando Saul occidit coram se. 25. sacerdotes vestitos ephod. e. lib.c. 22. & tunc omnes de ciuitate Nobe occisi sunt:aliud erat quod Deus præcideret brachium domus Heli, ita vt non esset senex in domo sua,id est summus sacerdos,& videret æmulum suum in templo in omnibus prosperis Israel,& non esset senex in æternū in domo Heli, id est, q̄ postea nullus summus sacerdos esset de semine suo.Istud impletum nunc,quando Abiathar fuit priuatus summo sacerdotio,nam post eum nullus fuit summus sacerdos de domo Heli, sed semper de domo Sadoc, & istud erat quod dictum fuit ad Heli supra 1.lib.c.2.scil. suscitabo mihi sacerdotē fidelem,qui iuxta cor meum,& animā meam faciat,& ædificabo ei domum fidelem. Iste erat Sadoc, qui habiturus erat domū fidelem, id est, firmam, ita quod de semine eius nunquā desinerent esse sacerdotes summi: post hoc autem nihil mansit complendum de prophetia, quæ habetur contra Heli prælegato. cap. ideo rectè dicitur hic, quòd nunc impletus est sermo domini contra domum Heli.

B

De statu domus Heli circa summum sacerdotium.

QVÆSTIO XXX.

VLTERIVS quæritur de statu domus Heli circa sacerdotium summum. in quo considerandum, quòd Heli non erat de domo illa, ad quam pertinebat regulariter summum sacerdotium : ad quod sciendum, quòd Deus dedit primò summum sacerdotium ipsi Aaron : Exod. 29. & Leu. 8. Voluit quoq; quòd postea primogeniti de stirpe sua succederent in illo Leui. 21. fuit autem primogenitus Aaron de his, qui non mortui sunt Eleazar, & mortuo Aaron iste factus est summus sacerdos per Moysen Num. 20. filius autem Eleazari fuit Phinees, & huic Deus promisit dare sacerdotiū summum in progenie sua in æternum Num. 25. ideo postea semper fuerunt summi sacerdotes de stirpe Phinees. Habuit autem Aaron alium filium minorem, scil. Ithamar, & stirpe

C

illius non debebant esse aliqui summi sacerdotes, eo quod pertinebant ad stirpem Eleazari, & Phinees. Et isto modo durauit summum sacerdotium in posteris Phinees per tempore Moysi, & Iosue & omniū iudicem, vsq; ad Samsonem, qui vltimus ponitur in libro Iudicum : tunc autem sacerdotes de domo Phinees mali effecti fuerant, & Deus priuauit illos pro nunc summo sacerdotio, & populus etiam hoc fecit. Erat autem tunc de domo Ithamar, ad quem non pertinebat sacerdotium summum sacerdos quidam nomine Heli vir valde bonus in oculis Dei, & plebis : intantum quod totus Israel fecit eum iudicem, & præfuit toti Israel 40. annis supra 1. lib. cap. 4. dedit quoq; ei populus summū sacerdotium,& Deus ei confirmauit illud priuans pro tunc sacerdotes de domo Phinees,& semper fuissent priuati si filii Heli non peccauissent. Hoc patet supra 1. lib. ca. 2. cum Deus loquitur ad Heli,dicens : Lóquens locutus sum,vt domus tua, & domus patris tui ministraret in conspectu meo vsque in sempiternum. nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me, sed quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum : qui autem contemnunt me,erunt ignobiles. Et ibi dicitur de ablatione futura sacerdotij de domo Heli. Fuit tamen sacerdos summus Heli, & post eum fuit summus sacerdos Phinees filius eius : nam patre inueterato ministrabat Phinees, vt colligitur 1. lib. cap.2. & ponit illud Iosephus 5. Antiquitatum:post Phinees autem fuit summus sacerdos filius eius Ichabod.Iste enim natus est de muliere, quæ præ dolore incuruauit se, & peperit supra 1. lib. c. 4. Post hunc autē fuit sacerdos Achias, vt quidam volunt, & colligitur supra 1. lib.c.4. fuit etiam sacerdos Achitob, & postea fuit sacerdos Achimelech filius Achitob eo. lib. c. 22. isto mortuo fuit sacerdos Abiathar filiūs Achimelech, qui confugit ad Dauid,quando occisi sunt sacerdotes in Nobe, vt in præalleg. cap. Omnes isti fuerunt de domo Heli, & in diebus istorum non fuit aliquis sacerdos summus de domo Eleazari, siue Phinees, & tamen tempore Dauid factus est Sadoc summus sacerdos,& iste erat de stirpe Eleazari, & erant ipse, & Abiathar simul summi sacerdotes. Nunc autē Salomon priuauit Abiathar summo sacerdotio, & postea nō fuit aliquis summus sacerdos de domo Heli, vel de domo Ithamar, sed omnes fuerunt de stirpe Eleazari deriuati per Sadoc vsque ad captiuitatē Iudæorum per Romanos, vbi cessauit totus status eorum. Destinaueram autem apud me,&alibi dixeram in loco isto agere de omnibus summis sacerdotibus incipiendo ab Aaron,qui fuit primus summus sacerdos vsque ad vltimum, qui fuit tempore captiuitatis Ierusalem per Romanos colligendo interdum ex sacra scriptura nomina eorum, & aliqua gesta, & interdū ex Ioseppho in libris Antiq. & in libris de bello Iudaico, sed melius forte de hoc dicetur 1. Paralip. 6. vel saltem Io. 11.

D

An Salomon peccauerit auferendo summum sacerdotium ab Abiathar.

QVÆSTIO XXXI.

VLTERIVS quæritur,an peccauerit Salomon auferendo summum sacerdotium ab Abiathar.

Aliquis dicet, quod non, quia Deus prædixerat de sacerdotibus de domo Heli, quod priuandi essent, & suscitandi sacerdotes de alia domo supra 1. lib. cap. 2. sed hoc executus fuit Salomon, ergo non peccauit.

Ad istam rationem dicendum, quod non stat, quia tunc diceretur de Saule, quod non peccauerit occidendo sacerdotes 85. de domo Heli, & omnes, qui erant in vrbe Nobe supra 1. lib.c.22. quia ibi complebatur Prophetia contra Heli, sicut hic, quia dominus dixerat contra eum supra 1. lib. c. 2. Et pars magna domus tuæ morietur, cum ad ætatem virilem venerit, & istud fuit quia multi de domo sua occisi sunt simul per Saulem, & tamen manifestum est, quòd peccauit Saul, vt declaratum est supra 1. lib cap. 22. ergo etiam Salomon non excusaretur tanquam exequens mandatum, vel Prophetiam à Deo positam contra Heli. Item Salomon non priuauit Abiathar propter prophetiam dictam contra Heli, sed ex alijs causis,vt patet ex verbis eius : nam dixit vir quidē mortis es, sed hodie non te interficiam, & tamen referendo ad prophetiā dictam contra Heli, non erat verum, quòd Abiathar esset vir mortis : nam licet priuari posset sacerdotio, tamen mortem non merebatur. Dicendum ergo, quod Salomon non peccauit priuando Abiathar summo sacerdotio, quia cum posset Salomon occidere eum iuste, à fortiori poterat infligere ei quamlibet aliam pœnam, quia quælibet alia pœna est minor quam mors. Poterat tamen Salomon occidere Abiathar, cum supra dixerit ei, vir quidem mortis es, ergo à fortiori poterat eum priuare. Causa autem, pro qua priuauit eum, fuit quia Abiathar commisit crimen læsæ maiestatis, scil. quia cum Adonia, & Ioab participabat in machinationibus, & conspirationibus contra Salomonem, & pro isto crimine quilibet meretur mortem. non ergo peccauit Salomon occidendo illum,quia istud esset,vel ex defectu potestatis, vel ex iniusta causa, vel ex iniquitate voluntatis, sed nullum istorum erat. De primo patet, quia Salomon habebat iurisdictionem super omnes Israelitas, tam laicos quā sacerdotes, quia apud Hebræos nō fuit distincta iurisdictio ecclesiastica, & secularis, sicut hodie est. Secundum etiā non stabat, quia causa ad priuandum Abiathar erat iustissima, & non solum ad priuandum,sed etiam ad occidendum,scilicet quia erat reus læsæ maiestatis. Tertium etiam non stat, quia Salomon non processit mala voluntate contra Abiathar, sed solum zelo iustitiæ, quod patet, quia etiam de pœna debita relaxauit aliquid, scilicet quia merebatur mortem, & solum priuauit eum summo sacerdotio.

E

F

Salomon, an peccaſſet priuando Abiathar ſolum, vt compleretur ſermo Dei.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR vlterius ſi Salomon ob hoc ſolum priuaſſet Abiathar, vt compleretur ſermo Dei contra domum Heli, an peccaret.

Aliquis dicet, quod ſic, quia manifeſtũ eſt, quod Nabuchodonoſor, & Sennacherib, & omnes reges Gentilium, qui perſequebantur Iudæos complebant prophetias Dei contra Iudęos, quia omnia illa mala prænuntiabãtur Iudęis antequã venirent, ſed manifeſtũ eſt, quod iſti peccabãt perſequendo Iudęos: ergo etiam peccaret Salomon. Dicendum hoc non ſtare, quia iſti reges, licet complerent prophetiam Dei contra Iudæos, tamen non veniebant, vt complerent illam, immo neſciebant, an aliquid prænunciatum eſſet cõtra Iudęos, ſed potius putabant, quod ipſi in fortitudine ſua prævalebãt contra Iudæos, & contra Deum ipſorum, ſic fuit de Sennacherib, qui dixit Iudæis, quod non confiderent in Deo ſuo, quod liberaret eos, quia ſicut dij Gentium non potuerant liberare de manu eius cultores ipſorum, ita etiam non poſſet Deus Iſrael Hebræos ſequenti lib. c. 19. ſic etiam patet Iſa. 10. cum dicitur de Sennacherib: Væ aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe, in manu eorum indignatio mea, ad gentem fallacem mittam eum, vt auferat ſpolia, & diuidat prædam, ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita æſtimabit, ſed ad conterendum erit cor eius. Simile eſt de Nabuchodonoſor, vt patet Abacuc 1. & 2. ergo peccabant iſti, quia licet exequerentur prænunciata à Deo, tamen non faciebant illa, vt volentes obedire ei, ſed magis è contrario. De Salomone autem ſecus eſt, quia ponimus, quod ipſe priuaret Abiathar ſolum intentione exequendi prophetiam dictam contra domum Heli. Dicendum tamen, quod adhuc iſto poſito, peccaret Salomon, ſi non priuaret Abiathar ex alia cauſa. Quòd ex duobus, primo quia dato, quod ſciret ſacerdotiũ aliquando ceſſaturum de domo Heli: tamen neſciebat, an Deus voluerat, quod ceſſaret tempore Abiathar, vel alterius ſucceſſoris, ideo ſi priuaret Abiathar ageret contra conſcientiam dubitans, an compleret prophetiam Dei, vel ageret contra intentionem eius. Secundo peccabat Salomon iſto modo, quia dato, quod reuelatum eſſet debere finiri ſacerdotium domus Heli in Abiathar, non licebat ei priuare Abiathar, quia aut priuaret eum iure ſuo, ſcil. inquantum erat princeps populi Dei, ad quem pertinebat infligere pœnas, & præmia tribuere, aut ex aliqua commiſſione ſpeciali, Dei. nõ primo modo, quia tunc nõ poterat priuare Abiathar, niſi pro aliquo crimine, quia pœnæ regulariter pro culpis dari debent. Item non erat Abiathar de iuriſdictione Salomonis, quantum ad prophetiam dictam contra domum Heli: nam Salomon, & quilibet alius princeps populi Dei erat executor legis datæ per Moyſen, quæ erat communis, prophetiæ tamen dictæ contra aliquos erant quædã ſententię particulares Dei, quarum nullus de iure erat executor, niſi ipſe Deus, aut ille, cui ipſe ſpecialiter hoc demandaret, ſed cum aliquis punit aliũ, qui non eſt de iuriſdictione ſua, peccat: ergo etiam Salomon peccabat. Secundum non ſtat, quia Deus non commiſit punitionem Abiathar, vel executionem prophetiæ ipſi Salomoni ſpecialiter, ergo ſi ipſe ſe intromitteret de executione illius, peccaret tanquam iudicans in non ſuo territorio, vel vſurpans ſibi quocunq; modo iuriſdictionem. Peccaret ergo Salomon quocunq; modo puniret Abiathar, niſi pro aliquo crimine eum priuaret, quia quantum ad iſtud eſſet de iuriſdictione ſua, & ſic factum eſt hic, nam pro crimine læſæ maieſtatis priuauit eum.

Abiathar an fuerit priuatus cum infra inter ſacerdotes Salomonis nominetur.

QVÆRITVR XXXIII.

QVÆRETVR vlterius quomodo eſt verum, quod Salomon eiecit Abiathar de ſummo ſacerdotio nam cum infra. 4. c. dicatur, quod ſacerdotes Salomonis erant Sadoc, & Abiathar. Aliqui dicunt, quod ille Abiathar non eſt iſte, de quo dicitur, nec fuit de ſtirpe Heli, ſed aliquis alius de ſtirpe Eleazari. Sed dicendum, quod non ſtat, quia nunquam fuerunt ſimul duo ſummi ſacerdotes dum manſit ſtatus Iudaicus vſque ad captiuitatẽ Babylonicam, niſi tempore Dauid, quando Sadoc, & Abiathar erant ſimul ſacerdotes. Poſt captiuitatem autem Babylonicam, quia ſacerdotia erant frequenter per intruſionem, & potentiã ſecularem, contingebat per ſeditionem duos ſimul eſſe ſacerdotes, ergo non potuit eſſe ille Abiathar, de quo dicitur infra 4. alius in ab iſto de quo dicitur hic. Item patet, quia 1. Paralip. 6. ponuntur ſummi ſacerdotes, qui fuerunt à principio legis datæ, ſcilicet ab Aaron vſq; ad captiuitatem Babylonicam, in quam ductus eſt vltimus ſacerdos ſcilicet Ieſus Ioſedech, & tamen omnes illi fuerunt per ſucceſſionem, & non ponuntur ſacerdotes geminati.

Aliqui dicunt, quod Abiathar de quo hic dicitur, & ille, de quo infra 4. ſit idem, & tamẽ volunt, quod iſte Abiathar priuatus fuerit à Salomone, & poſtea fuerit ei reconciliatus, & reſtitutus in gradum priſtinum. Sed dicendum, quod non ſtat, quia poſtquam Abiathar priuatus ſummo ſacerdotio, nunquam rediit ad illud, ſed inſtitutus eſt loco eius Sadoc, vt patet infra in litera ſcilicet conſtituit rex Sadoc ſacerdotẽ pro Abiathar. Item patet fortius, quia hic dicitur quod quando eiectus fuit Abiathar de ſummo ſacerdotio impletus fuit ſermo domini contra domum Heli: ſi tamen reſtitueretur Abiathar poſtea in gradũ ſuum, nõ cõpleretur contra domũ Heli prophetia quia adhuc maneret ſacerdotiũ in domo illa, ergo oportet, quod nunquã reſtitutus fuerit. Sed aliquis dicet ꝙ iſta ſcripta ſunt, quia Salomon priuauit iuſtè Abiathar, cum intentione non reducendi eum, & tamen poſtea placatus ei reduxit illum, & ſic ſcribitur quod habetur infra 4.

Sed dicendum, quod non ſtat propter duo. Primò quia ſcriptura mentiretur, cum dicat hic completam fuiſſe prophetiam contra domum Heli, ſi poſtea reſtitueretur: Secundò non ſtat, quia iſta non ſcribebantur mox vt fiebant. ſed multo tempore poſt ſcilicet per Ieremiam ſcripta ſunt, & cũ iam eſſent præterita omnia geſta Salomonis ſciret Ieremias an reſtituiſſet Salomon ipſum Abiathar, & tunc non ſcripſiſſet id, quod habetur hic, ſed ſolum quod habetur infra 4.

Dicendum ergo quod neceſſe eſt aſſerere duo dicta de Abiathar primum eſt, quod poſt eum nullus fuit ſacerdos de domo Heli, vel de domo Ithamar, ſed ſemper de domo Sadoc, quod patet, quia hic dicitur, quod impletus eſt ſermo domini contra domum Heli, & tamen ille ſermo erat, quod nunquam eſſet poſtea ſenex in domo Heli omnibus diebus, id eſt, in æternum. Et vocatur ſenex ſummus ſacerdos, ſed dicitur quod ſuſcitaret Deus ſacerdotem fidelem ſcilicet Sadoc, & ædificaret ei domum fidelem ſupra 1. lib. cap. 2. ergo poſtquam compleretur verbũ domini contra domum Heli, nunquã futurus erat ſummus ſacerdos aliquis de domo ſua, ſed de domo illius ſacerdotis fidelis ſcilicet Sadoc. Hic tamẽ impletum eſt verbum domini, vt dicitur in litera, ergo non fuit poſt Abiathar aliquis ſacerdos de domo Heli. Secundũ dictum eſt, quod poſtquã nunc Abiathar priuatus eſt ſummo ſacerdotio, nunquam reſtitutus eſt in illud, quod patet, quia hic dicitur, quod impletus eſt ſermo domini cõtra domum Heli, & tamen ſi Abiathar reſtitueretur non compleretur nunc ſermo domini contra domum Heli, quia adhuc rediret ipſe ad ſtatum priſtinũ, & tamen dicitur, quod nunc quando Salomon eiecit Abiathar de ſacerdotio impletus eſt ſermo domini cõtra domum Heli, ergo oportet quod nunquam redierit in honorem priſtinum, alioquin deberet dici, quod tunc fuit impletus ſermo domini contra domum Heli, quando Abiathar ſecunda vice priuaretur nunquam reſtituendus in gradũ priſtinum, vel quando moreretur, & nullus iam ſuccederet in ſummo ſacerdotio de domo Heli. Item patet hoc per Ioſephum. 8. Antiquitatum, qui refert Salomonem dixiſſe ad Abiathar, perge ad tuam patriam, in agris dege, & hanc conuerſationem, dum viuis, exerceto, quoniã peccaſti, & non eſt iuſtum habere ſacerdotium. Sic igitur domus Ithamar honore ſacerdotij priuaretur, ſicut Samuel prædixerat, tranſiuitque ad genus Phinees, id eſt, Sadoc. De genere verò Phinees tempore, quo ad Ithamar domũ tranſiuit ſacerdotium Heli primo ſacerdotium accipiente, iſti deſcendiſſe noſcuntur, qui ſacerdotio ſunt priuati ſcilicet Vocar filius Ioſeph ſummi ſacerdotis huius filius Iothã: Iothan autem

Poſt Abiatar à domo Heli nullus ſacerdos fuit

A autem Mareoth, Mareoth autem Asophi, Asophi autem Achitob, Achitob autem Sadoch, qui primus effectus est sacerdos magnus.

Ad rõ nempri ma opinio.

Ad rationem in contrarium dicendum, quòd ea, quæ habentur hic, & infra 4. nõ ponuntur recto ordine, sed per recapitulationem illa, & ista per anticipationem: nam prius factum est, quod habetur infra 4. quàm quod habetur hic. Pro quo sciendum, quod infra 4. ponuntur omnes officiales domus Salomonis, & illi instituti fuerunt in principio regni eius, de Abiathar autem dicendum, quòd non fuit priuatus summo sacerdotio in principio regni Salomonis, sed aliquanto tempore post, ideo à principio regni Salomon instituit Abiathar, & Sadoc esse sacerdotes summos apud se, sicut fuerant tempore Dauid, & de isto intelligitur infra 4. cap. postea autem procedente tempore, cùm reperiretur Adonias moliens ad habendum regnum, occisus est, & sui participes, scilicet Ioab, & Abiathar puniti sunt. Nam Ioab occisus est, Abiathar autem priuatus est summo sacerdotio. Ratio autem mutationis ordinis fuit, quia in isto capitulo agitur de exclusione omnium aduersariorum Salomonis, & de executione eorum, quæ Dauid iusserat, postea autem ponuntur ea, quæ pertinent ad regnum Salomonis per se: & quia ordinatio illa domus, de qua infra 4. pertinet ad hominem iam in pace viuentem, melius posita est infra, quàm hic, ne inculcarentur

B historiæ, & sic mutatio ordinis naturalis ad artificialem per anticipationem, & recapitulationem multum prodest, licèt interdum lectoribus noceat, inquantum putant literam in omnibus tenere ordinem naturalem.

Sed adhuc obijcietur, quia 1. Paralip. 24. institutum fuit, cp erãt duo summi sacerdotes, scilicet vnus de domo Eleazari, & alius de domo Ithamar: ergo videtur quòd adhuc post Abiathar erant sacerdotes de domo Heli, qui erat de domo Ithamar. Respondendum, quòd illud fuit ordinatum tempore Dauid, vt patet ibidem, & sic voluerat Dauid semper manere, Salomon quoque sic incepit agere instituens Abiathar summum sacerdotem de domo Ithamar, & Sadoc de domo Eleazari: & tamen cùm postea peccauit Abiathar, priuatus est summo sacerdotio, & nullus ei successit de domo Ithamar, & sic mansit sacerdotium solum in domo Eleazari, scilicet, in stirpe Sadoc.

Venit autem. Hic ponitur quomodo ea, quæ à Dauid imperata sunt executioni traduntur, & diuiditur in duo, quia primò Ioab occiditur, secundò Semei: lex viuendi imponitur ibi. *Misit quoque.*

Circa primum dicitur: *Venit autem nuncius ad Salomonem, quòd Ioab declinasset post Adoniam.* Hic ponitur causa mortis Ioab, scilicet, quod declinauit post Adoniam, & dicitur, quod venit nuncius ad Salomonem, scilicet, cognouit per nuncios vel per inquisitionem, quòd Ioab declinasset post Adoniam, id est, secutus fuisset opinionem illius, vel conspirasset cum

C illo, & ob hoc iusserit eum occidi. *Et post Salomonem non declinasset.* Id est, cognitum est per nuncios, vel inquisitionem, quòd non sequebatur Ioab intentionem Salomonis, sed erat cõtra istum. Ista litera est nimis differens in Hebræo, scilicet, *Venit rumor vsq; ad Ioab, quia Ioab declinauerat post Adoniam, & post Absalom non declinauerat.* Et est sensus nimis differens à sensu literæ nostræ, scilicet, quòd venit rumor vsque ad Ioab, id est, venit ad eum fama, vel nuncius de morte Adoniæ, & dicitur, quia Ioab declinauerat post Adoniam, & post Absalom non declinauerat, id est, ista fuit causa, quare Ioab fugit in tabernaculum; quia ipse sciebat quod fuerat partialis Adonię declinando post eum, id est, sequendo opinionem illius, & non declinando post Absalom, scilicet, quia quando Absalom surrexit cõtra Dauid, non secutus eũ fuit Ioab, ideò videbatur, quod nunc secutus fuisset Adoniam in præiudicium Salomonis, & ob hoc cùm Salomon occidisset Adoniam, timuit quòd ipse etiam occideretur; & ob hoc fugit in tabernaculum Domini. Ista sententia est melior, & verior litera, quàm litera nostra, & hoc propter duo. Primò, quia istud ponitur tanquàm causa eius quod sequitur, scilicet, fugit Ioab in tabernaculum Domini, & tamen certum est, quòd ipse non fugit propter nuncium, qui venit ad Salomonem, sed propter nuncium, qui venit ad eum: & tamen secundùm literam nostram debet dici, quòd nuncius venit ad Salomonem, & propter illum fugit Ioab: & secundùm literam Hebraicam debet dici,

Litera Hebraica multũ differens à nostra.

quòd venit nuncius ad Ioab: & istud est rationabilius. Secundum est, quia litera nostra tantùm variatur hic ab Hebræa, quòd nullo est toleranda variatio: nam si variaretur propter aliquam æquiuocationem, vel amphiboliam orationum, vel compositionem, & diuisionem, secundùm quas in eadem oratione possunt accipi diuersi sensus, esset quidem tolerabile, & tamen est mutatio in nominibus proprijs personarum, scilicet, quia vbi Hebræus dicit: venit nuncius ad Ioab, dicit litera nostra ad Salomonem. & vbi Hebræus dicit, non declinauit post Absalom, dicit litera nostra, post Salomonem. Nulla ergo ratio permittit, vt talis mutatio fiat. Tertium addi potest, quia ista litera non facit conuenientem sensum, scilicet, quod venit nuncius ad Salomonem, quòd Ioab declinauerat post Adoniam: nam de hoc non poterat venire nuncius, quia istud notorium erat ex multis diebus: & sciebat illud Salomon, vt patet supra, ideò non veniret nuncius ad eum, sed ad Ioab veniret nuncius de morte Adoniæ; & ille incitaret eum ad fugiendum in templum. Nunc ergo dicẽdum, quòd conaremur excusare Hieronymum, si locus vllus esset, sicut aliàs facere soliti sumus, sed veritas ipsa manifestè cogit nos familiaria destruere. Ideò nec accusamus, nec excusamus Hieronymum, sed illi patenter veritatem Hebraicam præferimus. Videtur autem dicendum, quod Hieronymus mutauerit literam, quia fortè non reperiebat sensum conuenientem secundùm literam Hebraicam, & mutando sic putauit esse sensum conuenientem. Nec enim est inconueniens interdum errasse Hieronymum, quia interpres, & non Propheta erat, sic enim ipse arguit in Prologo super Genesim, qui incipit, Desiderij mei. vbi probat interpretes septuaginta potuisse errare, quia interpretes, & non Prophetæ erant, nisi fortè putandus est Tullius, Oeconomicum Xenophontis, & Platonis Protagoram, & Demosthenis pro Ctesiphonte, afflatus spiritu rhetorico transtulisse. Patiatur ergo Hieronymus eandem legem, quam tulit, vt contra eum in quibusdam similiter arguatur. *Fugit ergo Ioab in tabernaculum Domini.* Scilicet, Audiens, quòd occisus fuisset Adonias, cùm ipse esset eius partialis, timuit mori, & fugit in tabernaculum. Sciendum quòd istud non erat templum Salomonis, quia nondum factum fuerat, sed erat locus, in quo erat arca in Ierusalem, vbi Dauid locauerat eam, & posuerat sacerdotes: illuc etiam confugit Adonias prima vice, præcedenti cap. Mansit autem arca in domo illa in apparatu magno cum altari, quousque Salomon fabricato templo duxit arcam in templum, vt patet 2. Paralipom. 1. cap. *Et apprehendit cornu altaris.* Id est, Adhæsit altari, & tenuit quandam extremitatem eius, quæ vocatur cornu, id est pars, & sic dicimus aliquid esse faciendum, vel legendum in dextro cornu altaris, & aliud in sinistro cornu. Fugit autem Ioab ad sanctuarium, quia putauit se gauisurum immunitate loci, & quòd Salomon non extraheret eum inde. Quare autem potius tenuit cornu altaris, quàm aliam partem sanctuarij, declaratum est F præcedenti cap. Cùm dicebatur, quòd tenuit Adonias cornu altaris. *Nunciatúmque est Regi Salomoni, quòd fugisset Ioab in tabernaculum Domini.* Nondum enim quicquam iusserat fieri contra Ioab, quando ille fugit in tabernaculum, nunc autem audiuit, quod fugisset ad altare, & misit ad occidendum eum. *Et esset iuxta altare.* Id est, tenebat cornu altaris, ne quis eum inde auellere posset. *Misitq; Salomon Banaiam filium Ioiadæ.* Istum misit, quia erat diligens in exequendo, & erat princeps militiæ, infra 4. *Dicens vade, interfice eum:* Iubebat Salomon quòd occideretur Ioab non quidem in sanctuario, sed extra. Quod patet ex verbis Banaiæ hortantis eum exire, & quia noluit, occisus est intra tabernaculum.

Cõtra S. Hieronym.

An Salomon iustè Ioab occiderit. Et quòd princeps, qui negligit corrigere vitia, peccat mortaliter.

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRITVR an Salomon iustè occiderit Ioab? Respondendum, quòd sic, quia Salomon interfecit Ioab pro peccatis suis, & egit vt ipse non teneretur tanquam non castigans vitia publica. Pertinet enim ad Principem punire omnia vitia publica. Salomon igitur occidit iustè Ioab ex tribus. Primò, ex potestate iurisdictionis: nam Salomon præ-

E *Creditur q̃ Hiero. benè trãstulit, et q̃ corrupta est litera vitio scriptorum.*

A erat iurisdictioni, cùm esset Rex, ideo pertinebat ad eum punire omnes criminosos. Secundò erat mors iusta ex causa iusta, scilicet, quia peccauerat Ioab, scilicet, occidendo Abner, & Amasam, & Absalom, & fuit partialis Adoniæ contra Salomonem. Tertiò erat mors iusta ex intentione Salomonis iubentis eam inferri, quia hoc faciebat ex debito officij sui, & non ex desiderio sæuiendi in eum, vel ad vindictam. Hoc patet, quia ad illum, qui præest iurisdictioni, pertinet vitia corrigere, & punire, & si neglexerit peccat mortaliter, quia dicitur contemnere imperium Domini. Leuit. 20. Et ob hoc Dauid desiderauit punire Ioab propter crimina sua, multis tamen obstantibus causis non occidit eum, de quibus supra dictum est. Ideo commisit Salomoni, quòd occideret eum: ipse autem Salomon tam propter debitum officij sui, & principaliter, quàm propter præceptum patris, occidit Ioab, timens quòd si non occideret eum, imputaretur sibi ad culpam. Sic patet infra in litera, cùm dixit Salomon: interfice eum, & sepeli, & amouebis sanguinem innocentem, qui effusus est à Ioab à me, & à domo patris mei: & reuertetur sanguis illorum in caput Ioab, & in caput seminis eius in sempiternum: Dauid autem, & semini eius, & domui, & throno illius sit pax vsque in æternum à Domino. Et sic occidit eum iusta intētione, ergo non peccauit, sed potius peccasset, si non occidisset eum.

B *Quare Salomon licèt semper intenderit occidere Ioab: tamen voluit inquirere aliquam causam.*

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR vlteriùs quare Salomon non occidit ante hoc Ioab, quia iustam causam habebat ad occidendū eum, scilicet, quia fuderat sanguinem innocentem. Respondendum, quòd Salomon intendit semper occidere Ioab, quia Dauid commendauerat ei hoc: & tamen ne videretur occidere eum ex præcepto Dauid, vel propter illa, quæ agit tempore Dauid, ne ex hoc argueretur iniustitia Salomonis, aut negligentia Dauid, voluit inquirere aliam causam contra eum, scilicet, quod mereretur mortem ex alio colore, & quia ante hoc non apparuerat aliquid in Ioab, quod fecisset regnante Salomon, propter quod mereretur mortem, non occiderat eum: nunc autem, quia apparuit eum cōspirasse cum Adonia, occidit illum. Et hoc significauit Dauid, cùm dixit Salomoni: Vir autem sapiens es, & scies quod facies ei, quòd quamquàm dicatur de Semei, tamen etiam intelligitur de Ioab: & sic quæsiuit nunc cautelā ad occidendum ipsum ex alia causa.

Sed dicet aliquis, quòd non apparuit nunc aliqua causa de nouo, propter quam deberet occidi Ioab.

Dicendum, quòd fortè apparuit per inquisitionem, quòd C Ioab conspirasset cum Adonia, faciendo cum eo conuenticula regnante Salomone. Vel dato, quòd non apparuisset per testes, saltem apparebat per præsumptionem fortem, cùm Ioab fugisset ad tabernaculum illicò, vt comperit occisum fuisse Adoniam. Et hoc sufficiebat Salomoni, quia ipse solùm volebat apparentiam coram populo, cùm veritatem criminum suorum benè nosset. *Et venit Banaias ad tabernaculum Domini.* Scilicet, ad domum Dauid, in qua erat arca, & vbi erat Ioab. *Et dixit ei.* Scilicet, ad Ioab. *Hæc dicit Rex, egredere.* Id est Rex iubet, quòd egrediaris. *Qui autem non egrediar, sed hic moriar.* Id est, Ioab dixit non egrediar de sanctuario, sed potius volo hic mori, quàm extra.

Ioab quare voluit interfici potius in sanctuario, quàm extra.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR cùm Ioab sciret se interficiendum in sanctuario, vel extra, quare non exibat de sanctuario, vt occideretur in loco non sacro, sine iniuria sanctuarij, quàm intus. Respondet Rabbi Sal. quòd istud fecit Ioab, vt posset sepeliri in sepulchris patrum suorum, & dicit, quòd illi, qui occidebantur per domum iudicij, sepeliebantur in quodam agro communi extra sepulchra patrum suorum, & istud erat dedecus. Ideo voluit Ioab occidi in sanctuario, ne sepelirentur cum alijs occisis. Sed istud est nimis fictum, quia non videtur fuisse talis consuetudo inter Iudæos, nec colligitur ex aliquo loco Scripturæ, sed solùm pro peregrinis, qui non erant de stirpe Israëlitarum, sic patet in passione Christi, cùm dicitur, quòd triginta argentei, qui dati fuerant pro Christo, cùm redacti essent summis sacerdotibus, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum, Matthæi 27. Pro occisis autem si erant de stirpe Israël, non erat necessarium sepulchrum nouum fieri, quia ipsi habebant sepulchra patrum suorum: si autem essent peregrini, sepelirentur in sepulchris peregrinorum. Item non stat, quia si talis consuetudo fuisset, siue Ioab occideretur intra sanctuarium, siue extra, sepelirctur in agro occisorum per domum iudicij: quia præcepto iudicis, scilicet, Salomonis occidebatur, siue intra, occideretur. Dicendum ergo, quòd non egit propter hoc Ioab, sed quia putauit, quod cùm maneret in sanctuario, non occideretur propter reuerentiam loci, & quamquàm diceret non egrediar, sed hic moriar, non dicebat tanquam sciens se occidendum ibi, sed dicebat ex abundantia, scilicet, ad omnem casum ego manebo in sanctuario, siue viuam, siue moriar. Vel dicendum quod dato, quòd Ioab crederet se occidendum, etiam si maneret in tabernaculo, tamen volebat ibi manere, quia putabat, quòd si exiret fortè infligerentur ei aliqua genera durorum tormentorum, & cùm maneret in sanctuario occideretur morte veloci, & minus pœnali, ideo ibi potius volebat mori. E

D

An peccauit Salomon volendo educere Ioab de sanctuario, & postea occidendo in sanctuario: & an maledictiones Ioab venerint super Salomonem.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauit Salomon educere de sanctuario volendo Ioab. Aliquis dicet, quòd sic, quia cùm esset in loco sacro, debebat gaudere immunitate loci. Respondendum, quòd non peccauit iubendo eum exire de sanctuario; & fortè aliquis dicet, quòd differt inter iubere exire, & educere: quia qui iubet exire, non infert aliquam violentiam, & sic non infringit immunitatem locorum sacrorum: qui autem educit alium de loco sacro, infert violentiam, ideò infringit immunitatem loci. Sic etiam Salomon fecit, quia non iussit educi Ioab de sanctuario, sed iussit quòd diceretur ei, quòd exiret, & sic factum est. Istud verum est, quia si iudex, vel alius dicat confugienti ad Ecclesiā, quòd inde exeat, si nihil aliud contra eum committat, non incurrit sententiam excommunicationis, nec est violator libertatis Ecclesiasticæ. Sed dicendum de Salomone, quòd etiā si fecisset educi Ioab de sanctuario, non peccabat, quia Ioab occiderat duos viros per insidias, scilicet, Amasam, & Abner. Insidiosi autem occisores non gaudent immunitate sanctuarij: sic patet Exod. 21. scilicet, Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur. Alij autem non poterant educi de sanctuario. Sciendum autem, quòd quidam Hebræi dicunt, scilicet, Rabbi Dauid Kimhi, & alij, quòd Ioab dixit Banaiæ, quando volebat occidere eum, quòd diceret Salomoni, quòd non debebat pati duplicem pœnam, scilicet, quia Dauid maledixerat ei, præcedenti lib. cap. 3. dicens: Nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane. Nunc autem Salomon volebat occidere eum, quod erat iniustum, quia sufficiebat ei aliqua istarum pœnarum, ideo si volebat Salomon, quod ipse pateretur maledictiones, quas imposuit Dauid, non debebat occidere eum. Si autem volebat occidere ipsum, debebat ipse Salomon accipere super se maledictiones, quas posuerat Dauid super Ioab: & tunc redijt Banaias ad Salomonem loquens ei ista, & Salomon respondit, quod volebat recipere super se maledictiones, quas imposuerat Dauid, vt occideretur Ioab, & de hoc dicunt intelligi id, quod infra dixit Salomon, scilicet, Fac ei, sicut locutus est, id est, ipse proposuit istam electionem, & ego istam suscipio, & sic dicunt, quòd omnes istæ maledictiones venerūt super domum & progeniem Salomonis: nam dicunt quòd filius eius Roboam fuit fluens F

semine

A

semine,& ex hoc erat vir deficiens viribus. Hoc probãt,quia quando Israëlitæ lapidauerunt collectorem tributorum Roboam,ipse ascendit super currum, & fugit: ex quo apparet, quod non poterat equitare super equum propter fluxum seminis. De hoc infra 12.Sed ista probatio fatua est.Item dicũt, quod fuit leprosus de semine Salomonis, scilicet, ipse Osias, qui cùm vellet offerre Domino thymiama, percussus est lepra in fronte,seq.lib.cap.15.Item tenens fusum,id est baculũ, fuit Asa filius Abia,qui fuit podagricus,& non poterat se pedibus sustentare,vt patet 2.Paralip.16. Item cadens gladio fuit rex Ioachim, qui occisus fuit tempore Regis Nabuchodonosor,vt aliqui volunt. Et verum est, vt patet Ierem.22. scilicet,Sepultura asini sepelietur iniustus occisus, & putrefactus etiam fuit Iosias occisus:nam in bello contra Pharaonem occisus est,seq.lib.cap.23.Item indigens pane fuit rex Sedechias tempore obsidionis, quia non reperiebatur panis in Ierusalem. Sed dicendum,quòd ista fictitia sunt, quia Salomon nullo modo vellet accipere super se maledictiones, quæ venturę erant super Ioab,vt posset occidere ipsum. Item dato, quod vellet Salomon facere istud pactum cum Ioab, non propter hoc veniret maledictio super eum,&trãsiret à Ioab:quia maledictio veniebat ex voluntate Dei;ideo ligaret illum solum, quem Deus vellet.Item non consonat literæ iste sensus, quia Ioab solum dixit non egrediar,sed hic moriar: & non exprimitur in litera, nec patet ex circumstantia eius aliqua conuẽtio inter Salomonem, & Ioab. Item istud esset, si fortè Ioab non mereretur istas duas pœnas pro peccato, sed merebatur eas,& adhuc maiores. Nam pro morte Abner reus erat mortis, & pro morte Amasæ iterum, & iterum pro morte Absalom, & iterum pro cõspiratione cum Adonia:& sic vna mors istarum poterat commutari in maledictionem,ideo nõ oportebat,quod cessaret aliqua istarum.

B

An peccauit Salomon occidendo Ioab in templo.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauit Salomon faciendo quòd occideretur intra sanctuarium? Aliquis dicet, quòd sic, quia quando aliquis non meretur gaudere immunitate Ecclesiastica,potest educi,& occidi: tamen non potest intra Ecclesiam occidi:nam ita violabitur immunitas Ecclesiastica occidendo ibi aliquem dignum morte, & indignum Ecclesiastica immunitate, sicut si aliquis dignus gaudere illa extra Ecclesiam ad occidendum educatur. Cùm ergo posset nunc Salomon educere Ioab de sanctuario,& tamen occidebat eum intra,peccaret. Respondendum,quòd Salomon nõ peccabat, quia si intellexisset hoc esse illicitum, non egisset, cùm nunc esset Deo deuotus, præsertim, quia poterat facere aliter, & pro re nullius valoris nollet peccare. Dicendum igitur,quòd si tale fieret in Ecclesia, peccatum esset, nec posset aliquis illud excusare,tamen Salomoni licuit, & hoc poterat esse dupliciter. Vno modo quòd Ioab fortè taliter erat dispositus, quòd nullus posset educere eum de sanctuario, nisi prius occideret, aut vulneraret, cùm ipse disposuisset potius ibi mori, quàm extra; ideo vt non euaderet impunitus, occisus est ibi. Aliter potest dici, quòd sanctuarium legis veteris non pollebat tanta sanctitate, & munditia, sicut Ecclesia nostra, quia ibi occidebantur animalia,& decoriabantur, atque cremabantur, ideo vbi poterant occidi animalia ad sacrificia, poterant occidi homines iniusti, quia sacrificium Dei est mors impij, & sic licuit ibi occidi Ioab nolentem egredi.

C

Salomon quare non pepercit Ioab, sicut Abiathar,imponendo minorem pœnam.

QVÆSTIO XXXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Salomon non pepercit Ioab imponendo ei minorem pœnam, licèt esset reus mortis: nam sic fecit cum Abiathar, qui erat morte dignus, & tamen noluit eum occidere Salomon propter obsequia, quæ fecerat patri suo, sic patet supra, scilicet, Et quidem vir mortis es: sed hodie non te interficiam, quia portasti arcam coram Dauid patre meo, & sustinuisti laborem in omnibus, in quibus ille sustinuit. Ioab tamen plura obsequia fecerat Dauid,quia omnia bella eius faciebat, & acquisiuit ei magnã gloriam, vt patet ex processu præcedentis libri: ideo potius eius miserendum erat?

D

Respondendum,quòd maiora obsequia præstiterat Ioab Dauid, quàm Abiathar, tamen erant multa ex parte Ioab, quæ obstabant vitæ eius, quæ non obstabant Abiathar: nam Abiathar non fecerat alia peccata, nisi quod læserat maiestatem regiam conspirando contra Salomonem, & quia ista erat iniuria personalis, poterat ipse remittere eam: Ioab autem fecerat alia peccata, scilicet, quia occiderat Amasam, & Abner, & Absalom. Ideo licèt posset Salomon remittere ei, quòd contra eum conspirasset, tamen non poterat remittere peccata facta contra alios. Item dignum erat misereri Abiathar pro peccatis factis contra Salomonem, eo quòd Dauid non iusserat illum occidi. De Ioab tamen iusserat specialiter, quòd occideretur: ideo nolebat, quòd obsequia ei facta, proficerent ad excusandum mortem eius; & ob hoc Salomon non parceret ei, vt obediret patri: dato quòd aliàs intenderet misereri Ioab. Item Ioab erat magnum scandalum ipsi Salomoni si viueret, quia poterat ei insidiari ad auferendum regnum, adhærendo alicui de filijs Dauid maioribus Salomone, quia Ioab erat valde potens: ideo vt auferret timorem occidit ipsum, secus autem erat de Abiathar,quia ille non erat vir tam potens, & paucum scandalum poterat venire per ipsum, ideo permisit illum viuere. *Renunciauit Banaias Regi sermonem.*Id est,nunciauit ei sermonem Ioab.*Dicens,hæc locutus est Ioab,& hæc respondit mihi.*Scilicet,quòd nolebat exire de sanctuario, sed ibi mori, & dicitur locutus est, & respondit, non tanquam ista essent diuersa: quia solum dixit Ioab id, quod habetur supra,sed est replicatio sententiæ. *Dixitq; ei Rex.* scilicet, Banaiæ. *Fac sicut locutus est* scilicet, Non educas eum de sanctuario, sed occide ibi. *Et interfice eum,& sepeli.* Istud dixit ad honorem Ioab,quia licèt occideretur pro delictis suis, tamen honorandus erat in officio funeris,quia erat vir potens,& de magno genere, scilicet,cognatus Regis: nam ipse, & Salomon erant filij duorum fratrum: nam Dauid, & Saruia mater Ioab erant fratres.primo Paralipomenon 2. *Et amouebis sanguinem innocentem.* scilicet, sanguinem Abner,& Amasæ, quia ambo erant innocentes, & insidiosè, & sine causa occisi sunt à Ioab. *Qui effusus est à Ioab.*Id est,ipse occidit illos, præcedenti libro, capite 3. & 20. *A me,& à domo patris mei.* scilicet, quando occideris eum, amouebis sanguinem innocentem à me: quasi dicat, Si ego non vindicarem sanguinem istorum, cùm pertineat ad me ex officio, clamaret sanguis eorum contra me, & imputaretur mihi,& domui patris mei,scilicet,quia super me, & super domum patris mei veniret pœna pro sanguine istorum,quia sanguis pereuntium requiritur à Deo de manu Iudicum. Ezechiel. 3.& 33. scilicet, Si aliquid mali fit per negligentiam iudicum. ita si mala, quæ commissa sunt, non fuerunt purgata negligentia iudicum, requiret Deus de manu eorum, cùm autem punierint delinquentes, iam Deus non poterit requirere de manu eorum. *Et reddat Dominus sanguinem eius super caput eius.* scilicet, Dominus faciat, quòd pro effusione sanguinis Ioab nullus puniatur, nisi ipse. Est enim modus loquendi vulgatus in lege, quòd quando aliquis occiditur, necesse est, quòd aliquis portet iniquitatem illius: nam si iniustè occiditur, ille, qui occidit eum, portat iniquitatem suam. Si autem iustè occiditur, nemo portat iniquitatem illius, sed ipsemet qui occiditur, portat iniquitatem suam. Sic habetur Leuitici 20. vbi ponitur lex multiplex pœnalis, & de quolibet qui occiditur dicitur, quod portabit iniquitatem suam, id est, quòd ex morte illorum super nullum venit iniquitas, nisi super ipsos; qui moriuntur, quia mortem meruerunt: & aliquando dicitur, quòd sanguis alicuius erit super caput eius, id est, pœna pro effusione sanguinis solum veniat super ipsum; sic dicitur præcedenti libro,capite 1. Cùm Dauid dixit ad iuuenem Amalecitam: sanguis tuus sit super caput tuum. Et subditur: os enim tuum locutum est aduersum te, id est, tu mereris mortem, ideo sanguis tuus sit super te. Similis modus loquendi est Matthæi 27. Cùm dixit Pilatus: Innocens ego sum à sanguine iusti huius: populus autem dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.

E

F

A

ſtros. *Quia interfecit duos viros iuſtos meliores ſe.* ſcilicet, Occidit Abner, & Amaſam, qui erant duo viri meliores, quàm ipſe Ioab. Dicitur autem, quod erant iuſti, id eſt, innocentes, quia licèt offendiſſent Deum, quantum ad alia, tamen non offenderant Ioab, ita vt mererentur ab eo occidi. Vocantur autem meliores quàm Ioab, quia quilibet illorum fuerat princeps exercitus totius Iſraël, ſupra in litera, & erant viri animoſi, & belli coſi nimis, & quantũ ad hoc erãt æquales Ioab: erant tamen meliores Ioab, quia nullus eorum erat inſidiator, ſicut ipſe. *Et occidit eos gladio.* Id eſt, ita occidit eos gladio, quaſi ſi occidiſſet in bello iuſto, & tamen erat pax: ſic dixit ſupra Dauid, & effudit ſanguinem belli in pace, id eſt, in pace exiſtens fecit opera belli. *Patre meo Dauid ignorante.* Quaſi dicat: ſi pater meus iuſſiſſet ei, quamquam malum eſſet, ipſe aliqualiter excuſaretur, ſicut fuit in occiſione Vriæ: quia fecit illum mori in bello ex præcepto Dauid, præcedenti lib. cap. 11. Et tunc pater meus culparetur, tamen fecit iſtud patre meo ignorante, immò dolente nimis: quia quando ſciuit iſtos occiſos, fleuit amarè. De Abner patet præcedenti libro, cap. 3. De Amaſa autem non habetur ſatis, tamen credendum eſt, quod doluerit pro ipſo. *Abner filium Ner principem militiæ Iſraël.* Iſtum occidit antequam Dauid eſſet rex Iſraël, & erat princeps exercitus Iſraël: quia tempore Saulis Abner erat princeps exercitus Iſraël, ſupra 1. lib. cap. 14. & 26. Poſtea etiam tempore Iſboſeth ipſe erat princeps totius exercitus, præcedenti lib. cap. 2. & 3.

B

Et Amaſam filium Iether. Iſte erat pater Amaſæ, & vocatur Iethra, præcedenti libro, cap. 17. Et ex parte huius non erat Amaſa cognatus Dauid, nec Salomonis, ſed ex parte matris: nã Abigail mater Amaſæ erat ſoror Dauid. 1. Paralipom. 2. *Principem exercitus Iuda.* Quia Dauid conſtituit Amaſam principem exercitus, & miſit eum ad congregandum omnes viros Iuda, præced. lib. cap. 20. & tunc occiſus eſt à Ioab.

Sed obijcietur, quòd Amaſa erat princeps exercitus Iſraël, quia ſupra in litera dixit Dauid: Tu noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, & quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſraël, ſcilicet Amaſæ, & Abner.

Reſpondendum, quòd Amaſa erat princeps exercitus totius Iſraël, quia Dauid poſuit eum loco Ioab, præcedenti lib. cap. 19. Et tamen Ioab erat princeps exercitus totius Iſraël, ergo etiam eſſet Amaſa, ſed dicitur quod erat princeps exercitus Iudæ; quia ſpecialiter ſibi commiſſus fuerat exercitus Iudæ: nam ad congregandum eum miſſus eſt, præced. lib. c. 20. Vel dicitur princeps exercitus Iudæ; quia Dauid miſit ad vocandum Amaſam, poſtquàm ille fuerat princeps exercitus Abſalom: & ipſe duxit ſecum totam tribum Iuda ad Dauid, vt colligitur præced. lib. cap. 19.

Quare non fiat mentio, quòd Ioab occiderit Abſalom.

QVÆSTIO XL.

C

QVÆRETVR quare non dicitur hic, quòd etiam effudit Ioab ſanguinem Abſalom? Aliquis dicet, quòd Ioab licitè occidit Abſalom: ideo pro morte eius non erat puniendus. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia Ioab peccauit occidendo illum, cùm occiderit contra præceptum Dauid, præcedenti lib. cap. 18. vbi hoc magis declaratum eſt. Sed dicendum, quòd non expreſſit Abſalom, quia volebat oſtendere Salomon ſe procedere ex ſolo zelo iuſtitiæ: ſi tamen occidiſſe Abſalom dixiſſet Ioab, videretur procedere ex zelo vindictę; cùm Abſalom eſſet frater Salomonis, ideo tacuit. Item volebat Salomon valde aggrauare factum Ioab oſtendẽdo, quòd illi, quos occiderat Ioab, erant viri boni, & iuſti: nam dixit hic, quòd occidit Ioab duos viros iuſtos meliores ſe; & tamen de Abſalom non erat hoc verum; quia ipſe non erat vir iuſtus, ſed ſceleratiſſimus. Etiam non erat Abſalom melior, quàm Ioab, & tamen de alijs duobus viris dicitur, quòd erãt meliores, quàm Ioab. Item Ioab habuit colorem occidendi Abſalom, quia pugnabat in acie contra eum, & tamen non habuit aliquem colorem occidendi Amaſam, & Abner, quia non erat bellum. Vnde notanter dixit ſupra Dauid ad Ioab, quòd effudit ſanguinem belli in pace: non ergo fuit hoc conueniens exprimi Abſalom, licèt pro ſola occiſione illius, nulla alia data, eſſet Ioab reus mortis. *Et reuertetur ſanguis illorum in caput Ioab.* Iſtud dicitur, quia Ioab iniuſtè occiderat illos, & pœna pro iniuſta occiſione venit ſuper occiſorem, ſupra tamen dicebatur de Ioab, quòd veniret ſanguis ſuus ſuper caput ſuum, ſcilicet, quia ipſe erat reus mortis. *Et in caput ſeminis eius vſque in ſempiternum.* Id eſt, etiã veniat pœna pro occiſione iſtorum virorum ſuper caput filiorũ Ioab vſque in ſempiternum, id eſt, nunquàm deficiat pœna de domo eius. Iſtud eſt, quod dixit Dauid imprecans mala ſuper Ioab, præcedenti libro, capite 3. ſcilicet, Nec deficiat de domo Ioab fluxum feminis ſuſtinens, & leproſus, & tenens fuſum, & cadens gladio, & indigens pane. Ex hoc patet inſania Rabbi Sa. ſcilicet, quòd Salomon ſuſceperit ſuper ſe maledictiones, quas Dauid imprecatus fuerat ſuper Ioab, quia hic patet contrarium, cùm Salomon imprecetur ſanguinem iſtorum ſuper filios Ioab, ſicut imprecatus fuerat Dauid. *Dauid autem, & ſemini eius, & domui eius, & throno illius ſit pax vſque in æternum à Domino.* Id eſt, tota pœna pro occiſione illorum virorum veniat ſuper Ioab, & filios eius, & nihil veniat ſuper Dauid, & filios ſuos, ſed Deus det ei pacem, & quietem, & poſteris ſuis vſque in æternum. Dicitur autem ſemini Dauid, id eſt, omnibus filijs eius: domus autem vocatur tota familia, & poſſeſſiones: thronus dicitur eſſe ipſe ſtatus regius, & pro omnibus his volebat Salomon pacem, ſcilicet, quòd non accideret aduerſitas circa aliquid iſtorum.

D

Quomodo Dauid poſſet eſſe pax, dum eſſet mortuus, & extra pericula.

E

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR quomodo dixit Salomon, quòd Dauid ſit pax: quia iam Dauid erat extra pericula, cùm eſſet mortuus? Aliquis dicet, quod accipitur Dauid pro filijs ſuis: ſed iſtud non videtur, quia hic ponitur Dauid, & etiam exprimuntur filij ſui. Ideo oportet accipi Dauid pro ipſa perſona, & non pro poſteris. Reſpondendum, quòd fortè Salomon intellexit pro Dauid, id eſt, pro anima ſua, ſcilicet, quòd Deus non imputaret ei ſanguinem iſtorum virorum ad peccatum, nec puniretur in purgatorio pro eis, ſed eſſet ei pax, id eſt, quies in ſinu Abrahæ, vbi erant omnes ſancti Patres: & iſte ſenſus eſt valde conueniens veritati, & modo noſtro loquendi, ſi velimus intelligere, quòd Salomon ſic acceperit. Aliter poteſt dici, quòd accipitur hic Dauid non pro anima ſua, ſed pro ipſo Dauid, qui in re non erat ens, ſed ſolum in opinione manentium in vita, ſecundùm modum loquendi Philoſophi: & quantum ad iſtud eſſe poteſt mortuis bonum, vel malum aduenire quod eorum fœlicitatem augeat, vel diminuat: quia cùm amici, vel pronepotes proſperantur, dicitur ipſe defunctus florere in ſua fœlicitate; cùm iſti patiuntur infortunia, fœlicitas defuncti præterita quodammodo decoloratur, & tegitur caligine: non tamen tantùm confert conditio viuentium ipſis mortuis, quòd fœlicibus auferat fœlicitatem, aut his, qui infœlices fuerunt, conferat beatitudinem. Iſta eſt poſitio Ariſtot. 1. Ethic. cap. pronepotum autẽ fortunas. Et ſecundùm hoc, ſi accideret aliquod malum poſteris Dauid, videretur ex hoc quodãmodo minui fœlicitas Dauid ſecundùm opinionem viuentium, ideo orabat Salomon, ne aliquod tale malum accideret per quod minueretur fœlicitas Dauid, ſed ſemper eſſet ei pax, id eſt, maneret proſperitas Dauid in opinione hominum, quæ tunc manebat, & hoc per fœlicitatem poſterorum ſuorum.

F

Alio modo poteſt dici, quòd Dauid non ponitur hic pro ipſo Dauid, ſed pro poſteris ſuis, nec etiam obſtat, quòd ponatur hic Dauid, & ſemen ſuum, quia ſæpè fit repetitio, vel poſitio aliquorum ſuperuacuè: ſic patet Geneſ. 26. cùm Deus dixit ad Iſaac, tibi & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has: & tamen ſolùm ibi intelligitur de ſemine Iſaac, & non de ipſo Iſaac, quia non fuit tradita Iſaac terra Chanaan, nec fuit in eo completa repromiſſio, Ad Hebr. 11. ſed in poſteris ſuis, qui poſt annos plus quàm quadringentos ingreſſi ſunt in terram illam. Ita ergo accipietur hic Dauid, & ſemen ſuum pro ſolo ſemine Dauid. Et licèt prædictæ reſponſiones ſint conuenientes, iſta tamen vltima eſt magis literalis. *Aſcendit itaque Banaias filius Ioiadæ*, ſcilicet, aſcendit in tabernaculum ad occidendum Ioab. *Et aggreſſus interfecit eum.* Scilicet, interfecit eum quaſi pugnando, Ioab tamen nulla arma habebat,

A

ſed tenebat cornu altaris. *Sepultusq́, eſt in domo ſua in deſerto.* Salomon iuſſerat eum ſepeliri, quia erat de ſanguine ſuo, delatumque eſt cadauer eius in terram ſuam: nam non fuit ſepultus in Ieruſalem, quia non erant ibi ſepulchra patrum ſuorum, ſed delatum eſt cadauer eius in deſertum, id eſt, in quandam partem ſaltuoſam ſortis Iudæ, in qua habebat Ioab hæreditatem: & ſic dicitur de beato Ioanne, quòd erat in deſerto Iudææ prædicans, & baptizans in Iordane, vt patet Matthæi 3. & Marci 1. Ibi autem erat domus Ioab, id eſt, tota poſſeſſio eius. *Et conſtituit Rex Banaiam filium Ioiadæ pro eo ſuper exercitum.* Non eſt intelligendum, quòd ante hoc Ioab eſſet princeps militiæ Salomonis, & quòd poſt mortem eius conſtitutus fuerit Banaias princeps militiæ: nam nullo modo erat hoc veriſimile, quia antequam vngeretur Salomon in Regem, erat Ioab in partialibus Adoniæ, præcedenti cap. Et tunc fugit ipſe, & alij, & deinde ſemper fuit ſuſpectus Salomoni, nam ipſe dixit ſupra ad Bethſabe, quòd Adonias habebat ſecũ Abiathar, & Ioab: quomodo ergo faceret eum principem militiæ? Dicendum ergo, quòd ſemper fuit Banaias princeps exercitus Salomonis, & nunquam Ioab: tamen dicitur quod conſtituit Salomon Banaiam ſuper exercitum pro Ioab, id eſt, ſicut ſolebat eſſe Ioab princeps militiæ tempore Dauid, ita fuit nunc princeps militiæ Banaias tempore Salomonis. Similis modus loquendi habetur præcedenti lib. cap. 27. cùm dicitur, quòd Abſalom conſtituit Amaſam ſuper

B

exercitum pro Ioab: & tamen manifeſtum eſt, quòd nunquã Ioab fuerat princeps exercitus Abſalom, ſed ſemper Dauid. Etiam, quia nunquam Abſalom habuerat exercitum ante hoc. Ideo non poterat Ioab fuiſſe princeps exercitus eius, ſed dicitur, quod conſtituit Amaſam pro Ioab, id eſt, ſicut Dauid habebat ſuper exercitum in principem Ioab, ita Abſalom voluit habere Amaſam. *Et Sadoc ſacerdotem poſuit pro Abiathar.* Hic accipitur propriè, quia etiam viuente Salomone Abiathar fuerat ſacerdos magnus, cùm infra 4. dicatur, quòd Sadoc, & Abiathar erant ſacerdotes Salomonis, & nunc priuatus fuerat Abiathar ſummo ſacerdotio, & inſtitutus fuit loco eius Sadoc.

Sadoc quomodo potuit inſtitui ſacerdos, cùm ante hoc eſſet ſummus ſacerdos, & quando fuit vnctus.

QVÆSTIO XLII.

QVÆRETVR, quomodo Sadoc potuit inſtitui ſacerdos, Abiathar eiecto, quia etiam ante hoc erat ſacerdos Sadoc, ſiue viuente Dauid, ſiue Salomone. De Salomone patet infra 4. quòd iſti duo erant ſacerdotes eius: de Dauid patet præcedenti libro, cap. 8. & 20. & 1. Paralipomenon 18. Ergo non poterat nunc poni loco Abiathar. Iudæi reſpondent, quòd Sadoc erat ſacerdos, & tamen nondum vnctus fuerat

C

in ſacerdotem: nunc autem vnctus eſt, ideo dicitur eſſe pro Abiathar. Sed dicendum, quòd hoc non ſtat, quia ſummus ſacerdos immediatè, vt efficiebatur ſummus ſacerdos debebat vngi, & conſecrari, & ante conſecrationem iſtam non poterat miniſtrare, ſic patet Exodi 29. & Leuitici 8. & 9. vbi ponitur conſecratio Aaron, & ibi habetur, quòd in illis diebus ſeptem, in quibus conſecrabatur non miniſtrabat, ſed Moyſes faciebat omnes miniſtrationes ſacerdotales, quamquàm non eſſet ſacerdos. Deinde die octauo expleta conſecratione Aaron, & filiorum ſuorum ipſi incœperunt miniſtrare, vt patet Leuitici 9. & 10. Ita ergo eſſet de Sadoc, & quolibet alio ſacerdote, quòd non poſſet miniſtrare, niſi cõſecratus eſſet. Sadoc tamẽ fuerat ſummus ſacerdos toto tempore Dauid: ergo neceſſe eſt ipſum fuiſſe conſecratum ante hoc. Item dato, quòd ante hoc non fuiſſet Sadoc conſecratus nihil attinebat ad propoſitum, quia hic dicitur, quòd poſuit Rex Sadoc ſacerdotem pro Abiathar, & ſic non accepit hic ſimpliciter, quòd eſſet ſacerdos, ſed quod haberet vices Abiathar. Ante hoc tamen exercebat officium pro ſe: ergo ſi non erat conſecratus, quando viuente, & manente Abiathar in ſummo ſacerdotio, miniſtrabat Sadoc, nec etiam nunc neceſſe eſſet, vt ad hoc, quod haberet vices Abiathar, conſecraretur. Aliquis fortè dicet, quòd Sadoc ante hoc ſolum erat ſacerdos, quantum ad ius, ſed nondum de facto erat ſacerdos magnus, nec miniſtrabat. Sed dicendum, quòd non ſtat, quia viuente Dauid miniſtrabat Sadoc in ſanctuario, & erat princeps aliorum ſacerdotum, vt patet 1. Paralipomenon 16. ſcilicet, quòd conſtituit Dauid Sadoc ſacerdotem & fratrem illius ſacerdotes coram tabernaculo Domini in excelſo, quod erat in Gabaon, vt offerret holocauſta Domino, & tamen manifeſtum eſt, quòd ibi erat neceſſaria miniſtratio ſummi ſacerdotis, ſaltem ſemel in anno in die propitiationis: Leuit. 16. & ad Hebr. 9. Ergo Sadoc qui præponebatur cæteris, 1. Paralip. 16. & 24. miniſtrabat in ſummo ſacerdotio. Dicendum autem, quòd veritas huius eſt, quòd tam Sadoc, quàm Abiathar erant ſummi ſacerdotes tempore Dauid: & ambo erant conſecrati, & miniſtrabant, nec fuit nouiter nunc conſecratus Sadoc, eiecto Abiathar, tanquam prius non eſſet ſacerdos magnus. Pro quo ſciendum, quòd Abiathar cõſecratus fuit in ſacerdotem tempore, quo Dauid regnabat in Hebron: nam antequã fugeret Abiathar ad Dauid nõ erat ipſe ſummus ſacerdos, ſed pater ſuus Abimelech, quẽ occidit Saul, ſupra 1. lib. c. 22. Proueniebat autem ſummum ſacerdotium ſecundùm ſucceſſionem ipſi Abiathar, qui non potuit vngi in ſummum ſacerdotem viuente Saule, quia tũc erat Dauid ſemper profugus à facie eius per deſerta & colles, & Abiathar erat cum illo, ideo non poterat vngi: poſtquã autem cœpit regnare Dauid in Hebron, potuit Abiathar vngi, & credendum eſt, quòd ibi vnctus fuerit. De Sadoc autẽ dicendum, quòd vnctus fuerit in ſummum ſacerdotem tempo

E

re Saulis: nam Saul occidit Abimelech, & omnes ſacerdotes, qui erant de cognatione ſua, ſupra 1. lib. c. 22. Et iſti erant de domo Heli & Ithamar. Ideo non manebat aliquis de ſtirpe illa, ad quem directè veniret ſummum ſacerdotium per lineã Heli, & etiam dato, quòd aliquis maneret, nollet Saul, quòd ille eſſet ſummus ſacerdos, eo quòd habebat exoſos omnes de cognatione illa, putans quòd coniuraſſent contra eum cũ Dauid, vt patet prælegato ca. & ob hoc fecit, quòd ſummus ſacerdos eſſet de alia cognatione, ſcilicet de domo Eleazari, & inſtitutus fuit Sadoc, ad quem directè veniebat per lineam Eleazari: & Phinees ſi nunquam illa interrupta fuiſſet, ſicut declaratũ eſt ſupra in quadam quæſtione. Fuit autem Sadoc ſacerdos poſtea viuente Saule, dum erat profugus Dauid à facie eius, fuit etiã ſacerdos illis ſeptem annis, & dimidio, quibus regnauit Dauid in Hebron ſuper Iudam, & Iſboſeth filius Saulis regnabat ſuper Iſraël. Deinde cũ Dauid factus eſt rex totius Iſraël, debebat eſſe ſummus ſacerdos vnus, ſicut à principio inſtitutus fuerat à Domino: & tamen Dauid licet ſatis voluiſſet ex affectione, quòd Abiathar ſolus maneret in ſummo Sacerdotio, quia diligebat eum, cùm fuiſſet cum ipſo in omnibus laboribus, tamen non auſus eſt priuare Sadoc ſummo ſacerdotio, eo quòd ille conſecratus fuerat, & iam multis annis fuerat ſacerdos, & etiam proueniebat ei directè ſacerdotium per lineam Phinees, cui Deus promiſerat ſacerdotium in ſempiternum. Numer. 25. Ideò voluit, quòd manerent tam Abiathar, quàm Sadoc ſummi ſacerdotes, & ſic fuerunt toto tempore Dauid, & voluerat Dauid, quòd ſemper ſic manerent, quia tamen Abiathar peccauit contra Salomonem in crimine læſæ maieſtatis, priuauit eum, vt patet hic. Sciendum autem, quòd ſummus ſacerdos habebat valde magnos redditus, qui exprimuntur Numer. 18. Et dum fuerunt ſacerdotes magni Abiathar & Sadoc, diuidebantur inter eos redditus: poſtquam verò eiectus eſt Abiathar de ſacerdotio, prẽuenerunt omnes redditus ipſi Sadoc: & ipſe cœpit habere omnem miniſtrationem ſacerdotij, & hoc eſt quòd dicitur hic, ſcilicet, quòd Sadoc inſtitutus eſt pro Abiathar; quia primò habebat redditus pro dimidia parte, & miniſtrationẽ ſimiliter, Abiathar autem habebat aliam medietatem, nunc verò priuato Abiathar cœpit habere Sadoc id, quòd prius habebat, & quòd habebat Abiathar, & ſic dicitur, quòd inſtitutus eſt Sadoc pro Abiathar, ſcilicet, in loco ſuo, & illius. Sciendum autem, quòd Sadoc conſecratus fuit in pontificem nunc eiecto Abiathar, vt patet 1. Paralipo. vlt. Sed iſta non fuit conſecratio ad eſſe ſacerdotem, ſed ſolum, vt eſſet nouiter pontifex totius populi, cùm prius ex media parte eſſet pontifex, & ex alia media Abiathar, vt dictum eſt. *Miſit quoque Rex.* Hic Semei lex viuendi imponitur, in quo Salomon inquirit contra eum ad mortem occaſionem, quia ſic iuſſerat Dauid. Et dicitur: *Miſit quoque Rex, & vocauit Semei.* Iſte Semei eſt, qui maledixit Dauid, & proijciebat lapides cõ-

F

tra

Deciſio quæſiti

Sacerdos magnus habebat val de magnos reddi tus.

A tra eum, quando fugiebat à facie Abſalom, præcedenti libro, cap. 16. Non eſt autem intelligendum, quòd immediatè poſt mortem Ioab, & iectionem Abiathar miſerit Dauid ad vocandum Semei, & dixerit iſta, quæ habentur hic: quia fortè prius facta ſunt, ſed ponuntur hic ſimul, eo quòd Dauid cõmendauerat Salomoni iſta facere: *Dixitq; ei: ædifica tibi domum in Ieruſalem, & habita ibi.* Habitabat prius Semei in Bahurim, quæ erat ciuitas ſortis Beniamin. Nam de illa egreſſus eſt, quando maledixit Dauid, præcedenti lib. ca. 16. Nunc autem voluit, quod habitaret in Ieruſalem, vt haberet occaſionem occidendi ipſum. *Et non egredieris inde huc, atque illuc.* Id eſt, nõ ibis ad aliqua loca extra vrbem, ſed manebis ſemper in ea. *Quacunque autem die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron ſcito te interficiendum.* Non arctauit Salomon Semei ad nõ exeundum de Ieruſalem: nam poterat exire ad portam, & manere prope vrbem, & tamen non poterat tranſire torrentem Cedron. Eſt enim torrens Cedron circa portam Ieruſalem apud hortos ciuitatũ, ſic patet Ioan. 18. ſcilicet, Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli ſui: poſuit autem Salomon torrentem Cedron pro termino, quàm aliquid aliud, eo quòd torrens Cedron erat via, qua ibatur de Ieruſalem in Bahurim, de quo loco erat oriundus Semei. Voluit autem Salomon decipere Semei; putauit enim, quòd ad nullum locum magis inclinaretur ire, quàm in Bahurim propter originem. Etiam, quia habebat ibi poſſeſſionem ſuam: nam dato, quod mutaret domum, non poterat vendere poſſeſſiones immobiles, & emere alias in Ieruſalem, quia inter Hebræos poſſeſſiones non poterant tranſmutari de tribu in tribum, vel de familia in familiam, ſicut ſunt apud nos ea, quæ proueniunt ex iure primogenituræ, vt colligitur Leuit. 12. & Numer. 36. & ibi declaratum eſt. Inclinaretur ergo ire Semei in Bahurim, & aliquando iret, & caperetur lege. Quòd autem torrens Cedron ſit in via, qua itur de Ieruſalem in Bahurim, patet præcedenti libro, cap. 15. Cùm de fuga Dauid dicitur: Rex quoque tranſgrediebatur torrentem Cedron, & cunctus populus incedebat contra viam oliuæ, quæ reſpicit ad deſertum, & deinde cap. ſequenti ſubditur quomodo tranſiuit Dauid cum viris ſuis apud Bahurim: & egreſſus Semei de Bahurim maledicebat Regi. *Sanguis tuus erit ſuper caput tuum.* Id eſt, ſi peccaueris contra iſtam legem occideris, & nullus habebit culpam in morte tua, niſi tu: & ſic erit ſanguis tuus ſuper caput tuum, id eſt, pœna pro effuſione ſanguinis tui ſolũ erit ſuper te, quia nullus alius reus erit. *Dixitq; Semei Regi: bonus eſt ſermo Regis.* Id eſt, conſentio, quia benè Rex loquitur: credidit enim Semei, quòd Salomon vellet eum occidere, ideo ſuſcepit in gratiam, quod imponeret ei iſtam legem, & nõ occideret eum, niſi pro tranſgreſſione ipſius. In Hebræo dicitur. *Audio.* Id eſt, conſentio, & idem eſt, quia per vtrumque approbabatur lex poſita à Rege. *Sicut locutus eſt Dominus meus Rex, ſic faciet ſeruus tuus.* Id eſt, ædificabo mihi domum, & habitabo in Ieruſalem, ſicut iuſſiſti. *Habitauit itaq; Semei in Ieruſalem diebus multis.* ſcilicet, tribus annis, quod patet in litera: nam poſt tres annos fugerunt ſerui eius, & ipſe egreſſus de Ieruſalem ad capiendum illos, violauit legem, & occiſus eſt à Salomone.

Torrẽs Cedrõ eſt apud portas Ieruſalé, iuxta hortos.

B

C

An Salomon iuſtè impoſuit Semei iſtam legem, ſcilicet, quòd non exiret de Ieruſalem, alioquin occideretur.

QVÆSTIO XLIII.

QVÆRETVR an Salomon poterat iuſtè imponere iſtã legem Semei? Aliquis dicet, quod ſic, quia volenti non fit iniuria, ſed Semei voluit iſtam legem, & approbauit eam, dicendo: bonus eſt ſermo Regis, ergo non faciebat ei iniuriã Salomon, & conſequenter non peccabat.

In contrarium videtur, quod peccabat, quia Salomon arctabat hic Semei ad aliquid, ad quod non arctabatur de iure, priuando eum magna parte libertatis ſuæ, ergo iniuſtum erat. Item Salomon priuabat Semei per iſtam legem multis vtilitatibus, quas habere poſſet egrediendo de Ieruſalem: etiam cogebat eum ad perdendum multa, quæ alias non perderet, ſicut nunc quando fugerunt ſerui Semei, & ſi ipſe non ſecutus fuiſſet eos egreſſus de Ieruſalem perdidiſſet illos: lex tamen, quæ cogit alium iacturam pati iniuſta eſt. Item iſta lex erat cauilloſa, quia dabatur hac intẽtione, vt peccaret in eam Semei, & occideretur, ſed omnes tales leges iniuſtæ ſunt, etiã ſi aliàs ſecundùm ſe iuſtæ eſſent, vt patet Iſai. 10. ſcilicet, Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerẽt cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. ſed peior eſt lex, quæ eſt ad occidendum, quàm ad rapiendũ, ergo iniqua erat lex iſta. Reſpondendum de iſta lege, quòd ſi ſecundùm ſeipſam accipiatur, grauatoria erat nimis, & pœnalis. Ideo erat iniuſta, & ſic ſi Semei nõ peccaſſet, ita vt mereretur pœnã, non poterat ei imponi iſta lex, quia tamen Semei peccauerat, & merebatur pœnam magnã, ſicut poterat directè imponi ſine lege, ita poterat ei imponi iſta lex pœnalis, & ſic non peccauit Salomon imponendo illam. Ad rationem pro prima parte, quamquam illa facit pro determinatione, tamen non concludit, quia licèt Semei approbauit iſtam legem, non tollitur ex hoc, quin fieret ei iniuria, quia non approbabat eam volens, ſed inuitus, & timens: nam ſi non approbaret illam timebat, quod imponeretur ei alia pœna maior. Ad primam rationem pro alia parte, dicendum, quòd Salomon priuabat hic Semei magna parte libertatis, & iſtud erat iniuſtum, ſi Semei non peccaſſet, quia tamẽ peccauerat, & poterat ei imponi pœna directè, poterat etiam imponi indirectè per legem. Ad ſecundum dicendum, quòd lex, quæ alicui iacturam infert ſine culpa, & cauſa, iniuſta eſt: & ſic fuiſſet iſta, ſi Semei non peccaſſet, quia tamen peccauerat, ſicut poterat ei ſine lege imponi confiſcatio bonorum, & mors, ita poterat imponi per legẽ. Ad tertium dicendũ, quòd illa lex, quæ eſt calumnioſa ad hoc, quòd ille, qui innocẽs eſt, incidat in culpam, & puniatur, eſt iniuſta, & de hac loquitur Iſaias. illa tamen, quæ ponitur cauillosè ad hoc, quòd ille, qui aliàs merebatur mortem, per eam coloratè occidatur, non eſt vocanda calumnioſa, ſed conſilio prudenti digeſta; & ſic erat iſta: vnde Dauid dixerat Salomoni vir ſapiens es, & ſcies quid facies ei, id eſt, cum colore aliquo occides eum.

D

E

An Semei iuſtè occidi poterat à Salomone pro ſola legis tranſgreſſione.

QVÆSTIO XLIIII.

QVÆRETVR vlteriùs cùm Semei occideretur per iſtã legem, an iuſtè occidebatur? Aliquis reſpondebit, quòd ſic; quia lex iſta iuſta erat, ideo iuſtè occidi poterat tranſgreſſor eius. Reſpondendum, quòd Semei peccauerat contra Dauid, propter quod ſine aliqua lege poſita ei poterat occidi, iſta autem lex non fuit, niſi ad colorem, ideo quando Salomon occideret Semei, iuſtè occideret. Sciendum tamen, quòd Salomon poterat occidere Semei duplici intentione, ſcilicet, vel, quia peccauerat contra Dauid, vel quia tranſgreſſus fuerat iſtam legem. Primo modo iuſta erat occiſio. Secundo modo eſſet iniuſta, ſcilicet, dato quòd peccaſſet Semei contra Dauid, ſicut peccauit, & Salomon occideret eum, ſolum quia tranſgreſſus eſt iſtam legem, peccaret: ſicut ſi quis commiſerit duo delicta, quorum vnum meretur capitis ſententiam, & aliud non; & iudex occidat reum ſolum pro illo crimine, quod non meretur capitis ſententiam, peccat mortaliter. Salomon autem occidit nunc Semei pro malis, quæ fecit contra Dauid, vt patet infra in litera, & non præcipuè pro tranſgreſſione legis, ideo non peccauit. *Factum eſt autem poſt annos tres.* Id eſt, accidit poſt annos tres: iſtis tribus annis moratus eſt Semei in Ieruſalem non exeundo de illa. *Vt fugerent ſerui Semei ad Achis filium Maacha regem Geth.* Iſte erat rex in terra Philiſthinorũ: nam ciuitas Geth erat vna de quinq; metropolibus Philiſthinorum, à quibus denominabantur quinque reguli, vel quinque ſatrapæ Philiſtinorum. Ioſue 13. & ſupra 1. lib. cap. 6. iſte videtur eſſe rex Geth, qui erat tempore, quo fugit Dauid à facie Saulis, & habitauit in terra Philiſtinorum quatuor menſibus, eod. lib. cap. 27. Tunc autem erat cũ rege Geth, & ille vocatur Achis filius Maach, ſiue Maacha, quod idem eſt, ſicut iſte. Et ſatis dicendum eſt, quod eſſet iſte, quia ſolum tranſierant anni quadraginta tres, vel quadraginta quatuor ab illo tempore, quo Dauid fugit ad eũ vſq; nunc. Quod patet, quia Dauid ſtetit cũ illo rege quatuor mẽſibus,

F

ſupra

A

ſuprà 1.lib.cap.27.& in fine illorum Philiſthini pugnauerunt contra Saulem,eo.lib.cap.28.& 29.& in illo bello mortuus eſt Saul,eo.lib.cap.vlt.Poſt mortem autem Saulis immediatè Dauid aſcendit in Hebron, & factus eſt rex ſuper Iudã,præced.lib.cap.2. Regnũ autem Dauid tam ſuper Iudam, quàm ſuper Iſrael fuit ſolùm quadraginta annorum, vt patet ſuprà in litera,ſed poſt mortem Dauid videtur, quòd ſatis pauco tempore locutus fuerit Salomon iſta ad Semei, & poſtquàm locutus eſt tranſierunt tres anni, vſquequò deſcendit Semei in Geth,ergo colligendo iſtam ſummam temporis ad plus reperientur quadraginta quatuor anni, vel quaſi:& ſic poterat viuere adhuc ille rex Achis. *Nunciatum eſt Semei, quòd ſerui eius eſſent in Geth.* Iſta fuit occaſio mortis eius,ſcilicet quòd iuit pro ſeruis. *Et ſurrexit Semei, & ſtrauit aſinum ſuum.* Iſta erat communis equitatura illius temporis,ideo quamuis aliqui eſſent viri magni,tamen ſuper aſinos equitabant, ſic patet Iudicum 10. De triginta filijs Iair Galaditis, qui erant principes triginta ciuitatum, & tamen equitabant ſuper triginta pullos aſinarum. Item Abdon erat iudex, & princeps totius Iſrael,& tamen quadraginta filij eius, & triginta nepotes equitabãt ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, vt patet Iudic.12, Cùm autem cœpit eſſe vſus equorum, & mularũ ad

B

equitaturam inter Iudæos, rari equitabant ſuper mulas,niſi reges,& filij regum,ſic patet de Dauid, qui dixit præcedenti cap. Imponite Salomonem filium meum ſuper mulam meã: de filijs autem regum, quòd ſpecialiter haberent mulas, patet præcedenti lib.cap,13. ſcilicet, ſurgentesq; omnes filij regis aſcenderũt ſinguli ſuper mulas ſuas. *Iuitq; ad Achis in Geth ad requirendos ſeruos ſuos.* Quanquàm enim Achis eſſet rex Philiſthinorum, tamen non timuit illuc ire Semei, & dedit ſibi ſeruos ſuos,eo ꝙ pax erat nũc inter Iſraelitas,& Philiſthinos, quia iam Philiſthini ſubiecti erant Iſraelitis in tributarios ꝑ Dauid,ſic enim dixit Salomon,infrà 5. quòd omnes gẽtes in circuitu ſubditæ erant ei,& non erat Satan, nec occurſus malue,id eſt,non ſupererat aliqua gẽs,quæ pugnare poſſet contra eum.*Et adduxit eos de Geth.* Quia ſponte conceſſit ſibi rex Geth,cùm eſſet pax inter eum,& Iſrael. *Nunciatum eſt autem Salomoni,quòd iſſet Semei in Geth de Ieruſalem, & rediiſſet.* Salomon poſuerat aliquos inſidiatores, vt ſcirent ſi aliquando egrediebatur de Ieruſalem,vt occideret eum,& illi retulerunt ei,putauit autem Semei poſt tres annos, quòd iam Salomon non recordaretur de lege,quam poſuerat,nec curaret de eo, & ob hoc auſus eſt exire de Ieruſalem, vel fortè ſecretè exiuit,& redijt putans à nullo cognitum egreſſum eius. *Et mittens vocauit eum.* Volebat enim iam occidere illum inuẽta occaſione. *Dixitq; illi nonne teſtificatus ſum tibi per Dominum.* Id eſt,iuraui tibi per Deum,quaſi dicat, Ad hoc quòd intelligeres me facturum id,quod dicebam,iuraui tibi per Deum. *Et prædixi tibi quacunq; die egreſſus fueris huc,& illuc.* Scilicet,Vltra torrentem Cedron:nam alias dato, quòd exiret ad portam vrbis non erat occidendus. *Et reſpondiſti mihi bonus ſermo, quem audiui.* Iſtud induxit Salomon ad magis iuſtificandum

C

ſe,& aggrauandum factum Semei, ſcilicet, quia non ſolùm ipſe poſuerat legem, ſed etiam Semei illam approbauerat, dicendo bonus eſt ſermo, quem audiui: ex hoc loco Hieronymus accepit, quòd poneret ſuprà: bonus eſt ſermo regis; quamquàm in Hebræo ſolùm diceretur audio. *Quare ergo non cuſtodiſti iuſiurandum Domini.* Non eſt ſenſus,quòd Semei iuraſſet aliquid,& non obſeruaſſet,ſed vocatur iuſiurandum Domini, id eſt, præceptum poſitum à Salomone cum iuramẽto facto ſub inuocatione Dei,vt patet ſuprà. *Et præceptum quod præceperam tibi.* Iſtud præceptum erat, quod cum iuramento traditum fuerat. *Dixitq; rex ad Semei.* Suprà ponebatur cauſa colorata ad occidendum Semei. Hic autem ponitur cauſa vera,ſcilicet,quia peccauerat contra Dauid, & expreſſit eam ſibi Salomõ, quòd propter eam occideret illum. *Tu noſti omne malum cuius tibi conſcium eſt cor tuum, quod feciſti Dauid patri meo.* Id eſt,tu ſcis mala, quæ feciſti,ſcilicet maledicendo Dauid,& proijciendo lapides,& puluerem contra eũ, præceden.libr.cap.16. Et cor tuum conſcium eſt tibi huius mali,id eſt,non oportet, quòd ego exprimam tibi illud,quia tu benè noſti.*Reddidit Dominus malitiam tuam in caput tuum.* Id eſt, Dominus duxit te ad tale tempus, in quo malitia,quam feciſti contra patrem meum redderetur in caput tuum,id eſt punireris pro illa. *Et rex Salomon benedictus.* Id eſt,quamquàm ego iubeã te occidi nõ ex hoc ero culpabilis, quia iuſtè te occido,ſed magis ero benedictus à Deo,& ab hominibus, quia criminoſos eijcio à facie terræ.*Et thronus Dauid erit ſtabilis corã Domino vſq; in ſempiternum.* Id eſt,propter mortem tuam non veniet aliquod malum cõtra thronum Dauid, ſcilicet quòd ceſſet regnum de domo eius, quia tu iuſtè occideris. Si autẽ iniuſtè occidereris poſſet Deus in pœnam ſanguinis tui facere, quòd ceſſaret regnum de domo Dauid: nam propter iniuſtitias regum transferuntur interdum regnorum poteſtates ad alias progenies,ſic patet Eccleſiaſtici 10.ſcilicet,Regnum à gente in gentẽ trãsfertur propter iniuſtitias,& iniurias,& cõtumelias,ac diuerſos dolos. *Iuſſit itaq; rex Banaiæ filio Ioiadæ.* Id eſt,iuſſit ei,quòd occideret Semei,& iſte modus loquẽdi decurtatus eſt frequẽter apud Hebræos,ſic patet præced.lib.cap.5. ſcilicet,Propoſuerat eñ Dauid in die illa prẽmium ei,qui percuſſiſſet Iebuſæum, & nõ dicitur quod præmium erat,ſed declaratur 1.Paralip.11.*Qui aggreſſus percuſſit eũ, & mortuus eſt.* Id eſt,fortè aggreſſus fuit illum coram Salomone,& ibi occidit. De iſto non iuſſit Salomon,quòd ſepeliretur,ſicut iuſſit de Ioab, quia ille erat cognatꝰ ſuus,& princeps exercitus,iſte autem non.

D

Semei interficitur.

CAPVT III.

E

2.Paral.1.

Onfirmatum eſt igitur regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus eſt Pharaoni regi Aegypti. Accepit namq; filiam eius,& adduxit in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans domum ſuam, & domum Domini, & murum Ieruſalem per circuitum.

Deſcripto in præcedentibus de expulſione impedictium regnum Salomonis, ſcilicet inſidiantium ſibi, hic agitur de accumulatione expedientium ad cõfirmationem regni eius, & ponuntur multa expedientia, quæ magnificauerunt Salomonem,apud Deum,& homines,ſcilicet deuotio ad Deum, & ſapientia in iudicijs ad populum, & diſpoſitio excellẽtiſſima,quantum ad familiam,& domum,& affectus magnus ad diuinum cultum, & in exaltãdo templum mirabile pro Domino, & in faciẽdo magnifica ædificia pro habitaculo regio, quæ omnia ſucceſſiuè in libro iſto tanguntur, & quia deuotio erga Deum eſt promeritoria cæterorum bonorum: Primò deuotio Salomonis ad Deum ponitur. Secundò de reliquis bonis, quæ dicta ſunt ſubnectitur ibi. *Apparuit autem.* Prima diuiditur in duas,quia primò ponitur circa præceden tia continuatio. Secundò exprimitur ipſa Salomonis deuotio.*Dilexit autem Salomon Dominum.*

F

An ſit ordo continuus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum an ea, quæ habentur hic habeant ordinem continuatum ad præcedentia, vel ſit mutatio ordinis,& an iſta fuerint facta immediatè poſt præcedentia, vel interpoſito aliquo tempore.Ad primum dicendum,quod ordo continuatus eſt: nam in præcedentibus dictum eſt de morte Dauid,& de principio regni Salomonis, & de quibuſdam, quæ fecit ex mandato Dauid. Hic autem ponitur de quibuſdam,quę pertinent ad regnum Salomonis per ſe,ſcilicet quomodo accepit ſapientiam à Deo,& iudicabat diſcretè in populo:iſta autẽ poſt illa fuerunt. Ad ſecundũ dicendum, quod nõ conſtat quãtum tempus fuit inter præcedentia,& iſta,ſed ſatis credendum eſt, quòd fuerit modicũ tempus,quia hic agitur quomodo Salomõ accepit vxorem, & tamen non eſt credendum, quòd Salomon maneret multis diebus ſine vxore, poſtquàm factus eſt rex. Dicendum autem, quod neceſſe eſt, quòd fuerit iſtud ante tres annos completos de regno ſuo, quod patet, quia Salomon incepit ædificare templum Domini anno quarto regni ſui in principio,ſcilicet mẽſe ſecũdo regni ſui,vt patet infra 6.& tñ prius

A

accepit vxorem, quàm ædificaret templum, vt patet hic cum dicatur, accepit filiam Pharaonis, & adduxit in ciuitatẽ Dauid, donec compleret ędificans domum suam, & domũ Dñi. Ita etiã credendum est, quòd oĩa alia, quæ habẽtur hic, facta fuerint, antequàm inciperet Salomon ædificare domũ Domini. *Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis.* Id est, habuit illud securè, quasi dicat, ante hoc cũ adhuc viueret Adonias, qui insidiabatur ei ad accipiendũ regnum, & viueret Ioab adiutor eius, non erat omninò pacificũ regnum in manu Salomonis, sed nunc quia mortuus erat Adonias, & Ioab, nec erat aliquis, qui insurgere posset contra eum, dicitur confirmatum regnum in manu eius. Sed obijcietur, quòd ante hoc erat confirmatum regnũ in manu Salomonis, quia præceden. cap. dicitur. Salomon autem sedit super thronum Dauid, & confirmatũ est regnum eius nimis. Respõdendum, ꝙ regnum Salomonis fuit dupliciter confirmatum, secundùm quod dupliciter aduersarij eius cessauerũt. Primo modo fuit confirmatum, inquantũ ꝙ publicè resistebant ei, cessauerũt resistere: nam Adonias vnctus fuerat in regem, & Ioab erat partialis eius, & quando Salomon vnctus est in regem, isti videbantur esse manifesti hostes eius, & fugerunt, vt patet suprà 1. Et posteà reconciliati sunt, & subditi fuerunt ei, per quod cessauit quædam pars hostilitatis, & dicitur regnũ confirmatum in manu Salomonis: adhuc tamen istis viuentibus non erat Salomon omninò securus, quia molìebantur contra eum insidias: ideo postquàm occidit eos fuit securus ab omni inquietatione tam publica, quàm occulta, & de hoc dicitur nunc, quòd confirmatum est regnum in manu eius. *Et affinitate coniunctus est Pharaoni regi Ægypti.* Id est, accepit filiam eius in vxorem, & per hoc fuit affinis suus, ista fuit prima vxor, quam accepit Salomon, & eam magis honorauit inter cæteras, de qua in Canticis habetur, quòd viderunt eam reginæ, & laudauerunt, & beatissimam prædicauerunt, vt patet Canticorum 6. Sciendum autem, quòd omnes reges Ægypti à principio vocati sunt Pharao, sic patet à principio Exod. vsque ad 12. cap. Etiam nunc vocabantur sic, & etiam tempore captiuitatis Babylonicæ sic vocabantur: vnde Ezechiel, tempore huius captiuitatis prophetat contra Pharaonem regem Ægypti, vt patet Ezech. 29. vsq; ad 34. Non erat tamen istud nomen proprium ipsorum, sed erat commune, & habebant alia nomina specialia, sic patet de illo Pharaone, qui venit ad pugnandum ad Euphratem, contra quem pugnauit Iosias, & vocatur Pharao Nechao, sequenti lib. cap. 23. Sic etiam erat apud Romanos, quia omnes Imperatores vocabantur Cæsares, vel Augusti, & habebant alia nomina propria, vt Iulius, & Octauianus. An peccauerit Salomon accipiendo filiam Pharaonis in vxorem infrà dicetur. *Accepit namq; filiam eius.* Scilicet, in vxorem, & per hoc fuit affinis eius. Sciẽdum quod Hebræi dicunt Salomonem nunquàm accepisse vxorem, dum vixit Semei, eo quòd ille erat Doctor Salomonis, & prohibebat eum acciperevxorem de alienigenis: cùm autem mortuus est, accepit illicò vxorem, sed istud valdè est inconuenienter dictum, sicut declaratum fuit præcedenti cap. *Et adduxit in ciuitatem Dauid.* Id est, posuit eam in ciuitate Dauid, dum ædificabatur domus Domini, & domus Regis: nam non habebat alium locum, vbi tunc maneret Vocatur autem ciuitas Dauid castrum Sion, vt patet præcedenti libro, cap. 5. Nam cepit illud Dauid de manu Iebusæorum, & vocauit illud nomine suo, ibi autem Dauid construxerat magnas domos, vt patet eod. cap. Et ibi mansit vxor Salomonis dum ædificabatur templum Domini, & domus regis. Postquàm autem ædificata est recessit filia Pharaonis de ciuitate Dauid, & iuit in domum regis, sic patet infrà 9. Scilicet, filia autem Pharaonis ascendit de ciuitate Dauid in domum suam, quam ædificauerat ei Salomon. *Donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini.* Nolebat enim Salomon, quòd maneret vxor sua in domo Dauid, in qua erat arca Domini, & tamen quia non habebat aliam domum, quousque ædificaret domum pro se mansit vxor sua in domo Dauid, & ob hoc primò dicitur hic de domo Salomonis, quàm de domo Dei, eo quòd vxor sua non morabatur in vrbe Dauid, quia templum Domini non erat ædificatum, sed quia domus regis non erat facta, prius tamen fecit Salomon domum Domini quàm domum suam, vt patet infrà 6. & 7. *Et murum Ierusalem per circuitum.* Scilicet, prius fecit murum Ierusalem, quantum ad ea quæ corruerant, vel non benè facta erant, quàm faceret domum suam, ad quam transitura erat vxor eius. *Attamen populus immolabat in excelsis.* Scilicet, tempore, quo Salomon accepit vxorem immolabat populus in excelsis, id est, in mõtibus, vel in vrbibus, in quibus non erat sanctuarium Domini, propriè enim vocatur excelsum mõs, vel collis, & tamen hic magis accipitur pro locis particularibus, in quib⁹ fiebat immolatio non existente templo. Quod patet, quia infrà dicitur, quòd Gabaon erat excelsum maximum: & tamen Gabaon erat ciuitas, in qua manebat sanctuarium: ponitur enim hic istud, tanquàm præambulum ad ea, quæ sequuntur, scilicet, quòd Salomon iuit in Gabaon ad offerendum Domino, & illud vocatur excelsum, vt patet infrà, in Hebræo habetur. *In altaribus.* Et idem est quod in excelsis, quia loca illa, quæ vocantur excelsa, habebant altaria, & erant ista altaria dispersa per multa loca, nec conueniebant omnes Iudæi ad immolandum in loco vno. *Non enim ædificatum erat templum nomini Domini vsque in diem illum.* Id est, propter hoc populus per varia altaria vagabatur, quia nondum erat factum templum nomini Domini, in quo offerrentur sacrificia.

Regnũ Salomonis fuit cõfirmatũ post mortẽ Adoniæ.

Prima vxor Salomonis.

Omnes reges Ægypti vocabantur Pharao.

B

C

D

E

F

An Israelitæ peccabant offerentes sacrificia in diuersis locis, ante templum Salomonis.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR an Israelitæ peccabant offerentes sacrificia in diuersis locis. Aliquis dicet quòd non, quia dicitur hic: Nondum enim ædificatum erat templum nomini Domini, & ponitur istud ad excusationem præcedentium, scilicet quod adhuc populus immolabat in excelsis. Respondendum, quòd oẽs Hebræi tenẽt istam positionem, & Nicolaus cum eis, vsquequò ædificatum est templũ Salomonis, licitum fuit in diuersis locis fieri sacrificia, & colligũt ex litera ista, quæ videt excusare à culpa altaria, quæ erant in excelsis ante templũ Salomonis. Dicendũ, quòd regulariter erat peccatum fieri sacrificia in alio loco, quàm in sanctuario Domini vbicunq; illud esset: istud patet, quia Leuit. 17. Dicitur, quòd omnes offerentes sacrificia deberent illa offerre ad ostium tabernaculi, & nõ in agris, nec in alijs locis, & quòd quicunq; extra offerret sacrificium esset reus, tãquàm si sanguinem effudisset. Ista lex obligabat, quando inciperent cæteræ leges obligare, sed cæteræ incœperunt obligare tempore Iosue subiectis Chananæis, vt colligitur Deuter. 12. Ergo etiam ista obligabat, scilicet, quòd nõ possent Israelitæ extra sanctuarium offerre sacrificia. Item si ista lex de immolando solùm in sanctuario non obligasset ante constitutionẽ templi Salomonis non voluisset Iosue pugnare contra duas tribus, & dimidiam, quæ fecerunt altare apud Iordanem: & tamen nouem tribus, & dimidia pugnare voluerunt contra illas, quousque se purgauerunt iurantes, quòd non fecerant altare illud ad immolandum ibi hostias, vt patet Iosue 22. Ergo peccarent si fecissent illud ad offerendum ibi sacrificia. Item in eodem 22. cap. dicitur, quod erat scelus ædificare aliud altare præter altare Dei, quod erat ante tabernaculum eius: ergo non licebat offerre exterius. Item patet Deuteron. 12. cùm dixit Moyses: caue ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo quem elegerit Dominus in vna tribuum tuarum, & illud intelligebatur obseruandum esse immediatè, vt transirent Israelitæ Iordanem, & subijcerent sibi hostes, vt patet eodem cap. Ergo videtur quod ante Salomonis templum constructum semper obligabantur Israelitæ offerre solùm in ciuitate illa, in qua esset tabernaculum. Dicendum autem ista esse vera, nisi fortè ex dispensatione aliud accideret: quia interdum dispensabatur cum aliquibus, quòd possent offerre extra locum sanctuarij: sic patet de Samuele, qui offerebat in Ramatha, & in Galgala: & in multis alijs locis vbicunque vellet, vt colligitur suprà primo libro, cap. 7. & 10. & 11. Hoc autem quia cùm esset Propheta sciebat, quòd Deus illud vellet, & ista dispensatio non magis erat ante constructionem templi Salomonis quàm post: quia etiam constructo templo Salomonis Elias Propheta immolauit in monte Carmelo, infrà 18. Sicut autem dispensabatur cum Prophetis, ita etiam dispen-

saretur

saretur cum aliquibus alijs, vt offerrent alibi. Sic fuit de Gedeone, Iudicum 6. & de Manue patre Samsonis, Iudicum 13. Et quod verisimile est dicendum, quòd fortè Deus reuelauerat per aliquos Prophetas licere Israelitis immolare in aliquibus locis extra sanctuarium quousq; ædificaretur templum sibi, & ista loca determinarentur, vt non liceret cuilibet offerre vbi vellet, & daretur locus idololatriæ, cùm quilibet faceret in secreto cæremonias, quas vellet: in publico autem offerendo non posset facere nisi illas, quæ determinatæ erant à lege. Aliter potest dici, & meliùs, quod immolare in excelsis non erat concessum, nec erant aliqua excelsa determinata à Deo, in quibus liceret immolari: quod patet, quia Salomon peccauit immolando in excelsis, quia infrà dicitur quòd Salomon diligebat eum, & ambulabat in præceptis Dauid patris sui, excepto quòd in excelsis immolabat. Ad rationem in contrarium dicendū quòd per ea, quę dicuntur, hic non excusantur immolantes in excelsis, sed solùm quòd habebant occasionem ad immolandum ibi, dum non erat factum templum. Aliter secundùm alios ad rationem in contrarium dicēdum; quòd hic possunt aliquo modo excusari altaria extra sanctuarium, quæ vocantur excelsa, scilicet, quantum ad illa, quæ ex dispensatione Dei limitata erant: quod colligitur, quia Gabaon vocatur vnum de excelsis, cùm dicatur infrà, quòd erat maximum excelsorum, & tamen manifestum est, quòd Gabaon locus licitus erat ad immolandum Domino, eo quòd erat ibi sanctuarium tempore Salomonis, vt patet 2. Paralip. 1. cap. Sic ergo intelligendum est de alijs excelsis, quòd essent licita per dispensationem Dei, sicut offerre in Gabaon erat licitum ex determinatione legis. *Dilexit autem.* Hic ponitur secundum, scilicet Salomonis erga Deum deuotio: & dicitur. *Dilexit autem Salomon Dominum.* Fuit enim Salomon in iuuētute sua valdè bonus, & deuotus erga Deum: posteà tamen in senectute deprauatum est cor eius per mulieres, quas amauit ardentissimo amore, & per eas ad idola conuersus est, infrà 11. *Ambulans in præceptis Dauid patris sui.* Id est, sequebatur mandata Dauid: nā Dauid commendauerat ei, quòd sequeretur legem Moysi, & non declinaret ab ea ad dextram, nec ad sinistram præceden. cap. *Excepto, quod in excelsis immolabat, & accendebat thymiama.* Scilicet, solùm declinabat Salomon ab amore Dei, inquantum immolabat in excelsis, & istud erat peccatum. Ex hoc patet manifestè, quòd immolare extra sanctuarium erat peccatum, nisi essent aliqua excelsa, in quibus permissum esset à Deo, quòd fieret immolatio. Aliquando autem fiebat immolatio à Salomone in excelsis illis, de quibus non erat dispensatum, & tunc peccabat. Dicitur autem, quòd offerebat thymiama, id est, incensum, quia simul cum oblationibus fiebat oblatio incensi. Est autem thymiama incensum compositum ex multis speciebus in proportione certa commixtis, & redactis in puluerem tenuissimum, de cuius compositione habetur Exo. 30. Et istud thymiama offerebatur quotidiè bis, scilicet, in aurora, & vespere super altare aureum, quod vocabatur altare thymiamatum, eod. cap. *Abijt itaq; in Gabaon, vt immolaret ibi.* Ista est quædam ciuitas in sorte Beniamin, Iosue 18. Ibi autem erat tabernaculum Domini pro tunc, 2. Paralipomenon 1. Quamquàm in alijs excelsis offerendo peccaret Salomon, tamen offerendo in Gabaon non peccaret propter sanctuarium, quod ibi erat. *Illud quippe erat excelsum maximum.* Id est, erat præcipuum de locis, in quibus immolabatur, scilicet, quòd quamquàm illicitum esset immolari in excelsis, tamen immolabatur in eis, & maximum excelsorum erat Gabaon, eo quòd erat ibi totum sanctuarium præter arcam, quæ erat in Ierusalem in domo Dauid. *Mille hostias obtulit in holocaustum Salomon.* Id est, obtulit mille animalia, scilicet, arietes, boues, & hircos, quia de his tribus generibus solùm fiebat immolatio, vt patet Leuit. 1. De istis mille hostijs est dubium, an obtulerit eas simul, vel per multas vices. Rabbi Dauid Kimhi dicit, quòd obtulit in multis vicibus, vtpotè quia multoties iuit illuc de Ierusalem, & in illis vicibus simul sumptis obtulit mille hostias.

Dicendum tamen, quòd illæ hostiæ fuerunt simul oblatæ, vt immediatè declarabitur.

An mille hostiæ, quas Salomon obtulit, fuerunt crematæ in altari sanctuarij, & quomodo potuerunt ibi capi.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR, quomodo fuerunt oblatæ istæ hostiæ in altari, & quomodo poterant omnes ibi capi. Respondendum primò, quòd Salomon obtulit omnes mille hostias simul, scilicet semel vadens in Gabaon. Apparet, quia litera dicit hic, quòd Salomon iuit in Gabaon, & obtulit ibi mille hostias, & dormiens per noctem accepit sapientiam; & reuersus est in Ierusalem. Ergo videtur, quòd velit istam esse vnam vicem. Item si intelligeretur de pluribus vicibus, cùm nō determinetur hic in quot vicibus obtulit illas, oporteret dicere, quod in omnib⁹ vicibus collectis obtulerit illa sacrificia, sed iste modus videt esse incōueniens, & præter vsum loquendi. Itē videt quòd Salomon obtulerit istas mille hostias vna vice, qa litera intendit hic significare deuotionem Salomonis, & ad hoc ponit multitudinem hostiarum, quæ non poterant esse, nisi ex magna deuotione. Si autem in multis vicibus illas obtulisset, non esset aliquid magnificum. Item Salomon voluit facere oblationem solennissimam, quod patet, quia vocauit totum Israel, vt habetur 2. Paralipomenon 1. Scilicet, Præcepit Salomon vniuerso Israeli tribunis, & centurionibus, & ducibus, & iudicibus omnis Israel, & principibus familiarum, & abijt cum vniuersa multitudine in excelsum Gabaon. Cùm ergo vocaretur totus populus ad istud sacrificium, satis verisimile est, quòd essent hostiæ valdè solennes, ideo offerret mille hostias. Item satis est hoc verisimile, quia cùm Salomon conuocaret totum populum ad sacrificium istud, ipse debebat pascere illum, & ad hoc erant necessaria multa animalia; & propter hoc Salomon offerret mille hostias, ita vt plurimæ illarum essent pacificæ, de quibus proueniebat maxima pars carnium ipsi offerenti, vt patet Leuit. 7. Et illam partem carnium Salomon daret populo ad pastum. Nam faciens sacrificia pacifica poterat inuitare quoscunque vellet ad comedendum de illis, vt colligitur Deuteronom. 12. & 16. Et sic Salomon offerendo tot hostias, faciebat duo bona. Primùm, quia ostendebat magnā deuotionem suam ad Deum. Secundum, quia prouidere poterat populo in cibo de carnibus illarum hostiarum, cui alias prouisurus erat. Sic enim fecit Dauid quando conuocauit populum ad ducendum arcam de domo Obededom in domum suam: nam singulis de populo tam viro quàm mulieri partitus est collyridam panis, & assaturam bubalæ vnam, & similam frixam oleo: vt patet precedenti libro, cap. 6. & 1. Paralipomenon 16. Deinde dicendum, quòd istæ hostiæ licèt multæ essent, poterant faciliter in altari capi: & ad hoc erat duplex modus. Primus, quia licèt istæ hostiæ fuerint vna vice oblatæ, tamen non simul, sed fortè mansit Salomon in Gabaon duobus, vel tribus diebus, & in illis cùm semper cremarentur, sacrificia, poterant offerri mille hostiæ. Secundus modus erat, quòd istæ mille hostiæ non fuerunt oblatæ omnes in holocaustum, sed fortè magis in hostias pacificas. Si autem offerrentur omnes in holocaustum satis erat difficile, quòd cremarentur in paucis diebus, eo quòd in holocausta omnes carnes animalis cremabantur cum capite, & pedibus, & intestinis lotis, vt patet Leuit. 1. De hostia autem pacifica non cremabatur aliquid in altari, nisi adipes: facile autem erat adipes mille animalium cremari, potissimè quia altare, in quo cremabantur sacrificia, erat magnum, scilicet, habens quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine. Exod. 27. Erat autem totum altare plenum prunis, vt caperentur multi adipes. Quòd autem potiùs essent sacrificia ista pacifica, quàm holocausta satis est verisimile, quia Salomon debebat pascere populum. Ideo potiùs vellet facere sacrificia pacifica, quia de illis poterat dare populo carnes, quàm facere holocausta, de quibus nihil ei aut populo proueniret: nec etiam faceret hoc Salomon, quasi ex auaritia, vt minores sumptus faceret, sed quia sic consuetum erat, scilicet, quòd quando esset aliqua magna lætitia, offerrentur hostiæ pacificæ, & oēs comederent de illis, vt colligitur suprà primo libro, cap. vndecimo. *Super altare illud in Gabaon,* Istud tollit responsionem quorundam. Nam volebant,

quòd

A

quòd iſtæ hoſtiæ oblatæ fuiſſent in multis altaribus,& ſic faciliter cremarentur:& tamen hic dicitur,quòd omnes oblatæ ſunt ſuper altare illud, ſcilicet, ſuper altare quod erat in Gabaon:iſtud enim erat altare æneum, quod fecerat Moyſes in deſerto,vt patet 2.Paralipomenon 1. Et in hoc ſolùm licebat regulariter offerre hoſtias. Leuit. 17. & Ioſue 22. Sciendum quòd in Hebræo non incipit iſta litera ſicut hic, ſed incipit verſus ibi: In Gabaon, & continuatur cum præceden. ſcilicet, In Gabaon apparuit Dominus Salomoni.Litera autem noſtra incidit verſum ibi : Apparuit autem Dominus: ſed non multum differt,quia quamquàm ſententiæ ſint differentes,ambæ ſunt veræ:nam litera noſtra ſignat, quòd oblatæ ſunt hoſtiæ in altari, & illud erat in Gabaon. Litera Hebraica ſignat quod apparuit Dominus in Gabaon,& vtrunque eſt verum. *Apparuit autem.* Hic ponitur ſecundum principale, ſcilicet, ea, quæ ex deuotione Salomonis conſecuta ſunt,quia per deuotionem promeruit multa bona,quę Deus ei dedit:vel ſaltem per deuotionē fuit diſpoſitus ad ſuſcipiendum illa,& diuiditur in duo,quia primo ponitur diuina conceſſio. Secundo conceſſionis in opere manifeſtatio ibi. *Tunc venerunt.* Circa primum dicitur. *Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium in nocte.* Id eſt,cùm eſſet Salamō in Gabaon, apparuit ei Dominus. Iſtud fuit poſtquàm obtulit mille hoſtias:ita vt præcederet deuotio eius ad conceſſionem Dei,ſcilicet,Salomon obtulit hoſtias,& illa die, qua finiuit oblationem,dormiuit in Gabaon, & tunc apparuit ei Dominus per noctem,& factum eſt quod hic dicitur.

Bona, q̄ conſecutus eſt Salomon ex deuotiõe.

B

Qualis fuit apparitio Salomonis,& quis apparuerit ei.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR quis apparuit hic Salomoni,& qualis fuit iſta apparitio. Reſpondendum,quòd non apparuit aliqua effigies viſibilis Salomoni, quia dato, quòd appareret,non poſſet ipſe videre: cùm dicatur hic, quòd erat apparitio per noctem:etiam quia dicitur infrà,quòd erat ſomnium. Sed dicendum ſolum, quòd erat quædam mutatio facta in phantaſia, ſcilicet, quia ſpecies phantaſticæ taliter à Deo mouebantur, & ordinabantur, quòd Salomon putaret ſe iſta videre,& fieri verba ad eum, ſicut nos patimur in ſomnio,quia cùm nihil videamus, vel audiamus, apparet nobis, quod videmus,audimus, loquimur, & mouemur, quod ergo in nobis per naturam fit, in Salomone factum eſt per Deum: ſcilicet, quòd cauſata fuit ex phantaſia Salomonis quædam imago viri reuerendi, ſicut Dei loquentis ad Salomonem,& cauſata fuit ſpecies pro ſingulis verbis, ita vt videretur Salomoni,quòd talia,vel talia verba ſibi dicebantur: & quod ipſe dicebat Deo talia, vel talia. Iſtud autem poterat accidere in nobis naturaliter, ſicut multa alia ſimilia fiunt: ſomnium tamen quod à Deo fit,efficacius eſt, & magis mouet, tanquàm ſi eſſet res præſens. Cùm autem quærebatur an Angelus,vel Deus apparuerit. Dicendum,quod non oportet de hoc quærere, quia ſi fuiſſet hic apparitio viſibilis,diceremus, quòd Angelus erat, qui apparebat, & loquebatur,& non Deus: quia Deus non poteſt loqui, nec facere iſta,quæ cum motu ſunt,per ſeipſum, vt declaratum eſt Exod.25.& 28. Sed appareret Angelus, & loqueretur: quia Angelis benè conuenit operatio cū motu: nunc tamen non fuit aliqua apparitio, vel locutio realis ex parte Dei, vel Angeli, ſed ſolùm immutata fuit phantaſia Salomonis. Iſtud autem poterat facere Deus vel Angelus, quia non ſequebatur ex hoc aliquis motus in operatione Dei, ideo poteſt dici,quòd Deus,vel Angelus fecerit. *Dicens, poſtula quod vis, vt dem tibi.* Viſum eſt Salomoni, quod dicebat ei Deus iſtud, ſed nihil Deus loquebatur, vel Angelus, ſed verè videbatur, quòd fieret iſta locutio. *Et ait Salomon:tu feciſti cum ſeruo tuo Dauid patre meo miſericordiam magnam.* Iſtud fuit principium verborum Salomonis, nam licèt Salomon eſſet Deo deuotus, & ob hoc Deus intenderet ei dare ſapientiam, tamen principaliter faciebat hoc propter Dauid, & omnia bona, quæ poſteà fecit,facta ſunt propter Dauid Salomoni, & poſteris eius,vt patet infrà 11.& 15. Ideo Salomon cognoſcens meritum patris ſui præpoſuit illum in ſua petitione, tāquàm ex merito eius ipſe deberet acquirere à Deo, quod petebat.

C

Sicut ambulauit in conſpectu tuo. Id eſt,ſicut ambulauit in conſpectu tuo placendo tibi in omnibus: ita tu feciſti ei miſericordiam magnam de paſtore ouium faciendo regem populorum.Inſuper dediſti ei magnificas victorias, & ſubieciſti ei omnes finitimas gentes, atque glorioſum feciſti eum inter omnes reges terræ:& quod ampliùs eſt ex his, promiſiſti ei, quòd filij ſui ſederent in æternum ſuper ſolium regni, vt patet præcedenti lib.cap.7.& 8. *In veritate, & iuſtitia, & recto corde tecum.* Iſta faciunt aliquem gratum Deo. Dicitur in veritate ambulare ille,qui non duplici corde mouetur,nec claudicat in duas partes aliquando declinando ad idola, & aliquando ad Deum. Dicitur ambulare in iuſtitia, qui agit omnia ad quæ tenetur,quia iuſtitia importat debitum.Cùm autem quis reddit Deo debitum cultum, & proximo debitam communicationem in ſubijciendo,& imperando,vel ad æqualia cōmunicando omninò iuſtus eſt: & iſta virtus complet totam legem. Iſta eſt iuſtitia legalis, quæ eſt omnis virtus,iuxta Ariſtotelem 5.Ethicorum, quia non eſt aliquod opus virtutis,quòd non contineat in ſe, vt ibi ipſe exemplificat: & hoc modo vnica virtus dirigit omnem operationem humanam eius,qui legi ſubijcitur. Dicitur autem recto corde ambulare ille,qui non ſolùm bona agit, ſed etiam ad bonum finem,vt Deum colat: & hoc ardenter exequitur,quod alijs verbis dicitur toto corde,& tota anima. *Cuſtodi ei miſericordiam tuam grandem.* Id eſt, miſericordiam quam promiſiſti habere ad eum ſemper habuiſti, nec mutauiſti, ſicut feciſti in Saule, quem prius exaltaſti, poſteà verò in magnam deieciſti calamitatem, ſed in patre meo non ſic fuit, quia vſque ad mortem liberaſti eum à malis, vel dicitur, cuſtodiſti miſericordiam tuam magnam, ſcilicet,quia tu promiſiſti ei, quòd dares de filijs eius ſedentem in throno ſuo,& ſic feciſti cùm ego ſedeam pro patre meo. *Et dediſti ei filium ſedentem ſuper thronum eius.* Iſtud dicebat Salomon de ſeipſo,& in hoc erat magna miſericordia Dei, *Sicut eſt hodie.* Id eſt,ſicut apparet hodie, ſcilicet, quia ego ſedeo in regno pro illo. *Et nunc Domine Deus tu regnare feciſti ſeruum tuum.* Id eſt,feciſti regnare me qui ſum ſeruus tuus.

D

Ambulare in iuſtitia qs dicatur.

E

Quomodo Deum feciſſe regnare Salomonem, ſit verum.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR quomodo eſt verum, quòd Deus fecit regnare Salomonem. Reſpondendum, quòd hoc poteſt accipi multipliciter.Primò ſecundùm legem communem bonorum, quoniam omne bonum, quod quiſque habet,neceſſe eſt à Deo eſſe,iuxta illud Iacobi primo: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum: & iſta eſt cauſa, quare non poteſt aliquis gloriari de bono, quod habet qualecunque illud ſit eo,quòd accepit illud, & de acceptis non poteſt aliquis gloriari: ſic enim dicebat Apoſtolus de illis, qui gloriantur in bonis,quæ habent,quaſi non acceperint illa. Ideo iudicauit ſolùm gloriandum eſſe in infirmitatibus, vt patet 2.ad Corinth. cap. 11. & 12.Secundò datum fuit regnum Salomoni à Deo,inquantum poteſtas quædam eſt,quia omnis poteſtas à Deo eſt,vt patet ad Roman.13. Scilicet:Omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit: non eſt enim poteſtas,niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt: itaque qui reſiſtit poteſtati,Dei ordinationi reſiſtit. Et 1.Petri cap.2.dicitur : Siue regi,tanquàm præcellenti; ſiue ducibus tanquàm à Deo miſſis. Tertiò erat Salomon à Deo Rex,inquantum Deus ſpecialiter habet curam de regibus, tanquàm de ſublimibus poteſtatibus ad deponendum, vel inſtituendum eos: ſic patet Prouerbiorum 8. Per me Reges regnant: vnde quando aliqui reges mali ſunt, dicuntur regnare ſine Deo: ſic patet Oſeæ 8. ſcilicet, Ipſi regnauerunt, & non ex me:principes extiterunt, & non cognoui. Et tamen dato,quòd reges ſunt mali, & ex hoc non ſint directè per voluntatem Dei: tamen ſunt indirectè ab eo propter peccata populi, vt illa puniantur per malos reges : ſic patet Iob 34. ſcilicet : Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Habet etiam Deus ſpecialem curam de actibus Regum, eo quòd in manu eorum eſt diſpoſitio populi,& ob hoc reges nō poſſunt moueri ſine volūtate

F

A Dei ad bonum,vel malum:ſic patet Prouerbiorum 21. Scilicet:Sicut diuiſiones aquarum:ità cor regis in manu Domini,& quocunq; voluerit,inclinabit illud.Iſtæ tres cauſæ ſunt generales,quantum ad omnes reges, quia nullus eſt rex,qui per Deum non efficiatur rex,quantum ad hæc. Aliæ autem cauſæ ſunt ſpeciales ad Salomonem. Quarta cauſa eſt, quia Salomon fuit factus Rex ex ſpeciali priuilegio, quia dato quòd pater ſuus eſſet Rex, non habebat aliquis de filijs eius ius ſuccedendi, ſed Deus inſtituebat quem volebat. Sic fuit de Saule, quia quàm ipſe fuit Rex,poſteri eius,non ſucceſſerunt ei. Quòd ergo Deus daret Dauid, quòd filij eius ſuccederent, quicunque de filijs eius ſuccederet,dicebatur fieri rex à Deo.Quinta cauſa erat,quia dato,quòd poſteri Dauid haberent ius ſuccedendi patri, non pertinebat iſtud ius ad Salomonem,ſed ad primogenitum Dauid, ſcilicet,ad Adoniam ſecundùm conſuetudinem omnium Regum terræ: Deus tamen per Prophetam prædixit,quòd Salomon regnaturus eſſet poſt Dauid,vt colligitur præcedenti lib.cap.7.& 1.Paralipome.22. Ergo Deus ſpecialiter faciebat Salomonem regnare:& iſta erat cauſa magis conueniens Salomoni in ſpeciali. *Pro Dauid patre meo.* Id eſt,ego teneo locũ eius.*Ego autem ſum puer paruus.* Aliqui dicunt,quòd Salomon erat nunc duodecim annorum. Sic tenet Rabbi Sa. Alij dicunt,quòd erat decem annorum ſolùm, & ſic tenet Rabbi Dauid Kimhi. Sed iſta poſitio non ſtat, quia tunc non

B accepiſſet Salomon vxorem in tam parua ætate: & tamẽ iam habebat vxorem,quando iſta facta ſunt. Item ſi nunc fuiſſet Salomon decem annorum oporteret,quòd quando inſtitutus fuit in regem, eſſet pauciorum quàm ſeptem annorum: quod patet,quia fluxerant pluſquàm tres anni, immò pluſquàm quatuor ex tunc vſque nunc. Quod patet:nam Salomon fuit inſtitutus in regem ante mortem Dauid, ſuprà 1. cap. Et poſt mortem aliquanto tempore dixit ad Semei, quòd ædificaret domum in Ieruſalem,& nõ egrederetur inde præcedenti cap. & poſt tres annos ab iſto præcepto dato iuit Semei in Geth,eo.cap. Et occiſus eſt à Salomone:& poſt hoc Salomon petiuit à Domino ſapientiam, vt patet hic:ergo videtur quod ad minus tranſierãt quaſi quatuor anni inter principium regni Salomonis, & iſtud tempus, & ſic non haberet tunc ſeptem annos. Sed iſtud non ſtat.Primò,quia die quo inſtitutus eſt in regem viuẽte Dauid, fugit Adonias in templum,& dictum eſt Salomoni:dixitq; Salomon, quòd ſi Adonias vir bonus eſſet nõ caderet, nec vnus capillus eius in terram:ſi autem malum reperiretur in eo, occideretur: ſi tamen Salomon eſſet pauciorum, quàm ſeptem annorum neſciret dicere iſta, nec etiã Adonias peteret ab eo iuramentum,& tamen factum eſt ſic præcedenti cap. Secundò patet, quia Dauid prope mortem admonuit Salomonem, quòd cuſtodiret legem,& occideret Ioab,& Semei præcedenti cap.

C Si tamen nondum eſſet ſeptem annorum, nihil iſtorum loqueretur ei Dauid, quia non intelligeret. Tertiò patet, quia Dauid dixit ei:vir autem ſapiẽs es,& ſcies quid facies ei: ergo videtur quòd erat iam homo diſcretus præceden. cap. Quartò patet,quia quando Bethſabe venit ad Salomonem, petens Abiſag pro Adonia dixit: quare poſtulas Abiſag pro Adonia? poſtula ei,& regnum: ipſe enim eſt frater meus maior me, & habet Abiathar ſacerdotem, & Ioab: præcedenti cap.Cognoſcere tamen iſta non poterat,niſi homo ſatis diſcretus,ergo iam pluſquàm decem annorum. Nec obſtat, ſi aliquis dicat,quòd ſapientia data ei à Deo ſupplebat in puero defectum ætatis, quia nondum data erat ſapiẽtia Salomoni,quando fiebãt iſta,quæ dicta ſunt,ergo ex cõditione ætatis poterat Salomon habere tantam diſcretionem, vt iſta diceret,& faceret. Dicẽdum ergo videtur,quòd Salomon erat viginti annorum, aut plurium:& quando inſtitutus fuit rex, viuente patre erat quindecim,vel ſexdecim annorum, & ſic iam poterat habere prudentiam aliquantam ad faciendum ea,quæ dicta ſunt. Cùm autem dicitur hic, quòd erat puer paruus:dicendum, quòd vocatur puer paruus reſpectu magnitudinis regiminis, quia homo in vigeſimo anno ſeipſum plenè neſcit regere, quanto magis ſi committatur ei magnitudo regni regenda? Ideo reſpectu huius Salomon erat puer paruulus,& ignorãs introitum,& egreſſum, ſicut infrà dicit: & tunc poterat conuenienter habere vxorem, & facere reliqua quæ dicta ſunt. *Et ignorans egreſſum,& introitum meum.* Id eſt,ego neſcio qualiter incipiam negotia,vel qualiter ſiniam: quia magna onera incumbunt mihi. *Et ſeruus tuus in medio eſt populi,quem elegiſti.* Id eſt,ego qui ſum ſeruus tuus,ſum in medio huius populi,quia ſicut ad medium omnia extrema concurrunt,ita ad me cõcurrunt omnia negotia regni,tanquàm ad regem. Et dicitur populi quem elegiſti: quia Deus elegit iſtum populum de cunctis gentibus terræ in populum peculiarem,& regnum ſacerdotale.Exo.19.& Deuter.7. *Populi infiniti.* Id eſt,iſte populus tuus eſt infinitus,& quãto maior eſt, plura,& grauiora negotia habet, & tanto maior requiritur prudentia in regente. Vocatur autem infinitus, id eſt,multus,quia populus Hebræorum non erat infinitus, nec etiam eſt poſſibile dari actualiter infinita numerata,vel infinita indiuidua,ſed ex modo vulgari vocatur infinitum, quod multum eſt.In Hebræo autem dicitur. *Populi multi.* Et illa eſt clarior litera. Hieronymus tamẽ non ſine cauſa poſuit infiniti, ſcilicet, quia immediatè habetur,qui numerari,& ſupputari nõ poteſt præ multitudine; & iſtud facit eſſe infinitum. *Qui numerari,& ſupputari non poteſt præ multitudine.* Id eſt,tantæ eſt multitudinis, quòd nõ poteſt aliquis numerare illũ,ſcilicet, numerando per ſingulos viros: nec etiam poteſt ſupputare illum ponendo ſummam totalem. Sed dicẽdum,quòd iſtud accipitur ex modo loquendi: tamen ſecundùm veritatem benè poterat numerari: nam Dauid numerauit omnes viros,qui poterant procedere ad bella in toto Iſrael:precedenti lib.cap.vltimo.Ita etiam potuiſſet numerare omnes fœminas,& paruulos,ita vt nullum reliquiſſet in toto Iſrael. *Da ergo ſeruo tuo cor docile:* Vocauit cor docile, id eſt,aptum ad ſuſcipiendum diſciplinam: & ſic homines rudes, qui non poſſunt intelligere quæ dicuntur, vocantur indociles. In Hebræo habetur. *Cor audiens.* Et idem ſignat,quia audiens dicitur,id eſt, exaudiens: qui ergo ea, quæ audit à Doctoribus ſuis poteſt concipere,& in corde ſeruare, dicitur habere cor docile,vel audiens: accipitur tamen hic docile,id eſt,doctũ: quia non ſolùm volebat Salomon habere aptitudinem ingenij ad hoc,quòd ſuſciperet diſciplinam,ſed volebat habere cor actualiter doctum,& ſapiens, vt poſſet ex tunc iudicia prudentiſſima dare. *Vt iudicare poſſit populum tuum.* Id eſt, diffinire litigia,& contentiones forales. *Et diſcernere inter bonum,& malum.* Iſtud eſt quãtum ad genus deliberatiuũ,quod nõ eſt in iudicijs,ſed in eis, quæ agenda ſunt,& occurrũt homini multæ difficultates: & circa has magna prudentia opus eſt,vt ſciat quid eligendum ſit, & quid bonum, vel malum eſſe poſſit.*Quis enim poteſt iudicare populum iſtum.* Id eſt,qui dignè poteſt iudicare, quaſi dicat,nullus, quia tot negotia occurrẽt,quòd nullus eſt,qui in omnibus eis ſciat dare rectum iudicium. *Populum tuum hunc multum.* Id eſt,quia multus eſt, difficulter poteſt ab aliquo iudicari: poſſet autem faciliùs ſi eſſet paucus populus.In Hebræo dicitur.*Populum grauem.* Vbi nos dicimus populum multũ:& idem eſt, quia grauitas populi eſt in multitudine: nam ex hoc quòd multus eſt,inducit grauitatem iudicãti. Rabbi Salo,dicit,quòd vocatur populꝰ grauis,eo quòd iudicia Iſrael ſunt grauia, ſcilicet, ꝙ ſi qs auferat ꝓ iudiciũ alicui Iſraelitæ,quod ſuũ eſt,peccabit iudicando:ſi aũt iudicet iniquè inter Gẽtiles auferendo alicui quod ſuũ eſt.dicit ꝙ non peccat. Ideo quicunq; poteſt iudicare inter Gentiles,ſiue ſit peritus,ſiue non,ſed non inter Hebræos. Ex hoc patent duo inconuenientia contra Ra.Sa. Primum eſt,quia putat iuſtitiam, vel iniuſtitiam non eſſe in communicatione ad Gentes:& iſtud eſt falſum:quia poteſt accipi,ꝙ Gentes communicando inter ſe qualitercunq; communicent,nõ committunt iuſtitiam: & hoc falſum eſt,quia Deus puniuit quoſdam reges Gentilium, eo quòd mouebant iniuſta bella contra alias gentes:& tamen iſtud non eſſet, ſi inter Gentes non eſſet iuſtum,nec iniuſtum. Et maximè patet hoc,quia Sodomitæ gentiles erant: & tamen Deus imputauit eis iniurias,quas adinuicem faciebant, vt colligitur Ezechie.16.ſcilicet,Hæc fuit iniquitas Sodomę ſororis tuę abundantia panis,& ſaturitas,& otium,& manũ pauperi & egeno nõ porrigebant.Etiã Deus puniuit Sodomitas propter abominanda peccata,& dixit, ꝙ nullus erat iuſtus in tota ciuitate:vel quòd nõ erant quinque. Gen.18.Ergo iuſtitia,& iniuſtitia erat in Gẽtibus.Si autem intelligatur, quòd inter gentes ad ſeipſos erat iuſtitia,vel iniuſtitia,& tamẽ Iudei nõ peccabãt qualitercunq; ſe haberent ad Gẽtes: ſed iſtud non ſtat,

D

E *Petitio Salomonis.*

F

Quot annorũ erat Salomon, quãdo regnare cœpit.

quia

A quia 2.Paralip.36.dicitur,quòd peccauit Sedechias, eò quòd receſſit à rege Nabuchodonoſor, qui adiurauit eũ per Deũ: ergo ſi violando fidem datam peccabat,à fortiori peccaret,ſi ſpoliaret aliquem Gentilem rebus ſuis. Secundum incõueniens eſt, quia putauit Rab.Salo. quod cùm Chriſtiani ſint Gentes,ſecundùm quod Iudæi accipiunt, nõ peccabit aliqs Iudæus nocendo Chriſtiano qualitercunque noceat,& iſtud tenent multi Hebræi: propter quod periculoſa eſt cum eis communicatio homini Chriſtiano. *Placuit ergo ſermo coram Domino,quòd Salomon rem huiuſcemodi poſtulaſſet.* Id eſt,quia Salomon petiuit rem iſtam valdè honeſtam, & non petiuit diuitias,vel alia bona, quæ omnes deſiderant ad iocunditatem ſuam,placuit Deo petitio eius.*Et dixit Dominus Salomoni.* Scilicet, Viſum eſt ſibi,quod Dominus dicebat: ipſe tamẽ nihil locutus eſt,quia ſomniũ erat,vt patet infrà.*Quia poſtulaſti verbum hoc.*Id eſt,rem iſtam. Accipitur enim verbum pro re. Sic patet præceden.lib.cap.1.ſcilicet, quòd eſt verbum,quod factum eſt in caſtris,id eſt, quæ res accidit. *Et non petiſti tibi dies multos,nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum.* Poſuit iſta Deus,quia iſta ſunt, quæ cõmuniter homines magis deſiderant,& quę peterent cõceſſa ſibi poteſtate petendi. Et primò ponitur multitudo dierum, quia homo diligit ſeipſum maximè,& quia eſſe ſuum eſt viuere, cùm iuxta Ariſtotelem viuere viuentibus ſit eſſe,deſiderant homines maximè vitam. Sic dicit Boetius 2.de Conſolatio.proſa 4.ſcilicet, Cùm igitur præcipua ſit mortalibus vitæ cura retinẽdæ. Poſuit etiam diuitias,quia vulgus eas maximè deſiderat:non quòd ipſe in ſe optimè extimentur, ſed quid per eas omnia bona ſe habituros putauit. Sic dicitur Eccleſiaſtes 10. Scilicet, Pecuniæ omnia obediunt.Poſuit etiam animas inimicorum ſuorum, id eſt,victoriam, quia oẽs hoïes deſiderant habere victoriam de hoſtibus; & hoc maximè illi, qui ſunt generoſi corde,qui potiùs honorem , & vindictam , & libertatem quam pecuniam,& delitias deſiderant. Vnde apud antiquos vnum de maximis bonis reputabatur victoria de hoſtibus. Sic patet Gen. 24. Cùm fratres Rebeccæ imprecabantur ei bona,dicentes:Soror noſtra es, creſcas in millia , & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum. *Sed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium.* Id eſt , ad diſcernendum iuſtum,& iniuſtum in cauſis foralibus,quæ tibi occurrerent. Deus acceptauit iſtam petitionem,quia erat iuſta. Apparebat autem iuſtitia ſua ex multis. Primò,quia res bona,& honeſta petebatur,ſcilicet,ſapientia,& non petebatur voluptas, quia dicit aliquid inhoneſtum. Secundò,quia petebatur ad bonum finem,ſcilicet,ad vtilitatem proximorum, & cultum Dei diſcernẽdo iuſtè in litigijs, & non petebatur ad propriam fruitionẽ,ſicut ſunt alia bona , quæ ipſi homini ad ſe magis proficiunt,quàm ad alios. Tertiò, quia erat neceſſarium iſtud, quod petebatur,ſcilicet, cùm Salomon eſſet rex egebat prudentia ad regendum ſubditos. *Ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos.*Id eſt, Feci quod oraſti.*Et dedi tibi cor ſapiens, & intelligens.* Id eſt,dabo tibi quòd ſis doctus:ſapiens enim , & intelligens accipiuntur hic pro eodem multiplicando verba: & tamen non ſunt idem,quia ſapiens dicit habitum, & intelligens dicit actum:vtrunque autem competebat Salomoni, quia ipſe tunc habuit habitum intelligendi, per quem vocabatur ſapiens,& per illum poterat exire quandocunque vellet in actum intelligendi,per quem vocaretur intelligens. *Intantum vt nullus ante te ſimilis tui fuerit,nec poſt te ſurrecturus ſit.* Id eſt, non ſolùm dabo tibi ſapientiam quanta requiritur ad regendum regnum, ſed etiam faciam te ita ſapientem , quòd nullus ante te,nec poſt te ſapientior ſit.

Pericu loſum cũ Hebræis cõmunicare.

B

C

An Salomon fuerit ſapientior Angelis,& dæmonibus,& omnibus Prophetis,& Apoſtolis.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR an Salomon fuerit ſimpliciter ſapientior omnibus hominibus.Reſpondendum eſt,quòd ſapientia Salomonis fuit valdè magna, & tamen non peruenit ad ſapientiam Angelorum. Quod patet,quia Angeli cognoſcunt in verbo omnia quæcunque ſunt, quæ Deus vult eis reuelari prẽter ipſas res naturales,& tamen Salomon non cognoſcebat aliquid in verbo, quia nondum erat beatus, ſed cognoſcebat ipſas res naturales. Item non erat tam ſapiens,ſicut dæmones : Quod patet,quia dæmones non differunt ab Angelis bonis per conditionẽ naturæ, ſed ſolùm p̃ maculã peccati.Ideo ita ſunt perſpicacis naturę dæmones,ſicut Angeli : imò & quidã dæmones acutiores ſunt ingenio quibuſdã Angelis bonis. Vnde in ſapiẽtia nõ poſſunt excellere Angeli boni dæmones, niſi quantũ ad ea, q̃ reuelantur in verbo,& cognita ſunt ei,& nõ dæmonibus , qui nihil cognoſcunt in verbo. Cognitio autem rerum naturalium eſt præter cognitionem , quæ eſt in verbo: ideo quantum ad illam non excedunt Angeli boni dæmones. Nunc autem neceſſe eſt, quòd cognitio dæmonum excederet cognitionem Salomonis in duobus. Primò , quantum ad res geſtas, quia quæcunque facta ſunt vbicunque fiant, dæmones nouerunt , niſi fortè aliquis tractet intra cor ſuum aliquid quòd nondum manifeſtet in opere,quia illud dæmones non nouerunt: Salomon autem quamquàm ſciret conditiones rerum naturalium , & ea, quæ cadunt ſub cognitione ſcientifica, tamen non poterat ſcire res geſtas ante ſe per aliquam cognitionem ſcientificam , & ſi aliquis proteruire vellet, dicens,quòd Deus dedit Salomoni cognitionem omnium rerum præteritarum, quod non veriſimile, vt infrà dicetur, tamen ſaltem non poterat habere cognitionem rerum, quæ fierent ipſo viuente in toto orbe. Ratio differentiæ eſt, quia quando Deus dedit Salomoni ſapientiam , poterat ei reuelare omnia,quæ geſta fuerant in toto orbe, ſicut reuelauit Moyſi ea,quæ facta ſunt in creatione orbis, quæ ipſe non poterat cognoſcere per aliquam hiſtoriam : & tamen ea,quæ fierent viuente Salomone , poſtquàm accepit ſapientiam, non poterat ſcire, niſi Deus ei poſteà reuelaret , & tamen Deus ſolùm dedit ſemel ſapientiam Salomoni : ergo de his, quæ poſteà fuerunt , ipſe nihil ſciret , dæmones tamen ſciebant ea,quæ fiebant vbicunque fierent,quia conditione naturæ ſuæ ſubitò poſſunt eſſe hic, & in quolibet loco orbis. Secundò deficiebat Salomon à ſapientia dæmonum, quia dæmones non ſolùm cognoſcunt proprietates rerum, quæ eſt cognitio ſcientifica , ſed etiam cognoſcunt proprietates indiuiduorum, de quibus non eſt ſcientia , ſcilicet, ſciunt quot homines ſunt in orbe, & quot equi,& aſini, & lapides, & ſic de alijs indiuiduis ſpecierum. Etiam ſciunt conditiones indiuiduorum,ſcilicet, an iſta res ſit calida,vel frigida,& ſic de alijs conditionibus particularibus,non ſecundũ,quòd illa indiuidua ſunt alicuius ſpeciei, ſed ſecundùm quod ſunt indiuidua particulariter per ſe cognita. Hoc autem neſciebat Salomon , ſed ſolùm cognoſcebat proprietates indiuiduorũ,ſecundùm quod ſunt in ſpecie. Item dæmones ſciunt quid in quolibet loco ſit:& ſub iſta parte terræ,vel maris q̃d ſit, & ſic vſque ad centrum terræ.Idem de loco aëris,& ignis, & omnium elementorum,& cœlorum: Salomon autem neſciebat aliquid iſtorum , quia ſolùm ſciebat illa, ſecundùm quæ dicitur aliquis ſapiens : ergo neceſſe eſt, quòd quilibet dæmonum erat multò ſapientior Salomone,etiam ſi eſſet de minimis dæmonibus.

D

E

F

An Salomon fuerit ſapientior Prophetis, & Apoſtolis, & Adam, & omnibus Philoſophis.Et quòd Salomon fuit ſapientior omni homine, præter Chriſtum, & Virginem gloriosam.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlteriùs de comparatione Salomonis ad alios homines. Sciendum, quòd nemo tam inſipiens erit,quòd Salomonem velit comparare Chriſto homini, quia data eſt ei gratia in immenſum, & Apoſtolus dicit, Omnes theſauros ſcientiæ,& ſapientiæ abſconditos fuiſſe in illo,& quòd de eius plenitudine omnes accepimus. Comparando autem Salomonem ad alios homines, videtur dicendum, quòd ipſe fuerit ſapiẽtior omnibus hominibus ſeculi, quia hic dicitur, quòd nullus ante eum, nec poſt eum ſimilis fuerit: vnde omnes Philoſophi nõ acceſſerunt ad eius ſapientiam , nec etiam alij homines quantumcunq; boni,& ſancti eſſent. Dicit tamẽ Nico. quòd alij fuerunt ſapientiores eo,ſ. Adã,Moyſes,Apoſtoli,& ſimiles.De Adã patet,quia dicit,q̃ ipſe creatus fuit in perfectione omnis ſapientiæ:nã omnibus

A rebus nomina impoſuit ſecundùm conditionẽ ſuam, quòd erat magnæ ſapiẽtiæ. Gen.2. De Moyſe patet, qa loquebaẽ ei Deus facie ad faciẽ, ſicut loq ſolet homo ad amicum ſuum. Exo.33. De Apoſtolis patet, qa Spiritus ſanctus infudit eis ſapientiã multam, veniens ſup eos in linguis igneis: nã habuerunt tantã ſapientiam, ꝙ poterant reſiſtere oĩbus ſapiẽtibus ſeculi, vel faciliter cõfutare eos. Dicit etiã ad literã, quòd iſta litera intelligiẽ non cõparando ad omnes hoĩes, ſed ſolũ ad reges, cũ eſſet Salomon rex. Dicendũ tamen, ꝙ Salomon fuit ſapiẽtior oĩbus hominibus indiſtinctè, ſiue eſſent reges, ſiue non; & ſiue eſſent Prophetæ, ſiue nõ. Ab iſto dicto poſſumus excipere Dominam noſtrã propter reuerentiã filij ſui, dicendo quòd ipſa fuerit ſapiẽtior Salomone quantũ ad res naturales, & oẽs conſiderationes ſcientificas. Sed hoc non eſt nimis neceſſarium: vnde poſſumus dicere Salomonẽ fuiſſe ſapientiorem, quantũ ad conſiderationem ſcientificam, quàm Domina noſtra: quia nõ erat neceſſe ipſam eſſe valdè eminentem circa cognitionẽ rerum naturalium. Dicendum tamen neceſſariò Dominam noſtrã fuiſſe ſapientiorem Salomone, quantũ ad cognitionem deitatis, & ſecretorũ Theologicorũ.

Sapientia Adæ. De ſapientia Adę dicendũ, quòd minor fuerit quàm ſapientia Salomõnis, quia quanquã dicamus Adam fuiſſe creatum in omni perfectione naturæ: tamen nõ eſt neceſſe, quòd demus ei maximum gradũ in perfectione cognitionis naturalis, quod aũt dicitur quòd Adam impoſuerit noĩa omnibus

B animalibus, nõ ſignificat in eo fuiſſe maximã ſapientiam, & hoc propter duo. Primò, qa nomina nõ imponuntur ſemper ſecundùm conditionẽ ſubſtantiæ, ſed vt cõmuniter imponuntur ad placitũ: ſic enim diffinit Ariſt. nomen. 1. Perihermen. ſcilicet, Nomen eſt vox ſignificatiua ad placitũ. Secundò patet hoc, qa dato ꝙ Adam impoſuiſſet noĩa ſecundùm conditionẽ ſubſtantię ſolũ probatur, quòd cognoſcebat aliquas proprietates naturales illarũ rerum, & non oẽs: & dato ꝙ dicamus, quod cognoſcebat proprietates naturales oẽs iſtarũ rerum, tamẽ non ſequiẽ, quod hoc ſciebat in omnibus rebus naturalibus: nã ſolùm legitur Adam impoſuiſſe noĩa animalibus. Gen.2. Salomon tamen nõ ſolùm ſciuit proprietates animaliũ, ſed etiam arborum, & piſcium, & aliarum rerum, vt patet ſeq. cap. ſcilicet, Et diſputauit Salomon ſuper lignis à Cedro, quę eſt in Libano vſq; ad hyſopum, qui egreditur de pariete, & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piſcibus. Quod autem dicitur de Moyſe, quòd

Sapientia Moyſi. fuerit ſapientior Salomone, non eſt conuenienter dictum: nam ſapientia Salomonis extẽdebat ſe ad res naturales, & ad negotia politica: cùm pro his præcipuè ipſe orauerit. Moyſes tamen quam quotidiè loqueretur cum Deo in iſtis valdè rudis erat: nam neſciuit ordinare politiam Iudaicam, ſed propter defectum regiminis ſui ipſe affligebatur nimis, & non poterant diſcuti cauſæ Hebræorum, vnde Iethro ſacerdos

C Madian venit, & ordinauit politiam Iudaicam ſine magna inquiſitione diſtinguens populum per tribunos, id eſt, millenarios, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos: & ſecundùm hos accepit iudices. Exo.18. Et Iethro miratus eſt, & quaſi irriſit Moyſen, dicens: Stulto labore conſumeris tu, & populus, qui tecum eſt. Item circa legiſlationẽ erat Moyſes ſatis ignorans, quia filiæ Salphaad ſemel quæſiuerunt de dubio ſatis facili, & neſciuit reſpondere Moyſes, quouſq; retulit dubium ad audientiam Dei. Nume.27. Iterum etiã filij Manaſſe quæſiuerunt de alio dubio ſimili: & Moyſes non reſpondit, ſed conſuluit eum ſuper hoc. Nume.vlt. De cognitione autem rerum naturalium, an Moyſes habuerit aliquã, non apparet, niſi ſolùm inquantum dicitur, quod didicerat omnes literas, & ſapientiam Ægyptiorum. Act.7. Non ergo dicendum eſt, quòd ex hoc in naturalibus fuerit ſapientior Salomone ipſe Moyſes propter ea, quæ didicit ab Ægyptijs: quia Salomon erat ſapiẽtior omnibus Ægyptijs, ſequen. cap. Scilicet, Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium orientalium, & Ægyptiorum. De Apoſtolis autem nõ oportet dicere, quòd fuerint ſapiẽtiores Salomone, quia ſapiens propriè dicit cognitionem ſcientificam eorum, quæ naturalii ingenio haberi poſſunt per demonſtrationes, vel alias neceſſarias probationes: Apoſtoli autem non videntur fuiſſe ſapientes circa iſtud: quia iſtud eſt in ſciẽtia rerum naturalium, & mathematicarum, & alijs ſpeculationib⁹: ſed iſta Apoſtolis nõ multum conueniebant, ſed ſolùm iſta, per quæ

Sapiẽs propriè quis dicatur vsq; ad 4. ſeq.

procurari debebat ſalus humani generis conuertendo ad fidem per prædicationem. Ideo dicendum eſt quòd ſapientia Apoſtolorum largè loquendo fuit maximè in diuerſitate linguarum, quam acceperunt, ſcilicet, quòd quilibet illorum ſciret loqui per omnem linguam. Et hoc apparet in duobus: primò, quia Spiritus ſanctus apparuit Apoſtolis die Pentecoſtes in linguis igneis. Actuum 2. In quo ſolùm ſignificabatur cognitio variarum linguarum. Secũdò patet, quia Iudæi, qui erãt in Ieruſalem videntes veniſſe Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos, quos ipſi ebrios reputabãt, ſolùm mirati ſunt in eis varietatem linguarum, vt patet Actuum 2. Scilicet, Facta hac voce conuenit multitudo, & mente confuſa eſt, quoniam audiebat vnuſquiſque lingua ſua illos loquentes. Si tamen Apoſtoli accepiſſent tunc altiſſimam cognitionem rerum naturalium, & mathematicarum, per quam vocarentur propriè ſapientes, aliqui illorum loquerentur in linguis illis de altiſſimis veritatibus naturalibus, & Iudæi hoc videntes mirarentur fortè plus de ſapientia magna, quàm de linguis varijs, & tamen ſolùm mirati ſunt de linguis, ergo videtur, quòd non apparuit in aliquo eorum eminens ſapientia. Dicendum autem, quòd ſapientia illa, quæ data fuit Apoſtolis, fuit circa cognitionem Dei, & illorum, quæ pertinebant ad fidem, & mores, quæ prædicanda erant ad conuerſionem gentium, & principaliter circa fidem. Quod patet, quia Iudæi quando viderunt loqui Apoſtolos, dixerunt: vidimus eos loquentes varijs linguis magnalia Dei. Actuum 2. Sciendum autem, quòd ſapientia Apoſtolorum qualiſcunque illa ponatur, magis erat per modum Prophetiæ, quàm per modum habitus immanentis: nam ille, qui habet habitum ſcientificum, poteſt ſecundùm illum promptè reſpondere ad omnia, quæ inquiruntur de conditione obiecti illius habitus, Apoſtoli tamen non ſic reſpondebant, ſed ſolùm dabatur eis à Deo, quòd deberent reſpondere: ſic patet Matth.10. Scilicet, Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: ſed iſte eſt modus propheticus, ſcilicet, quòd Deus illuſtret intellectum alicuius, & tunc ſit intelligens: & iſtud non ab aliquo habitu, ſed à Spiritu ſancto loquente, & mouente linguam illorum. Nam ſic erat de omnibus Prophetis, quòd quando Deus mouebat illos, erant intelligentes valdè, & cùm deſinebat reuelatio prophetica, erant ſimplices ſicut alij homines, & interdum ruſticiores. De Apoſtolis autem patet hoc, quia ipſi non erant ſcientes, nec loquentes, ſed Spiritus ſanctus loquebatur pro eis. Sic patet Matth. 10. & Mar.13. Scilicet, Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, q lòquitur in vobis. Et Luc.12. dicitur: Spiritus enim ſanctus docebit vos in ipſa hora, quæ oporteat vos dicere: ex quo apparet, quòd ante illam horam non habebant ſapientiam ad reſpõndendum de illo quæſito, alioquin ſuperfluum eſſet, quòd Spiritus ſanct⁹ vellet docere eos in illa hora. Et tunc dicendum, quòd ſi ad reſpõdendum quæſitis opus erat habere cognitionem naturalem, vel geometricam, vel aſtrologicam, aut cuiuſcunq; alterius artis, dabatur ſibi cognitio perfectiſſima illius pro illa hora, & poſteà non manebat eis cognitio aliquarum rerum. Ideo dicendum, quòd Apoſtoli potiùs erãt Prophetæ, quàm ſapientes, quia ſapiens dicit habitum: Apoſtoli autem non habebant habitum, ſed illuminationes actuales à Deo, quando õpus erat. Habebant tamẽ Apoſtoli excellentiam ſuper Prophetas, quia quandocunq; ipſi volebant lõqui prædicando, vel reſpondendo Spiritus ſanctus mouebat eos, & non debebant aliquid præcogitare: ſed in nullo Prophetarum hoc fuit, nam præcipuus Prophetarum Moyſes neſciebat reſpondere quandocunque quæreretur, ſed oportebat, quòd iret ad conſulendum Dominum, ſicut fuit in cauſa filiarum Salphaad, & in quæſtione filiorum Manaſſe: Numer. 27. & 36. Habebat autem locum Moyſes conſulendi Dominum, ſcilicet, quòd quandocunque dubitaret de aliquo introiret in ſancta ſanctorum, & ibi reſpondebatur ei. Sic patet Nume.7. ſcilicet, Cumque ingrederetur Moyſes tabernaculum fœderis, vt conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcam teſtimonij ſuper duos Cherubim, vnde loquebatur ei: Apoſtoli tamen non ibant ad conſulendum Dominum ad aliquẽ locum, ſed vbicunq; eſſent tãgebat eos Spiritus ſanctus: vnde ſi

D

E *Sapiẽtia Apoſtolorũ nõ erat habitus, ſed illuminatio actualis.*

Apoſtoli potiùs erãt Prophetæ ꝙ ſapiẽtes.

F

A alicui eorum propoſita fuiſſet quæſtio filiarum Salphaad, vel filiorum Manaſſe, non dubitaſſet de illa, ſicut Moyſes, nec iret ad conſulendum Dominum. Si igitur Apoſtoli excellebant valdè Moyſen, à fortiori excellerent omnes alios Prophetas, quia Moyſes fuit maior priuilegio omnibus Prophetis. Deuteron. vlti. Scilicet, Et non ſurrexit Proheta vltra in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus facie ad faciem. De alijs autem Prophetis dicendum, quòd erant valdè minores Apoſtolis, quia aliquando inquirebant de aliquibus dubijs, & orabant, vt haberent reſponſionem, & per multos dies non poterant habere: ſic fuit de Iremia, à que quæſierunt Iſraelitæ de dubio, & ipſe quæſiuit à Domino, & per decem dies orans non potuit habere reſponſum vſque ad decimũ, vt patet Ierem. 42. Etiam fuit ſimile de Daniele, cui oſtendebãtur viſiones, & orabat Deum, vt indicaret ſibi intellectum illarum: & quamquàm ieiunaret, & affligeret ſe, non poterat habere reſponſionem per tres hebdomadas. Sic patet Daniel. 10. Scilicet, In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, ſed nec vnguento vnctus ſum: & poſteà ſequitur, quòd die vigeſimaquarta facta eſt ei reuelatio. Patet ergo Apoſtolos fuiſſe Prophetas, non ſapientes: immò omnibus Prophetis valdè maiores. Salomon autem erat ſolùm ſapiens in naturalibus, & alijs, quæ dicunt ſpeculationem per modum habitus. Ideo quamquàm ſit comparatio æquiuoca, tamen dicetur quòd Salomon erat ſapientior Apoſtolis. Cùm autem dicit Nicol. quòd iſta litera, ſcilicet, quòd ante Salomonem nec poſt non erit aliquis ſimilis ei in ſapientia, quòd intelligatur de regibus, ſicut Salomon erat rex, non ſtat, quia etiam intelligitur de omnibus alijs hominibus, ſiue reges, ſiue priuatæ perſonæ eſſent, vt patet ſequenti cap. ſcilicet, & præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam orientalium, & Ægyptiorum: & tamen manifeſtum eſt, quòd non dicitur ibi de regibus orientalibus, & Ægyptijs, quia in Ægypto non erant multi reges, ad quos poſſet comparari Salomon. Item ibi dicitur & erat ſapientior cunctis hominibus: & tamẽ certum eſt, quòd iſta diſtributio non fit pro regibus. Et confirmatur maximè, quia immediatè dicitur: Et erat ſapientior Ethan Ezrahite, & Heman, & Calchal, & Dorda filijs Maol: & tamen iſti non erant reges, ſed Leuitæ in Iſrael, vt patet 1. Paralipom. 25. Ergo ad omnes homines tam reges, quàm non reges comparabatur ſapientia Salomonis, & erat illis ſapientior.

Salomon erat ſapiens in naturalibus.

B

Sapientia qualiter fuit data Salomoni, & quæ ſunt, quæ conſiderantur in ſcientia noſtra: & quomodo illa reperiuntur in ſcientia Salomonis, perfectiùs quam in nobis.

C

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR vlteriùs, qualis modus fuit dandi ſapientiam Salomoni. Reſpondendum, quod iſtud colligi poteſt per ſimilitudinem ad ſapientiam noſtram: nam nos per exercitationem acquirimus habitum, qui eſt quædam ſolidatio facta in intellectu veritatum pertinentium ad aliquod genus obiecti, & per illam qualitatem ſolidatã conſideramus quandocunque volumus circa genus illius obiecti, & poſſumus reperire alias veritates, quas nondum reperimus. De Salomone autem dicendum, quòd ipſe nihil laborauit ad acquiſitionem aliquorum talium habituum, ſed Deus infudit ei imprimẽdo in intellectu ſuo quaſdam qualitates ſolidatas, circa genera multorum intelligibilium, & per illas poterat conſiderare quandocunque vellet. Erat autem in hoc ſapientior omnibus hominibus, quia nulli homini tot habitus cauſati ſunt per acquiſitionem, quot ipſe habuit per infuſionem. Secundò erat ſapiẽtior alijs, quia dato eodem habitu in Salomone, & in alio homine perfectior erat ille in Salomone, quàm in quocunque alio homine. Pro quo ſciendum, quòd habitus intelligendi eſt tanquàm quædam lux, per quam manifeſtatur res aliqua, ſed certum eſt, quod luces inter ſe multum differunt, quia quædam lux diminutà poterit oriri ſuper rem, quæ eam nobis imperfectè manifeſtabit: alia autem lux erit maior, quæ clariùs & diſtinctiùs oſtendet nobis ipſam rem. Ita ergo habitus eſt quædam lux circa obiectum illud, de quo eſt. Ideo quidam habitus poterit manifeſtare nobis ipſum obiectum clariſſimè. Alius autem erit qui minus clarè, & omni maiori fortitudine oſtendet: hoc apparet manifeſtè in duobus hominibus habẽtibus habitum eiuſdem artis. Item patet, quia ſic ſe habet habitus ad intelligibilia ſui generis, ſicut oculus ad viſibilia: & tamen certum eſt reſpectu cuiuſcunq; viſibilis, quòd oculus vnius hominis valdè perfectiùs diſtinguet, quàm oculus alterius: & in iſta claritate cognitionis excellebat Salomõ omnes homines. Tertiò erat ſapientior omnibus in fixione habitus: quia cæteri homines quantumcunque ſapiẽtes ſint, quia acquiſiuerunt habitus, poſſunt illos perdere, & aliquando obliuiſcentur eorum, quæ ſciuerant. Salomon autem non poterat obliuiſci alicuius eorum, quæ ſciebat, vt infrà declarabitur in quadam quæſtione: iſtæ autem ſunt tres perfectiones conſideratæ circa ſapiẽtiam, ſcilicet, pluralitas habituum, & claritas eorum, & radicatio, & non poſſunt conſiderari aliæ perfectiones circa ſapientiam, & in his tribꝰ excellebat Salomon omnes homines. Sciendum autem ex hoc quòd Salomon non poteſt comparari ſecundùm ſapientiam maiorem, vel minorem illis, qui non habent habitum, ſed ſolùm per reuelationem ſunt ſapientes: ſic enim eſt de omnibus Prophetis: nam ipſi non habẽt aliquem habitum, per quem intelligant ea, quæ prophetant: quia tunc quandocunque vellent, poſſent exire in actum intelligendi, ſed non poſſunt, quia aliquando conantur intelligere, & nõ valent, ſicut patuit de Ieremia, & Daniele, præcedenti quæſt. Sic etiam fuit de Eliſeo, qui vidit ad ſe venientem mulierem, & neſciuit ad quid veniebat, ſed dixit ad puerum ſuum, dimitte illam, quia anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, nec indicauit mihi, ſeq. lib. cap. 4. Qui autem habẽt habitum, cùm ille ſit immanẽs, poſſunt intelligere per illum, quandocunque voluerint, & vocabuntur ſapientes. Secundò differebat Salomon à Prophetis, quia Salomon cognoſcebat illa, quæ poſſunt ſciri naturali cognitione, ſiue per demonſtrationem, ſiue aliàs: Prophetæ autem non cognoſcunt illa, quæ naturaliter ſcibilia ſunt, ſed ea quæ nullo modo poſſent cognoſci ab aliquo homine quantumcunque acutiſſimi ingenij eſſet, eò quòd illa, quæ reuelantur eis, ſunt accidentia quædam, quæ non habent aliquam neceſſitatem, per quam cognoſcuntur: ea autem quæ cognoſcebat Salomon, quanquàm non cognouiſſet per ſtudium, & demõſtrationem; tamen erãt talia, quæ poterant cognoſci à quolibet alio p demonſtrationem, & ipſemet Salomon poterat aliqua iſtorũ cognoſcere per ſtudium, & demõſtrationem. Ideo dicendum, quòd Salomon non poteſt comparari ad aliquem Prophetam, qa Salomon erat ſapiens, & Prophetæ non erãt ſapientes, niſi aliàs pẽr ſtudium didiciſſent, ſicut dicitur de Moyſe, quòd didicerat omnem ſapientiã Ægyptiorũ. Act. 7. Cùm autem dicebat Nicol. quòd Moyſes erat ſapientior Salomone, quia videbat Deum, & colloquebatur ei, ſicut ſolet homo loqui ad amicũ ſuum: non ſequitur, quia ea quæ Moyſes ſciebat per familiaritatem Dei non erant talia, per quæ ipſe vocaretur ſapiens, cùm illa non cadant ſub demonſtratione, vel alia probatione neceſſaria, & ſi aliquis negaſſet illa, non poſſet ea probare Moyſes, nec aliquis alius Propheta: ſapiens tamen propriè vocatur ille, qui neceſſaria ratione conuincere poteſt ea, quæ dicit eſſe vera: ſic enim dicit Ariſt. in Elenchis, quòd duo ſunt opera ſapientis, ſcilicet, nõ mentiri, de quibus nouit, & mentientem poſſe redarguere, ſcilicet, poſſe probare quod mentitur.

D

E

F

Sapiẽs quis dicatur propriè

Moyſes nõ erat propriè ſapiẽs, nec Apoſtol.

Item Ariſtotel. 1. Poſterior. dicit, quòd demonſtratio eſt ſyllogiſmus apodicticon, id eſt, faciens ſcire: quæcunque ergo non cadunt ſub demonſtratione, non dicuntur propriè eſſe ſcita. Item in 1. Poſterior. dicitur, quod ſcire arbitramur vnumquodque ſimpliciter, & non ſophiſtico modo, quod eſt ſecundum accidens, cùm cauſam cognoſcimus, propter quam res eſt, & quoniam illius cauſa eſt, & quod non eſt contingens aliter ſe habere. Similis modus loquendi eſt, 1. Phyſic. in principio. Salomon autem poterat probare eſſe vera ea quæ ſciebat per demonſtrationem, vel per alia genera cauſarum, ſecundum conditionem obiecti ſcibilis. Prophetæ autem nihil poterãt probare eorũ, quæ dicebant: ergo Salomõ erat ſapiens, & Prophetæ nõ. Si autem dicas: quòd Prophetæ

pote-

A poterant probare ea, quæ dicebant per ſigna miraculoſa, vt patet Deuteron.13.& 18.Nam per iſtum modũ dicebat Deus quòd haberetur certitudo de dictis Prophetarum, an vera eſſent. Dicendum,quòd iſta probatio erat æquiuoca: quia non probabatur per aliquid quod pertinebat ad ſcientiam, ſed per poteſtatem. Etiam quia miraculum non eſt cauſa per ſe alicuius veritatis, ideo non benè probatur aliqua veritas per miraculum,quãtum ad hoc quòd ſit probatio ſcientifica;quia talis probatio fit per cauſas;quæ ſunt per ſe cauſæ, & immediatæ,vt patet 1.Poſteriorum.

An Salomon habuit ſcientias præteritorum & futurorum, & an artes naturales politiæ & mathematicæ fuerint in eo.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlteriùs quid erat,quòd Salomon recepit à Deo, & in quo erat ſapiens. Reſpondendum, quòd Salomon non recepit à Deo ſpiritum prophetiæ, quia per prophetiam non eſſet ſapiens, ita quòd maneret in eo ſemper cognitio,ſed prophetia eſt illuminatio raptim tranſiens, vt ſuprà declaratũ eſt, & ad hoc oportebat quòd quotieſcunque Salomon deberet aliquid ſapiẽtiale dicere,quòd Deus actualiter illuſtraret eum, alioquin nihil ſciret,& tamẽ
B iſtud falſum eſt, quia ſolùm ſemel fuit data ſapiẽtia Salomoni:ſi tamen datus fuiſſet ſibi ſpiritus prophetiæ, non daretur ſapientia ſemel tantùm, ſed quotieſcunque deberet intelligere,oportebat quòd daretur ei ſapientia.

Sed aliquis fortè dicet,quòd dabatur ei multoties ſapientia,& tamen ſolùm fit expreſſio de vna vice.

Dicendum,quòd hoc eſt irrationabiliter dictum,quia cũ prophetia nõ habeat vna vice eminentiorem illuſtrationem quàm alia,id eſt,quæ magis maneat in eo, ſed quælibet illuſtratio eſt per ſe,& vna non dependet ex alia, nõ fieret mentio de aliqua illarum,vel fieret mentio de omnibus, ſicut fit in Prophetis,de quibus ſæpè dicitur, quòd facta eſt manus Domini ſuper illos,& dixerunt talia vel talia.

Item de Salomone dicitur, quòd Deus fecit eum ſapientem,vt patet hic,& ſeq.cap, & ſolùm dicitur feciſſe eum ſapientem,ergo non erat Propheta, quia prophetia nõ erat ſapientia.Etiam patet hoc, quia Prophetas nunquàm ſcriptura appellat ſapientes,ſed Prophetas.

Item dicendum, quòd Deus non dedit Salomoni cognitionem geſtorum præteritorũ, nec futurorum, quamquàm poterat cognitio iſta ſibi infundi à Deo cum ſapientia, ſed patet quòd non infuſa fuerit, quia Salomon ſolùm vocatur ſapiens:cognitio tamen geſtorum præteritorum, & futurorum non pertinet ad ſapientiam, cùm non habeat aliquam
C neceſſitatem naturalem, de quo præcedenti quæſtione declaratum eſt.

Dicendum igitur,quòd ea, quæ Salomon ſciebat,erant pertinentia ad conſiderationem naturalem, & hoc ſiue in vniuerſali,ſiue in particulari. In vniuerſali quidẽ ſicut naturales philoſophi,vt patet ex omnib⁹ libris Ariſt. In particulari autem,ſicut medici, qui vniuerſalia particularibus applicãt curando iſtum,vel illum hominem.Iſta aũt complectuntur totam cognitionem naturalẽ,quòd phyſicus incipit ab vniuerſaliſſimæ naturæ, & vbi deſinit phyſicus incipit medicus, & ipſe continuat vſq; ad particulariſſima naturę,& in iſto ordine eſt maxima,& latiſſima ſapientia.Erat etiã Salomon ſapiẽs circa oĩa mathematica,ſcilicet,circa geometriam,arithmeticam,& aſtrologiam,ac muſicã,quæ omnes ſunt ſcientiæ reales. Erat etiam ſapiẽs circa dialecticam,quæ eſt de modis arguendi, & inueniendi veritates, & de verſutijs ſermonum. Erat etiam valdè eruditus circa Rhetoricam tam in arte oratoria communi, quàm in poeſi,& omnibus generibus hypocriticarũ aſcẽſionũ,ſcilicet,in tragœdijs, comœdijs, & ſatyris. Erat etiam eruditus circa mores humanos ordinãdos, & hoc in vniuerſali ex primis principijs morũ deducens concluſiones iuxta modum procedendi.Ariſtot.in Ethi.Sciebat etiã in particulari mores formare, & hoc ſiue ad monaſtriã, ſiue œconomiam, ſiue politiam. De Monaſtria autem ſic, ſicut Ariſtot.in Ethicis. de œconomia verò, ſicut Ariſtoteles in œconomicis. De politia autem dupliciter, cùm ſit duplex conſideratio circa politiam: vna eſt de modis politiarum,& quæ politia conueniat,& cui genti, ſcilicet an conueniat monarchica,vel ariſtocratica,vel timocratica, aut tyrannica,vel obligarchica, aut democratica. Alia conſideratio eſt de ipſa politia poſtquàm inſtituta fuerit, quæ leges ei competant ſecundùm genus quodlibet politiæ. Primam conſiderationem iſtarum tractauit Ariſtot. in politicis, ſecundam autem nunquàm tetigit,quia non expediebat,cùm illa ſolùm ſit ſpecialiter pro rectoribus politiarum, & in hoc fit determinatio ad particulariſſima, de quibus non decuit loqui Ariſtot. cùm doctrinam ſuam vellet extendi ad omnes homines.

Fuit etiam Salomon peritus circa dæmonum inuocationes,& eiectiones de corporibus. Fuit etiam peritus circa omnem Necromantiam & ſuperſtitioſam artem, quamquã ibi propriè non ſit peritia. De primo iſtorum,ſcilicet,de ſapientia naturali, quòd habuerit eam Salomon tam in particulari,quàm in vniuerſali,patet ſequenti cap. ſcilicet,diſputauit Salomon ſuper lignis à cedro,quę eſt in Libano vſq; ad hyſſopum,quæ egreditur de pariete, & diſſeruit de iumẽtis, & volucribus, & reptilibus,& piſcibus. Patet etiam de hoc Sap.7.vbi ponuntur multa de ſapientia eius.

Salomon peritus circa dæmonũ inuocationes, & necromãtiam.

D E

De ſcientia autem mathematicarum artium, ſcilicet geometria,aſtrologia,arithmetica,& muſica,apparet,quia Salomon erat magnus aſtrologus: neceſſe eſt tamen aſtrologum eſſe geometram,& arithmeticum. De hoc patet ſeq.cap.ſcilicet, & præcedebat ſapientia Salomonis ſapiẽtiam omnium orientalium & Ægyptiorum. Orientales autem vocantur Indiani,qui maximè floruerunt in aſtrologia. Patet etiam ex Ægyptijs,quia ipſi potiſſimè viguerunt in aſtrologia,& geometria:nã Euclides geometrarum maximus Ægyptius fuit. Ptolemæus quoque aſtrologorum eximius de Alexandria fuit,quæ cum Ægypto inferiori computatur, & tamen Salomon excedebat omnes Ægyptios, & Indianos. Patet etiam hoc Sap.7. vbi ſimul ponitur cognitio aſtrologica Salomonis,& naturalis, cùm dicitur:ipſe enim mihi dedit horum, quę ſunt,veram ſcientiam,vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum,& virtutes elementorum,initium,& coſummationẽ, & medietatem,temporum viciſſitudinum permutationes,& conſummationes temporum,morũ mutationes, & diuiſiones temporum:anni curſus, & ſtellarum diſpoſitiones:naturas animalium,& iras beſtiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum,differentias virgultorum, & virtutes radicum,& quæcunque ſunt abſconſa,& improuiſa didici.

Aſtronomia floret in Aegypto, quia cœlum ſemper eſt ibi clarũ.

Sciendum autem, quòd aſtrologiæ duæ partes ſunt,ſcilicet theorica,& practica: theorica enim eſt de motibus corporum cœleſtium & accidentibus, quæ ſequuntur in eis, vt eclypſibus,coniunctionibus,quadraturis,& angulis: iſta autem nouerat Salomon, vt patet ex dictis. Secunda pars eſt practica,quæ vocatur iudiciaria, & iſtam etiam nouerat Salomon iudicando de accidentibus particularibus hominũ. De hoc Sapient.8. ſcilicet, ſcit ſigna & monſtra antequàm fiant, & euentus temporum & ſeculorum, & iſta dicuntur de Salomone. Et iterum dicitur ibidem, & ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis ſcit præterita, de futuris exiſtimat. De hoc etiam opponi poteſt, quod de Salomone dicitur,Sapient.7. ſcilicet, ſciui diſpoſitiones ſtellarum, & cogitationes hominum, & quæcunque ſunt abſconſa, & improuiſa didici:nam licèt per aſtrologiam non poſſit agnoſci determinatè cogitatio humana, quia illam poteſt homo liberè variare,poteſt tamen cognoſci quid homo ſomniauit, niſi fortè ſomnium à Deo ſit ſpecialiter immiſſum, quia tunc aſtrologi neſcient iudicare quid homo ſomniauit, eo quòd non habet iſtud ſomnium radicem aliquam in conditione naturæ:aliàs autem ſomnia naturalia ſunt pro maiori parte,quod patet, quia Ariſtot. in libris de ſomno,& vigilia dat ſignificationem naturalem ſomniorum, vt patet in 2.lib.eiuſdem quod incipit. de diuinatione autem,quæ fit in ſomnijs:non tamen poſſet iudicari naturaliter per ſomnia, niſi ipſa quoq; ſomnia naturaliter exiſterent,& quia iſta non veniunt à libertate,ſed ex conditione naturæ poteſt aſtrologus iudicare de illis.

Aſtrologia duplex

F

Differentia ſomniorum,et quæ poſſunt iudicari p aſtrologiã.

Sed obijciet aliquis,quòd non poſſit iudicare per aſtrologiam quid aliquis ſomniauit,quod patet per Nabuchodonoſor,qui vidit ſomnium,& oblitus eſt,& quęſiuit ab aſtro-

A logis,& nescierunt dicere quòd somniasset, vt patet Danielis 2.scilicet respondentes Chaldæi coram rege,dixerunt:nō est homo super terram, qui sermonem tuum rex possit implere,sed nec regum quisquam magnus & potens verbū huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo,mago,& Chaldæo,nec reperietur quisquam qui iudicet illum exceptis dijs, quorū non est cum hominibus conuersatio.

Respondendum,quòd nullus astrologus potuerat scire somnium Nabuchodonosor,quia non erat naturaliter,sed à Deo:sic dicit eo.cap. quòd Deus,qui reuelat mysteria ostendit sibi Nabuchodonosor id,quod futurum erat:non tamen fuit ista excusatio magorum , & ariolorum, quia ipsi nesciebant,an esset somnium à Deo.vel aliàs:sed dixerūt istud, quia fortè Nabuchodonosor non dixit eis,quæ fuit illa nox, in qua somniauerat,& aliter ipsi scire non poterant. Vel fortè isti sapientes Nabuchodonosor non inuenerunt somniū, & nesciebant,quòd à Deo erat, & vt se excusarent dederunt illud responsum:aliàs tamē sciri potest quid aliquis somniauit scito tempore & loco,in quo somniauit, vt patet ex regulis,quas astrologi tradiderunt. De cogitationibus autem, quia liberæ sunt,non potest dari iudicium, potest tamen dari de radice eorum , scilicet ad quid cogitādum homo inclinatur,& quid communiter cogitat, si sequatur desiderium suum,quia ista consequuntur cōditionem naturalem , vnde ea Salomon sciebat.

B *Salomō fuit dialecticus.* Item sciebat Salomon dialecticam, & grammaticā , quod patet Sap.8. scilicet, Scit versutias sermonum & dissolutiones argumentorum:primum pertinet ad grammaticam,quę de varietate sermonis agit:secundum ad dialecticam,quę argumentorum modos tractat,& tamen omnia ista sciebat Salomon,vt dicitur ibidem.

Salomō fuit rhetoricus. Item erat copiosus Salomon in rhetorica, & hoc tam in oratoria,quàm in poëtica, secūdùm quam fiunt diuersi modi metrorum.De prima patet Sap.8.scilicet iuuenis & acutus inueniar in iudicio , & in conspectu potentium admirabilis ero,& facies principum mirabuntur me,tacentem me sustinebunt , & loquentem me respicient,& sermocinantem me plura manus ori suo imponent.Hæc enim quamquàm Salomon non dixerit,sed Philo Iudæus,qui librum Sapientiæ fecit,vt ait Hiero.in prologo super librum Sapiētiæ : tamen in persona Salomonis omnia ista dixit, tāquàm Salomon esset, qui ista loqueretur.

Item patet hoc in libro Ecclesiastes , quem Hebræi vocāt Coheleth,id est,concionatorem,scilicet loquentem ad concionem.i.populum.Quòd autem Salomon floreret in varietate metrorum,patet seq.cap. cùm dicitur : locutus est Salomon tria millia parabolas , & fuerunt carmina eius quinque millia,carmen autem ad poesim pertinet.

Item patet hoc ex libro, qui dicitur Cantica canticorum,
C quem fecit Salomon , in quo vsus est modo poetico in laudando,& fingendo,& exaggerando sermonem.

Item patet Salomonem in arte metrorū, & etiam in musica sapiētem fuisse,quia seq.cap.dicitur, quòd erat Salomon sapientior Ethan:Ezraitæ,& Heman,& Chalchal, & Dorda filijs Mahol,& tamen isti erant doctores inter cantores,& in faciendis psalmis & carminibus , vt patet 1.Paralipom. 16. & meliùs 25.

Salomō maximus moralis. Item erat sapiens Salomon circa mores regulādos in vniuersali:nam de hoc fecit librum Prouerbiorum , quem nos habemus, in quo quicquid est , ad morem pertinet . Etiam aliquo modo ad istud genus pertinet liber Ecclesiastes , qui de vanitatibus varijs agit , & ex hoc qualiter fugienda sint, ostendit.Item erat prudēs circa monastriā, scilicet ostendendo de moribus cuiuslibet hominis absolutè sumpti , & hoc facit potissimè in prouerbijs.

Salomō œconomicus. Fuit etiam instructissimus circa œconomiam disponendo mirabiliter domum suam , vt patet seq. cap. erat autem tam exquisita ordinatio œconomiæ , id est, domus Salomonis,vt ex illa cognosceretur maxima sapientia eius , sic patet infrà 10. & 2.Paralipomenon 9. scilicet videns autem regina Saba domum,quam ędificauerat Salomon,& cibos mensæ eius & habitacula seruorum , & ordinem ministrantium vestesque eorum,& pincernas , & holocausta quæ offerebat in domo Domini,non habuit vltra spiritum.id est,admirata est nimis.

Fuit vltimò Salomon sapientissimus circa politiam , & hoc siue ordinando in genere politiæ, siue in dādo leges conuenientes. Et licèt omnia alia Salomon abundanter haberet,magis tamen habuit de prudentia ciuili quàm de alijs, eo quòd Salomon principaliter petijt prudentiam ad regendum populum,ideo vel daretur ista sola ei vel ista abundantiùs quàm cæteræ , sic apparet in dispositione totius populi, quia tempore suo populus viuebat in magna pace. seq.cap.s. habitabatq; Iuda,& Israel absq; vllo timore vnusquisq; sub vite sua,& sub ficu à Dan vsque Bersabee cunctis diebus Salomonis:non potest tamen esse magna pax populi sine prudentissima dispositione politiæ.Fuit etiam in iudicijs acutus circa particularia.Sap.8.scilicet iuuenis,& acutus inueniar in iudicio:hoc autē apparuit in iudicio , quod dedit inter duas meretrices de filio mortuo,& viuente,infrà in litera , in quo primo cognouit populus sapientiam eius.

D *Salomon politicus.*

Habuit etiam sapientiam circa dæmones expellendos de corporibus:vnde ipse instituit exorcismos , quos Iudæi didicerunt ad excludendum dæmones de corporibus, & manserūt isti exorcistæ semper inter Iudæos vsquequò cessauit status Iudaicus per Romanos. Vnde tempore Christi erant isti exorcistæ,& Christus locutus est de eis,dicens:si ego in Beelzebub eijcio dæmonia, si filij vestri in quo eijciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt.Marc.12. & Luc. 11.illi aūt filij Iudæorum erant exorcistæ , & eijciebant dæmones in virtute Dei per exorcismos Salomonis. De hoc ait Iosephus 8.Antiquitatū, scilicet, Præstitit autem Deus Salomoni,vt contra dæmones ad vtilitatem hominum eorum curas ediceret, & incantationes instituit , quibus ægritudines soleant mitigari : modos etiam cōiurationum , quibus obstricti dæmones,ne denuò redeant,effugantur,inuenit, & hæc cura hactenùs apud nos multum prævalere dignoscitur. Vidi enim quendam Eleazarum de gente nostra præsente Vespasiano , & eius filijs & tribunis,alioque exercitu curantem eos, qui à dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit huiusmodi: intulit naribus eius,qui à dæmonio vexabatur annulum habentem subter signaculum radicem à Salomone monstratam:deinde dæmonium per nares odorantis abstraxit , & repentè cecidit homo , posteà coniurauit eum,iuramētum Salomonis obijciens,ne ad eum denuò remearet, id est, cātica, quæ ille composuit super eum,dicēda. Volens autem satisfacere atque probare præsentibus Eleazarus hanc se habere virtutem , ponebat ante eos , aut calicem aquæ plenum, aut peluim,& dæmoni imperabat , vt ab homine egressus hæc euerteret , & videntibus præberet indicium, quòd hominem reliquisset.Quo facto sapientia Salomonis innotuit cunctis. Hæc ergo aliquid de sapientia Salomonis indicant , licèt maior fuerit quam in nos enarrare possimus.

Salomō peritus circa expulsionem dæmonum.

Cap. 2. E

Quare Deus dedit omnem sapientiam Salomoni , cùm ipse solùm peteret prudentiam ad regendum. F

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR vlteriùs cùm Salomon solùm petiuisset sapientiam ad regendum , quare Deus ei dedit sapientiam naturalem, & alias,quas præcedēti quæst.enarrauimus, quia illæ nihil attinent ad prudentiam ciuilem.

Respondendum,quod hoc fecit propter multa. Primùm fuit deuotio Salomonis,nā ipse ex magna deuotione ad Deū petiit sapientiam , & quia petitio erat iustissima , & ex bono corde,non solùm Deus dedit ei sapientiam,sed etiam & honorem,& alia bona, vt patet infrà,scilicet,Sed & hæc,quę nō postulasti dedi tibi, diuitias , scilicet & honorem & gloriam, vt nemo fuerit similis tibi in regibus cunctis retro diebus, sed sapientia speculatiua est magis coniuncta prudentiæ politicæ quèm diuitiæ honor & gloria,& Deus dedit Salomoni cum prudentia politica honorem,gloriam, & diuitias , ideo potiùs debuit dare sapientiam speculatiuam.

Secundum est,quia Deus est magnificus in dando, pertinet autem ad magnificū superabundanter dare,scilicet plusquàm petatur. Ideo Deus quando vult alicui conferre dona dat abundātissimè:sic enim dixit Christus: Mensuram bonā, & confertam,& coagitatam, & supereffluētem dabunt in sinum vestrum: Luc.6.ergo donum Dei supereffluit:sic etiam

A

Iacobi cap.1. dicitur omne datum optimũ, & omne donum perfectum desursum est. Et sic ex magnificentia Deus dedit Salomoni plusquàm petiuerat, conferens sapientiam secundùm omne genus.

Tertium fuit, quia Deus voluit ostendere sapientiam & bonitatem suam: non enim potest Deus cognosci à nobis per seipsum, dum hic manemus, sed cognoscitur per vestigia sua: ad ostendẽdum, ergo magnas perfectiones suas causat interdum in rebus aliquas tam excellentes, vt vix sufficiamus eas admirari: sic enim fuit de robore Sampsonis, qui manibus nudis aggrediebatur leones, & lacerabat eos, sicut hædos. Iudi.14. Ipse etiam solus & inermis pugnauit semel contra totum exercitum Philisthinorum, & accepta mandibula asini occidit mille viros. Iudic.15. portas quoque vrbis Gazæ cum postibus, & seris humero imponens portauit in montem. Iud.16. Tantum fuit robur eius, & animositas, quòd quinque reges Philisthinorum cum populo innumerabili contra eum solum, & inermem pugnare non audebant. Sic etiam tantam velocitatem Deus dederat Asaeli fratri Ioab, vt esset cursor velocissimus super capreas: quæ morantur in montibus præcedenti libro, cap.2. Tantæ etiam pulchritudinis fuit Absalom, vt à vertice vsque ad plantam nulla in eo posset macula reperiri præcedenti lib. cap. 14. Ita ergo voluit Deus sapientiam suam ostẽdere in Salomone circa omnia genera scibilium, vt totus orbis non sufficeret admirari, & venirent de finibus terrarum ad audiendam sapientiam eius sequenti cap. & infrà 10. per hoc autem cognosci poterat quanta esset sapientiæ Dei magnitudo, cùm vni homini tantam sapientiam donare dignatus sit.

Mirabilis fortitudo Sampsonis.

B

An Salomon poterat obliuisci eorum, quæ sciebat, vel alicuius partis eorum, & qui sunt modi, quibus nos possumus obliuisci.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR vlteriùs an Salomõ poterat obliuisci eorum, quæ sciebat.

Respondendum quòd sapientia nostra perdi potest. Sapientia autem Salomonis perire non poterat. De primo patet, quia sapientia humana habet multas causas, ex quibus pereat.

Prima est ex desuetudine, & ista est potissima. Nã causatur sapientia per assuetudinem ad intelligere: ideo per desuetudinem intellectionis poterit habitus aboleri. Patet hoc tam in naturalibus quã in moralibus, & etiã speculatiuis. De moralibus & speculatiuis patet, 2. Ethic. vbi dicitur, quòd generationes, & augmentationes, & operationes, & corruptiones habituum sunt in eisdẽ, & ab eisdem, sed habitus causatur p actus ductos in assuetudinem, ergo per desuetudinem eorundem fiet corruptio habitus. De naturalib⁹ patet, quia secundùm naturam ex eisdem sumus, viuimus, & nutrimur. Ita ergo in habitibus idem erit per quod habitus causatur, & conseruatur, sed causatur per actum, ergo per eum conseruabitur, & consequenter desinente eo peribit.

Sapientia nostra quõ amittitur.

C

Secundum per quod potest venire in obliuionem scientia nostra est per dispositionem phantasiæ: nam intelligere nostrum est cũ actu phãtastico, vt patet 3. de anima, scilicet, Oportet intelligentem circa phantasmata speculari, quomodocunque ergo phantasia indisponatur poterit perire scientia, vtpotè si aliquis efficiatur maniacus, vel phreneticus, aut lethargicus totaliter indisponitur phantasia, & si magno tempore durant istæ ægritudines, corrũpuntur phantasmata, & perit omnis scientia tanquàm si homo nunquàm literas didicisset.

Numãtia est Zamora contra multos dicẽtes p est Soria, & sumunt motiuum ex Ptolemæo.

Fit etiam hoc aliquando propter magnam senectutem, secundùm quam cerebrum transmutatur valdè, & ideo nimis senes incipiunt delirare: sic enim fertur de quodam viro sapienti valdè ordinis minorum, qui & libros multos edidit, & fuit in territorio Numantino, scilicet, Zamorensi dictusq; est Ioannes Egidij Zamorensis, qui ad tantam senectutem peruenit, qui licèt corpore sanus esset, inquantum ætas illa permittebat, literas tamen, vt dicitur, oblitus fuerat.

Accidit etiam hoc interdum propter percussionem factã in cerebro, si grauis sit: multi enim ex hoc amẽtes efficiũtur, & nõ rectè iudicant de agibilibus, licèt oĩa quæ sciuerint obliuiscantur. Tertius modus est, quo scientia perit, scilicet, per actum contrariũ, vt quando aliquis cognoscit conclusiones alicuius artis, & per syllogismos sophisticos, vel falsigraphos probetur cõclusiones contrariæ, & ipse nõ possit respondere assentiet interdũ falsis cõclusionibus, & cùm habuerit actus circa illas perdet habitũ præcedentium conclusionũ verarũ, & acquiret habitum falsarũ conclusionum, sic patet de arte, qa ars est recta ratio factibilium, si quis autẽ operetur semper per cõtrariam operationem arti, causabit in se habitum quendam, qui est sicut ars, & tamen est cum falsatione, & võcatur athecina, sic enim dicit Aristot. 6. Ethic. quòd ars est habitus cum vera ratione factiuus: athecina autem è contrario cum ratione falsa factiuus habitus. Isti sunt tres modi generales solùm, per quos potest scientia in nobis deleri, & quicunque alij particulares sint comprehendentur sub istis. Istud autem verum est de modis naturalibus perdendi scientiam: nam per operationem Dei quilibet potest illam perdere, scilicet, quòd Deus illam deleat, sed hoc non contingit.

D

Quod sapientia Salomonis perdi non potuisset.

E

Secundum erat, quòd scientia Salomonis nõ poterat tradi obliuioni, quod patet, quia deberet tradi per aliquem istorum modorum, sed non poterat: de primo patet: nã in cæteris hominibus istud est, quòd si magno tempore cessent à cõsideratione scientifica, obliuiscentur omniũ, quæ sciebãt, vel plurimorũ: istud aũt euenit, qa scientia in eis causata est per assuetudinem actuum. Ideo necesse est, quòd deficiat per desuetudinẽ: tamen scientia Salomonis non fuit causata per assuetudinem intelligẽdi, sed per infusionem, ergo non poterat tolli per desuetudinem intelligendi, sed solũ per Dei ablationem: ita vt eadem causa sit in causando & destruendo secundùm ordinem naturæ.

Obiectio tollitur.

Sed obijcietur, quia cognitio prophetica est per infusionem, & tamen illa cessat, & velociter cessat: vnde si Prophetæ velint posteà intelligere per spiritum propheticum non possunt, nisi Deus rursum illos illustret.

Respondendum quod istud accidit Prophetis, quia spiritus propheticus nõ infunditur per modum habitus, sed per modum actus transeũtis, cùm sit quædam illustratio raptim transiens: vnde impossibile est, quòd illa cognitio duret, nisi quandiù Deus actualiter illustrauerit: scientia autem Salomonis fuit infusa per modum habitus, ideo permãsiua erat, & non poterat deleri à causa naturali.

Sed obijcietur, quia habitus voluntatis similes sunt habitibus intellectus, & Deus causat habitus in voluntate, & illi sunt ita permanentes, sicut habitus intellectus, sed habitus voluntatis à Deo infusi pereunt, scilicet charitas, & spes, ergo etiam peribunt habitus intellectus.

Item patet, quia fides est habitus intellectus, & tamen potest aliquis fidelis effici infidelis.

F

Respondendum quòd habitus volũtatis infusi à Deo secundùm se sunt ita indelebiles, sicut habitus intellectus, & tamen non essent indelebiles, si naturaliter causati essent, & patet exemplũ, vt si quis baptizetur, & posteà efficiatur maniacus, vel phreneticus, aut qualitercunque furiosus, & maneat 70. annis, vel pluribus in isto statu habitus fidei, & charitatis, & spei, & omnium virtutum, qui infusi fuerãt ei in baptismo, manent.

Quod patet, quia si iste moriatur in illo statu habebit vitam æternam, & tamen impossibile esset, si non haberet habitum fidei, & charitatis. Si tamen iste acquisiuisset aliquos habitus scientificos ante insaniam, si tanto tempore maneret in ea, posteà rediens ad sanitatem nihil omninò sciret, sed oporteret eum de nouo doceri, ergo habitus voluntatis à Deo causati de se indelebiles sunt, quamquàm naturaliter causati deleantur. Cùm autem dicitur, quòd isti habitus possunt deleri. Respondetur, quòd istud est per accidens, scilicet ex eo quòd nos volumus, quia voluntas, cùm sit potẽtia libera, habet potestatem super actum suum, & ideo potest velle non diligere Deum, nec sperare in eo. & quia esset inconueniens maximum, quòd aliquis inuitus mereretur, quòd mox tamẽ sequeretur, si habitus charitatis nõ deleretur in nobis quandocunque vellemus habere actum contrarium, ideo Deus delet in nobis tunc illos habitus, qui aliàs delendi nõ erant, etiã p mille annos, homine non operãte per illos. De sapien-

A tia tamen Salomonis non erat sic, quia sapientia est habitus intellectus & intellectus non est potentia libera, sicut voluntas: nam non potest homo intelligere quodcunq; vult intelligere, sicut potest velle quodcunq; voluerit velle. Quod patet, nam si aliqua est veritas manifestissima, quamquàm aliquis vellet contrarium intelligere, non potest. Ideo sicut nõ habet libertatem intellectus super actum suum, à fortiori nõ habebit super habitum. Vnde dicendum quod dato, quòd Salomon vellet non habere sapientiam, non posset non habere, nec Deus propter hoc deleret sapientiam eius, quia nõ est sic de intellectu, sicut de voluntate, eo quòd per intellectum non meretur aliquis, sicut per voluntatem, ideo non est incõueniens, quod dato, quòd Salomon vellet agere contra habitum sapientiæ Deus non deleret illam, sicut si vellet agere contra charitatem, quia tunc cogeretur inuitus mereri. Cùm autem arguebatur de fide quòd ipsa erat habitus intellectus, & tamen non poterat manere semper, vt si aliquis vellet effici infidelis.

Qũo possumus mereri, & meremur p fidẽ, cũ sit act⁹ potẽtiæ nõ liberæ. s. intellectus.

B Respondendum, quòd quamquàm fides sit habitus intellectus, tamen maximè ex voluntate est, cùm actus fidei sit assentire alicui veritati, iudicando verum esse, sicut dicitur, & tamen voluntas imperat fidei, scilicet qa iubet voluntas intellectui, qp assentiat alicui veritati, & quamquàm intellectui nõ appareat manifesta illa veritas, tamen assentit ei propter imperiũ voluntatis, & sic actus fidei magis se tenet ex parte voluntatis, quã ex parte intellectus, & ob hoc possumus mereri per fidem, aliàs enim impossibile erat, scilicet quòd per actum potentiæ non liberæ mereamur. De sapientia autem secùs est, quia tam habitus ipse quàm act⁹ sunt totaliter pertinentes ad intellectum. Ideo patet, quòd habitus infusi à Deo in intellectu non possunt per se deleri, nec per accidẽs. Habitus autem infusi in voluntate, vel pertinentes aliquo modo ad actum voluntatis secundùm se non sunt delebiles, sed per accidens.

Secundus modus delendi scientiam est per indispositionem phantasiæ, & per istum modum non poterat deleri sapientia Salomonis, quia in nobis deletur sapientia per indispositionem phantasiæ, eo quòd manẽte phantasia indisposita non possumus habere actũ intellectus, & si magno tempore hoc duret cùm sit desuetudo intelligendi, peribit habitus per desuetudinem. Aliud est quia illi, qui acquirunt scientiam, habent eam per species abstractas à rebus, & illæ conseruantur in phantasia, & ad hoc quòd intellectus intelligat conuertit se super phantasmata conseruata in phantasia, quibus deperditis impossibile erit intellectum intelligere, quia non habebit aliquid super quod conuertatur: nullũ tamen istorum duorum afferebat impedimentum in Salomone. De primo patet, scilicet quia causatur desuetudo intelligendi per indispositionem phantasiæ: nam istud redit in modum primum supra habitum: scientia autem infusa per

C desuetudinem non perit. Secundum etiam non obstat, licèt in scientia acquisita valdè obstaret: nam dato quòd phantasia alicuius indisponeretur nimis, & ista dispositio esset solùm per vnam diem, aut per paucum tempus, redeunte rursus homine ad sanitatem, omnes habitus scientifici quos habuerat prorsus deleti erunt: non tamen fit hoc propter desuetudinem intelligendi, quia in vna die, vel pauco tempore non potest fieri tanta desuetudo, vt aliquis habitus periret, sed corruptio phantasmatum per indispositionem cellulæ phantasticæ abrasit omnem scientiam. In Salomone autem non poterat istud contingere, quia istud fit eo, quòd scientia nostra est acquisita à rebus, cùm nihil sit in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, & hoc est per species sensibiles, quas per sensus exteriores trahimus ab ipsis rebus, & illæ transeũt ad phantasiam, & alia organa interiora, & tunc intellectus conuertens se super illas intelligit: sic patet 3. de Anima, scilicet oportet intelligentem phantasmata speculari. Sed per indispositionem phantasiæ poterunt corrumpi ista phantasmata. Ideo anima non habens tunc super quid se conuertat impossibile est, quòd intelligat. Salomon tamen non accepit sapiẽtiam à rebus, sed à Deo sibi infusa est, ideo sicut non præfuit ibi aliqua acceptio phantasmatum, per quæ causaretur scientia: ita corruptis phantasmatibus quæcunque illa sint non periret sapientia Salomonis, eo quòd cùm Salomon intelligeret per sapientiam à Deo sibi datam, non oportebat, quòd conuerteretur super phantasmata. Dicendum ergo, quod dato, quòd cõtingeret Salomonem pati magnam indispositionem phantasię, & per magnum tempus, sicut in lethargicis, maniacis, & phreneticis non periret, aliquo modo sapientia eius, nec minueretur, & tamen quando Salomon haberet phantasiam omninò indispositam, non haberet conuenientes actus sapientię, scilicet, qa quamquàm intelligeret, sicut priùs intelligebat, tamen non posset formare in voce, nec exprimere aliquem conceptũ, eo quòd ad hoc oportet formari conceptum phantasticum, & deriuari per vocem: non ergo aboleretur isto modo sapiẽtia Salomonis. D

Tertius modus erat abolendi sapientiam, scilicet per contrarium actum. Sed hoc non poterat accidere in Salomone, quia illud contingit circa eos, qui non habent habitum perfectum artis, & ob hoc possunt decipi per syllogismum falsigraphum accipientem falsa principia, vel per syllogismum sophisticum malè inferentem, & tunc poterunt deduci ad assentiendum conclusionibus contrarijs cõclusionibus artis suæ. Salomon tamen habebat sapientiam excellentissimam in tribus, scilicet in pluralitate habituum, & in claritate eorum, & in radicatione nimia, vt suprà declaratum est. Ideo nullis argumentis falli poterat, vel superari ad assentiendum contrarijs conclusionibus. Ideo nunquàm per contrarium actum poterat in eo deleri scientia. Solùm autem poterat deleri per Deum, si vellet ei auferre habitum, quem infuderat, sed istud non contingit, quia scientia est gratia gratis data, & istæ nunquàm auferuntur à Deo ipsi homini, quamquàm peccet, sic enim patet de acumine ingenij, de pulchritudine, & robore corporis, quæ omnia gratis à Deo concessa sunt, & manent adhuc in hominibus peccantibus: vnde & sic in Salomone factum est, quia licèt peccauerit nimis ante senectutem suam, tamen nunquàm Deus ei abstulit sapientiam, nec solet auferre aliquibus, nisi fortè ipsis orantibus sibi auferri. Sic enim asseritur de Alberto magno Theutonico ordinis prædicatorum, qui in naturalibus excellens valdè fuit: orauitque dominam nostram, vt non permitteret eum mori in opinionibus philosophorum, sed in sola fide, & fertur quod per quinquennium ante mortem fuit omninò ignorans, ita vt nec literas sciret: nullus tamen hoc oraret, & præcipuè in Salomone: nam videretur peccare si vellet carere illa magna perfectione Dei, quam Deus ei dederat ad ostensionem virtutis suæ. *Sed & hæc, quæ non postulasti dedi tibi: diuitias scilicet & gloriam.* Id est, non solùm sapientiam, quã postulasti, sed etiam diuitias, quas non postulasti, & gloriam. i. famam, & honorem dedi tibi: hoc aũt fecit Deus ad ostensionem magnificentiæ suæ, quia magnifici est abundantiùs concedere quàm petatur. *Vt nemo fuerit in regibus cunctis retrò diebus.* Id est quòd nullus fuerit æqualis tibi in diuitijs & honore inter omnes reges, qui præterierunt. Hic non dixit Deus, quòd faceret eum maiorem omnib⁹ regibus, qui præcesserant, & qui futuri erant in diuitijs, & honore, sicut dixit quòd faceret eum sapientiorem omnibus hominibus, qui fuerant ante eum, & qui post eum surrecturi erant. Nam multi reges post Salomonem fuerunt maiores in diuitijs potentia & honore, sicut patet de Alexandro magno, qui fuit dominus quasi totius orbis, sic etiam fuit de Iulio Cæsare, & Octauiano, qui erant domini maioris partis orbis. Salomon autem solùm erat dominus Israelitarum, & hoc non erat valdè magnum regnum: in sapientia tamen omnes excessit præcedentes & sequentes. E

Nota de Alberto magno

F *Si autem ambulaueris in vijs meis, & custodieris præcepta mea.* Ista duo eadem sunt, quia ambulare in via Domini est ambulare per viam præceptorum, quam Deus posuit, vt declaratũ est præcedenti cap. fit tamen replicatio sentẽtiæ per alia verba. Vel dicitur ambulare in vijs Domini, id est, complere opera præceptorum, & custodire præcepta, id est, accendere nimis ad illa, ne offendat in eis, quia ista duo requirũtur ad bonitatem alicuius, sic patet Psalmo 1. scilicet, Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum. Et postea dicitur: sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. *Et mandata.* Per præcepta, & mandata intelliguntur omnia genera præceptorum, scilicet cæremonialia, moralia, & iudicialia, quæ omnia obseruare debebat Salomon.

A

Sicut ambulauit pater tuus. Dauid enim licèt aliquando peccauerit contra Deum, ex paſſione, tamen vt communiter habebat voluntatem valde tendentem in Deum, & tanta deuotione feruebat, vt non attendens ad ſtatum ſuum regalem exutus veſtibus regijs cantaret, & ſaltaret coram arca Domini totis viribus, precedenti lib. cap. 6. vnde Deus dixit de illo: Inueni virum ſecundùm cor meum, ſupra 1. lib. cap. 13. Ideo volebat Deus, quòd Salomon haberet talẽ mentem ad Deũ, ſicut habuerat pater ſuus.

Longos faciam dies tuos. ſcilicet, dabo tibi magnam vitam ſi cuſtodies præcepta mea. ecce enim, quia Deus promiſit Salomoni ſapientiam, diuitias, & gloriam ſine conditione aliqua, longitudinem tamen vitæ non promiſit ſine conditione, ſcilicet, ſi obſeruaret præcepta Dei: hoc autem commune eſt in ſcriptura, quia Deus non ſolet promittere longitudinem vitæ, niſi pro bona operatione. ſic patet Exod. 20. ſcilicet, Honora patrem tuum & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram, ſic etiam pro alijs obſeruationibus præceptorum datur longitudo vitæ, Exod. 23. ſcilicet, ſeruietisq; Deo veſtro, vt benedicam panibus tuis & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui, non erit infœcunda, nec ſterilis terra tua, numerum dierum tuorum implebo. Cauſa autem putatur à quibuſdam eſſe, quia vita eſt maius bonum quàm cætera. Ideo Deus confert alia ſine conditione, vitæ autem longitudinem non. Sed hoc nõ videtur ſimpliciter verum, quòd maius bonũ videtur

B

eſſe ſapientia, quàm vita, cùm vita ſit perfectio communis omnium animalium: ſapientia autem ſolis intelligentibus cõuenit. Etiam quia quilibet vir recti iudicij eligeret potius viuere decem annis in ſapientia excellenti, quàm viuere centũ annis in ruditate beſtiali. Fortè igitur cauſa erit, quia licèt vita non ſit maximum bonum, quia tamen maximè deſideratur, vt ait Boëtius 2. de conſolat. proſa 4. Deus vult dare iſtud carius quàm cætera bona. Vel fortè dicendum, quod licèt vita ſecundùm ſe non ſit cæteris bonis maior, quia tamen in ipſa fundantur cætera bona, ſine qua nullum bonum homini ineſt, nec etiam ipſe homo eſt, videtur eſſe vita cæteris melior. Et ob hoc carius à Deo conceditur quàm alia bona. *Igitur euigilauit Salomon, & intellexit quòd eſſet ſomnium,* id eſt poſtquã petita eſt ſapientia, & conceſſa ipſa cum alijs bonis, Salomon euigilauit de ſopore, & cognouit, quòd iſta omnia facta fuerant per ſomnium, & non erat aliquid realiter factum. *Cumq; veniſſet in Ieruſalem,* ſcilicet, iſtud ſomnium fuit cùm ſtaret Salomon in Gabaon, vbi obtulerat mille hoſtias, & habito ſomnio venit ſequenti die in Ieruſalem, vbi erat habitatio ſua, & ſedes regni. *Stetit corã arca fœderis Domini.* Iſta arca erat in Ieruſalẽ in loco, quẽ parauerat ſibi Dauid: fuitq; ibi ex tempore, quo Dauid duxit eam de domo Obededom, vſquequo conſtructum fuit templum, & Salomon intulit illam in templũ ad locum ſuum, vt patet 2. Paralip. 5.

Et obtulit holocauſta, ſcilicet, coram arca. Nam ibi licebat

C

offerre propter reuerentiam arcæ: regulariter tamen oblatio fieri debebat in loco, vbi eſt ſanctuarium, & altare æneum: nam ſacrilegium erat, ſi quis in alio altari quàm in illo obtuliſſet: Ioſue 22. Etiam plectendus erat morte, qui offerret ſacrificia alibi, quàm in illo altari coram oſtio tabernaculi. Leuitici 27.

Diſtinctio ſacrificiorum.

Et fecit victimas pacificas. Iſtud eſt aliud genus ſacrificij: nã holocauſtum eſt, quando totum animal crematur præter pellem, & ſimum, & cornua. Leuit. 11. hoſtia autem pacifica eſt, quando de animali ſolum cremantur adipes, & dantur ſacerdoti facienti ſacrificium pectuſculum & armus dexter, & cæterę carnes proueniunt offerentibus: Leuit. 3. & 7. Et fiunt iſtæ victimæ pacificæ, quando aliqui volunt offerre Deo ſacrificium & facere ſolennitatem conuiuiorum, quia multi conueniebant ad comedendum de carnibus, quæ proueniebant offerentibus.

Et grande conuiuium vniuerſis famulis ſuis. ſcilicet, de iſtis hoſtijs pacificis fecit conuiuium magnum, quia proueniebant ei partes carnium multæ, vt ſupra declaratum eſt: fuit autem iſtud ſacrificium in gratiarum actione pro ſapientia recepta, & alijs bonis promiſſis: fuit autem conuiuium factum ſeruis pro gaudij magni expreſſione de ſapientia nouiter recepta.

Fabula Rab. Sal.

Dicit Rab. Salomon & alij Hebræi, quòd Salomon euigilans de ſomnio audiuit garritus auium, & intellexit vocem earum, & audiuit latratus canum, & intellexit illos: & per hoc agnouit ſe accepiſſe ſapientiam à Deo. ſed iſta eſt magna inſania. Sic enim vulgus rude exiſtimat, quòd aues habent inter ſe proprium idioma, & canes inter ſe, & ſingula animalia in ſpecie ſua, per quæ exprimant affectus ſuos, & quòd quidam homines intelligant quid loquantur animalia, ſed iſtud includit contradictionem, quia ad hoc, quod aliquod animal exprimat vocem cum intentione ſignificandi, & formet conceptus deriuatos per vocem, neceſſe eſt, quòd ipſum animal intelligat, & cum intentione ſignificandi pronuncie: alioquin diceretur, quòd ſi homo interdum loquatur aliquid per verba non ſignificatiua, & ſine intentione ſignificãdi, illud poſſet intelligi, ſed includit contradictionem, & nullus hoc dicet. Impoſſibile eſt igitur, quòd aliquis intelligat brutorum voces, cùm etiam ipſa bruta ſe non intelligant, & ſi fortè aliquis dicat, quòd brutorum voces poſſunt intelligi, dicet etiam, quòd fragor arborum, & ſtrepitus pedum intelligibilis eſt, quia vtrumque fit à non intelligente, & ſine intentione ſignificandi: errat ergo nimis Rab. Salomon, immò inſanit in iſto, & in multis alijs, cùm circa quamcunque conſiderationem ſpeculatiuam nimis inſipiens ſit.

D

aues inter ſe habeãt idioma

An Salomon verè petierit ſapientiam à Deo.

QVÆSTIO XII.

E

QVÆRETVR an Salomon verè petiuit à Deo ſapientiam, vel fuit hoc ſomnium, ita quod nihil peteret, ſed videretur ſibi, quòd peteret.

Reſpondendum, quòd Salomon non petijt à Deo ſapientiam, nec aliquid aliud, ſed dormiebat: Deus autem immiſit ſibi iſtud ſomnium, vt videretur, quod petebat ſapientiã, & quod Deus concedebat illam. Patet hoc, quia dicitur ſupra, quod apparuit Deus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: poſtula quod vis. Si ergo Deus per ſomnium apparuit, Salomon non petiuit ſapientiam, quia ſi Salomon petiuiſſet ſapientiam, eſſet vigilans, cùm per ſomnium nullus poſſit loqui cum intentione ſignificandi, & dato quod aliquis loquatur, tamen reſpondere non poterit, quia nihil intelligit, nec audit, nec videt. Si autem Salomon loquebatur verè, nõ erat in ſomnio, & conſequenter Deus apparebat ei vigilanti, & neceſſe erat quod Deus, vel Angelus aſſumeret ibi aliquam effigiem, quæ verè videretur, & etiam loqueretur, & tunc nõ eſt verum, quòd Deus apparuit per ſomnium.

Si autem dicas, quod apparuit per ſomnium, ſicut litera dicit, neceſſe eſt quod Salomon locutus fuerit realiter, ſed per ſomnium, quod non eſt loqui, ſed ſomniare, quod loquitur.

Item patet, quia dicitur ſupra, euigilauit Salomon & intellexit, quod ſomnium eſſet, id eſt, poſt omnia prædicta Salomon euigilauit, & intellexit quòd omnia, quæ facta fuerãt, erant ſomnium. Si tamen ipſe locutus fuiſſet verè, non exiſtimaſſet eſſe ſomniũ, ſed ſciuiſſet ſe verè locutũ, ergo ipſe non locutus fuerat petendo ſapientiam, & ſic confiteri debemus, quòd Salomon non petiuit à Deo ſapientiam, immò nec apparet, quod deſiderauerit eam, aut habuerit intentionem petendi illam, quia tamen Salomon erat iuuenis, & inſufficiens ad regendum regnum Iſraël Deus propter Dauid voluit ei dare ſapientiam, vt regeret conuenienter populum ſuum, & ad hoc immiſit ei iſtud ſomnium, ſcilicet, quod videbatur ei, quòd Deus loqueretur ſibi, & quòd ipſe peteret ſapientiam & concederetur ſibi.

F

Sed obijcietur, quòd Salomon petierit realiter ſapientiã, quia placuit valde Deo petitio Salomonis, eo quòd petierat ſapientiam: ſi tamen hoc fuiſſet in ſomnio non potuiſſet placere petitio Salomonis Deo, eo quòd ipſe nihil verè petebat. Patet antecedens, quia dicitur: placuit ergo ſermo coram Domino, quòd Salomon rem huiuſmodi poſtulaſſet.

Item patet, quia Deus dixit, quòd eo, quod petiuit ſapiẽtiam, & non diuitias, nec animas inimicorum, nec longitudinem vitæ, daret ei, quod petebat. Ideo oportet, quod aliqd petierit, & tamen ſi eſſet ſomnium, non peteret Salomon aliquid, & conſequenter Deus non diceret, quòd daret ei, quod petebat, quia non petierat diuitias, &c.

Item patet hoc magis, quia Deus dixit, ſed & hæc, quæ

A non poſtulaſti, dedi tibi, diuitias ſcilicet,& gloriam:ſi tamen eſſet ſomnium,ſicut non peteret Salomon diuitias,& gloriã, ita etiam non peteret ſapientiam, ergo oportet, quod fuerit in vigilia ad hoc,quod verè Salomon petiuerit ſapientiam,& non petiuerit diuitias,nec gloriam.

Reſpondendum quòd Salomon non petiuit ſapientiam, nec aliquid aliud, ſicut ſupra declaratum eſt, eo quòd erat ſomnium, ſed viſus eſt ſibi petere ſapientiam, & quòd Deus ſibi reſpondebat.

Ad primam rationem dicendum,quòd non placuit Deo petitio Salomonis,nec diſplicuit eo quod nihil petijt, ſed apparuit Salomoni in ſomnijs, quòd valde placebat Deo iſta petitio:pro quo ſciendum,quod viſum eſt Salomoni in ſomnijs,quod aſtabat ei quidam vir reuerendus valde imaginem Dei habens, qui dicebat ei pete quod vis, & tunc cùm Salomon videretur ſibi, quod peteret ſapientiam: apparuit ſibi quòd ille vir valde gaudebat, eo quòd peteret Salomon ſapientiam,& ob hoc dicitur hic placuit Deo, id eſt viſum eſt Salomoni,quod placebat Deo: nam Scriptura refert ea,quæ in ſomnijs videbantur tanquam ſi realiter exiſterent.Ad ſecundum dicendum, quòd Salomon non petiuit ſapientiam potius quàm dies multos,vel animas inimicorum, cùm nihil iſtorum petierit,ſed videbatur ei,quod petebat ſapientiam,& videbatur, quòd Deus reſpõdebat hoc, ſcilicet,q̃a poſtulaſti verbum hoc,& non petiſti tibi dies multos.Ad tertium dicẽ-
B dum,quòd Deus non dixit Salomoni aliquid, nec etiam ipſe poſtulauit potius ſapientiam, quàm diuitias, & honorem,cũ nihil iſtorum petiuerit, quia tamen videbatur ei,quod peteret ſapientiam,& non diuitias, viſum eſt ei, quòd Deus diceret ſibi,ſed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi, & tamẽ Deus nihil dixit.

Quare immiſſum eſt ſomnium Salomoni à Deo, quòd videretur petere ſapientiam.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR vlteriùs,cùm Salomon nihil à Deo petiuiſſet,& Deus dedit Salomoni ſapientiam non petenti, ad quid fuit iſtud ſomnium immiſſum, vt videretur ſibi petere ſapientiam, & quòd Deus reſpondebat ſibi talia, & talia.

Reſpondendum, quòd hoc fecit Deus propter multa. Primò ad oſtendendum Salomoni, quòd ipſe dabat ei ſapiẽtiam,& non habebat eam naturaliter:iſtud tamen non apparere poterat, niſi per ſomnium, vt nunc factum eſt, vel ſi in vigilia appareret ei Angelus, & diceret, quòd Deus dabat illi ſapientiam. Hoc patet, quia ſapientia infuſa à Deo infunditur homine non ſentiente: ideo neſcit homo an aliquid ſibi infuſum ſit,ſicut patet de Fide,Charitate,& Spe, quæ infun-
C duntur in nouiter baptizatis,& tamen illi,licèt adulti ſint,nõ ſentiunt aliquid ſibi infundi:idem etiam fit in illo, qui de peccato mortali redit ad gratiam:nam cùm dolet de peccato,infunditur ei charitas,ipſe tamẽ nihil ſentit. Si autem ſic factũ fuiſſet in Salomone non ſenſiſſet, an ſapientia ſibi data eſſet à Deo,ſed adſcriberet ingenio ſuo,& non laudaret Deum,& hoc nec appareret magnum miraculum eius: ideo oportuit ad oſtendendam operationem Dei, vel quod fieret in ſomnio,vel in vigilia apparente ſibi Angelo, decuit autem magis fieri in ſomnio propter locutiones Dei, & Salomonis, quæ hic habentur,quę videbantur fieri in ſomnio,& non apparẽt in vigilia.

Secunda cauſa fuit ad erudiendum nos,quòd Deus concedit ſapientiam homini petenti, quando petit illam bona intentione,ſicut videbatur illam petere Salomon in ſomnio: ſic dicitur Iacobi 1. ſcilicet,Si quis veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo,qui dat omnibus affluenter,& non improperat,& dabitur ei.

Tertium fuit ad erudiendum nos, quid magis Deo placeat in homine,ſcilicet ſapientia, an diuitiæ & gloria, & vt erudiat nos quid petere debeamus: & hoc expreſsè ſignatur, cùm dicitur hic: Placuit ergo ſermo coram Domino, quòd Salomon rem huiuſcemodi poſtulaſſet, & dixit: Quia poſtulaſti verbum hoc,nec petiſti tibi dies multos, nec animas inimicorum tuorum,&c.

Quartum fuit, vt erudiamur, quòd quando homo petit D aliquid iuſtum à Deo non ſolum Deus concedit, quod homo petit,& quantum petit,ſed plura & maiora concedit;hoc patet,quia dixit ad Salomonem: ſed, & hæc,quæ non poſtulaſti dedi tibi diuitias, ſcilicet,& gloriam: quod autem ad iſtã intentionem, ſcilicet, vt nos erudiremur factum fuerit iſtud ſomnium apparet, quia ſi ſolum intenderet Deus per iſtud ſomnium demonſtrare Salomoni,quòd dabat ei ſapientiam, ſolum oſtendiſſet ei, quòd Deus apparebat ſibi, & quòd petebat Salomon ſapientiam, & Deus concedebat illam, & tamen vltra hoc poſuit, quòd Deo placuerit valde petitio Salomonis,quia petijt ſapientiam, & quod dixerit, quia petiuiſti verbum hoc,&c.Etiam quod dixerit, ſed & hæc, quæ non poſtulaſti dedi tibi diuitias, ſcilicet, & gloriam, ergo cùm in operibus Dei nihil ſit ſuperfluum, oportet quod iſta fuerint ad aliquem finem, non apparet autem aliquis finis, cui conueniant iſta, niſi ad inſtructionem, ergo videtur, quod fuerint ad inſtructionem.Si autem realiter iſta facta fuiſſent,ſcilicet, in vigilia non oporteret dici, quod fiebant ad inſtructionem, ſed ſatis erat, quod fierent ad meritum Salomonis oſtendendum,ſcilicet,quod ſi Deus diceret ei pete quod vis, & ipſe reſponderet:da mihi ſapientiam, mereretur eligendo potius ſapientiam, quàm alia bona, & tunc Deus diceret ei, quia petiuiſti ſapientiam,& non dies multos,&c.dedi tibi diuitias,& gloriam quas non petiſti, & tunc verè mereretur iſta Salomon,licèt nõ ſufficienter,in ſomnio tamẽ nihil meruit. E

An Salomon peccauerit accipiendo in vxorem filiam Pharaonis.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR vlteriùs circa id,quod dictum eſt in principio capituli, ſcilicet, An Salomon peccauit accipiendo in vxorem filiam regis Pharaonis?

Aliquis dicet, quod ſic:quia vetitum erat Iudæis accipere alienigenas in vxores, Exod.34. & Deut.7. & in pluribus locis,ſed filia Pharaonis erat alienigena.

Item infra 11.cap.Salomon vituperatur nimis, eo quòd amauit mulieres alienigenas, & ſubditur immediatè: filiam quoque Pharaonis,& Moabitidas,&c. & ſic ponitur ipſa prima de eis,propter quas vituperatur,quod non fieret,niſi peccauiſſet accipiendo illam.

In contrarium videtur, quod non peccauerit, quia ſupra dicitur quod dilexit Salomon valde Dominum:ſi tamen peccatum eſſet accipere iſtam non accepiſſet, quia repugnaret hoc amori Dei.

Item dicitur ſupra, quòd ambulabat Salomon in omnibus præceptis Dauid patris ſui, excepto quod in excelſis immolabat,& accendebat thymiama, ergo videtur, quòd nihil increpabile fecerat,& tamen iam acceperat filiam Pharaonis, F vt patet ex litera,ergo non peccauerat.

Item Deus apparuit Salomoni per ſomnium, & dedit ei ſapientiam, & dicitur quod placuit petitio eius coram Domino, ergo videtur quod nondum peccauerat: nam ſi illicitè accepiſſet vxorem iſtã, ſemper eſſet in peccato mortali quouſque eam dimitteret, ſicut eſt in omnibus matrimonijs illicitè contractis.

Patet etiam hoc magis, quia Eſdras ſeparauit matrimonia ſimiliter facta,vt patet 1.Eſdræ,c.9. ergo etiam hic erat diuortium faciendum,ſi erat matrimonium illicitè contractũ, & tamen Salomon erat nunc dilectus Deo, & conſequenter non erat in peccato,nec illicitè contraxerat.

Item patet, quia ſcimus, quòd orationes peccatorum nõ exaudit Deus, vt patet Ioan. 9. fuit tamen exaudita oratio Salomonis, & apparuit ei Deus in ſigno viſibili approbans orationem illius, infra 9. ergo erat tunc Salomon in gratia, & conſequenter non contraxerat illicitè cum filia Pharaonis.

Pro quo ſciendum, quòd mulieres alienigenæ erant du- *Mulieres alienigenæ duplices.*
plices: quædam erant de terra Chananęorum, quam Iſraëlitæ accepturi erant in poſſeſſionem, & de iſta terra non licebat Iudæis accipere aliquas mulieres in vxores,nec etiam dare filias ſuas Chananæis in vxores, eo quòd debebant omnes tam viri,quã fœminæ occidi gladio, & nõ debebant euadere

ſub

A

ſub aliqua cõditione tributi, vel ſeruitutis, vel fœderis. Deut. 20. iſtud autem erat, niſi ex aliqua ſpecialiſſima cauſa, vt infra dicetur. aliæ erant mulieres alienigenæ de alijs populis, quo-terram non erant recepturi Iſraëlitę in poſſeſſionem, ſcilicet, quæ erant extra terram Chanaan, & de iſtis dicendum, quòd licèt non eſſet bonum Iſraëlitis ſumere eas in vxores, tamen licebat interdum, dum tamen conuerterent eas ad Iudaiſmũ priuſquam illas cognoſcerent, ſic patet Deut. 21. ſcilicet quando Iudæi irent ad bellum, ſi viderẽt mulieres pulchras in numero captiuarum, poterant eas accipere in vxores factis quibuſdam cæremonijs, de quibus habetur ibi: filia autem Pharaonis erat alienigena iſto ſecũdo modo cùm eſſet Ægyptia, ideo licebat Salomoni accipere eam.

Ad 1. rõnem in principio.

Ad primam rationem in cõtrarium patet per diſtinctionem datam ſupra, ſcilicet, quia Deus vetuit matrimonium inter Iſraëlitas, & alienigenas mulieres, ſed hoc intelligitur ſolum de alienigenis, quæ erant Chananeæ. Vel ſi alio modo velimus dicere, intelligitur principaliter de Chananæis, & minus principaliter de alijs alienigenis. Quod patet, quia omnes redargutiones, quas faciebat Deus Iſraëlitis, quia accipiebant vxores alienigenas erant propter mulieres Chananæas, ſic patet Iudic. 2. & 3. & tamen adhuc licebat iſtis in aliquo caſu copulari, ſed hoc non erat regulariter, ſed in caſu ſpecialiſſimo, ſicut fuit de Raab Ierichontina, quam accepit in vxorẽ Salmon de tribu Iuda, vt patet Matth. 1. ſed iſtud fuit, quia Iſraëlitæ cogebantur ex iuramento præſtito per exploratores non occidere Raab, nec cognatos ſuos: Ioſue 2. Ideo iam licitum eſſet eam accipere in vxorem, cùm conuerteretur ad Iudaiſmum. De hoc magis declaratum eſt Ioſue 6. de alijs autem mulieribus alienigenis ex minori cauſa licebat eas accipere in vxores.

B

Sed obijcietur, quia Eſdras, qui erat in lege doctiſſimus, fecit diuortium inter Iudæos, & vxores eorum, quæ erant de Madianitis, & Moabitis, & Ammonitis, vt patet 1. Eſdræ cap. 9.

Reſpondendum, quòd non erat neceſſe regulariter fieri diuortium inter tales mulieres & viros, ſed ibi fuit ex cauſa ſpeciali, ſcilicet, quia illæ mulieres præiudicabant cultui Dei, & tunc non erant accipiendę, & poſtquam acceptę erant, debebat diuortium fieri. De hoc autem magis declarabitur loco ſuo ſuper Eſdram.

Sed obijcietur, quòd non liceret accipere vxorem de Ægyptijs, quia Deut. 23. cap. dicitur, quòd Ægyptij, & Idumæi non ingrederentur in Eccleſiam Dei vſque ad tertiam generationem, & iſtud intelligitur de accipiendo vxores, & miſcendo connubia, ergo videtur quod non poterat filia Pharaonis, quæ erat Ægyptia, accipi in vxorem à Salomone, ſed ſi ipſi conuerteretur ad Iudaiſmum nepotes ſui, & neptes, qui eſſent in tertia generatione, poſſent miſcere connubia cum

C

Hebræis.

Reſpondendum, quòd introire in Eccleſiam, Dei accipitur multipliciter, ſcilicet, pro accipere vxorem, vel fieri principem, aut alijs modis, vt declaratum eſt Deuter. 23. & ſic poſſet dici, quòd non vetabantur matrimonia Ægyptijs cum Iudæis, ſed ſolum principatus. Sed adhuc dato, quod intelligatur de matrimonijs eſt ſenſus, quòd Ægyptij vſque ad tertiam generationem nõ poſſent accipere vxores de Hebræis: non tamen tollitur quin Hebræi poſſent accipere vxores de Ægyptijs, & de alijs gentibus, quia hoc dabatur in pœnam Ægyptijs, & non Iudæis.

Peccauit Salomon, circa vxores ſuas dupliciter

Ad ſecundam rationem dicendum, quòd non peccauit Salomon accipiendo in vxorem filiam Pharaonis, quia licèt infra 11. redarguatur Salomon, non redarguitur propter filiam Pharaonis, ſed propter alias. Pro quo ſciendum, quòd Salomon circa vxores ſuas peccauit dupliciter: Primò, quia ardentiſſimo amore copulatus eſt eis. Secundò, quia propter eas coluit idola. De filia autem Pharaonis dicunt doctores, quòd ei copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore, ſicut cęteris, & quantum ad hoc peccauit. Secundum autem, ſcilicet, quod coluerit idola propter illam, non conceditur, ſed dicitur quod propter alias coluit idola, & non propter ipſam, quia ipſa iam conuerſa erat ad Iudaiſmum, ſed de hoc non multum curandum eſt, quia ſiue poſtea coluerit idola, ſiue non, nihil impedit ad matrimonium licitè eſſe contractum, vel non, quia poſteriora nihil conferunt ad priora. Vnde ſi

D

Salomon à principio accepit filiam Pharaonis iam conuerſam ad Iudaiſmum, non peccauit, dato quod poſtea ipſa coleret idola, & etiam ipſe propter eam inclinaretur ad colendum idola, quia quod ſemel fuit licitum, non poteſt effici, quod fuerit illicitum, quia impoſſibile eſt præterita aliter ſe habuiſſe, ſicut impoſſibile eſt Ilion non fuiſſe captum, vt patet 6. Ethicorum.

Tunc venerunt. Hic ponitur conceſſio diuina, vel potius ipſius conceſſionis oſtenſio, & diuiditur in tria, quia primò ponitur conceſſa ſapientia, ſecundò gloria, tertiò opulentia. Secunda ſequenti cap. tertia infra decimo, & quia iſta bona ſic ſe habent, quod vnum perficit alterum, agitur mixtim de eis, ſcilicet, quia cùm de vno agitur principaliter, ſimul etiam de alijs tangitur. Circa primum dicitur: *Tunc venerunt duæ mulierer meretrices ad Regem* ſcilicet, paulo poſtquam venit Salomon ad Gabaon, accepta ſapientia, venerunt iſtæ duæ mulieres meretrices litigatiuè coram eo, & ponitur iſte caſus, qa per illum fuit manifeſtata ſapientia Salomonis in iudicando prudenter propter affectus earum naturales. *Steterunt coram eo.* Scilicet, propoſituræ intentionem ſuam. *Quarum vna ait.* Iſta erat mulier, cuius filius erat viuus, & tamen alia mulier rapuerat ei latenter filium. *Obſecro mi domine.* Id eſt oro, quòd audias petitionem meam. *Ego & mulier hæc habitabamus in domo vna.* Proponit caſum, vt Rex diffiniat, & dicitur in domo vna, quia ſi fuiſſent in diuerſis domibus, nõ habuiſſet locum id, quod iſta mulier proponebat, ſcilicet, quòd alia veniens ſurripuiſſet eam. *Et peperi apud eam in cubiculo.* Id eſt, peperi in cubiculo, in quo ipſa, & ego eramus: nam ambæ erant in eodem cubiculo, & in eodem lecto, & iſtud faciebat ad maiorem dubitationem, vel dicitur peperi apud eam, id eſt, non peperi in alia domo, vbi eſſent aliqui qui cognoſcerent filium meum, & poſſent diſtinguere, an iſte eſſet filius meus, vel illius. Sciendum autem, quòd hic ponitur iſte caſus tanquam valde dubius, & ponitur taliter, vt videantur omnes probationes, ſiue per teſtes. ſiue alias ablatæ, & recurri debeat ad ſolam iudicis prudentiam, & ſic factum eſt, quia Salomon non potens habere aliqua genera probationum, iudicauit per naturales affectus. *Tertia verò die poſtquam ego peperi, peperit & hæc.* Iſtud ponitur ad auferendum probationem ex differentia tẽporis: nam ſi iſti paruuli ſe accederẽt ætate, vtpote per vnum vel duos menſes ſaltem poterat cognoſci aliqualiter quis erat filius vnius mulieris, & quis alterius: erant tamen coætanei, quia ſolum excedebat vnus alium per tres dies.

Sapientia Salomonis in iudicio meretricũ.

E

Et eramus ſimul. Iſtud ponitur ad oſtendendum, quod potuit inter eas intercidere iſtud dubium.

Nullusq; alius in domo nobiſcum exceptis nobis duabus. Iſtud dicitur ad tollendum teſtes, & hoc dupliciter. Primò, quia ſi aliqui eſſent in domo fortè ſenſiſſent quomodo vna ſurrexit, & accepit filium alterius, poſuitque loco eius mortuum. Secundo dicitur hoc, quia dato quod non cognoſceretur, an ſurrexiſſet vna ad tollendum filium alterius, tamen ſaltem illi, qui eſſent in domo cognoſcerent differentiam puerorum ex vultibus, cùm vidiſſent eos per multos dies, & tamen nullus erat cum eis, & ob hoc cùm paucum tempus eſſet quod peperiſſent, fortè extranei non contemplati fuerant vultus puerorũ ad hoc, quod poſſent nunc teſtificari: & iſtud ſecundum eſt, ad quod principaliter inducitur litera. *Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte.* Ponitur hoc ad ſignificandum, quòd potuit hoc accidere, quia ſi per diem fuiſſet, non ita faciliter furata fuiſſet filium vna mulier alterius.

F

Dormiens quippe oppreſſit eum. Id eſt, mortuus eſt, quia dormiendo incubuit ſuper eum, & occidit illum: ideo iura vetuerunt paruulos in eodem loco cum parentibus iacere, quando ſunt valde teneri, & faciliter poſſunt opprimi, quia ſi ſic per culpam parentum occidantur, ſunt parentes veri homicidæ. vt ait Stephanus Papa, & habetur in Decret. 2. quæſt. 5. c. conſuluit. *Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio.* Intempeſtum enim quędam pars noctis circa mediam noctem, quando homines valde grauantur ſomno, & vocatur intempeſtum, id eſt non tempus, ſcilicet, quia nunc non eſt tempus ad faciendum aliquid, ſed ſolum ad dormiendum. Vel dicitur intempeſtum, quia tunc non iudicatur tempus eſſe: nam tempus cognoſcitur per motum, & operationem adeo, qui non iudicant motum non cognoſcunt tempus tranſiſſe, vt patet 4. Phyſic. ſed dormientes non apprehendunt motum, nec operationem,

ideo

A ideo non iudicant tempus. Vocatur autem nox intempesta non tota nox, sed solum quædam de partibus noctis, quę vocatur intempestum.

Tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis. Hoc fecit, ne alia videret quomodo accipiebat filium eius.

Et collocauit in sinu suo. Id est, posuit apud se tanquam esset filius suus. Non apparet de istis mulieribus omnino an dormiebant in eodem lecto, vel in diuersis: constat autem, quòd erant in eodē cubiculo, nec erat porta media inter eas, ita vt vna prohiberetur accedere ad aliam, videtur tamen potius, quòd essent in diuersis lectis, quia dicitur, quòd vna surgens accepit filium alterius, si tamen essent in eodem lecto, non oporteret, quòd vna surgeret ad accipiendum filium alterius, sed iacens poterat eum accipere.

Suum autem filium, qui erat mortuus posuit in sinu meo, scilicet, vt ego putarem, quòd ille erat filius meus.

Cumq; surrexissem mane, vt darem lac filio meo. scilicet, toto tēpore medio dormierat, & non cognouerat filium esse mortuum: nunc autem lac datura cognouit.

Apparuit mortuus. scilicet, putaui filium meum esse mortuum.

Quem diligentius intuens clara luce deprehendi non esse meum, quem genueram. Ista mulier illicò, vt inuenit filium mortuum, cœpit dubitare, an filius suus esset, eo quòd nesciebat, quomodo eum occidisset, & putabat eum occidere non potuisse.

B Respexit ergo clara luce, vt videret, an esset filius eius, & tunc inuenit, quòd non erat filius suus.

Respondit q; altera mulier. Vsq; huc durauit casus positio, & subintelligendum est, quòd ista petiuit sibi adiudicari filium suum, sibi per Regem iubendo illum restitui.

Non est ita, vt dicis, sed filius tuus mortuus est, meus autem viuit. Istud dicebat mulier, cuius filius mortuus erat, & ipsa surripuerat filium alterius, quia tamen putabat non posse probari contrarium, clamabat.

E contrario illa dicebat: mentiris. Istud dicebat mulier, cuius filius viuebat, & petebat sibi restitui. Dixit autem mentiris, quia fortè non habebatur tunc pro verbo iniurioso, sicut si nunc dicatur, non est ita: vel, non est verum.

Filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus est. scilicet ipse, quem tu habes viuum, est filius meus; & quem ego habeo mortuum, est filius tuus.

Atq; in hunc modum contendebant coram Rege. Id est, clamabāt in alterutram, dicentes: mentiris, mentiris: & nihil aliud dicebant, eo quòd talis erat casus, in quo non poterant ab aliqua partium produci probationes.

Tunc Rex ait. scilicet, volens diffinire contentionem istarum.

Hæc dixit, filius meus viuit, & filius tuus est mortuus: & ista respondit; non, sed filius tuus mortuus est, & filius meus viuit. Id est, ista contentio efficietur immortalis, si istæ mulieres sic

C permittuntur litigare, quia vna asserit, & alia negat, & nullam aliam probationem adducunt: ideo oportet, vt aliter eis reddatur ius.

Dixit ergo Rex: afferte mihi gladium. Id est, ego dirimam contentionem istam alio modo, scilicet, dando cuicunque ius suum, scilicet, quòd cum pares sint in probatione, eo quòd nulla illarum aliquid probet, diuidam infantem, & dabo cuicunque partem æquam.

Cumq; attulisset gladium coram Rege: diuidite, inquit, infantem viuum. Hoc dixit Salomon tentando & non diffiniendo: nam nolebat, quòd filius alicuius illarum occideretur, sed ex hoc accipiebat probationem ex præsumptione. Dicit autem

cap. 5. Iosephus 8. Antiquitatum, quòd quando Rex iussit infantem diuidi, populus astans risit, putans Regem facere hoc ex insipientia, quia iuuenis erat. Cùm verò viderunt sententiam eius diffinitiuam, admirati sunt.

Et date dimidiam partem vni, & dimidiam partem alteri. scilicet, quia non probat vna plus quàm altera, diuidatur per medium. Salomon autem fecit hoc ad cognoscendum affectus earum.

Dixit autem mulier, cuius filius erat viuus. scilicet, dixit quòd non occideretur.

Commota sunt quippe viscera eius super filio suo. scilicet, sciebat certissimè viuentem filium suum, & doluit, quòd occideretur coram ea, quia miserabatur illius cùm genuisset eum.

Obsecro Domine, date illi infantem viuum, & nolite occidere. D Ista mulier desiderabat habere filium suum, vt gauderet in illo; & tamen potius volebat carere gaudio cum filio viuo, quā videre illum occidi. In Hebræo dicitur: *Incaluerunt, vel exarserunt pietates eius.* Et istud idem est, quia pietas dicitur esse quędam teneritudo, qua aliquis mouetur in id, quod amat, & quando est iste actus amoris, fit commotio interius, sicut patet in ira, sic & in amore, & istud est commoueri viscera, quia viscera vocantur interiora, in quibus sentitur passio amoris, vel iræ.

E contrario illa dicebat, nec mihi, nec tibi, sed diuidatur. Istud dicebat illa, cuius nō erat filius viuens; quia non dolebat super eo, quod interficeretur; ideo dicebat diuidatur.

Quare vna mulier voluit surripere filium alterius.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, quare illa mulier, cuius filius erat mortuus, voluit surripere filium alterius, cùm sciret eum non esse suum, nec ferebatur affectione naturali in eum? Respondendum, quòd fortè hoc fecit ex quodam desiderio, quod ad inuidiam pertinet, quod etiam reperitur in auibus: nam quædam aues sunt, quæ oua aliarum auium surripiunt, & incubant super illa, & fouent vsquequo inde fœtus producatur, & tamen sciunt non esse illa oua sua. Alia causa potuit esse, quia fortè ista mulier gaudere volebat habendo paruulum, & quia filius suus mortuus erat, voluit habere alienum tanquam suum, vt in illo gauderet, licèt non tantùm sicut in suo, sic patet de illis, qui adoptant sibi aliquos in filios, quia gaudent habendo illos, licèt sui non sint. Alia ratio fuit, quia ista mulier fortè erat inuida, & cùm filius suus mortuus esset, dolebat nimis, quòd alia haberet filium; ideo voluit eum rapere. Vel fortè fecit hoc ex odio, quia habebat aliam sodalem suam exosam, & desiderabat nocere ei; ideo abstulit ei filium viuentem, & apposuit mortuum ad hoc, vt priuaret eā gaudio materno, & vt moueret ad luctum tanquam pro filio mortuo. Quòd autem fuerit hic inuidia, vel odium satis apparet, quia quando Rex dixit; diuidatur, consensit ista, & proclamauit diuisionem fieri: si tamen solum ad gaudendum in illo accepisset eum; vel quia diligebat eum, dato quòd esset filius alterius, non consensisset eum occidi, quia nemo patitur eum, quem diligit, infortunari.

Tentauit Salomon occidere puerum, quia credidit hoc modo inuenire veritatem.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlteriùs ad quid Salomon iussit duci gladium, & fieri istas tentationes: quia si esset ius dubium, nisi fierent istæ tentationes, oportebat eas fieri: & tamen dato quod non fierent, erat ius manifestum, scilicet, quòd actore non probante reus absoluatur, & quia mulier quæ petebat, nihil probat, debebat adiudicare filiū ei, quæ erat in possessione; & licèt alia diceret se spoliatam esse, cùm nihil probaret, non erat restituenda.

Respondendum, quòd si Salomon non potuisset veritatem inuenire, adiudicasset filium ei, quæ erat in possessione, saltem absoluendo eam ab impetitione alterius: credidit tamen Salomon quòd poterat veritatem inuenire; imò quòd certissimè inueniret per istam tentationem, scilicet, quia vna istarum erat verè mater illius pueri viuentis: etiam vtraque istarum cognoscebat cuius esset ille puer filius: ideo necesse erat, quòd illa, quæ esset mater, moueretur ad pietatem, quando iuberetur filius suus occidi; & per hoc cognosceretur, quę erat mater illius, & adiudicaretur ei. Si tamen ipse putasset sic non posse stare veritatem, adiudicaret possidenti.

Cùm tamen iudex potest scire veritatem rei,
non debet recurrere ad remedia
communia.

A

Quomodo potuiſſet Salomon cognoſcere, cuius iſte eſſet filius, ſi ambæ mulieres dixiſſent puerum non occidi, & cui adiudicaretur, & ſi vtraque diceret quòd diuideretur, quid Salomon faceret.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlteriùs, ſi Salomone dicente, quòd diuideretur puer, vtraque illarum diceret, quòd non diuideretur; ſed quod adiudicaretur cuicunque vellet Rex, quid fieri deberet? poterat enim hoc euenire, vtpote ſi mater pueri ex pietate naturali moueretur, & alia mulier etiam condolens puero, quia fortè diligebat eum, licèt nō eſſet filius ſuus, diceret ſe potius velle carere eo, quàm quod occideretur.

Reſpondet Bernardus ſuper c. afferte, extr. de præſumpt. & poſt eum omnes doctores Canoniſtæ, quòd adiudicari debebat illi mulieri, quæ erat in poſſeſſione, niſi interueniret alia probatio. Dicendum autem, quòd ſi vtraque hoc diceret, Salomon attendere debebat ad affectus earum: nam ſicut per diuerſitatem affectuum cognita eſt mater, ita ſi eſſet identitas affectus, eſſet tamen inæqualitas, quia illa, quæ non erat mater, nō poterat moueri tanto deſiderio ad hoc, quòd non occideretur puer, ſicut illa, quæ mater erat, quod pateret tam ex verbis, quàm ex vultu, & totius corporis habitu-

B

dine, quia cùm Salomon talem ſententiam dictaret, vix poſſet illa, quę mater erat, lachrymas ſuſtinere: alia autem poſſet, ideo ex maioritate pietatis Salomon cognouiſſet matrem, & illi adiudicaſſet puerum: & eſſet illa prę ſumptio quaſi violenta, ſicut iſta, per quam nunc Salomon iudicauit: alij autem modi probationum non erant tunc, quia via humana probari non poterat. Si autem recurreret ad probationem Dei, etiam non erat aliqua in iſto caſu: nam aliquæ probationes miraculoſæ erant in veteri Teſtamento, vtpote purgatio zelotypiæ bibendo aquas maledictas; quia tunc ſi mulier innocens eſſet, faceret prolem: ſi autem polluta eſſet, rumperetur femur eius, & periret: Numer. 5. In iſto autem caſu non erat ſic prouiſum. Erat etiam aliud remedium, ſcilicet, per iuramentum, quando dubitabatur in aliqua cauſa, compellebatur aliqua partium iurare: & ſi falſum iuraret, Deus immittebat plagam ſuper eum. Si autem verum, abſolutus erat. Vnde poſtquam aliquis iuraſſet in templo coram altari, abſoluebat eum iudex: de hoc infra octauo: & tamen iſtud remedium nō poterat nunc haberi; ideo quia templum nondum ædificatum erat, in quo illud fiebat ſicut orauit Salomon, ideo ſolum erat habendum remedium ſupra poſitum. Et ſi fortè quod incredibile eſt omnino contingeret illas duas mulieres oſtendere æqualem pietatem ad puerum, ita vt dijudicari nō poſſet differentia, debebat recurri ad commune remedium, ſcilicet, quod adiudicaretur poſſidenti.

C

Quid ageret Salomon ſi vtraque diceret, quòd diuideretur.

QVÆSTIO XVIII.

VLTERIVS quæretur, quid ſi vtraque mulier diceret, quòd diuideretur puer, quid Salomon faceret, an diuideret, vel adiudicaret alicui? Reſpondendum, quòd Salomon non diuideret, quia non dixerat hoc cum intentione diuidendi eum, ſed ſolum vt ſciret, quæ erat mater eius: nam puerum diuidi erat magnum ſcelus, ſcilicet, occidi innocentem ſine culpa, & ſine cauſa: etiam quia nullus color iuris erat ad hoc. Nam tunc res diuidenda eſt, quando iura partium æqualia apparent; hic tamen non erat ſic, quia non probante actore, videbatur poſſeſſor habere totum ius.

Reſpondendum ergo, quòd iſte caſus non debet admitti, quia mater cognoſcens filium ſuum nullo modo permitteret eum occidi, cùm ex ea penderet, quòd occideretur, vel non.

Sed obijcietur, quia Medea occidit duos filios ſuos coram Iaſone, vt patet per Senecam tragœd. 7. cuius titulus eſt Medea. Etiam mater Meleagri dicitur occidiſſe eum, vt patet per Ouidium 9. Metam.

Dicendum quòd iſti ſunt caſus ſpeciales. De Medea patet, quia ipſa inflammata erat iracundia cōtra Iaſonem, cuius amore ipſa natalem terram reliquerat, patrem theſauris ſpoliauerat, fratrem ſuum tenerrimum laniauerat: de quo Ouid. 7. Metam. & in lib. Heroidum, in epiſt. quæ incipit:

D

Æquor Iaſonio pulſatum remige primum.

Et in epiſtola, quæ incipit:

Littora Theſſaliæ reduci tetigiſſe carina.

Nunc autem deſerebat eam Iaſon, immò exilio tradebat ſub interminatione mortis, niſi vſque ad certum diem exiret de finibus regni Theſſaliæ, ideo Medea furens & exuens pietatem maternam, tum quia vir deſerebat eam, tum quia accipiebat Creuſam filiam regis Creontis, duos paruulos filios ſuos vidente Iaſone occidit, vt ſic ſaltem vindictam ſumeret ſanguinem proprium effundendo; vt patet in tragœdia allegata.

De matre autem Meleagri dicendum, quòd ipſa occidit Meleagrum irata nimis, quia ipſe occiderat duos fratres matris ſuæ; vt patet 9. Metam. nunc autem nō erat ſic de iſta muliere matre pueri viuentis; quia non erat irata filio ſuo, cùm non offendiſſet eam, etiam quia iſta petebat filium ſibi reſtitui, quæ non peteret, ſi vellet eum occidi. Si tamē iſtud, quòd nullo modo concedendum eſt, concedatur, iudicandum erat nullam eſſe matrem illius pueri, eo quòd nullius illarum viſcera commouebantur ſuper eum: & conſequenter nulli earum adiudicandus erat, ſed potius priuanda illa, quæ poſſidebat eum, & tradendus erat puer alteri extraneæ, quæ eum materna affectione nutrire poſſet.

E

Quare Salomon dedit puerum matri.

QVÆSTIO XIX.

VLTERIVS quęretur, quare Salomon iuſſit reddi puerum matri ſuæ; quia ipſa dixerat prius; obſecro domine, date illi infantem viuum, & non diuidatur, & per hoc renunciabat iuri ſuo. Simile extr. de elect. c. cùm inter.

Reſpondendū quòd per iſta verba renunciare videbatur mulier iuri ſuo, quia tamē ex pietate naturali egit, ſcilicet, vt puer non diuideretur, non præiudicat ei renunciatio iuris ſui. Simile eſt de illo, qui timore tormentorum confitetur aliquid, quia cùm confiteatur propter compaſſionem, quam habet ad ſe ipſum, non præiudicat ei. Sic tenet Vincentius, & Franciſcus, & alij ſuper c. afferte, extr. de præſumpt. Aliter dici poteſt, quòd cùm iſta mulier renunciaſſet iuri ſuo, ſi non conſtitiſſet de veritate præiudicabat ei renunciatio, quia tamen conſtitit eam eſſe matrem ſuam, ne gauderet de dolo illa, quæ volebat puerum diuidi cùm potius debuiſſet de hoc puniri, non debebat adiudicari puer ei, ſed matri ſuæ.

Quare Salomon non condemnauit ad mortem illam mulierem, quæ non erat mater.

QVÆSTIO XX.

VLTERIVS quæretur, quare Salomon non condemnauit ad mortem, vel ad aliam pœnam mulierem illam cuius filius non erat, & furata fuerat filium alterius viuum: nam benè merebatur mortem.

Reſpondet Abbas, & Franciſcus quòd hoc fuit, quia non fuit probatio ordinaria contra mulierem iſtam, ſed per præſumptiones quaſdam: vnde dicit Innocent. extra de præſumptio. ſuper c. quia veriſimile. quòd quando conuincitur aliquis per præſumptiones, non exiſtentibus alijs probationibus ordinarijs, valde debet remittere iudex ſententiam in condemnando: quia non debet condemnare ad mortem, nec etiam nimis in cauſa pecuniaria. Et aſſumit probationē ad hæc ex facto Salomonis, quia cùm conuicta fuiſſet illa mulier præſuppoſitionibus quibuſdam ſpecialibus, noluit condemnare eam, ſed ſolùm reſtituit filium matri ſuæ: merebatur tamen mortem illa, quę filium ſurripuerat alteri. Iſtud dictum Innocentij laudatur valde ab omnibus doctoribus, & obſeruatur in iudicijs, & eſt ſatis rationabile, ſic ait Franciſcus.

F

Si ambæ mulieres pendente lite mortuæ eſſent, cui ſucceſſiſſet puer.

A

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlteriùs, si pendente lite inter istas duas mulieres super filio cuius illarum esset, moreretur vtraque, cui illarum succedere debebat puer.

Respondet primò Bernardus super prædictum c. afferte. quòd videtur vtrique debere succedere simile. ff. de rebus dubijs. l. qui duos, ff. de inoffic. testament. l. Papinianus, §. sed neque impuberis. Postea arguit quòd neutri succedere debeat. ff. de rebus dubijs. l. si fuerit, quia iste ponit impossibile, quod est contra naturam, scilicet, se habere duas matres, vnde non est audiendus. Postea concludere videtur, quod succedere debeat ei, quæ est in possessione, & hoc tenent Vincentius, & Laurentius. distinguit autē Goffredus circa hoc, quia aut iste puer petebat hæreditatem vtriusque, aut possidebat vtramque: si autem possidet, dicit quòd vtrique succedit, & per viam exceptionis potest excludere quemcunque agentem. simile ff. de except. l. nemo. & de regulis in 6. regula nullus pluribus. Si autem petat ab alio hæreditatem, tunc repellendus est si vtrique succedere velit, quia ponitur impossibile, sed debet se probare filium alicuius illarum, & tunc succedit ei. Host. tamen non tenet opinionem Goffredi, sed Vincentij, scilicet, quòd succedat ei, quæ est in possessione eius: simile Bartholomæus Brixien. in quæstionibus: Franciscus autem dicit vtramque istarum opinionum esse satis tolerandā; & videtur satis rationabilis opinio Goffredi.

B

Salomon an peccauerit iudicando per tales præsumptiones.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR an peccabat Salomon iudicando per tales præsumptiones? Aliquis dicet, quod non, quia ex præiumptione violenta fertur sententia: huiusmodi autem erat ista præsumptio, scilicet, quia commota sunt viscera matris, ideo licitum erat iudicare per eam.

Respondendum, quòd aut quæritur de iudicio criminali, in quo mors, vel membri mutilatio, aut aliquid graue imponendum est, aut de minoribus causis tam ciuilibus, quàm criminalibus. Si primo modo, aut sunt præsumptiones, quæ nullo modo videntur posse elidi, aut non. Dico hoc vtpotè si accusetur aliquis de adulterio, quia duo reperti sunt in eodem lecto nudi, & soli, non obstante aliquo vinculo impediēte carnalem commixtionem, videtur ista præsumptio ineuitabilis. Aliæ autem non sunt tam ineuitabiles, quæ magis incidunt in genus probabilium præsumptionum, & sic erat ista præsumptio de commotione viscerum, per quam Salomon processit contra mulierem possidentem. Et dicendum, quòd si Salomon voluisset occidere mulierem istam ex hac præsumptione, videretur peccare, eo quòd non erat probatio ineuitabilis, quia poterat ex aliqua causa esse falsa: in criminalibus tamen debent esse probationes liquidissimæ, scilicet, luce clariores. Si autem quæratur de alijs præsumptionibus violentis, quæ videntur ineuitabiles, vt de duobus inuentis in eodem lecto, vt supra dictum est; magis videbatur quod posset fieri condemnatio, & tamen adhuc existente hoc non est probatio sufficiens, quia potest esse, quòd se carnaliter nō cognouerunt, immò quòd maius est existente hoc potest dari, quòd non venerint intentione carnalis coitus, sed ex alijs causis, quas multipliciter cogitare possumus, si volumus, ideo Innocent. dixit super c. quia verisimile, extr. de præsumpt. nimis cauere iudicem condemnationem, & maximè in criminalibus, quando reus conuictus est solis præsumptionibus. Si autem essent causæ ciuiles, aut valde paruę criminales, potest iudicare ex præsumptionibus: potissimè si violentæ sunt, & sic iudicauit hic Salomon adiudicando filium matri suæ ex hac præsumptione; & non condemnauit aliam ad aliquam pœnam. Si autem vellet eam condemnare, cùm esset magna præsumptio contra eam, poterat illam torquere, & tunc posset eam ex confessione sua occidere. Vnde etiam si præsumptiones maximæ sint, & quasi probationes necessariæ, petitur confessio rei ad infligendam mortem, sic patet in casu Achan, qui furatus est de anathemate Iericho, & Deus dixit, quòd volebat ostendere per sortes, quis commiserat istud furtum, & coram Deo comprehensus est Achan, & sic

C

erat probatio necessaria: nam non poterat errare, cùm Deus dixisset istam probationem esse sumendam; & tamen Iosue, qui erat princeps non intulit aliquam condemnationem ipsi Achan, sed petijt ab eo confessionē, & ex confessione sua lapidauit eum, Iosue 7.

D

Respondit Rex, ait: date huic infantem viuum, & non occidatur. Cognouit enim Rex per commotionem viscerum istam esse matrem, & tunc adiudicauit ei filium.

Hæc est enim mater eius. Id est, certissimè ipsa est mater, quia ipsius viscera commota sunt, & non alterius.

Audiuit itaque omnis Israël iudicium, quod iudicasset Rex. Scilicet, quomodo diffiniuisset inter duas meretrices. *Et timuerūt Regem.* Scilicet ante hoc contemnebant eum tanquam iuuenem putantes, quod nesciret iudicare, vnde quando petiuit gladium riserunt omnes astantes tanquam ex insipientia hoc diceret, sed cùm viderunt illud fuisse factum ad magnum mysterium, timuerunt putantes, quòd iam vitia eorum non possent latere Regem, cùm tam sapiens esset. *Videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.* Id est, viderunt quòd ista sapientia non erat ab homine, sed à Deo specialiter, cùm tam prudens apparuisset Rex in iudicio: ideo omnes timuerunt, quia de cætero putauerunt non posse impunè fraudes aliquas committere, quia Rex subtili iudicio eas discuteret, sicut nunc fecit in casu duarum meretricum super filio.

E

CAPVT IIII.

ERAT autem rex Salomon regnans super omnem Israël: & hi principes, quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis: Elioreph, & Ahia filij Sisa scriba: Iosaphat filius Ahilud à commentarijs.

F

DESCRIPTA in præcedentibus Salomonis sapientia, hic agitur de eiusdem gloria, & diuiditur in tria, quia primò ponitur gloria Salomonis in famulis, & subiectis: secundò gloria in diuitijs, sequenti cap. tertiò gloria in diuitijs, infra 10. Prima in duas, quia primò agitur de Salomonis gloria: secundò de eius sapientia, ibi. *Dedit quoque Deus sapientiam.* Prima in tres, quia primò ponitur multitudo in famulis: secundò multitudo in subiectis, ibi. *Iudā & Israël.* Tertiò magnitudo in quotidianis expensis, ibi. *Erat autem cibus.* Prima in duas, quia primò ponitur dispositio ministrorum Salomonis interius: secundò exterius, ibi. *Habebat autem Salomon,* *De gloria Salomonis.*

An sit ordo continuus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic fuerint facta post præcedentia, vel sit aliqua mutatio ordinis.

Respondendum, quòd ea, quæ habentur in isto capitulo, non pertinent ad vnicam historiam, ita vt dicere possimus totaliter esse ordinem consequentem, vel totaliter esse anticipationē, vel recapitulationem. Pro quo sciēdum, quòd quædam istorum, quæ habentur hic, coincidunt cum præcedentibus, scilicet, de datione sapientiæ: alia autem fuerunt multo tempore post hoc, scilicet, quòd Salomon fecerit tria millia parabolarum, & quinque millia carminum, & disseruerit de omnibus lignis à cedro vsq; ad hyssopum, & de iumentis & volucribus, & reptilibus, & piscibus. Manifestum est tamen, quòd ista non fuerunt finita ante templi ædificationem, quia ædificatio templi inchoata est in principio anni quarti regni Salomonis, vt patet infra 6. & tamen à principio regni sui vsquequo accepit sapientiam, fluxerunt plusquam tres anni, scilicet, quasi quatuor, vt declaratum est præced. ca. & sic videtur, quòd immediatè postquam accepit sapiētiam, cœpit ædificare templum, vnde non habuit spacium ad faciendum ea, quę habentur hic antequam ædificaret templum. Item dicitur infra, quòd de omnibus terræ regnis veniebant ad audiendum sapientiam Salomonis; & tamen manifestum est, quòd hoc nō fuit factū ante ædificationem tēpli, quia nō

venie-

veniebant de omnibus terris ad audiendum ſapientiam eius, niſi quando multum diuulgata fuit, & tamen non potuit in tam breui tempore diuulgari ſapientia Salomonis, quia vix potuit intercidere medius annus inter ſapientiã ſibi datam, & principium ædificationis templi, vt ſupra declaratum eſt; & ſic quantum ad hoc oportet poni iſtud cap. per anticipationem ad ſequentia. Item patet hoc, quia infra dicitur de quodam præpoſito Salomonis, quòd habebat filiam Salomonis in vxorem, & tamen Salomon non potuit habere filiam nubilis ætatis ante ædificationem templi, cum in principio quarti anni ſui regni cœperit ædificare. Dicendum etiam quod quantum ad alia eſt in cap. iſto recapitulatio, ſcilicet quia fuerunt facta ante præcedentia, & ponuntur hic. Sic fuit de ſacerdotio Sadoc, & Abiathar. Nam Abiathar iam erat priuatus ſacerdotio ſupra 2. cap. & ponitur hic tanquam ſacerdos. Dicendum ergo quòd in iſto cap. non obſeruatur aliquis ordo naturalis, ſed ſolum artificialis; quia ponitur hic diſpoſitio domus Salomonis principaliter, & quædam gloria regni eius, & ad hoc exprimendum ponuntur quædam ſecundum rectum ordinem, & alia per anticipationem, & recapitulationẽ: ſcriptura tamen volens oſtendere ſapientiam Salomonis, quæ maximè manifeſtatur in ordine cum ſapientis ſit ordinare, poſtquam poſuit ſapientiam datam Salomoni, ponit hic diſpoſitionem domeſticam in famulis, & rectoribus, & habitudinem regni, & gloriam eius, quæ omnia prouenire videbantur ex magna ſapientia.

Erat autem Salomon regnans ſuper omnem Iſrael. Id eſt, Salomon regnabat ſuper omnes duodecim tribus, quia adhuc in tempore ſuo non erat facta diuiſio regni, ſed viuente filio Salomonis Roboam facta eſt diuiſio infra duodecimo cap.

Et hi principes quos habebat. Id eſt, iſti erant officiales, vel miniſtri eius: vocabantur tamen principes, quia principabantur negocijs ſibi commiſſis. *Officiales Salomonis.* *Azarias filius Sadoc ſacerdotis.* Iſte ponitur primus princeps: erat autem iſte Azarias dilectus Salomoni propter Sadoc patrem ſuum, qui erat ſummus ſacerdos, & fouerat partem eius contra Adoniam, cum nondum vnctus eſſet in regem ſupra 1. cap. de iſto Azaria ſecundum literam iſtam dicendum eſt, quòd erat ſcriba Salomonis cum alijs, qui ſequuntur. Et continuabitur ſic litera, ſcilicet, Azarias filius Sadoc ſacerdotis: Elioreph, & Ahia filij Siſa ſcribæ, id eſt, iſti tres erant ſcribæ. Litera tamen Hebraica non patitur hoc, quia in Hebræo incipit verſus ibi Elioreph, & eſt ſenſus quod Elioreph, & Ahia erant ſcribæ. Dicendum tamen quòd Azarias erat etiam ſcriba, quia aliàs nõ eſſet aliquod officium, vel principatus hic competens ei: & ſic fruſtra vocaretur princeps, cum non deſignaretur genus principatus eius. *Elioreph, & Ahia filij Siſa ſcribæ.* Iſti duo erant fratres, & ſimul cum Azaria filio Sadoc fuerunt ſcribæ Salomonis, ſcilicet, erant principes ſcribarum in domo Salomonis. Nam ibi multi ſcribæ erant ad diuerſa officia, ſicut patet in domibus regum, ideo fortè iſti tres erant principes ſuper tria genera ſcribarum in domo Salomonis. Sciendum autem quòd ponuntur hic officiales Salomonis, ſicut ponuntur officiales Dauid præcedenti lib. cap. 8, & 20. & 1. Paralip. 18. & magis 27. & quidam de officialibus Dauid manſerunt in officijs tempore Salomonis: alij autem amoti ſunt, & ſubrogati fuerunt noui officiales. Sic patet de Ioſaphat, qui erat à commentarijs nunc, & etiam fuit tempore Dauid precedenti lib. cap. 8. & 20. idem etiam de Sadoc, & Abiathar, vt patet infra.

Ioſaphat filius Ahilud à commentarijs. A commentarijs eſt vna dictio indeclinabilis ſicut à caliculis, & ſignificat ſcriptores, vel hiſtoriographos, aut relatores negociorum, & ponitur hic quaſi pro relatore, qui renunciabat regi negocia reducens in memoriam vt expediret illa. Vnde Iudæi vocant iſtum magis relatorem quàm ſcribam. Iſte erat etiam officialis tempore Dauid, vt ſupra dictum eſt, & vocatur filius Ahilud, licet ſcribant aliqui Achilud, ſed non multum differt, quia conditio Latinitatis eſt iſta, ſcilicet, dicere Achilud pro Ahilud cum litera illa ſit aſpera nimis apud Hebræos, & non reperiatur apud Latinos litera ſimilis ſonoritatis.

Banaias filius Ioiadæ ſuper exercitum. Iſte erat tempore Dauid princeps ſuper Celethi, & Pheleti præcedenti lib. cap. 8. & 20. & non erat ſuper totum exercitum; quia Ioab erat tunc princeps militiæ; quia tamen Ioab fuit partialis contra Salomonem pro Adonia ſupra 1. noluit Salomon accipere eum in principem exercitus, præſertim quia habebat intentionẽ occidendi eum, cum Dauid hoc iuſſiſſet: & poſtea eum occidit ſupra 2. cap ideo à principio regni ſui fecit principem militię Banaiam, eo quod diligebat eum, quia fuerat partialis cum eo contra Adoniam ſupra primo.

Sadoc autem, & Abiathar ſacerdotes. Iſti erant ſacerdotes magni, & vocantur ſacerdotes per excellentiam: iſti erant tempore Dauid ſacerdotes magni præced. lib. cap. 8. & 20.

Quomodo Abiathar potuerit eſſe ſacerdos magnus nunc, cùm ſupra 2. cap. fuerit eiectus.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR quomodo Abiathar poterat nunc eſſe ſacerdos magnus: nam ſupra 2. ca. dicitur, ꝙ eiecit eum Salomon, ne eſſet ſacerdos Domini. Reſpondet Nicolaus, quod eiectus fuit de ſacerdotio: tamen poſtea reconciliatus fuit, & fuit ſacerdos, quia licet domus Heli priuari debebat ſummo ſacerdotio: tamen non penitus erat priuanda ſacerdotio. Sic patet ſupra 1. lib. cap. 2. ſcilicet futurum eſt, vt quicunque remanſerit in domo tua veniat, vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum. & tortam panis: dicatque dimitte me, obſecro, ad vnam partem ſacerdotalem, vt comedam buccellam panis.

Sed dicendum quòd non ſtat, quia hic ſignificatur quòd Abiathar, & Sadoc erant ſummi ſacerdotes, cum vocentur ambo ſacerdotes, ſicut vocabantur tempore Dauid præce. lib. cap. 8. & 20. & tamen manifeſtum eſt, quòd tunc erant ambo ſummi ſacerdotes ſiue principes ſacerdotũ 1. Paral. 24. Item certũ eſt, quòd Sadoc erat nunc ſummus ſacerdos, quia fuit tempore Dauid, & fuit tempore Salomonis ſummus ſacerdos, & tamen dicitur, quod Sadoc, & Abiathar erant ſacerdotes, ergo videtur, quòd erant in eodem genere ſacerdotij, ſcilicet, ſummi ſacerdotes, alioquin fieret locutio æquiuoca. Item dicendo quod iſti duo erant ſacerdotes, vocatur aliquid ſpeciale, nam ſi vocarentur ſacerdotes pro quocunq; gradu ſacerdotij, non ſolum iſti duo eſſent ſacerdotes, ſed fortè eſſent plures quàm quinque millia, ſcilicet, omnes quotquot erant de genere Aaron, ſed ſoli iſti nominati ſunt, ergo iſti erant ſummi ſacerdotes. Sed non poteſt ſtare, quòd iſti eſſent ſummi ſacerdotes, quia poſtquã priuatus eſt Abiathar ſacerdotio ſummo nunquam redijt ad illud, quia tunc non diceretur, quod completus fuit ſermo Domini contra domum Heli quando eiectus eſt Abiathar de ſacerdotio, & tamen dicitur quod tunc completum eſt ſupra 2. ergo poſtea nunquam redijt ad ſummum ſacerdotium. Item patet quia ſupra 1. lib. cap. 2. dicitur: & non erit ſenex in domo tua omnibus diebus, ſcilicet, non erit ſummus ſacerdos, ergo ſi iſte rediret ad ſummum ſacerdotium, non eſſet completum verbum Domini, ideo nullus dubitat, quin Abiathar fuerit ſemper priuatus ſacerdotio ſummo poſtquam ſemel eiectus eſt. Nicolaus tamen vult, quòd manſerit in ſacerdotio minori, & hoc non nego, tamen non accipitur hic pro ſacerdotio minori, quia tunc diceretur quòd ſadoc, & Abiathar erant ſacerdotes, vt ſupra dictum eſt.

Dicendum quòd Abiathar, & Sadoc erant ſacerdotes magni, & iſtud ſignificat hic litera: tamen ponitur per recapitulationem, ſcilicet, quia quodam tempore regni Salomonis Sadoc, & Abiathar erant ſummi ſacerdotes, & hoc durauit vſquequo Salomon occidit Adoniam, & Ioab; quia tunc etiam eiecit de ſacerdotio ipſum Abiathar, & relegauit eum in Anathot, vt non veniret in Ieruſalem. Iſta autem, quæ dicuntur hic fuerunt facta ex parte ante illa, quæ habentur ſupra 2. & alia fuerunt facta multo tempore poſt ædificationem templi, & ſic eſt anticipatio, & recapitulatio in cap. iſto ſicut declaratum fuit ſupra. Dicendum tamen, quòd quando Salomon accepit ſapientiam à Deo, iam non erat Abiathar ſummus ſacerdos. *Per anticipationem multa dubia tolluntur.*

Azarias filius Nathan ſuper eos, qui aßiſtebant regi. Iſte eſt alius Azarias ab illo, de quo ſupra dicitur, quia ille erat filius Sadoc: & iſte filius Nathan. Eſt autem iſte Nathan propheta, qui prænunciauit de Salomone regnaturo præced. lib. cap. 7.

& postea increpuit Dauid pro adulterio cum Bethsabee. eo. lib. cap. 12. ideo erat iste Nathan valde amicus Salomonis,& dicitur quòd ipse nutriuerat Salomonem. Erat etiam tempore Dauid iste consiliarius eius, ideo dixit ei quare iusserat vngi Adoniam in regem, & non dixerat ei supra 1. cap.

Azarias quibus præerat.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR de istis assistentibus regi, quibus præerat Azarias, qui erant. Alioqui respondent,quòd isti erant erant duodecim præfecti super totum Israel, de quibus infra dicitur. Sed hoc non stat, quia isti duodecim præfecti erant assignati in duodecim partibus Israel,qui nominantur in litera, & ibi procurabant negocia Salomonis, vt prouiderent domui regiæ de necessarijs : si tamen ipsi manerent in palatio regis assistendo semper regi, non possent procurare negocia Salomonis.

Sed dicendum quòd isti erant aliqui viri valde prudentes & secretarij regis, cum quibus rex disponebat negocia sua; & isti semper assistebant ei.Vel forte erant aliqui iuuenes generosi, quos rex assumpserat, vt essent in camera eius, vt cum eis gauderet, & colloqueretur familiariter; & isti semper assisterent regi. Primo modo accipitur Esther 1.cap.cum dicitur de septem sapientibus, qui ex more regio semper adeRant ipsi regi, & videbant semper faciem eius, solitique erant sedere primi post ipsum. De secundo modo accipitur etiam Esther 1. vbi dicitur de septem eunuchis, qui semper ministrabant coram rege, vt introducerent reginam ad se, ideo vtroque modo potest hic accipi de illis, qui assistebant Salomoni: illorum autem princeps erat Azarias. Dicendum tamen quod accipiuntur assistentes primo modo. Patet infra 12. scilicet, Iniuit consilium Roboam cum senioribus, qui assistebant corã Salomone patre eius, dum adhuc viueret. *Zabud filius Nathan sacerdos amicus regis.* Iste Zabud erat frater Azariæ, de quo immediatè dictũ est: nam ambo erant filij Nathan. Et dicitur iste amicus regis,id est, secretarius eius, & valde familiariter ei assans, ita vt mereretur dici amicus,quia amicus nomẽ æqualitatis est cum in amicis tria requirantur,scil. similitudo,æqualitas,& conuiuere,vt patet 8.Ethi. nisi sint amici secundum analogiam,de quibus ibi & in 9. Ethi. vocatur autẽ iste Zabud sacerdos, non q̃ esset sacerdos maior vel minor, quia de sacerdotibus magnis supra dictum est, q̃ Sadoc, & Abiathar erant sacerdotes: si autem intelligatur de minoribus nõ oportebat poni aliquem, quia plures erant quã fortè quatuor millia.Ideo oportet quod accipiatur sacerdos alio modo pro habente curam de sacerdotibus,scil.quòd iste haberet in domo Salomõ. hoc officiũ q̃ disponeret ea, quæ danda erant sacerdotibus ad sacrificia: nam Salomõ solitus erat dare, vel quotidie, vel certis diebus hostias multas, vt patet infra 10.& 2. Paral.9. cum dicitur, q̃ regina Saba videns ordinẽ ministrantium Salomoni, vestesque eorum,& pincernas, & holocausta,quæ offerebat in domo Domini, non habuit vltra spiritum: & tamen manifestum est quòd Salomon præficeret aliquem virum in domo sua ad habendum curam de his, & fortè iste erat Zabud. Et vocatur sacerdos, quia de rebus sacerdotalibus curam habebat. Sic declaratum fuit præced. lib.cap.20. de Ira Iairite,qui vocatur ibi sacerdos Dauid.Aliter autem potest accipi sacerdos, id est, princeps, scilicet, quòd iste Zabud erat princeps Salomonis, & hoc consonat literæ quia dicitur hic quod erat amicus Salomonis, quòd significat quandam æqualitatem. Et non dicitur hoc de aliquo omnium principum, qui habentur hic. Simile patet præced. lib. cap. 8. cum dicitur filij Dauid erant sacerdotes, id est, principes vel maximi in domo regis,quod exponitur 1. Paralip. 18. scilicet, porro filij Dauid primi ad manum regis: sic ergo esset de isto Zabud, eo q̃ diligebat eum valde Salomon,& pręposuit cæteris principibus domus suæ. *Et Abisar præpositus domus.* Aliqui scribunt Abisar, sed corrupta est litera,& vocatur præpositus domus, id est œconomus habens curam de dispensatione necessariorum in domo regis. *Et Adoniram filius Abda super tributa.* Id est,ipse præpositus erat super tributa ad hoc quod colligeret illa, & dabat in manu œconomi,vel thesaurarij regis. Sciendum autem quòd Salomon licet à principio bonus esset erga Deum & populum, tamen postea sicut erga Deum fuit impius declinando ad idolatriam, ita erga populum fuit iniustus imponendo ei tributa grauissima. Vnde mortuo Salomone venerunt Israelitæ ad Roboam filium eius, dicentes pater tuus durissimum iugum imposuit nobis, tu itaq; nunc minue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi infra 12. iste autem Adoniram, qui alio nomine vocatur Aduram, collegit semper tributa Salomonis, dum ille vixit. Ipso quoque mortuo cœpit esse collector tributorum sub rege Roboam filio Salomon. Et cum facta diuisione regni, misisset Roboam ipsum Aduram ad colligendũ tributa, totus Israel lapidauit eum, quia incipiebat rebellare regi Roboam infra 12. *Habebat autem* Hic ponitur dispositio ministrorum Salomonis exterius,scilicet,quia habebat duodecim ministros in diuersis partibus Israel prouidentes ei, & dicitur. *Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel.*Scilicet habebat duodecim viros,inter quos diuiserat totũ regnum Israel: & ipsi præerant duodecim partibus illius, non quidem quasi essent domini terrarum, sed solum quod in illis partibus habebant administrationem pro Salomone colligendo fructus ad cibos Salomonis. *Qui præbebant annonam regi, & domui eius.* Vocatur annona pro toto anno. Vnde annona, quasi annua dicitur, quia per annum dabatur, & nunquã vocatur annona, nisi quando est statutus cibus alicui, qui semper ei dari debebat,scilicet, regulariter, & non per accidens. Sic patet Dani. 1. scil. & constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse. Et dicitur quod præbebant annonam regi, & domui eius, id est, pro tota familia domus Salomonis.

An duodecim præfecti instituti à Salomone fuerunt antequam acceperit sapientiam.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR de istis duodecim præfectis an Salomon instituerit eos post sapientiam acceptam à Deo, vel ante. Aliquis dicet, quod postea instituit, & quòd ideo ponuntur hic isti duodecim præfecti, vt significetur sapientia regis in dispositione domus suæ. Dicendum quòd non multũ refert, an isti instituti fuerint ante sapientiam acceptam vel post, quia in isto cap. quædam ponuntur per anticipationẽ, & quædam per recapitulationẽ, vt supra declaratum est. Dicendũ tamen videtur potius, quod instituerit Salomon istos præpositos ante sapientiam acceptam, nec in hoc apparebat magna sapientia, quia iam Dauid pater suus habuerat istum modum constituendo diuersos œconomos super thesauros suos & necessitates domesticas, vt patet 1. Paralip. 27. & sic acciperet exemplum à patre suo in disponenda domo. *Per singulos enim menses in anno singuli necessaria ministrabant.* Id est, isti duodecim præfecti erant instituti,vt per duodecim menses anni prouiderent regi, & sic quilibet eorũ seruiebat vno mense in anno, vnde isti erant duodecim propter duo, primò quia diuisa fuerat eis tota terra Israel in duodecim partes,& quilibet eorum habebat curam in vna parte: secundò erant duodecim,vt prouiderent per duodecim menses anni, & incipiente anno rursus primus eorum prouidebat, & sic sciebat quilibet illorum quo tempore debebat prouideri regi, & disponebat se ad hoc,ita vt nunquam deficeret cibus in domo regis.

Quomodo ministrabant regi isti duodecim præfecti in anno, in quo erant tredecim menses.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR quando erant in anno tredecim menses, quomodo se habebant isti præfecti in ministrando necessaria regi. Pro quo sciendũ quod Hebræi antequam exirent de Ægypto computabant annos secundum computationem Ægyptiorum, eratque annus eorum solaris, in anno autem quo debuerunt exire Ægypto Deus iussit, vt computarent annum alio modo, scilicet, incipiendo in Martio apud æquinoctiũ vernale, vt patet Exod. 12. scil. mensis iste

vobis

Sacerdos multipliciter accipitur.

Diuersa annorum cõputatio apud Hebræos.

A vobis principium menſium primus erit in menſibus anni, & tunc incæperunt Iudæi computare menſes ſuos per lunationem, ſcilicet, quòd quælibet lunatio ſit vnus menſis. Et quia ſi faciunt in anno quolibet menſes duodecim erit minor annus ſuus anno ſolari vndecim diebus, & in paucis annis mutabitur principium annorum ſuorum valde: vtpote ſi nunc ſit principium anni Iudæorum in principio Aprilis vſque ad annos 10. erit in principio Auguſti; & quia Deus præcipit quod principium annorum ſuorum ſemper eſſet in principio nouarũ frugum tempore verno, quando egreſſi ſunt de Ægypto, & tunc celebrarent phaſe Leui. 23. & Deut. 16. oportuit quòd Hebræi per aliquas ſuppletiones facerent annum ſuum modicum deuiare ab æquinoctio vernali: hoc autem faciunt in quibuſdam annis ponendo duodecim menſes in alijs tredecim, vtpote ſi nunc ponant duodecim menſes poſt tres annos ponant tredecim menſes: & in quinto anno ponent iterum tredecim menſes. nam in quinque annis ſolaribus ſuper excreſcunt 56. dies ad annos 5. lunares. Et iſti 56. dies faciũt duas lunationes, & ſic in quibuſlibet quinq; annis bis ponunt in annis ſuis 13. menſes: cum ergo veniret annus 13. menſium, nõ poterant iſti 12. præfecti miniſtrare per ſingulos menſes anni. Reſpondendũ q̃ fortè ille, qui miniſtrabat in menſe 12. miniſtrabat etiã in 13. in anno illo, & ſic rurſus primus iſtorũ principũ miniſtrabat primo menſe ſequentis anni. Aliter poteſt dici q̃ iſti principes miniſtrabant per ſingulos mẽſes, & nõ erat inter eos ordo certus, ita quòd alicui eorum ſemper cõpeteret menſis primus. Et alteri menſis ſecundus, ſed ſolum erat ordo, quòd iſte miniſtraret poſt illũ, & ille poſt alium, & ſic ille, qui nũc miniſtraret in ſecundo menſe anni aliquando miniſtraret in 4. & ſic ſolũ miniſtraret quilibet vno menſe, nec fieret aliqua variatio propter annũ 13. menſium. *Et hæc nomina eorum: Benhur in monte Ephraim.* Hic ponuntur nomina 12. prępoſitorũ, & primus vocatur Benhur, qui pręerat monti Ephraim. Vocatur autẽ mons Ephraim tota ſors terræ Ephraim, nam illa erat montuoſa; & vbicunq; ponitur de ſorte Ephraim vocatur mons Ephraim. Sic patet Ioſue 17. & 20. & 21. Sciendũ autem quòd iſte primus vocatur Benhur, & ſecundũ literam noſtram eſt nomen proprium: Hebræi tamen accipiunt pro nomine appellatiuo, ſcil. Benhur, id eſt, filius Hur: nam ben in Hebræo ſignificat filium, & ſic dicunt de alijs ſequentibus, ſcil. Bendecar, Beneſed, Ben Gaber: magis tamẽ videtur, q̃ iſta ſint nomina propria, eo q̃ litera dicit hic: hæc ſunt nomina eorum. *Bendecar, in Macces.* Iſte eſt ſecundus præpoſitus, & erat in vrbe Macces, quæ videtur eſſe in terra ſortis Dan; quod patet ex locis, quibus cõiungitur, quia illa ponuntur in ſorte Dan. *Et in Salebim.* Iſta ciuitas eſt in ſorte Dan Ioſue 19. & Iud. 1. Et in iſta habitauerunt, quando Amorrhæi arctauerunt eos in montibus, & non dederunt illis ſpacium, vt ad planiora deſcenderent. eo. c. *Et in Bethſames.* Iſta eſt ciuitas in ſorte Nephtalim: Ioſue 19. Alia autem Bethſames ponitur in ſorte Iudæ. Ioſue 15. & tamen hic accipiendũ eſt pro Bethſames, quæ eſt in ſorte Nephtalim, eo quod ſors Dan eſt apud ſortẽ Nephtalim. Ioſue 19. Sicut Bethſames, & Salebim ponuntur hic ſimul. *Bethanam.* Iſta eſt alia ciuitas, quæ ponitur in ſorte Nephtalim: Ioſue 19. & vocatur ibi Bethanat. *Benheſed in Aruboth.* Iſte erat tertius præpoſitus, & erat terra eius Aruboth. *Ipſius erat Socho.* Iſta eſt quædam ciuitas, quæ vocatur Sochot, & eſt apud Sichem in qua Iacob collocauit tabernacula ſua, quando veniebat de Meſopothamia, & vocauit nomen loci illius Sochot, id eſt tabernacula. Gen. 33. ſenes autẽ loci huius noluerunt dare Gedeoni panes, quando perſequebatur Madianitas; vt patet Iud. 8. ideo poſtea multos eorũ attriuit cum tribulis deſerti, & occidit eos eo. cap. Iſte locus eſt apud Sichem, licet ſit alia Sachot, quæ eſt vltra Iordanẽ, & ponitur quædam Sachot in tribu Iuda, Ioſue 15. *Et omnis in terra Epher* Epher poteſt accipi dupliciter: vno modo pro ciuitate quadam, quæ erat in ſorte Iudæ, & ſic vocatur terra Epher terra coniuncta illi vrbi. Alio modo accipitur Epher, vt eſt nomẽ cuiuſdã familię in tribu Manaſſe, quæ vocatur familia Epheritarum: Nu. 26. & eſt ſenſus, quòd huit fuit data tota terra Epher, ſcil. tota terra Illius familiæ, vt in ea procuraret cibos regi. *Benabinadab.* Iſte erat quartus præpoſitus Salomonis. *Cuius omnis Nephad.* Id eſt ad iſtum pertinebat tota terra Nephad: iſta eſt ciuitas, quæ alio nomine vocatur Nophed, & de hac dicitur Ioſue 17. quòd tertia pars vrbis Nophed erat in ſorte Manaſſe. *Dor.* Iſta eſt alia ciuitas in ſorte Manaſſe, & erat ciuitas magna. De hac Ioſue 17. de hac etiã habetur Iud. 1. quod filij Manaſſe, quando prævaluerunt contra Chananæos non expulerunt habitatores Dor. Iſta eſt ciuitas regia cuius regem occiderunt Iſraelitæ. Ioſue cap. 12. *Taphet filiam Salomonis habebat vxorem.* Id eſt, iſte præpoſitus acceperat in vxorem filiam Salomonis.

D

An Benab accepiſſe Taphet filiam Salomonis vxorem, ſit intelligendum per anticipationem.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR quomodo poteſt hoc ſtare: nam quando Salomon accepit ſapientiã acceperat nouiter vxorem, & tunc fuit quod habetur hic: & tamen tunc non poterat habere filiam ætatis nubilis. Reſpondendum quod hic eſt anticipatio: nam Salomon non habuit filiam ætatis nubilis, vſquequo finiuit ædificationem templi per aliquot annos; quia tamen ſcriptus fuit liber iſte multo tempore poſt Salomonem, ſcilicet, per Ieremiam, quia iam hoc tranſierat, potuit illud deſcribere: & ſic quanquã fuerit iſtud multo tempore poſt ædificationem templi, quia tamen ſic accidit, & nunc dicebatur hic de iſto præpoſito, voluit hic Ieremias deſcribere, quòd iſte accepiſſet filiam Salomonis in vxorem. *Bana filius Ahilud regebat Tanac.* Iſte erat quintus præpoſitus, & erat frater Ioſaphat, qui erat à commentarijs: nam etiam ille vocatur filius Ahilud ſupra in litera, Præerat autem iſte vrbi Tanac, quæ eſt in ſorte Manaſſes, vt patet Ioſue 17, iſta erat ciuitas regalis cuius regem occiderunt Iſraelitæ: Ioſue 12. cùm autem prævaluiſſent Manaſſitæ contra iſtos noluerunt delere eos, ſed fecerunt tributarios. Illud. 1. *Et Mageddo.* Iſta ciuitas erat in ſorte Manaſſe. Ioſue 17. & erat ciuitas regalis cuius regem occiderunt Iſraelitæ Ioſue 12. Habitatores autem ciuitas huius noluerunt Iſraelitæ delere, ſed fecerunt tributarios Ioſue 17. & Iud. 1. Apud iſtam ciuitatem occiſus fuit Rex Ioſias, pro quo factus eſt magnus planctus ſequenti lib, 23. cap. ideo dicitur Zach. 12. in die illa magnus erit planmus in Ieruſalem, ſicut planctus Adremon in campo Magedon. *Et vniuerſam Bethſan.* Id eſt, vniuerſam terram Bethſan: eſt enim Bethſan quædam ciuitas in ſorte Iudæ in terminis eius. Ioſue 15. & eſt ciuitas in qua Philiſthini ſuſpenderunt corpus Saulis, & filiorum ſuorum, & furati ſunt de loco ipſo corpora viri Iabes Galaad, ſupra 1. lib. cap. vlt. & 1. Paral. 10. *Quæ eſt iuxta Sarthana.* Iſta ciuitas Sarthana eſt, de qua dicitur Ioſue 3. quòd aquæ Iordanis ſteterunt, & apparebant intumeſcentes ab vrbe, quæ vocatur Edom vſque ad locum Sarthan, ſed Sarthan, & Sarthana idem ſunt ſecundum modum loquendi Hebraicũ, qui facit Paragogen in dictionibus addendo literam, vel ſyllabam in fine, vt Phalti Phaltiel; Ieſſur Ieſſuri; vt declaratum eſt ſupra 1. lib. c. 27. & 30.

E

Subter Iezrael. Id eſt, Bethſan eſt apud Iezrahel: eſt enim Iezrahel in ſorte Iudæ Ioſue 15. Et de hac vrbe accepit Dauid primam vxorem, ſcili. Achinoam: ideo vocatur Achinoam Iezrahelites ſupra 1. lib. cap. 25. & 26. & 30. Apud iſtam vrbem ſunt montes Gelboe; & iuxta vrbem hanc Philiſthini locauerunt caſtra, quando pugnauerunt contra Saulem, & occiderunt ipſum ſupra 1. lib. cap. 29. & ſic conuenit quod Iezrahel eſſet apud Bethſan, vel ſubter Bethſan, vt dicitur hic: nam Philiſthini tulerunt corpora Saulis & filiorum eius de caſtris Iezrahel, & ſuſpenderunt de muro Bethſan. ſupra 1. lib. cap. 31. ſi tamen Bethſan diſtaret valde à Iezrahel, non portaſſent illuc iſta corpora.

A Bethſan vſque Abelmeula è regione Iecmaan. Id eſt, regebat totã terram, quæ erat inter Bethſan, & Abel meulan. Iſta ciuitas Abelmeula non ponitur inter ciuitates diuiſionis ſortium in libro Ioſue, quia forte habet multa nomina, & ponitur ibi ſub alio nomine: etiam Iecmaan non ponitur inter illas vrbes, vel habet aliud nomen, nam frequenter eadẽ ciuitas habet multa nomina, ſicut multæ ciuitates habent vnũ nomen, vt Iezrahel, de qua nunc dictum eſt, eſt in ſorte, Iudæ, & eſt alia Iezrahel, quæ ponitur in ſorte Manaſſe, vt patet Ioſue 17. *Bengaber.* Iſte eſt ſextus præpoſitus Salomonis.

Quando quinto anno erant 13. menſes.

A

B

C

F

A

In Ramoth Galaad. Ista erat quędam ciuitas in terra duorum regum Amorrhæorum, & pertinebat ad tribum Gad, vt patet Iosue 20. Ista ciuitas fuit postea assignata Leuitis in habitationem Iosue 21. fuit etiam facta vna de ciuitatibus refugij: Iosue 20. Ista est, super quam pugnabat Rex Acab quando mutato habitu occisus est infra 22. Vocatur autem Ramoth Galaath, quia erat in terra Galaad, nomen tamen ciuitatis erat Ramoth.

Habebat Auothiair. Id est, habebat terram, quæ vocatur Auothiair. Non est autem Auothiair nomen alicuius loci, sed est nomen appellatiuum, & significat Auothiair villas Iair: Sic patet Num. 32. cùm dicitur, quòd Iair filius manasse occupauit vicos terræ Galaad, & vocauit eos Auothiair, id est, villas Iair. Idem patet Iudicum 10. hic tamen noluit litera nostra ponere pro nomine communi, sed pro proprio quasi tota terra illa simul vocetur Auothiair, & melius scribitur Auothiair quàm Auothair & sic scribit hic Hieronymus, & patet ex sequenti litera, scilicet, filij Manasse in Galaad, id est, Iair erat filius Manasse, & possedit Auoth, id est villas, quæ vocantur Auothiair, id est, villæ Iair, & istas habebat iste præpositus in terra Galaad.

Ipse præerat in omni regione Argob, quæ est in Basan. Id est, etiam habebat in potestate sua terram Argob: & ista est in terra Basan. Secundum autem quòd Basan est quædam regio in terra duorum regum Amorrhæorum, & pertinebat ad regem Og. Iosuæ 12. & 13. In Basan autem erat alia prouincia minor, quæ vocabatur Argob Deuterono. 3. & ista terra proueneratin sortem dimidiæ tribui Manasse, quæ erat vltra Iordanem, vt patet Iosue 13.

B

Sexaginta ciuitatibus magnis atque muratis. Id est, præerat iste sexaginta ciuitatibus; & istæ erant in terra Basan. Deut. 3. & Iosue 13. Vocantur magnæ ad differentiam quorundam locorum muratorum, quæ magis vocantur castella, vel arces quàm vrbes.

Quæ habebant seras æreas. Dicitur hoc ad signandum quomodo istæ essent ciuitates, quia omnia loca, quæ murata erant vocabantur ciuitates, & non fiebat differentia de ciuitatibus ad villas, sicut nos agimus, sed solum vocabantur villæ loca non murata. *Abinadab filius Addo.* Iste est septimus prępositus. *Præerat in Manaim.* Ista est ciuitas trans Iordanem ad ad orientẽ in sorte Gad. Iosue 13. & vocatur Manaim, id est, castra, quia quando Iacob veniebat de Mesopotamia accedens prope Iordanem habuit angelos Dei obuios sibi: dixitque castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loco illius Manaim, id est, castra. Genes. 32. & ex illo tempore mansit nomen vrbis.

Achimaas in Nephtalim. Iste erat octauus præpositus, & regebat negocia Salomonis in terra Nephtalim, id est, in tota terra sortis Nephtalim.

C

Sed & ipse habebat Basemath filiam Salomonis in coniugio. Id est non solũ Benabinadab præpositus quartus habebat Taphet filiam Salomonis in coniugem, sed etiam iste habebat aliam filiam eius, scilicet, Basemath: & istud intelligendum est per anticipationem, sicut supra dictum est.

Baana filius Husi. Iste est præpositus nonus. *In Aser.* Aliqui accipiunt hic Aser pro tota tribu Aser, scilicet, quòd esset commissa isti Baana, tamen debet accipi Aser, vt est nomen ciuitatis in sorte Simeon. Iosue decimonono. & etiam ponitur in sorte Iudæ. Iosue decimoquinto. & patet, quia dicitur immediatè in litera.

Et in Baloth. Et tamen Baloth est nomen cuiusdam vrbis, quæ aliter vocatur Bala, vel Baloth, & ponuntur simul istæ duæ vrbes, scilicet, Bala, & Aser. Iosue decimoquinto & decimonono, & ambæ erant in sorte Simeon. Iosue decimonono.

Iosophat filius Pharue. Iste erat decimus præpositus, & non est iste Iosophat, de quo supra dicitur, quòd erat à commentarijs, ideo illa vocatur filius Ahilud, & iste filius Pharue. *In Issachar.* Id est, iste præsidebat in tota sorte tribus Issachar.

Semei filius Ela. Iste erat vndecimus præpositus, & non est iste Semei, quem occidit Salomon, de quo supra secundo. quia ille vocabatur filius Gera de Baurim. eodem capitulo, & iste vocatur filius Ela. *In Beniamin.* Id est, iste præsidebat in tota terra sortis Beniamin.

Gaber filius Vri. Iste est duodecimus præpositus. *In terra Galaad.* Id est, iste præerat in terra Galaad, non quidem in tota terra Galaad, quia supra dictum est, quòd Bengaber sextus præpositus præerat in Ramoth Galaad, & in Auothiair filij Manasse in Galaad, sed præerat iste, quasi toti terræ Galaad.

D

Et in terra Seon regis Amorrhæi. Duo Erant reges Amorrhæi ad orientalem partem Iordanis, scilicet, Seon, & Og, quorum terra data est duabus tribubus, & dimidiæ. Numeri trigesimosecundo, & Iosue decimotertio.

Et Og regis Basan. Iste erat secundus rex cuius terræ præerat iste duodecimus præpositus. Vocatur autem Rex Basan, non quòd solum præesset terræ Basan, quia etiam habebat aliam terram, scilicet, medietatem terræ Galaad. Deuteronomij tertio, & Iosue duodecimo, & decimotertio, sed quia terra Basan erat sedes regni sui, eo quòd in Basan erat ciuitas Astaroth, in qua erat sedes regni Og, & morabatur ibi semper, vt patet allegatis cap.

Super omnia, quæ erant in terra illa. Id est, iste præpositus habebat omnia, quæ erant in terra istorum duorum regum, & sic præerat quasi toti terræ duarum tribuum, & dimidiæ. Dico hoc quia non potest dici quòd iste prępositus præesset toti terræ regis Seon & Og, quia Bengaber, qui erat sextus præpositus habebat de terra istorum duorum regum Ramoth Galaath, & Auothiair. Habebat etiam regionem Argob in terra Basan, in qua erant sexaginta vrbes muratæ supra in litera: etiam Abinadab septimus præpositus præerat in Manaim: & tamen illud est de terra duorum regum Amorrhęorum cum ceciderit in sorte Gad. Iosue decimotertio. & tamen illæ duæ tribus & dimidia nihil acceperunt, nisi quod erat de terra duorum regum Amorrhęorum. Ideo intelligendum est, quòd iste duodecimus præpositus præerat toti terræ Seon regis, & Og, scilicet, toti terræ, cui non præerant illi duo præpositi, scilicet, sextus & octauus. Iste autem præerat quasi toti terræ. In Hebræo dicitur. *Et præfectus vnus super omnia.* Scilicet, iste duodecimus erat vnus præfectus, qui erat super omnia, id est, super omnia, quæ erant in terra Seon, & Og regum Amorrhæorum, & hoc signat litera nostra, dicens: super omnia, quæ erant in terra illa.

E

Iuda, & Israel. Hic ponitur gloria Salomonis in multitudine subditorum: nam omnes suprapositi erant famuli Salomonis, scilicet, quia ministrabant in domo sua, & in officijs domus eius. Iuda autem, & Israel, de quibus hic dicitur, non erant famuli non habentes officia in domo Salomonis: innumerabiles sicut arena maris in multitudine, id est, tanta erat multitudo Iudæ, & Israel, quòd numerari non poterat, sicut arena, quæ est in littore maris numerari non potest. Sic etiam dixit Deus, quòd multiplicaret Israelitas, sicut puluerem terræ, Gen. 13. & sicut stellas cœli. Gen. 15. & sicut arenam, quæ est in littore maris. Gen. 22. Numeratur autem & distinguitur Iuda contra Israel, quanquam Iuda esset vnica tribus, & reliquus Israel haberet vndecim, eo quòd tribus Iuda erat valde magna, & contendebat aliqualiter de numero cum alijs tribubus, nam tempore Dauid cum numeratus esset totus Israel inuenta sunt de Iuda quingenta millia virorum præcedenti lib. ca. vltimo. de Israel autem inuenta sunt mille millia, & centum millia. 1. Paralipom. 21. fuit etiam alia causa, scilicet quia tribus Iuda erat nunc nimis honorabilis propter regem, quia erat rex de illa tribu, ideo ponebatur ipsa tanquam caput, & tanquam æqualis dignitatis cum toto Israel.

F

Iuda quare distinguitur contra Israel.

Comedentes, & bibentes, atq; lætantes. Id est, isti populi comedebant, & bibebant, lætabantur, eo quòd non erat aliqua perturbatio in eis, vt cessarent à gaudio. Istud autem eueniebat propter duo. Primum erat propter magnam potentiam Salomonis, scilicet, quia nulla gens de circunstantibus audebat impugnare terram Salomonis. Secundum propter sapientiam eius, & diligentiam, quia dato, quòd hostes non inquietarent populum suum, si ipse non regeret eos in magna sapientia inter seipsos dissederent, & haberent contentiones magnas. quòd ergo ipsi possent in pace & gaudio manere, pertinebat ad magnam perfectionem Salomonis.

Salomon autem erat in ditione sua habens omnia regna secum à flumine terræ Philisthijm vsque ad terminum Ægypti. Ista regna nõ erant pars terræ Israel, nec erant de regno Salomonis, sed

erant

A erant regna Arabum, & Amalecitarum, & Idumæorum, qui omnes sunt locati inter fluuium terræ Philistijm, & terminũ Ægypti. est enim iste fluuius Rinocorula, qui diuidit terram Philistijm à terra Arabum, & aliarum gentium versus Ægyptum, & omnes isti reges seruiebant Salomoni, non quòd Salomõ obtinuisset eos bello, sed quia Dauid subiecerat eos: nam Salomon non egit bella in diebus suis.

Offerentium sibi munera. Scilicet, non erant subditi sui de regno suo, sed erant tributarij offerentes munera certis tẽporibus. *Et seruientium ei cunctis diebus vitæ eius.* Id est, isti reges seruiebant Salomoni tota vita sua, scil. quia non seruierunt posteris suis: nam mortuo Salomone diuisum est regnum Israel in duo regna, & tunc illi, qui subditi erant Salomoni de regibus extraneis noluerunt esse sub posteris eius. *Erat autem cibus.* Hic ponitur gloria Salomonis in magnitudine expensarum, & ponitur, quòd dabatur quotidie ei de cibis ordinariè præter alia, quæ veniebant ex accidenti. Et dicitur.

Gloria Salomonis in magnitudine expensarum.

Erat autem cibus Salomonis per dies singulos. Id est, istud, quòd sequitur dabatur Salomoni quotidie de cibo pro se, & domo sua. Et dicitur per singulos dies, quia licet isti sunt cibi carnium, tamen conueniebant Salomoni quotidie, eo quòd non erant inter Iudæos ieiunia pro tunc statuta, sicut inter nos: solum enim erat vna dies ieiunij, scil. in die propitiationis, ideo licebat quotidie sumere carnes in cibum. Sed dicetur, in illa die, quid dabatur Salomoni in cibum? Aliquis dicet, quòd dabantur ei carnes, quia reges cum sint delicatissimi, non obseruant ieiunia. Sed dicendũ, quòd non stat, quia Deus statuerat illud ieiunium. Leuit. 16. & 23. dicens, quòd siquis illa die nõ affligeret animã suam, periret de Israel, ideo non erat verisimile, quòd Salomon, qui Deum diligebat, nõ obseruare illud ieiunium, quia saltem timeret perire de populo suo. Item quia si isti cibi, qui hic ponuntur darentur Salomoni etiam in die propitiationis, non solum ipse non ieiunaret, sed etiã, nec viri domus suæ, quia isti cibi pro omnibus de domo sua erant. Respondendum, quòd isti cibi erant ordinarij pro Salomone, & familia sua quotidie, non mutabatur ista ordinario propter diem propitiationis: nam in die illo ieiunabat Salomon, & omnes Israelitæ, ieiunium tamen Hebræorum non erat, sicut nostrum, quia die illa, qua ieiunant nihil comedunt, aut bibunt: nam per vigintiquatuor horas ab omni cibo abstinẽt, ideo subtrahebatur illa dies de numero aliorum dierum, quia nihil comedebat Salomon illa die, nec familia sua.

B

Vel potest dici, quòd pro illa die dabatur etiam iste cibus, quia Hebræi quando ieiunant, comedunt per noctem expleto vno die naturali abstinẽtiæ, & tunc carnes comedant, & quicquid in alijs diebus comedi licitum est.

Triginta Cori similæ. Id est, dabãtur ei, & familiæ suæ triginta Cori de similæ. Est enim similæ farina delicatissima, & alba, quæ à furfuribus separata est. Corus est nomen mensuræ nõ valde magnæ, de quo habetur Ezec. 45. continebat enim vnus Corus decem batos, vel decem ephi, & erat mensura satis parua: nam ephi continet decem Gomor, Exod. 16. cap. & Corus continet decem Ephi, ideo vnus Corus continet centum gomor, & tamẽ de manna dabatur quotidie vni homini in cibum quantum caperet Gomor: Exod. 16. & hoc pro quolibet die, & sic vnus Corus contineret de manna, quantum possent centum homines comedere vna die, forte autem sic erat de farina. *Et sexaginta Cori farinæ.* Vocatur farina illa, in qua furfur non separatur à reliquo, similæ autem vocatur farina, in qua iam furfur separatus est à purissimo, & dabatur duplum de farina quam de similæ, eo quòd erant plures ministri paruæ conditionis, quam viri honorabiles.

C

Decem boues pingues, & viginti boues pascuales. Etiam dabatur istud sibi quotidie in cibum. Vocantur autẽ boues pingues, id est, impinguati, scilicet, quia studiosè in talibus locis nutriebantur, vt valde pingues essent. Boues autem pascuales vocantur boues communes, qui nõ multum pingues erant, sed vbicunque pasci poterant.

Et centum arietes, excepta venatione ceruorum. Etiam istud dabatur sibi quotidie, cerui autem, qui veniebant de venatione non erant de ordinarijs cibis regis, & tamen quasi communiter veniebant, quia terra illa est multorum ceruorum.

Terra promissionis est multorum ceruorum.

Et capram atque bubalorum. Id est, etiam ducebantur capreæ de venatione & bubali: sunt enim capreæ animalia vel ociora cruis, quæ super montium cacumina, & petrosa loca velociter currunt, & aliquando de summis silicibus se iacientes super cornua illæsas se recipiunt: vt ait Isidorus Etymol. lib. 12. & istæ vocantur alio nomine ibices, de quibus supra 1. libro capit. 24. & Iob 39. bubali autem sunt quædam animalia ad modum boum, sed syluestria sunt, & capiuntur aliquando venatione, & aliquando domesticantur, & fiunt de eis armenta, sicut de bobus, & equis.

D

Et auium altilium. Id est, etiam dabantur Salomoni quotidie aues, quæ alebantur, id est, studiosè nutriebantur, vt impinguarentur. Dicuntur autem altilia non, vt aliqui putant pro gallis castratis, sed quæcunque auis quæ studiosè alitur, vt impinguescat altilis appellatur, & de his dabantur multæ Salomoni.

Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erant trans flumen. Vocatur hic flumen excellenter ipse Euphrates, qui transit per terminum terræ Chanaan, scil. per latus Septentrionale, sic patet Deut. 11. scil. omnis locus, quem calcauerit pes vester, vester erit, à deserto, & Libano, & flumine magno Euphrate. Idem patet Gen. 15. & accipitur hic latus Septentrionale terræ Chanaan versus Meridiem. *A Taphsa vsque Gazam.* Ista duo loca ponuntur extrema in regno Salomonis, scil. Taphsa, & Gaza. Taphsa quidẽ in latere Septentrionali, & Gaza in latere meridiano: nam Gaza est vna de quinq; metropolitibus Philisthinorũ. Hebræi quidã dicunt, quòd ista sunt duo loca in extremitatibus oppositis mundi posita, & hoc volunt, vt dicant Salomonem fuisse dominum totius mundi, vt compleatur secundum ipsos, id quod habetur Psal. 72. scil. & dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarum. Et putant, quòd aliter non possit illud impleri, nisi dicant Salomonem fuisse dominũ totius mundi. Sed ista magna insania est, nam constat multos reges fuisse apud terram Chanaan tempore Salomonis, qui non erant subiecti ei, sic patet de Hiram rege Tyri, qui erat amicus eius. Patet etiã de regina Saba, quæ venit ad Salomonem, nam non erat subiecta ei. Patet etiam, quia Salomon non acquisiuit aliquam terram, nisi quam reliquit ei Dauid pater suus: & tamẽ Dauid non dominabatur toti orbi, sed solum terræ Chanaan, & fecerat sibi tributarias quasdam gentes in circuitu, scil. Idumæos, Ammonitas, Moabitas, & Syros, vt patet præced. lib. cap. 8. quòd autẽ Salomon nullam terram acquisierit, patet quia nunquam fuerunt in diebus eius bella.

E

Salomõ nõ fuit dominus nisi terræ Chanaan.

Item errant Iudæi, qui putant ex illo Psal. 72. colligi Salomonem esse dominum totius mundi, quia solum colligitur ibi fuisse dominũ terræ Chanaan. Quod patet quia dicitur, & dominabitur à mari vsq; ad mare, id est, à mari Mediterraneo in parte Occidentali prope Tyrum, & Sidonem, & nõ longe à Ierusalem vsque ad mare rubrum, quòd est in parte Orientali terræ Chanaan. Et dicitur à flumine vsque ad terminos orbis terrarũ, id est, à flumine Euphrate vsque ad deserta Arabica. Nam flumẽ accipitur ibi excellenter, sicut dictum fuit hic in litera pro Euphrate: terminus autem orbis terrarum vocatur solitudo arabica, quæ est ex latere Meridiano terræ Chanaan, & vocatur terminus orbis terræ, id est, terræ habitatę, nam inter terrã Chanaan, & Ægyptum sunt magnæ solitudines Arabicę, & sic in latere Meridiano terræ Chanaan videtur terra finiri. Iste modus loquendi habetur Exod. 23. vbi Deus posuit terminos terræ Chanaan, cum dicitur: Ponam autem terminos tuos à mari rubro vsq; ad mare Palæsthinorum, & à deserto vsque ad fluuium, ponuntur ibi duo maria, tanquã terminus Orientalis, & Occidentalis, sicut dicebatur in Psalm. dominabitur à mari vsque ad mare, scil. à mari rubro, vsq; ad mare Palæsthinorum. Et ponitur hic fluuius, & desertum, scil. fluuius Euphrates à Septentrione, & desertum à Meridie, sicut in Psal. dicitur à flumine vsque ad terminos orbis terrarum, id est, ab Euphrate vsq; ad desertum Arabicum. Et sic Iudæi sunt insipientes putantes Salomonem dominatum fuisse toti orbi. *Et cunctos reges illarum regionum,* id est, subiecerat sibi Salomõ omnes reges, qui habitant in his regionibus, quæ sunt à Thaphsa vsq; Gazam, quia isti erant reges terræ Chanaan, & non subiecit illos sibi, ita quòd acciperet terram eorum pro se, & vniret terræ suæ, sed solum fecit illos sibi tributarios, sic patet, infra 9. & 2. Paralipom. 8. scilicet, vniuersum populum, qui remanserat de

Quomodo intelligitur est dominabitur à mari vsque ad mare.

F

A Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebuſęis, qui non ſunt de filijs Iſrael, quos non potuerant filij Iſrael exterminare, fecit Salomon tributarios. *Et habebat pacem ex omni parte in circuitu.* Id eſt, nullus erat, qui moueret bellum contra eum, quia omnes reges, qui erant in circuitu erant tributarij, iſtud fuit incentiuum ad hoc, quòd Salomon ædificaret templũ, ſcil. quia habebat pacem magnam ex omni parte. Dauid autem voluit ædificare templum, quia tamen erat ſemper vir bellator, non potuit, ſic patet ſequent. cap. cum dixit Salomon ad Hiram regem Tyri, ſcil. tu ſcis voluntatem Dauid patris mei, & quòd non potuerit ædificare domum nomini domini propter bella imminentia per circuitum, nunc autem requiem dedit mihi dominus per circuitum, quam ob rem cogito ædificare templum nomini Domini. Fuit autem tota vita Salomonis ſine bello vſque ad ſenectutem, quando Salomon nimis peccauerat, & Deus dedit ei quendam aduerſarium de Idumæa infra 11. *Habitabatque Iuda, & Iſrael abſque vllo timore.* Scilicet, quia nullus erat tunc hoſtis inſurgens, & impetum faciens contra Iſrael. Hoc enim Deus prædixerat Dauid præced. lib. cap. 7. ſcil. & ponam locum populo meo, & plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius, nec addent filij iniquitatis, vt affligant eum, ſicut prius ex die, qua conſtitui iudices ſuper Iſrael. In Hebræo habetur. *Iuda & Iſrael habitabant confidenter.* Sed idem eſt, quia ille dicitur confidens, qui nihil timet ſibi aduerſum. *Vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu.* Id eſt, cum nullum timerent morabantur in vineis, & ficetis gaudentes, & epulantes.

B Dicitur autem ſub vite, quia in terrã Chanaan vites ſunt eleuatæ à terra, ita vt ſub illis ſit locus cõueniens ad manendum, & ibi ad vmbram gaudebant Iſraelitæ & epulabantur. *A Dan vſque Berſabee.* Id eſt, iſtud erat in tota terra, quæ continetur in Dan, & Berſabee. Eſt autẽ Dan ciuitas quædã in extremitate Aquilonari terræ Iſrael, & Berſabee eſt in extremitate meridiana, & inter iſtas cõprehenditur longitudo terræ Iſrael, ideo ſæpiſſime cum ſcriptura ponit terminos terræ Iſrael nominat iſta duo loca, ſic patet ſupra 1. lib. cap. 3. & præced. lib. c. 17. & 24. & in multis locis. Eſt autem Dan ciuitas in tribu Dan apud quam naſcitur Iordanis, & vocabatur tempore Chriſti Cæſarea Philippi, de Matt. 16. vocabatur autem Lais, vel Leſen antequam caperent eam Iſraelitæ. Ioſue 19. & Iud. 18. de modo autem captionis eius patet Iud. 18.

Dan ciuitas.

Cunctis diebus Salomonis. Scilicet, quia in dieb⁹ eius fuit pax, & ob hoc ipſe vocatus eſt Salomon, id eſt, pacificus, vt patet 1. Paral. 22. & dicitur omnibus diebus vitæ Salomonis, nam tempore ſucceſſorum ſuorum non fuit hoc, ſed erant bella multa, etiam non durauit hoc omnibus diebus Salomonis, quia ante ſenectutem ſuam ſuſcitauit ei dominus aduerſariũ qui inquietabat terram eius infra 11. cap. *Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium.* Id eſt, habebat Salomon quadraginta millia equorum, & pro illis habebat quadraginta millia præſepia, & iſti equi erant pro curribus, ideo vocantur equi curriles. Habebat etiam duodecim millia equorum equeſtrium, id eſt, ad equitandum in eis. Pro quo ſciendum, quòd currus erat apparatus bellicus, qui apud antiquos viguit, & erat conueniens pro terra plana. habebat autẽ currus ille in rotis enſes curuatos ad arripiendum, & lacerandum quicquid ſibi obuium eſſet, ideo vocabantur iſti currus falcati, id eſt, habentes falces. ſcil. gladios curuatos ad modũ falcis. habebat etiam quilibet currus iſtorum quatuor equos. & de iſtis curribus habebat Salomon multos, equites autem habebat ſolum duodecim millia.

C *Vſus equorũ tempore Salomonis.*

Quomodo dicitur hic, quòd Salomon habebat quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium, quia inf. 10. videtur dici contrarium.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR quomodo dicitur hic, quòd habebat Salomon 40. millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium, quia infra 10. capi. dicitur, quòd habuit Salomon mille, & quadringentos currus, & duodecim millia equitum.

Reſpondendum, quòd de curribus, & equis Salomonis ponitur ſumma in quatuor locis, ſcil. hic, & infra 10. & 2. Paralipo. 1. & 9. & duo loca inter ſe concordant, & alia duo inter ſe, & duo diſcordant à duobus. Nam hic, & 2. Paralip. 9. ponuntur quadraginta millia equorum currilium, & inf. 10. & 2. Paralip. 1. dicitur quòd habebat Salomon mille quadringentos currus, & duodecim millia equitum, vnde non eſt hic diſcordia inter equites, ſed ſolum de equis currilibus, quia vbique ponuntur duodecim millia equitum, ſed variantur equi curriles. Reſpondendum, quod non eſt aliqua varietas, quia hic dicitur, quòd habebat quadraginta millia præſepia equorum currilium, & infra 10. dicitur, quòd habebat currus mille quadringentos, iſta autem non repugnant.

D Forte aliquis dicet, quòd Salomon habebat quadraginta millia equorum, & exprimitur hic ſumma maior, & infra 10. exprimitur ſumma minor. Sed iſtud non ſtat, quia ſicut hic, & infra 10. eſt varietas in ſumma, ita 2. Paral. 1. & 9. ponitur ſimilis varietas, non tamen repeteretur ibi, niſi importaret aliquod myſterium. Item non ſtat, quia infra 10. videtur poni tota ſumma ſicut hic: nam ibi dicitur, congregauitq; Salomon currus, & equites, & facti ſunt ei mille quadringenti currus. Et ſic videtur, quòd congregatis omnibus equis ſuis ſolum habebat mille quadringentos currus, & tamẽ iſti currus continent ſolum quinq; millia, & ſexcentos equos, eo quòd quilibet currus continet quatuor equos.

E Aliquis reſpondebit aliter, ſcil. quòd Salomon habebat quadraginta millia præſepia equorum curriliũ, & tamen nõ habebat quadraginta millia equorum. ſed ſolum quadraginta millia preſepiorum, eſſent autem equi ſui pro curribus ſolum quinq; millia & ſexcenti pro mille, & quadringẽtis curribus, ſed iſta ſolutio eſt irriſoria: quomodo enim Salomon haberet quadraginta millia præſepiorum equorum curriliũ, ſi ſolum habebat quinq; millia & ſexcentos equos curriles? Sed dicitur, quòd forte Salomon intendebat emere 40. millia equorũ currilium de Ægypto, & Choa ſicut emebat infra 10. & propter hoc conſtituerat 40. millia præſepiorũ. poſtea tamen ſolum habuit quinq; millia, & ſexcentos equos quia complerent mille, & quadringentos currus. Sed iſtud non ſtat, quia tunc cum habere præſepia, & non habere equos non pertinet ad gloriam, & magnitudinẽ diuitiarum, non enarraret ſcriptura pro gloria Salomonis, q̃ habebat quadraginta millia præſepia equorum currilium. Item iſta contentio ablata eſt, quia 2. Paral. 9. dicitur, quòd habebat Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis. Aliter ergo dicendum eſt, ſcil. quòd Salomon habebat quadraginta millia equorum pro curribus, & tamẽ ſolum habebat currus mille quadringentos; vt dicitur infra 10. & tamẽ iſti equi poterant complere decem millia curruum, ſed non dicebatur habere Salomon decem millia curruum, & hoc forte propter duo. Primum erat, quia licet ſufficerent iſti equi pro decem millibus curribus, vt tamen mutarentur ad labores curruum habebat quadraginta millia equorum, pro mille quadringentis curribus. Secundum erat, quia forte Salomon non poterat habere currus, ita faciliter ſicut equos, nam non fiebant currus in terra Iſrael, ſed in Ægypto, & in Choa, & de alijs gentibus infra 10. ideo licet emiſſet quadraginta millia equorũ pro curribus, nõ habuit, niſi mille & quadringentos currus.

F Sed obijcietur, quia 2. Paral. 9. vbi litera noſtra dicit, quòd habuit Salomon quadraginta millia equorum in ſtabulis, dicit litera Hebraica, quòd habuit quatuor millia ſtabula equorum. Ad hoc Reſpondet Nicolaus, quòd rex ſolum habebat quatuor millia equorũ pro curribus, & reliqua triginta ſex millia equorum non erant ſua, ſed virorum de regno ſuo, dicuntur tamẽ eſſe Salomonis eo modo, quo omnia bona ſubditorum dicuntur eſſe regis ad vſum tempore neceſſitatis. Sed iſta ſolutio non ſtat. Primo quia Salomon habebat mille quadringentos currus infra 10. & tamen pro his neceſſarij ſunt ad minus quinque millia & ſexcenti equi. Nec valet ſi aliquis dicat, quòd non erant omnes illi currus Salomonis, ſicut dicit Nicolaus de 40, millibus equorum. nam infra 10. dicitur, quòd Salomon emebat quemlibet illorum equorũ centum & 50. ſiclis, ideo ſui erant. Secundo non ſtat, quia iſtud ponitur ad notandas diuitias Salomonis magnas ſuper omnes reges, ſi tamen iſta quadraginta millia equorum non eſſent ſua, ſed ſeruorum ſuorum, nõ ſignarentur in hoc magnæ diuitiæ eius. Dicendum ergo quòd Salomon habebat

quadra-

quadraginta millia præſepia equorum currilium, vt dicitur hic in litera noſtra, & in Hebræ. quòd autem 2. Paralipo. 9. dicatur ſecundum literam Hebraicam, quòd erant quatuor millia ſtabula equorum, poteſt accipi ſtabulum diuerſimode. Vno modo pro ſtabulo, in quo ſunt multa præſepia, vel pro præſepe, in quo ſunt multi equi. Alio modo poteſt accipi ſtabulum, vel præſepe pro loco, in quo eſt vnus equus, & ſic in eodem ſtabulo poteſt eſſe præſepe longum, in quo ſint decẽ præſepia equorũ, & erant diſtincta illa loca inter ſe ita quòd vnus equus non poſſet accedere ad alium, & ſic in vna domo manerent decem equi, & ſic poterat dici, quòd erant quadraginta millia præſepia pro quadraginta millibus equis, vel quòd erant quatuor millia præſepia, aut ſtabula pro quadraginta millibus equis ſecundum diuerſam acceptionẽ præſepis, ſcilicet, pro vno equo, vel pro decem, vt dictum eſt.

Nutriebantque eos ſupradicti regis præfecti. Scilicet, illi duodecim præfecti ſuprapoſiti nutriebant eos in diuerſis vrbibus, nam ſecundo Paralipo. 1. & 9. dicitur, quòd nutriebantur in ciuitatibus quadrigarum, id eſt, in ciuitatibus aſſignatis pro curribus & equis.

Sed & neceſſaria menſæ regis Salomonis cum ingenti cura præbebant. Omnis cibus Salomonis, qui ſuprapoſitus fuit erat pro familia Salomonis, quæ erat magna nimis, ſed ſpecialiter pro menſa regis Salomonis prouidebatur, & iſtud cum magna ſolicitudine, & diligentia. *In tempore ſuo.* Id eſt, quilibet iſtorum duodecim præfectorum prouidebant menſæ Salomonis in tempore ſuo, id eſt, in menſe ſuo, quia per ſingulos anni menſes ſeruiebant, vt patet ſupra.

Hordeum quoq;, & paleas equorum. Id eſt, iſti præfecti dabant hordeum, & paleas pro equis, tã pro equis currilibus, quam equeſtribus.

Et iumentorum. Iſta erant iumenta, ſcilicet muli, aſini, & cameli, & alia genera ad ferendum onera, & alia miniſteria faciendum.

Deferebant in locum vbi erat rex. Scilicet, quilibet illorum præfectorũ tempore ſuo ferebat paleas, & hordeũ pro equis, & iumentis in locum, vbi erat rex. Pro quo ſciendum, quòd equi, de quibus dictum eſt, nutriebantur in diuerſis locis, ſcilicet in vrbibus quadrigarum. 2. Paralip. 1. & 9. & iſti erant diſtincti per præfectos, & quilibet habebat curam de aſſignatis ſibi, & tamen de equis iſtis, tam currilibus quam equeſtribus erant multi ſemper in curia Salomonis, & de iſtis habebant curã viciſſim præpoſiti ferendo eis paleas, & hordeum in locum, in quo erat rex. Hoc colligitur 2. Paralipo. 9. ſcil. Habuit Salomon 40. millia equorum in ſtabulis, conſtituitque eos in vrbibus quadrigarũ, & vbi erat rex in Ieruſalem.

Iuxta conſtitutum ſibi. Id eſt, ferebant cibos iſtos, ſecundum quòd rex ordinabat.

Dedit quoque. Hic ponitur Salomonis ſapientia, nam præced. cap. ponitur quomodo conceſſa eſt. Hic autem declaratur quanta fuit, & in quibus rebus. Et dicitur.

Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni. Iſtud ponitur per recapitulationem, quia iam factũ fuerat, ſed ſequitur ſcriptura ordinem artificialem, ſcil. quòd ſicut in præcedentibus in c. iſto declarauit gloriam Salomonis in famulis, & ſubiectis, & expenſis, ita hic declarat eius gloriam in ſapientia, & eis, quæ ad ſapientiam pertinent.

Et prudentiam multam nimis. Sapientia dicitur eſſe quantũ ad ſpeculabilia, vt in conſideratione naturalium, & mathematicorum, & omnium artium. Prudentia autẽ pertinet ad agibilia, ſcil. ad dirigendum populum in iudicijs, & ad regulandum omnem modum actionis. In vtroq; autem pollebat Salomon, ſed magis in prudentia, quam in ſapientia, quod colligitur ex litera, quia de ſapientia dicitur ſolum, quòd Deus dedit ſapientiam Salomoni, de prudentia autem dicitur, quòd Deus dedit Salomoni prudentiam multam nimis. Etiam colligitur hoc, quia prudentia erat magis neceſſaria Salomoni quam ſapientia, & iſtam ſolam videbatur ipſe petere præceden. c. *Et latitudinem cordis.* Dicuntur habere cordis latitudinem, qui ad multa ſe extendunt, tam in expendendo, quam in agendo, cor autem ſtrictum habent, qui ſe ad pauca extendunt. Salomon autem habebat latitudinem cordis, quia ſicut habebat diuitias multas, ita habebat magnum cor ad expendendũ illas, quia non erat auarus, quòd patet in expenſis magnis, quæ faciebat, vt habetur ſupra, pa-

Cor latum & ſtrictũ qui dicuntur habere

tes etiam in donis, quæ donabat, ſicut fuit quando venit ad eum regina Saba, infra 10, & iſta latitudo cordis data fuerat Salomoni à Deo ſpecialiter, ſicut ſapientia, & prudentia, & alia dona. *Quaſi arenam, quæ eſt in littore maris.* Id eſt, iſta latitudo cordis & ſapientia, & prudentia erat multa, ſicut arena, quæ eſt in littore maris. Iſta comparatio eſt æquiuoca, ſicut cum dicimus ſtylus eſt acutior voce, vt ait Ariſtot. 2. Ethic. nam non eſt eadem multitudo ſapientiæ & arenæ, quia ſecundum aliud, & aliud accipitur multitudo in vtroque.

Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium orientalium. In hoc laudatur ſapientia Salomonis, ſcil. quòd erat maior, quam ſapientia omniũ hominum, & ponitur de orientalibus, id eſt, de Indianis, quia illi valde viguerunt in Aſtrologia. *Et Ægyptiorum.* Iſti erant ſapientes in Aſtrologia, & in omnibus Mathematicis. De Aſtrologia patet, nam Ptolemæus Aſtrologorum princeps fuit de Alexandria, quæ eſt pars Ægypti inferioris. Etiam erant periti in Geometria nam in Ægypto dicitur reperta Geometria propter alluuiones, & confuſiones poſſeſſionum, quas faciebat nilus, ibi etiam fuit Euclides Geometrarum princeps. *Et erat ſapientior cunctis hominibus.* Iſtud enim non probat Salomonẽ ſapientiorem fuiſſe omnibus præteritis hominibus, & futuris, ſed intelligitur ſolum de coętaneis Salomonis, præced. tamen cap. probatur eum fuiſſe ſapientiorem præcedentibus & futuris, eo quod dicitur, quòd ante eum non fuerit aliquis ſimilis ei, nec ſurrecturus eſſet poſt eum.

Ethan quid.

Et erat ſapientior Ethan Ezrahita. Dicendo, quòd erat ſapientior omnibus hominibus intelligebatur, quòd erat ſapientior Ethan, & alijs, qui ponuntur hic, quia tamen iſti erant ſpeciales viri, nominantur hic: & dicitur, quòd Salomon erat ſapientior eis. iſte Ethan erat Leuita tempore Dauid, & erat ſapiens valde, fecitq; aliquos Pſalmos: vnde Pſal. ille 88. qui incipit miſericordias domini, fuit ab eo factus, quod apparet ex titulo eius, ſcil. intellectus Ethan, & vocatur Ezrahita ab aliqua villa, de qua erat.

Et Heman, & Chalcal, & Dorda. Iſti tres etiam erant ſapientes valde, & erant fratres, ſcil. filij Mahol, vt patet in litera, erant autem omnes iſti Leuitæ, & doctores cantorum, vt patet 1. Paralipom. 25.

Filijs Mahol. Id eſt, iſti quatuor erant fratres, & erant filij Mahol, qui etiam erat Leuita.

Hebræi autem dicunt intelligi per iſtos alios viros, quibus fuit ſapientior Salomõ, & ibi dicimus, quòd fuit ſapientior omni homine, dicunt, quòd fuit ſapientior ipſo Adam, quia Adam in Hebræo ſignificat hominem. Dicunt etiam, quòd fuit ſapientior quã Abraham, & illum intelligunt per Ethan, & ſapientior Moyſe, & illum intelligunt per Heman, & ſapientior Ioſeph, & illum intelligunt per Chalcal, & ſapientior quam Iſraelitæ, qui fuerant in deſerto, & iſtos intelligunt per Dorda, quos dicunt filios Mahol, id eſt, remiſſionis, quia remiſſa fuerunt eis peccata fabricationis vituli.

Sed iſtud non ſtat, quia iſti erant 4. viri filij eiuſdẽ patris, ſcil. Mahol, & non conuenit hoc ſi intelligatur Abraham Moyſes, & Ioſeph, & generatio deſerti, quia non erant omnes iſti filij Mahol. Item ſi accipiatur ſecundum Metaphoram, vt Iudæi volunt non conuenit, quia non erant omnes iſti filij remiſſionis, cum non remiſſa fuerint omnibus eis peccata vituli, cum Abraham, & Moyſes, & Ioſeph non peccauerint in vitulo. Item patet, quòd non accipiatur pro illis, ſed pro quatuor Leuitis ſapientibus, qui erant tempore Dauid, & Salomonis, de quibus patet 1. Parali. 15. & 16. & 25.

Et erat nominatus in vniuerſis gentibus per circuitum. Scilicet, quia ſapientia Salomonis erat valde magna, & erat fama eius per omnes gentes, & maximè per eas, quæ erant in circuitu.

Locutusque eſt Salomon tria millia parabolas. Parabola dicitur eſſe propoſitio quædam vniuerſalis pertinens ad mores regulandos, & eſt quaſi certiſſima regula in moribus. Et vocantur iſta prouerbia, id eſt, procul à verbo, ſcil. quia multũ differũt in vtilitate, & veritate à verbis vulgaribus, quotidianis.

Et fuerunt carmina eius quinque millia. Id eſt, fecit Salomon quinque millia carminum. In hoc oſtenditur duplex Salomonis ſcientia, ſcilicet, moralis philoſophia, quantum ad parabolas, & rhetorica, vel ars poetica quantum ad carmina.

Quæ fuerunt parabolæ Salomo. & carmina eius, & quare non fuerunt scripta.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR de istis parabolis Salomonis, & carminibus, quæ sint & vbi.

Respondent aliqui, quòd fuerunt parabolæ, quæ habẽtur in libro Prouerbiorũ, & carmina quæ habentur in libro, qui dicitur Cantica canticorum.

Sed istud non stat. De Parabolis patet, quia hic dicitur, quòd fecit tria millia parabolarum, & tamen in libro Prouerbiorum nõ sunt saltem tot versus, quia solum sunt nongenti, & quindecim. Item dato, quòd essent ibi tria millia versuum, adhuc non essent ibi tria millia parabolarum, quia non continet quilibet versus vnam parabolam, cum faciat quilibet perfectam sententiam. Item de canticis canticorum non stat ex eadem ratione, quia non sunt ibi quinque millia versuum immo nec trecenti versus, etiam quia quilibet illorum non continet vnum carmen.

Hebræi dicunt, quòd parabolæ Salomonis sunt illæ quæ habentur in libro Prouerbiorum, & tamen vocantur tria millia, quia super quemlibet versum illarum ad exponendũ requiruntur tria millia parabolarum, & ad exponendum quamlibet parabolam requiruntur carmina quinque millia, & sic sunt pro quolibet versu parabolarum exponendo necessaria carmina multa, scilicet, quindecies millies millia carminum, sed ista abusio est.

Ideo potest dici aliter, quòd Salomon dixit quindecim millia parabolarum, & de illis sunt illæ, quæ scribuntur in libro Prouerbiorum Salomonis, tamen paucæ parabolæ fuerunt ibi scriptæ, eo quòd Salomon non scribebat aliquas parabolas, vel carmina eorum, quæ dicebat, sed alij audientes scibebant, & in talibus recollectionibus solent frequenter multa omitti, & sic factum est hic de carminibus: idem dicunt, quòd sit in Canticis canticorum, & tamen ibi solum ponuntur quędam carmina Salomonis, & reliqua isto modo omissa sint, & istam solutionem tangit Nicolaus.

Sed non multum approbo eam, & hoc propter duo. Primo, quia si aliquis scripsisset carmina Salomonis audiendo ab illo, licet aliquid omisisset, tamen non est verisimile, quòd tantum omitteret, nam in canticis canticorum non est vigesima pars, aut saltem trigesima carminum Salomonis cum illa sint quinque millia, vt dicitur hic, & tamen in Canticis canticorum, non poterunt reperiri saltem centum carmina distincta per sententias: idem argumentum est de parabolis.

Secunda ratio est, quia si aliquis incompletè transcripsisset carmina Salomonis in Canticis canticorum, & parabolas eius in libro Prouerbiorum, sacra Scriptura non curasset de his, quia in illa solum ponuntur ea, quæ perfecta & limata valde sunt.

Tertio ratio potest addi, quia dato quòd aliquis scripsisset valde imperfectè carmina Salomonis, & parabolas, cum postea Esdras repararet vtraque perfectè scriberet, quia ipse non transtulit scripturam Sacram per aliqua originalia, cum combusti essent omnes libri à Chaldæis, sed ipse Spiritu Sancto dictante scripsit omnes libros de nouo, & tamen ipse non posuit in parabolis vltra id, quod nunc habetur. ergo videtur, quòd nõ fuerant plures parabolæ in illo libro: idem de Canticis dicendum est. Videtur igitur nunc dicendum, quòd Salomon fecit istum librum Prouerbiorum, & librum Canticorum, sicut etiam librum Ecclesiasten, & nihil in eis plus posuit quam nunc habeatur, ideo Esdras plura non transtulit. De quinque millibus autem carminum & tribus millibus parabolarũ dicendum, quòd erant alij libri magni plusquam isti, qui nunc habentur, & tamen illi non fuerunt transcripti per Esdram, quando reparauit legem, multa enim alia omisit, sic patet de omnibus disputationibus Salomonis, quas fecit differendo à cedro, vsque ad hyssopum de omnibus lignis, auibus, & animalibus. De his tamen nulla pars transcripta est. Sic etiam fuit de quibusdam alijs libris Historicis, quos fecerunt prophetæ de historijs temporum describendo acta Iudæorum, & aliarum gentium, vt patet 1. Paralipo. vlt. vbi dicitur de libro Nathan, & Gad, vbi scripta fuerunt opera Dauid, & omnia, quæ transierunt eo regnante, siue in Israel, siue in alijs gentibus, nihil autem istorum Spiritus sanctus voluit transcribi, & poni in Canone sacræ scripturæ, quia ea quæ sunt in Canone debent esse magnæ auctoritatis, & debent esse principaliter ad instructionẽ morum, quia vt ait Apostolus 2. ad Tim. cap. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei ad omne opus instructus, ista tamẽ historica, quæ scripsit Gad de gestis temporum sub Dauid in omnibus alijs gentibus erant purè historica, & forte non multũ pertinebant ad instructionem, ideo nõ fuerunt transcripta. Si autem obijciatur, quòd in sacra Scriptura describuntur historiæ, vt patet in libris Regum, Iudicum, & Iosue, & in multis alijs. Dicendum, quòd illæ historiæ scriptæ fuerunt eo, quòd in eis apparebant manifesta opera Dei, scil. quomodo Deus miraculosè adiuuabit quosdam, & destruebat alios, & interserunt multa moralia, vt patet in quolibet libro Historico sacræ Scripturæ. In historijs autem gentium non apparebant mirabilia Dei, quia nihil pro illis speciale faciebat, cum non essent pro tunc populus suus, ideo quanquam multa gesta magnifica reperiantur in historijs gentium, nullum tamen miraculum in eis est. Ideo quanquam multæ pulchræ historiæ reperiantur inter gentiles nullã earum decuit poni in sacra Scriptura.

Sed aliquis dicet, quòd alia est causa potissima, scil. quòd historiæ gentium non sunt omnino veræ, sed licet multa vera sint, plurima falsa interponuntur, vel ad adulatoriam laudem, vel ex ignorantia scriptorum, qui non omnia vere considerare potuerunt, in Canone tamen sacro nihil poni debet, nisi quod verissimum est. Dicendum, quòd ista non fuit causa potissima, quia prophetæ poterant emendare historias gentium, vt nihil falsum in eis relinqueretur, & sic ponerentur istę historiæ in Canone: & tamen adhuc non stat, quia Gad propheta scripsit historias gentium, vt patet 1. Paralip. vlt. & illæ essent veræ, eo quòd erant scriptæ à propheta, & tamen non fuerunt transcriptæ ab Esdra, tanquam non conuenientes Canoni sacræ Scripturæ.

Aliquis dicet, quòd Gad propheta non scribebat ibi tanquam propheta, sed tanquam historiographus, & tunc poterat errare, & sic non debebat poni in Canone scriptura sua.

Respondendum, quòd non stat, quia historia gentium facta à Gad propheta erat ita verissima, sicut sacra Scriptura, quòd patet, quia sacra Scriptura allegat illam & remittit ad eam per modum probationis. 1. Parali. vlt. ergo erat verissima, & tamen non fuit posita in Canone. ergo ad hoc, quòd aliqua historia, vel quæcunque scriptura ponatur in Canone plus requiritur, quam quòd sit veritas certissima, & quòd de illa non dubitetur, hoc autem est, quòd scriptura illa sit vtilis ad mores & manifestationem Dei, & quia historia gentiũ descripta à Gad propheta forte non continebat morales instructiones, & non manifestat magnitudinem Dei non fuit in sacra Scriptura transcripta. De Parabolis autem, & carminibus Salomonis forte sic erat, quòd magis erant curiosa, & ostentantia magnitudinem ingenij, quam vtilia, & maximè carmina, ideo non fuerunt transcripta in Canone scripturæ. idem est de disputationibus Salomonis de arboribus, volucribus, piscibus, & iumentis, quia non fuerunt transcriptæ in Canone, eo quòd ista purè pertinebant ad Philosophiam naturalem, quæ directè ad mores non prodest. Vnde non conuenit ei, quòd dicit Apostolus secunda ad Timot. tertio, scilicet. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, & corripiendum, ad erudiendum, in iustitia: ideo non debuerunt poni istæ disputationes naturales in Canone scripturæ, quia potius philosophia obest quibusdam ad fallendum eos in fide, quam proficiat ad directionem fidei, & operationis, sic patet ad Colossen. secundo. scilicet, Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. De libris ergo Salomonis solum transcripti fuerunt tres, scilicet, parabolæ. Cantica canticorum, & Ecclesiastes, eo quòd ista moralem instructionem continebant.

Quare multi libri Salomo. nõ fuerũt reparati per Esdrã.

Qui libri Sacræ scripturæ desiciunt.

A

Et disputauit super lignis. Id est, fecit libros, in quibus descripsit naturas arborum, tam fructiferorum, quã non fructiferorum, & dicitur disputauit, id est, modo disputatiuo processit, scilicet, probando, & improbando opiniones aliorum, & cõfirmando veritatẽ necessarijs argumentis, & in hoc differebant libri isti à libris sacræ Scripturæ: qui nõ procedunt probando, & improbando modo doctrinali, sed modo simplici, & narratiuo.

A cedro, quæ est in Libano. Id est, tractando de lignis incepit à cedro, quia cedrus est arbor excellentissima valde accedens ad naturã imputribilitatis. Et dicitur in Libano, quia in raris locis nascebantur in terra Chanaan, nisi in Libano.

Vsque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete. Hyssopus est herba cæteris minor in perfectione, & ob hoc dicitur quæ egreditur de pariete, id est, ita vilis est, quòd in quocunq; loco nasci potest, etiã in pariete etiã sine aliqua cura humana.

Hyssopus quæ herba an sit illa quæ vocatur origano vel esparto.

Hebræi autem dicunt istam esse, quæ vulgariter vocatur origano. Sed istud falsum est, quia ista herba ponitur hic, tanquã imperfectissima, & tamẽ herba vocata origano non est imperfectissima inter herbas, quia ad multa prodest. Itẽ quia dicitur hic, qui egreditur de pariete, & tamen herba vocata origano, non nascitur de pariete, ideo dicendũ, quòd accipitur pro alia herba viliori, quæ vocatur esparto, de qua herba extenta, & contusa in modum filorum fiunt restes.

B

Dicitur hic de cedro vsq; ad hyssopum, quòd dupliciter potest intelligi. Vno modo quòd processus fuerit iste, scil. ꝙ incepit ab optimo arbore, quæ erat cedrus, & finiuit in herba minimę perfectionis, & ista est hyssopus. Secundo modo, quòd Salomon non tenuerit istũ processum, sed est sensus, ꝙ nullã de arboribus, nec de herbis dimiserit. Quod patet per duas extremitates maximè distantes, scil. per excellentissimã arborem, & infimã herbam. *Et disseruit de iumentis, & volucribus & reptilibus, & piscibus.* Id est, scripsit libros de naturis istarum rerũ. Iumenta vocantur omnia animalia quadrupedia non habentia alas, volucres autẽ vocantur omnia quæcunq; alas habent, reptilia dicuntur omnia nõ habentia pedes, quæ super pectora gradiuntur, & in hoc comprehenduntur omnia genera serpentũ, & venenatorũ, quia dato quòd aliqua istorum pedes habeant, tamen pro maiori parte corporis repunt & ob hoc reptilia dicuntur. Pisces vocãtur quicunq; in aquis viuunt, quanquã à nobis nõ omnia pisces appellentur.

Sciendum autẽ, quòd Salomon de istis scripserit latissimè, eo quòd philosophi qui apud nos scribunt cognouerunt conditiones rerum naturaliũ per experientias, multa tamen animalia sunt, & herbę, & ligna, quę nunquã in vsum nostrũ veniunt, & de his, quæ in vsum veniunt pauciſſimas habemus experientias, & in ipsis in quibus experimur interdum est experimentũ fallax. Salomon autẽ cognouit ista per solã infusionem à Deo, ideo æquè plenè, & certissimè scribere

C

Quare Deus voluit, quòd libri scripti à Salomone de naturalibus nobis occultentur

poterat de rebus ignotissimis, sicut de rebus maximè vulgatis. Essent ergo libri isti vtilissimi, quia non oportebat nos dubitare de eis, quæ ibi scribebantur, ideo forte Deus voluit tantã lucem nobis indignis occultari, vt per mẽdicata suffragia vix per multos annos magnis cum laboribus pauculas veritates naturales de ipsis particularibus inueniamus.

Et veniebant de cunctis populis ad audiendum sapientiam Salomonis. Scilicet fama sua vulgata erat per totũ orbem, quia non poterat abscondi lucerna super candelabrum posita. Et dicitur de cunctis populis, scil. de propinquis, vel de cunctis, id est, de multis, sic dicitur Gen. 41. quòd omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent escas, id est, multæ prouinciæ, quia nõ poterant illuc ire homines de omnibus partibus ęculi. *Et ab vniuersis regibus terræ qui audiebant sapientiam.* Id est, omnes reges terrę mittebant ad Salomonem nuncios, vt per illos acciperent notificationem quorundã dubiorũ & dicitur de omnibus regibus terræ, id est, de propinquis, licet etiam aliqui de remotis valde veniebant ad audiendũ sapientiam Salomonis, sicut fuit de regina Saba, de qua Matth. 12. scil. regina austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, multi autẽ reges mittebant epistolas ad Salomonem, vt per eum certificarentur. sic ait Iosephus Antiquitatum. lib. 8. vbi ponuntur epistolæ multæ Salomonis ad ad Hiram, & Hiram ad Salomonem, de quibus dicetur sequen. cap.

D

CAPVT V.

MIsit quoque Hiram rex Tyri seruos suos ad Salomonem: audiuit enim, quòd ipsum vnxissent regem super Israel pro patre eius, quia amicus fuerat Hiram Dauid omni tempore.

DESCRIPTA in præcedentibus Salomonis gloria in famulis, & subiectis. Hic ponitur gloria eius in ædificijs, & diuiditur in quatuor. Primo ponitur materiæ præparatio. Secundo templi ædificatio sequenti cap. Tertio templi ædificati præparatio, & dedicatio infra octauo. Quarto laborantium, & adiutorum remuneratio, infra 9. cap. Prima in quatuor: primo adiutorium ab Hiram petitur: secundo adiutorium petitum conceditur ibi. *Cum ergo audisset.* Tertio pactum inter Hiram, & Salomonem super lignis præstandis interponitur ibi. *Præbebis necessaria.* Quarto numerus operantium eligitur ibi. *Elegitque rex.*

Gloria Salomonis in ædificijs.

An sit ordo consequens ac immediatus ad præcedentia.

QVÆSTIO I.

E

QVÆRETVR circa primum, an ea quæ habentur hic facta fuerint post præcedentia, & an immediatè, vel magno tempore intercedente.

Respondendum, quòd si comparemus ad ea, quæ dicta sunt præceden. cap. non est ordo conueniens, eo quòd ea, quæ dicta sunt ibi non continebant historiam rerum transeuntium, sed dispositionem domus Salomonis, & gloriam eius in sapientia, ideo quædam de ibi positis pertinebant ad anticipationem, & quædam ad recapitulationem. Si autem comparentur ista ad ea, quæ habentur supra 3. Dicendum, quòd est ordo consequens, quia prius Deus dedit sapientiã Salomoni, quàm inciperet ædificare templum, & mitteret ad Hiram pro eis, quæ habentur infra, quod patet, quia in litera dicitur, quòd Hiram audiens verba Salomonis lætatus est, & ait benedictus dominus hodie, qui dedit Dauid filium sapientissimum super populũ hunc multum, ergo iam sapientiam acceperat.

F

Ad secundum dicendum, quòd ista modico tempore facta sunt post illa, quæ habentur supra tertio capitulo. nam ibi declaratũ est, quòd sapientia data fuerat Salomoni, postquam iam regnasset plusquam tribus annis super Israel, tamẽ principium ædificationis fuit in principio anni quarti regni Salomonis sequent. capitu. ergo non intercedit vnus annus inter sapientiam datam Salomoni, & principium ædificationis, immo videtur quòd immediate, vt Salomon sapientiam acceperit, disposuerit se ad ædificandum templum Domini, quia istud onus sibi incumbebat, cum Dauid dixisset ei, quòd confortaretur, & ædificaret domum domini, vt patet 1. Paralip. 22. & 28. nunc autem cum esset Salomon valde sapiens, vidit se perfectè dispositum ad ædificandum domũ Domini, ideo immediatè incepit.

Misit quoque Hiram Rex Tyri seruos suos ad Salomonem. Scilicet quando audiuit, quòd Salomon erat vnctus in regem pro Dauid misit ad eum nuncios, vt salutarent ipsum ex parte sua, & constituerent amicitias inter eos, sicut erant inter ipsum, & Dauid patrem Salomonis. Sciendum autem, quòd istud fuit antequã acciperet Salomon sapientiã, nam quando audiuit Hiram eum vnctum in regem misit ad eum nuncios suos, & tamẽ certum est, quòd Hiram audiret Salomonem vnctum esse pauco tempore postquam esset vnctus, eo quòd regnũ Hiram in Tyro, & Sidone erat coniunctũ terræ Salomonis, & tamen ædificatio templi fuit in principio anni 4 regni Salomonis sequen. cap. ergo prius misit Hiram istos nuncios ad Salomonem quam acciperet sapientiam, & ædificaret templum, quia vtrunque fuit quasi in principio quarti anni, vt supra declaratum est, fuit tamen positum, ꝙ Hiram misisset nuncios ad Salomonem, quia in hoc ca. agitur, quomodo Salomon acceperit auxilium ab Hiram, & ad hoc signatur amicitia inter illos, per hoc, quòd Hiram miserat nuncios ad Salomonem in principio regni sui.

A

Audiuit enim, quòd ipſum vnxiſſent regem pro patre eius. Id eſt, Hiram audiuerat, quomodo poſt mortem Dauid vnctus fuiſſet Salomon in regem, & hoc fuit paulo poſt vnctionem eius, quia non poterat ipſe multo tempore ignorare, cum eſſet confinis terræ Iſrael.

Quia amicus fuerat Hiram Dauid omni tempore. Id eſt, quia amicitia fuerat ſemper inter Dauid & Hiram, voluit quoque nunc Hiram amicitias componere cum Salomone: erant enim regna eorum finitima, & amicitijs egebant ne in alterutrum ſibi nocerent. Amicitia autem Hiram, & Dauid apparet, quia quando fuit Dauid factus rex ſuper totum Iſrael, Hiram miſit ad eum artifices, & ligna cedrina, ædificaueratq; ei domum in Ieruſalem, vt patet præced. lib. cap. 5. & 1. Paralipom. 14. & ex illo tempore ſemper fuit amicitia inter Dauid, & Hiram.

An licuit Dauid, & Salomoni habere amicitiam cum Hiram.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, an licuit Dauid habere amicitiam ad Hiram, & an licuit Salomoni renouare cũ eo fœdera. Reſpondendum quòd iſta dubitatio eſt vnica, nam ſi licuit Dauid componere amicitias cum Hiram, licuit Salomon renouare illas: ſi autem non licuit Dauid, nec etiam licuit Salomoni. Aliquis dicet, quòd non licuit Dauid componere amicitias, quia Hiram erat de Chananæis, & non licebat Iſraelitis cum eis facere aliqua fœdera, eo quod Deus iuſſerat omnes illos occidi gladio Deut. 20. Item quando Iſraelitæ communicabant cum iſtis gentibus, Deus valde iraſcebatur, & comminabatur eis pœnam inflicturus. Nu. 33. & Iud. 2. ergo peccaret, qui componeret cum eis amicitias. Aliquis reſpondebit ad hoc, quòd Hiram, & populus ſuus non habebant terrã intra terminos terræ Chanaan, & tunc non habebat iuſtum bellum Dauid contra eum, & conſequenter poterat cum eo habere amicitias. iſtud tenet Rab. Dauid Kimhi ſuper librum Iudicum, dicens Sidonẽ eſſe extra terram Chanaan: & tunc manifeſtũ eſt, quòd haberent omnes Iſraelitæ iuſtam cauſam contrahendi amicitias cum Hiram, & populo ſuo. Sed hoc non ſtat, quia Tyrus, & Sidon erant in terra Iſrael, nam ponuntur in ſorte Aſer, vt patet Ioſ. 19. Sed aliquis dicet, quòd ibi ponuntur tanquã termini terræ Chanaan excluſiue, & ſic hic nõ eſſent intra terrã Chananæorũ. Sed dicendũ, q̃ non ſtat, quia in locis illis habitabant Chananæi, vt patet Matt. 15. vbi dicitur, q̃ cum Chriſtus ſeceſſiſſet in partes Tyri, & Sidonis venit ad eum mulier Chananæa de finibus illis egreſſa, ergo erat terra illa de terra Chananæorũ. Item patet, quòd Tyrus, & Sidon ſunt ciuitates in littore maris in parte occidentali terræ Chanaan, & tamen ad partem occidentalem terrę Chanaan Deus non poſuit aliquem terminum, niſi mare, vt patet Num. 34. ſcilicet, plaga occidentalis à mari magno incipiet, & ipſo ſine claudetur. ergo cum Tyrus, & Sidon ponantur termini occidentales ſortis Aſer, neceſſe eſt, quòd ſint intra terram Chanaan, quia aliàs non eſſet mare terminus occidentalis toleraliter terræ Chanaan, ſed aliqua pars terræ, quæ eſſet ante mare, eſſet terminus occidentalis, ſcil. Tyrus, & Sidon. Dicendum ergo eſt, quòd terra Tyriorum, & Sidoniorũ erat intra terram Chananæorum. Aliquis ergo reſpondebit aliter, ſcilicet, quòd licuit Dauid, & Salomoni habere amicitias cum Hiram, quia licet eſſet de terra Chananæorũ, tamen non poterant præualere cõtra ipſum, quòd autẽ eſſet Sidon, & Tyrus intra terrã Chanaan patet hoc Ioſue 13. & Iudic. 3. nam Ioſue 13. ponuntur omnes gentes, quæ relictæ fuerant tempore Ioſue de Chananæis, & non fuerant captæ & in fine illorum dicitur vniuerſique Sidonij, & deinde concluditur: ego ſum qui delebo eos à facie filiorum Iſrael, id eſt, Deus dicit quòd delebit omnes illas gentes, & faciet quòd terræ eorum proueniant Iſraelitis. Idem patet Iud. 3. cum dicitur hæ ſunt gentes quas dereliquit dominus, vt erudiret in eis Iſraelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum. Et ſequitur. Quinque Satrapas Philiſthinorum, omnemq; Chananæum, & Sidonium, ergo apparet, quòd Sidonij erant intra terram Chanaan. Tyrij etiam computatur cum Sidonijs, & ſic terra regis Hiram erat in terra Chananæorum.

B

C

Tyrus & Sidõ erant in terra Iſrael.

Reſponſio autem non ſtat, ſcilicet, quòd Dauid non potuiſſet præualere contra Hiram, quia ſubiecerat ſibi omnes reges Chananæorum in tributarios, & ſic erant tempore Salomonis infra 9. cap. & 2. Paralipo. 8. ergo poterat pugnans præualere contra Hiram, ſed nunquam pugnauit contra ipſum, cum eſſent amiciſſimi.

D

Dicendum ergo videtur, quòd forte Hiram non erat de terra Chananæorum, licet regnũ ſuum eſſet intra terminos terræ Chanaan, eo quòd Ægyptij condiderunt vrbem Sidonem, & Tyrum, vt declaratum eſt ſuper librum Iudicum, & & ſic reges Tyri, & Sidonis fuerunt ſemper de ſtirpe Ægyptiorum, de quibus erat Hiram, ideo poterat Dauid eſſe amicus eius. nam Deut. 23. dicitur nõ abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt, nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. Aliter etiam dici poteſt, quòd illa lex de deſtruendis Chananæis in ore gladij tenuit locum à principio, quando Iſraelitæ non habebant locum ſufficientem in quo habitarent, quia tunc per nullum pactum debebant permittere Chananęos viuere, ſed tenebantur occidere eos gladio, nunc autem Iſraelitæ acceperant terram latiſſimam ſufficientem eis, etiã intelligebatur illa lex, quando Chananæi erant plures, & potentiores Iſraelitis, quia tunc tenebantur Iſraelitæ pugnare contra eos quouſque efficerentur potentiores eis, ita vt non poſſent Chananæi inſurgere contra illos, ſed tempore Dauid erat iam plurima pars Chananæorũ ſubiecta Iſraelitis, ideo licebat terram reliquorum, quæ non erat neceſſaria Iſraelitis ad habitationẽ facere tributariam relinquendo ibi Chananæos, & ſic Dauid ſubiecit ſibi in tributarios omnes Chananæos, quos nõ deleuit, & erant tributarij tempore Salomonis infra nono, & ſecundo Paralipomen. 8. cap. Licuit igitur Dauid relinquere aliquos de Chananæis ſine tributo ex amicitia, ſicut licuit generaliter omnes manentes facere tributarios, & ſic fuit de Hiram rege Tyri, & Sidonis, quòd faceret eum amicum ſuum, eo quòd vir bonus erat, & non exigeret ab eo tributa, ſicut à cæteris Chananæis.

E

Miſit autem, & Salomon & Hiram. Id eſt, etiam Salomon miſit literas ad Hiram, ſicut Hiram miſerat ad eum. Sciendum tamen, quòd non fuit immediatè miſſio Salomonis ad Hiram, ſicut Hiram miſerat ad Salomonem, nam Hiram miſit nuncios ad Salomonem à principio regni ſui: Salomon autem miſit ad Hiram poſtquam accepit ſapientiam, vt ſupra declaratum eſt.

Dicens tuſcis voluntatem Dauid patris mei. ſcilicet, tu ſcis, quòd Dauid volebat ædificare templum domino. Iſtud ponit Salomon, tanquam fundamentum petitionis ſuæ, quia forte Hiram aſcribere iuuenili facilitati, quòd vellet aggredi tantam rem, & forte nollet ei præbere fauorem, ideo dixit tu ſcis voluntatem patris mei, quaſi dicat, non moueor à meipſo ad faciendum templum, ſed pater meus ſemper deſiderauit illud facere, & quia non potuit complere commendauit mihi, quòd ego facerem.

F

Et quia non potuerit ædificare domum nomini domini Dei ſui. Id eſt, quanquam propoſuerit ædificare templum Domino, tamen non potuit ædificare.

Propter bella imminentia per circuitum. Id eſt, ædificare templum eſt aliqua res magna indigens quiete multa, & attentione circa ædificationem: Dauid tamen erat intentus bellis, ideo non poterat vacare huic ædificationi. Et dicuntur bella imminentia per circuitum, quia omnes gentes, quæ erant in circuitu terræ Iſrael mouebant bellum contra Dauid, ſcilicet, aliquando Philiſthini aliquando Idumæi, Moabitæ, Ammonitæ, & Syrij inquietabant Iſrael.

Donec Daret dominus eos ſub veſtigio pedum eius. Id eſt, non habebat quietem, nec locum ædificandi, quouſque ſubijceret ſibi omnes gentes, quæ erant in circuitu, & ſic nullo iam inſurgente contra eum poſſet ædificare templum Domino.

Nunc autem requiem dedit mihi dominus per circuitum. Id eſt, iam non ſunt aliqui hoſtes in circuitu terrę meę, quia omnes ſubiecti ſunt mihi, ideo eſt tempus ædificandi templum domino. Sciendum autem, quòd Salomon non ſubiecerat ſibi aliquas gentes, per quarum ſubiectionem eſſe iam terra quieta, ſed ſolum erant ſubiectæ gentes Salomoni, quas ſubiecerat ſibi Dauid, ſic dixit Salomon, donec daret dominus eos ſub veſtigio pedum eius, & nõ dixit ſub veſtigio pedum

meorum,

meorum, ſubiecit autem ſibi Dauid Syros in tributarios, & Philiſthinos Moabitas, atque Ammonitas, & Idumæos. præceden. lib. cap. 8. & 12. & 1. Paralip. 18. Iſte autem erant omnes gentes, quæ erant in circuitu Iſrael, vt colligitur ex aſſignatione terminorum terræ Iſrael.

Satan quid ſit & quid ſignifi-cet.

Non eſt Satan, nec occurſus malus. Id eſt, nunc non eſt aliquis mihi in Satan, nec eſt aliquis aduerſarius occurrens mihi, ideo poſſum ædificare templum. Satan nō accipitur pro nomine dæmonis, vt aliqui putant, ſed eſt nomen commune apud Hebræos ſignificans aduerſarium, ideo ita dicitur Satan de homine, ſicut de dæmone, ſic patet præced. lib. cap. 19. cum dixit Dauid ad Ioab, & Abiſai quid mihi, & vobis filij Saruiæ? cur efficimini hodie mihi in Satan, id eſt, cur efficimini aduerſarij ad hoc, quòd faciam aliquod malum? Sic etiam Chriſtus vocauit Petrum Satan, dicens, vade retro me Satana. Scandalum enim mihi es, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum, vt patet Matt. 16. & Marc. 8. c. quòd autem aliquando dicatur Satan de dæmone, hoc eſt, quia etiam ipſe eſt aduerſarios noſter. Sic patet prima Petri. cap. 5. cum dicitur: ſobrij eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, & ſic vocauit Chriſtus dæmonem Satan Matth. 4. ſcilicet, vade retro Satan. Ideo nimis errant, qui putant illū fuiſſe aliquem dæmonem ſpecialem, qui vocaretur Satanas, & eſſet princeps dęmonum, ſed vocauit eum Satan, id eſt, aduerſarium, ſicut vocauit Petrum Satan. Ita ergo hic accipiendum eſt, ſcilicet, non eſt Satan, id eſt, non eſt aliquis hoſtis, qui maneat publicè hoſtis, & qui continuè, vel multoties bella agat contra me. Etiam non eſt occurſus malus, id eſt, non eſt aliquis latenter hoſtis, de quo poſſim ſuſpicari, quòd ſubito occurrat mihi, & inquietet regnum meum.

Quare Dauid non ædificauit templum, & de cauſis huius.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR circa hoc quæ fuerit cauſa, quare Dauid non ædificauit templum domino, ſed Salomon.

Lyranus reiicitur.

Reſpondet Nicolaus, quòd hoc fuit propter quatuor. Primo propter prohibitionem, quia Deus prohibuit ei ædificare præced. lib. cap. 7. Secundo, quia requirebatur magna pax ad ædificandum, & tamen Dauid erat vir bellator. Tertio, quia ad ædificationem requirebatur magnitudo expenſarum, & Dauid nō poterat habere illas. Quarto, quia requirebatur multitudo operariorum, & Dauid non poterat illos habere, ſicut Salomon.

Sed dicendum, quòd quædam iſtarum rationum non ſtant. Prima ratio vera eſt, quia cum Deus prohibuerit eum non licebat ei ædificare, ſed adhuc de cauſa prohibitionis dubium eſt, de quo infra dicetur. Secunda ratio vera eſt, quia Dauid non habebat tempus vacandi propter bella. Tertia non ſtat, ſcilicet, quòd Dauid non haberet expenſas ad domum fabricandam, quia ipſe parauit expenſas pro Salomone, & ſolum ſupererat, vt Salomon apponeret opus, ſic patet 1. Paralip. 22. ſcilicet, Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus domini, auri talenta centū millia, & argenti mille millia talentorū, æris vero, & ferri non eſt pondus. vincitur enim numerus magnitudine. Poſt hoc etiam Dauid, & omnes principes Iſrael obtulerunt multa munera, vt patet 1. Paralipo. 28. & 29. ergo non deficiebant expenſæ.

Item Dauid voluit ædificare templum Domino, ſed ipſe erat vir prudens, ergo ante cōputaret, an habebat expenſas, quā inciperet ædificare, quia alias eſſet vir imprudens, ſicut Chriſtus dixit ponens parabolā de illo, qui volebat ædificare turrem ſi non cōputaret expenſas, an habeat ad perficiendū, ne poſtquam poſuerit fundamentū, & non potuerit perficere, omnes, qui vident incipiant ei illudere, dicentes, quia hic homo incepit ædificare, & non potuit conſummare: Lucæ 14. Dauid tamen volebat ædificare templum, niſi Deus prohibuiſſet eum præceden. lib. cap 7. ergo habebat expenſas, vel putabat certiſſimè eas ſe poſſe habere.

Sed aliquis forte dicet, quòd Dauid volebat facere aliquod templum non magnorum ſumptuum, & pro illo habebat expenſas neceſſarias, tamen non habebat pro templo tam excellenti, quantum fuit templum Salomonis.

Sed hoc non ſtat, quia Dauid volebat facere templum Domino mirabile, quale non eſſet in toto orbe, & pro hoc pararet impenſas neceſſarias. ſic patet 1. Paralipom. 22. cap. ſcilicet Salomon filius meus puer paruulus eſt, & delicatus, domus autem quam ædificare volo domino talis eſſe debet, vt in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei neceſſaria, & ob hanc cauſam ante mortem ſuam omnes præparauit impenſas. Item patet hoc, quia nō ſolum Dauid dedit impenſas pro templo ædificando, ſed etiam deſcripſit ei totam figuram templi, ita vt nihil factum fuerit in templo per Salomonem, quod Dauid non præordinauerit. ſic patet 1. Paral. 28. ſcilicet, Dedit autem Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cænaculi, & cubiculorum in abditis, & domus propitiationis, nec non omnium, quę cogitauerat atriorum, & exhedrarum per circuitum in theſauros domus, & ibi ponuntur omnia alia, quæ neceſſario fieri debebant in templo, ideo pararet Dauid impenſas pro omnibus his. Quarta cauſa data per Nicolaū non tenet, quia Dauid poterat habere operarios, ſicut Salomon, nam ſi deficerent operarij, aut hoc eſſet, quia Dauid non haberet impenſas ad ſoluendum operarijs, vel quia non erant tot viri tempore Dauid ad opera, ſicut tempore Salomonis. Primum non ſtat, cum probatum ſit, quòd Dauid dederit omnes impenſas, quas fecit Salomon, ſecundum autem ridiculum eſt, quia tot viri erant tempore Dauid, ſicut Salomonis, ita vt nō ſolum poſſent congregari operarij, qui ponuntur infra in litera, ſed etiam multo plures. Ideo dicendum, quòd non fuit prohibitus ex hac cauſa.

Vera cauſa quare Dauid non ædificauit templum.

QVÆSTIO IV.

VLTERIVS quęretur, quæ fuerit vera cauſa, quare Dauid non potuit ædificare templum domino. Reſpondendum, quòd Dauid deſiderauit ædificare templum, & tamen non poterat, eo quod tempore ſuo fuerunt multa bella, & ipſe fuit quaſi ſemper bellis implicitus, ideo non vacabat ei tempus ad ædificandum: nam cum domus ædificanda eſſet excellentiſſima egebat magno tempore ad ædificationem: nam Salomon, qui fuit in magna pace, & habebat copiam omnium rerum neceſſariarum ad ædificationem nō potuit complere, niſi in ſeptem annis, vt patet ſequenti cap. ſi autem non eſſet tempus pacificum, non potuiſſet compleri in multis annis, quod patet, quia poſt reditum de Babylone reſtauratum fuit templum Salomonis, quod combuſtum fuerat, & quia erat tempus belli non potuit compleri in pauciori tempore quam in 46. annis, vt patet Ioan. 2. & tamen non erat iſtud templum tantæ excellentiæ, ſicut fuerat templum Salomonis, vnde illi, qui viderant templū prius factū à Salomone flebant, quādo viderunt templum ſecundo ędificatum, qui autem nunquam viderant illud putabant iſtud nouum eſſe excellentiſſimum, & gaudebant, vt patet primo Eſdræ ca. 3. Dauid autem in principio regni ſui ſuper Iſrael poſtquam exterruerat Philiſthinos putauit ſe habiturum pacem, & poſſe ædificare templum, ideo quęſiuit à Propheta Nathan, an ædificaret præced. lib. cap. 7. Deus autem ſciens, quòd multa bella inſurrectura eſſent contra Dauid, & quòd toto tempore regni ſui non eſſet omninò pacificus, noluit quòd inciperet ædificare, quia incidētibus bellis ſæpe interrumperet opus, & non fieret conuenienter. Iſtud ſignificatur in reſponſo domini ad Dauid nam dixit, quòd non ædificaret ipſe templum domino, ſed filius, qui naſceretur de eo, & quòd tunc non adderent filij iniquitatis, vt affligerent Iſrael, nec turbaretur amplius, quaſi dicat, quòd ex hoc, quòd tempore Dauid erant turbationes, & nō poterat ędificare templum, & tempore filij ſui eſſet pax, & poſſet ædificari. Hoc patet clarius. 1. Paralip. 22. cum dixit Deus ad Dauid, filius, qui naſcetur tibi erit vir quietiſſimus, faciā enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur, & pacem, & otium dabo in Iſrael cunctis diebus eius. Ipſe ędificabit templum nomini meo. Ergo videtur, quòd ſola quies erat cauſa ædificandi. Idem patet hic quia Salomon cum dedit cauſam, quare pater ſuus non ædificauerat, ait tu ſcis voluntatem patris mei, &

quòd

quòd non potuerit ædificare domum domini propter bella imminentia per circuitum, donec daret dominus eos sub vestigio pedum suorum, nunc autem requiem dedit mihi dominus quamobrem cogito ædificare templum domini. Idem patet Eccles. 47. scilicet, Salomon imperauit in diebus pacis, cui subiecit Deus omnes hostes, vt conderet domum in nomine suo, ergo videtur, quòd solus defectus pacis fecit tempore Dauid non ædificari templum.

An effusio sanguinis fuerit causa prohibitionis, quod Dauid non ædificaret templũ domino.

Alia causa est prohibitionis, secundum quòd communiter tenetur, scilicet, quia Dauid effuderat sanguinem multum, & ob hoc non decebat, quod ipse ædificaret templum domini, istud patet 1. Paralipom. 22. cum dixit Deus ad Dauid multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ędificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me.

Idem patet 1. Paralipom. 28. cum dicitur: Deus autem dixit mihi non ædificabis domum nomini meo, eo quòd sis bellator vir, & sanguinem fuderis. Ex hoc etiam colligunt omnes sancti Doctores, & Ecclesia, quòd occisores non debeant esse ministri Dei potissime in officio altaris, quia si iste, qui sanguinem fudit prohibetur ædificare templum domino, à fortiori prohiberi debet accedere ad ministerium sacrum ille, qui sanguinem fudit.

Mihi autem sub emendatione cuiuscunq; potẽtis emendare rationabiliter pro nunc videtur dicendum, quòd non fuerit prohibitus Dauid facere templum domino propter hoc, quod sanguinem fuderat. Quod patet, quia si propter hoc prohiberetur Dauid etiam Salomoni non licuisset ædificare templum domini. Quod patet, quia aut Dauid prohiberetur ædificare templum, quia iniuste sanguinem fuderat, vel solum, quia sanguinem fuderat qualitercunque fudisset. Primo modo non stat, quia Dauid non faciebat bella iniusta, sed potius merebatur quandocunque pugnabat, eo quod pugnabat contra illos, contra quos Deus iusserat pugnari, & ob hoc dicebatur agere prælia domini. Sic patet supra 1. lib. c. 18. cum dixit Saul ad Dauid præliare prælia domini. Et eodem lib. cap. 25. dixit Abigail ad Dauid: prælia domini tu præliaris, & ob hoc præda, quam accipiebat Dauid, vocabatur præda Domini. eod. lib. cap. 30. scili. accipite benedictionẽ de præda domini. ergo non peccabat. Item dato, quòd peccasset Dauid effundendo sanguinem, & postea doleret, peccatum abolitum erat, ac si nunquam peccasset ideo si propter peccatum effusi sanguinis deberet prohiberi, cessaret prohibitio, quando doleret, & tamen doluit de peccatis suis cum esset vir acceptus Deo, quando petiuit consilium à Nathan propheta, an deberet ædificare templũ, ideo non prohiberetur propter hoc. Si autem dicatur, quòd erat prohibitio, quia effuderat sanguinem quomodocunque effudisset, non solum prohiberi debebat Dauid, sed etiam Salomon, quia ipse iussit occidi fratrem suum Adoniam, & Ioab, & Semei, vt constat supra 2. cap. & tamen ita est irregularis qui iubet aliquem occidi, & occiditur propter eum, sicut ille, qui occidit alterum, ergo esset Salomon irregularis, & non liceret ei ædificare templum. Item non est ista causa rationabilis, nam in nouo testamento maior strictio est circa irregularitatem, quam in veteri, vt patet ex differentia ministrorum, vt infra dicetur, & tamen in nouo testamento nõ prohibetur aliquis ædificare Ecclesias, scilicet dando pecuniam ad ædificationem, vel manualiter operando, etiam si fuerit homicida, dum tamen doluerit, ergo in veteri testamento non debebat ex hoc prohiberi. Item manifestum est, quòd magis sacrum est, quòd aliquis offerat sacrificia, quam quòd ædificet templum, quia sacrificia sunt immediatè ad Deum, templum autem est mediatè, scilicet, vt in eo fiant sacrificia, & offeratur incensum, vt patet 2. Paralip. 2. cap. Dauid tamen permittebatur offerre sacrificia: nam multa obtulit coram arca, quando duxit eam in domum suam præced. lib. cap. 6. & 1. Paralip. 15. & 16. & offerebat etiã postea sacrificia coram domino quotidie, ideo licebat ei à fortiori ædificare templum. Item non differebat ædificare templum domino pro aliquo tempore, vel pro maiori, sed licuit Dauid parare locum arcæ domini pro toto tempore regni sui. Nam in domo Dauid erat præced. lib. cap. 6. ergo etiam licebat ei ædificare templum pro maiori tempore, sicut ædificauit Salomon. Item magis erat obseruanda irregularitas in sacerdotibus, qui ministrabant in altari quam in laicis, & tamen sacerdotes veteris testamenti non erant irregulares, nec prohibebantur offerre sacrificia quanquã effunderent sanguinem, ergo Dauid non esset prohibitus ædificare templũ quanquam effudisset sanguinem cum ipse laicus esset, & ædificare templum non esset ministerium sacerdotale. De sacerdotibus patet, quòd liceret eis effundere sanguinem, quia Machabæi erant summi sacerdotes, vt patet 1. Machab. 2. ca. & per totum librum primum Machabæorum, & tamen illi sacerdotes magni tractabant maiora sacra, quam sacerdotes minores, & ipsi faciebant bella multa, & occidebant plurimos tam Iudas Machabæus, quam Ionathas, & Simon. Item patet, quòd non solum liceret eis effundere sanguinem, immò etiam interdum propter effusionem sanguinis mereban tur sacerdotium, sic fuit de Phinees filio Eleazari, qui occidit Israelitam coeuntem cum Medianitide, & ob hoc Deus promisit ei summum sacerdotium in æternum: Numeri 25. & primo Machabæ. 2. cap. non ergo prohiberetur Dauid ædificare templum prõpter sanguinem effusum, sed solum, quia erat intentus bellis, & non poterat vacare ædificationi templi. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd 1. Paralip. 22. non est intelligendum de effusione sanguinis, sed de bellis cum dicitur multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me, id est, semper fuisti intentus bellis, in quibus sanguis effunditur, & nunc oportebit te intendere alijs bellis, ideo non poteris ædificare domum nomini meo. Quòd autem dicatur hoc propter occupationem belli, & non propter effusionem sanguinis, patet immediate: nam dicitur ibi filius, qui nasceretur tibi erit vir quietissimus, faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum. Ipse ædificabit domum nomini meo. Ergo videtur, quòd propter solam occupationem in bellis nõ poterat Dauid ædificare templum, & Salomon, qui erat quietissimus poterat ædificare. Si autem propter effusionem sanguinis prohiberetur Dauid, diceretur de Salomone, filius qui nasceretur tibi non erit effusor sanguinis, dicitur tamen erit quietissimus.

Sed forte aliquis dicet, quòd per hoc, quòd dixit erit quietissimus intellexit, quòd non effunderet sanguinem, eo quod quiescẽdo à bellis nõ effunderet sanguinem bellicum.

Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia dato, quòd cessaret ab omnibus bellis effundebat sanguinem in pace tanquã iudex, & hoc faceret eum irregularem.

Ad secundam rationem cum dicitur 1. Paralip. 28. scilicet, non ædificabis domum nomini meo, eo quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis eodem modo respondendum. Et adhuc ibi magis clarum est, cum dicatur, eo quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis, id est, nunc es vir bellator, & ob hoc non potes vacare ædificationi, sicut etiam in præteritis temporibus effudisti sanguinem, id est, fuisti vir bellator. Patet ergo, quòd non prohibitus fuit Dauid ædificare templum propter effusionem sanguinis, sed propter occupationem bellicam.

Quamobrem cogito ædificare templum nomini Dei mei. Scilicet, quia in pace sum, cogitaui nunc tempus esse ædificandi domum Deo.

Sicut locutus est dominus Dauid patri meo. In hoc etiam confirmat Salomon propositum suum, scilicet, quòd non mouetur à se, sed quia Deus iussit illud Dauid.

Filius tuus, quem dabo pro te super solium tuum. Id est, ille qui succedet tibi in regno, & sedebit in throno tuo ædificabit templum.

Ipse ædificabit domum nomini meo. Id est, ædificabit domum, in qua inuocetur nomen meum, scilicet, quia non erat domus ista ad hoc, quòd habitaret Deus in ea, quia Deus non potest capi in aliquo loco corporali, sed solum fiebat domus, vt vocaretur domus Dei, & oraretur ibi, sic dixit Salomon. infra 8. ergo ne putandum est, quòd verè Deus habitet super terram? si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc, quam ædificaui tibi? & sequitur ibi, quod solum erat illi domus ad hoc, quòd exaudiret Deus orationes ibi factas, dixit autem Deus ad Dauid, quòd filius suus ædificaret templum præcedenti lib. cap. 7. & primo Paralip. 22. & 28.

A *Præcipe ergo, vt præcidant mihi cedros de Libano.* Posuit supra Salomon fundamentum petitionis suæ, & ipsam enarrationem, hic autem sequitur petitio, scilicet, quòd Hiram faceret præberi Salomoni cedros de Libano, & quòd præciderẽt eos serui Hiram, eo quòd illi melius nouerant præcidere ligna, quàm Hebræi.

Et serui mei sint cum seruis tuis. Id est, serui tui sunt periti in arte cęsoria lignorum, ideo sint serui mei cum eis, & erudiantur ab ipsis ad scindendum ligna.

Mercedem autem seruorum tuorum dabo tibi quamcunq; petieris. Id est, pro labore seruorum tuorum ego dabo tibi quicquid volueris: nam postea dedit ei triticum, & oleum per singulos annos, & postea completo sanctuario, & domo sua, dedit ei 20. oppida in terra Israël, infra 9. c. *Scis enim quoniam in populo meo non est vir, qui nouerit ligna cædere sicut Sidonij.* Quasi dicat, propter hoc peto, quòd serui tui sint cum seruis meis cædendo ligna, eo quòd non est aliquis in Israël sciens ligna cædere sicut Sidonij, erant autem Sidonij in regno Hiram, quia Hiram erat Rex Tyri, & Sidonis, etiam tota terra Tyriorum vocabatur terra Sidoniorum, nõ dixit enim Salomon, quod daret mercedem aliquam pro lignis cedrinis, quæ ducebãtur de terra Hiram, sed solum pro labore seruorum Hiram, hoc autem fuit, quia fortè mons Libanus, de quo erant ista ligna, pertinebat ad terram Salomonis, sic colligitur 2. Paralip. 8. etiam patet hic, quia dicitur, quòd serui Hiram essent cum ser

B uis Salomonis, eo quòd inter Israëlitas non erant aliqui scientes ligna scindere, si ergo fuissent aliqui scientes cędere ligna, nihil petiuisset Salomon ab Hiram. Vel potest dici, quod erant ista ligna in parte Libani, quę pertinebat ad Hiram, quia mons Libanus extendebatur versus Sidonem, & pro pretio lignorum dederit Salomon ipsi regi Hiram 20. oppida in terra Israël, infra 9. cap.

Quare Salomon voluit scindere ligna cedri.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR quare Salomon voluit nunc scindere ligna cedrina pro fabricatione templi, quia iam omnia hæc disposuerat Dauid: nam primo Paralip. 22. cap. dicitur, quòd Dauid ante mortem suam omnes præparauit impensas. Et iterum ibidem, ligna & lapides præparaui ad vniuersa impendia. Et iterum, ligna quoque cedrina non poterant extimari, quæ Sidonij, & Tyrij portauerunt ad Dauid. Respondendum, quòd Dauid præparauerat ligna multa, quæ putaue rat sufficere ad ædificationem templi. Salomon tamen fortè putauit non sufficere illa ligna, ideo misit ad Hiram, vt daret ei ligna, vel quod magis rationabile est, Dauid solum cogitauerat facere templum Domini, Salomon autem voluit facere templum, & domũ suam, quæ fuit glorioſa valde, vt patet infra 7. & ob hoc eguit pluribus lignis, quàm Dauid parauerat.

C *Cùm ergo audisset.* Hic ponit ur secundum, in quo petitum à Salomone conceditur, quia Hiram concessit, quòd serui sui ligna cæderent. Et dicitur: *Cùm ergo audisset Hiram verba Salomonis lætatus est valde.* Hiram erat amicus Salomonis, & prius fuerat amicus Dauid, & quia nunc videbat Salomonem prudenter loqui, lætatus est valde, quia sapiens erat, gaudet enim amicus de bono amici sui, quia amicus bonus factus, bonum est eius, cuius est amicus, vt patet 8. Ethic. *Et ait benedictus Dominus hodie.* scilicet, benedicatur ipse, quia fecit tale bonum.

De quo Deo loquebatur Hiram, cùm dixit: Benedictus Dominus Deus hodie.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR de quo Deo dicebat nunc Hiram, quòd benedictus esset? Aliquis dicet, quod dicebat de Deo Israël, quia iste conuersus erat ad Iudaismum, & ob hoc erat amicitia inter eum, & Dauid, & nunc inter eum, & Salomonem. Dicendum, quod non stat, quia Hiram erat Gentilis colens idola, & ante eum Sidonij colebant idola, vt patet Iudicum 10. cùm dicitur, quòd Israëlitæ seruierunt idolis Baalin, & Astaroth, & dijs Syriæ, & Sidonijs: etiam temporibus Acab post Salomonem Sidonij colebant idola, scilicet, tem-

D pore, quo Acab accepit Iezabel in vxorem, quæ erat filia Regis Sidonis, & propter eam coluit idola, vt colligitur infra 16. etiam tempore Salomonis colebant Sidonij idola, quia infra 11. scilicet, dicitur, quòd Salomon colebat Astarthem deam Sidoniorum. Idem patet sequenti lib. 23. ergo Hiram non colebat Deum Israël, sed Astarthem, quam etiam postea coluit Salomon. Item patet, quia iste Hiram fabricauit templum Iouis in Tyro, vt patet per Iosephum 8. Antiquitatum. Dicendum ergo, quòd Hiram potuit hic vocare Deum illum, quẽ ipse colebat, quia sic loquebantur alij Gentiles, qñ dicebant aliquid de dijs, nã Deos suos per excellentiam vocabant Deos, & illos magis laudabant, quàm Deos aliarum gentium. Nunc tamen dicendum, quòd non locutus est de Deo suo, eo quod opinabantur Gentiles, quòd illi dij, quos ipsi colebant non benefaciebant alicui, nisi cultoribus suis, & pro eis pugnabant contra alias gentes, & contra Deos ipsarum gentium, sic colligitur per August. 3. de ciuitate Dei, & per Virgilium 1. & 10. Æneidos. Salomon tamen non colebat illum Deum, quem colebat Hiram, ergo nõ putaret Hiram, quòd Deus suus dedisset sapientiam Salomoni, vel dedisset Dauid filium sapientem, benedixit tamen Hiram, qui dederat Dauid filium sapientem, ergo non fuit locutus de Deo suo. Sed dicendum, quod aut loquebatur de quodam Deo, quẽ Gentiles putabant esse supremum, & disponentem omnia, sicut videntur opinati Athenienſ. constituentes aram Deo ignoto, vt patet Actuum 17. & iste prouideret Hebræis, & alijs gẽ-

E tibus, aut loquebatur de Deo Hebræorum, quia quamquam ille non esset Deus suus, cùm esset Deus Salomonis, & Dauid putabat, quod benè faceret eis, sicut de Deo suo Ioue, aut dea sua Asthartem putabat, quod benefaciebat ei, & istud vltimũ est verũ, 2. Paralip. 2. scilicet, quia dilexit Dominus populum suum, ideo te Regem fecit super illum, & benedictus Dominus Deus Israël, qui fecit cœlum, & terram, qui dedit Dauid filium sapientem, & eruditum. *Qui dedit sapientißimum filium Dauid.* Magnum donum erat, quòd Deus daret sapientiam Salomoni ad regendum populum, ideo laudandus erat. *Super populum hunc plurimum.* Dixit hoc Hiram, quia magnum erat *Magnitudo regni Salomonis.* regnum Israël in comparatione aliorum regnorum terræ secũdùm modum illius temporis: nam dominabatur Salomon in terra, in qua olim fuerant plures, quàm 50. reges, quòd patet, quia Iosue, & Israëlitæ occiderunt 31. reges, qui enumerãtur Iosue 12. & ante hoc tempore Moysi occiderant duos reges Amorrhæos Sehon, & Og. Iosue 13. mansit etiã multa terra Chananæorum, quę nondum capta erat ab Israëlitis, Iosue 13. & Iud. 3. quarum magnam partem acceperãt Israëlitæ post mortem Iosue vsq; ad tempora Dauid, & toti isti terræ dominabatur Salomon, & sic tantam habebat ipse terram, sicut 50 reges, & ob hoc populus eius erat plurimus.

Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: audiui quæcunque mandasti mihi. Placuit petitio Salomonis ipsi Hiram, ideo obtulit se libenter facturum quicquid ille petebat, & dixit, quęcunque

F mandasti mihi, id est misisti ad dicendum: nam mandare accipitur multoties pro mittere, sic patet Gen. 45. scilicet, hæc mandat filius tuus Ioseph, id est mittit ad dicendum: nam filius nihil mandaret patri. Simile patet Num. 20. scilicet, Hæc mandat frater tuus Israël, & tamen Israëlitę orabant ibi, & nõ præcipiebant.

Ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedrinis, & abiegnis. Id est, ego faciam quicquid vis scindendo cedros, & abietes. Salomon solum dixerat supra de lignis cedrinis, & tamen respõdet Hiram de cedrinis, & abiegnis, quia fortè Salomon misit ad petendum abietes, quamquam supra omissum fuerit, sic patet 2. Paralip. 2. vbi ponuntur plura ligna, scilicet, sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinnea de Libano. in Hebræo dicitur: *in lignis buxinis.* Vbi nos dicimus abiegnis. Posuit tamen litera nostra abiegnis, quia conuenientior est abies ad ista opera quàm buxus: est enim abies arbor recta, & leuis odorifera nocens animalibus venenosis, vt ait Isidorus in lib. Etymo. *Serui mei deponent ea de Libano ad mare.* Tyrus, & Sidon sunt ciuitates iuxta mare, in quibus regnabat *Tyrus, & Sidon vbi.* Hiram, mons autem Libanus, in quo erant ista ligna pertingebat ad mare, ideo quamquã possent duci ista ligna per terram de Libano vsq; ad Ierusalem, noluit Salomon quòd ducerentur per terram, quia erat longum iter, & essent magnæ expensæ, sed ducebantur per mare: nam Ierusalem modicum

A

distat à littore maris. est enim Ioppem quædã ciuitas sępè nominata in libris Machabæorum, quæ vulgariter nũc vocatur Iapha, vbi est portus, ad quem appeliant peregrini, & distat 9. leucis à Ierusalem, ideo mittebãtur illa ligna per mare, & portabantur ad aliquem locum propinquum Ierusalem, & inde inferebãtur in Ierusalem. Et quia locus propinquissimus per mare erat Ioppem ferebantur illuc, vt patet 2. Paralip. 2.

Et ego componam ea in ratibus. Id est, faciam componi: nam Rex non faciebat ista manu sua, sed iubebat fieri, sic dicitur sequenti cap. quòd Salomon ædificabat domum Domino, id est faciebat eã ædificari. Vocantur rates naues, in quibus portari possunt quæcunq; onera. Dicit Rab. Salo. quòd ista ligna non portabantur in ratibus, sed in mari componebantur, scilicet ligabantur super aquas, & aliqui ascendebant super illa ligna, vel præcedebant in aliqua nauicula, & dirigebãt illa, vt mouerentur. Sed hoc non stat, quia in fluminibus, vbi est aqua directè fluens versus vnam partem potest hoc fieri, cùm ipse impetus aquæ ferret ligna, & solum opus erat, quòd aliquis vir dirigeret illa ligna. In mari tamen, quod est procellosum, & non fluit aqua directo impetu ad vnam partem, non poterat hoc fieri, quia non mouerentur ligna versus Ierusalem ad partem, ad quam volebat Salomon, sed quocunq; impetus aquę illa ferret, ideo oportuit, quòd mouerentur in ratibus, vt ad motus illarum mouerentur ligna, etiam quia Hiram dixit hic, ego componam ea in ratibus.

B

In mari vsq; ad locum, quem significaueris mihi. Id est componã ea in mari in ratibus, & ducam vsq; ad locum quem mihi assignaueris. *Et applicabo ea ibi.* Id est, deponam ad terram.

Et tu tolles ea. Id est ad te pertinebit, quòd facies ea ferri inde in Ierusalem, locus autem quem postea Salomon assignauit fuit Ioppem, vt patet 2. Paralip. 2. cap.

Sciendum de isto Hiram, quòd fuit valde amicus Salomonis, & sæpè sibi scribebãt epistolas ipse, & Salomon, vt ait Iosephus 8. Antiquit. scilicet epistolarum Salomonis, & Hiram hactenus seruantur, non solum in libris nostris, sed etiã apud Tyrios, & si quis hæc voluerit cognoscere integrè, rogans custodem monimentorum publicorum Tyriæ ciuitatis, inueniet ea consona horum, quæ à nobis edita sunt. De hoc etiam dicit in eodem libro Antiquit. quòd meminit Regis Salomonis, & Hiram Menander, qui ex Phœnica lingua antiquitates Sidoniorum in vocem conuertit helladicam, dicens: moriente Abibalo successit in regnum filius eius Hirã, qui cùm vixisset annis quinquaginta tribus, regnauit triginta quatuor: hic effodit amplum terræ spacium, & auream columnam, quæ est in Iouis templo dicauit. Insuper, & lignorũ materiam à monte Libano incidit ad tecta templorum, & destruens antiqua sacraria, templum ædificauit Herculis, & Astarthæ, & primum Herculi hoc erexit mense piriceo, & contra Eucheos tributa non reddentes egit exercitum, eisq; sibi subiectis denuò remeauit. Huius temporibus erat Abdemonis filius iuuẽculus qui semper propositiones, quas imperasset rex Ierosolymorum, soluebat. Meminit autem illius etiã Dion historiographus, ita dicẽs: Abibalo moriente filius eius Hiram regnauit, hic partem ciuitatis positam ad Orientem diruit, & maiorem vrbem effecit, & Olympij Iouis templum destruens medium locum ciuitati cõiunxit, & aureis anethimatibus exornauit, ascendensq; in montem Libanum syluã maximam ad sacrorum secuit ædificia. Adiecit ad hoc, regem Ierosolymorum Salomonem misisse ad Hiram regem Tyri figuras quasdam, & petijsse ab eo solutionem, ita vt si non posset discernere, soluenti pecunias daret. Cumque fateretur Hiram non posse illa se soluere, multaq; foret pecuniarum detrimenta passurus, per Abdimum quendam Tyrium, quæ posita fuerant, soluta sunt, & alia ab eo proposita, quę si Salomon non solueret Hiram regi multas pecunias daret.

cap. 2.

Gentiles habebant custodẽ monimentorũ publicorũ.

C

Præbebis necessaria mihi. Istud est tertium, in quo Salomonis, & Hiram pactum interponitur, scilicet, quòd Hirã prouideret Salomoni de lignis, & Salomon prouideret Hiram de cibis, & dicitur:

Pactũ inter Salomonem, et Hiram pro lignis habendis.

Præbebis necessaria mihi, vt detur cibus domui meæ. Fortè petiuit istud Hiram, quia terra Tyriorum, nõ est ita fertilis in victualibus, sicut reliqua terra Chanaan, ideo in mercedem laboris nõ petiuit aliud, nisi cibos, vel fortè Hiram, & serui sui cessabant ab agricultura, vt secarent, & pararent ligna pro Salomone, & etiam lapides dolarent, vt patet infra. ideo petebat sibi dari cibos, quos non poterant habere Tyrij cessantes nũc ab agricultura. *Itaq; Hiram dabat Salomoni ligna cedrina & ligna abiegna iuxta omnem voluntatem eius.* Id est de istis duabus materijs, scilicet cedrorum, & abietum dabat principaliter Hiram Salomoni, & hoc iuxta voluntatem suam, id est, quæcunque petijsset, & de quacunque magnitudine, secundùm quod erant necessaria pro opere templi.

D

Salomon autem præbebat Hiram viginti millia Coros tritici in cibum domui eius. Istud dabat per singulos annos Salomon ipsi Hiram dum ædificatum fuit templum, & domus Regis, quia semper in Libano cædebant Tyrij ligna pro Salomone. De quantitate autem Cori declaratum est præcedenti cap. & habetur Ezech. 45.

Et viginti coros purissimi olei. Etiam istud dabat in cibum, de animalibus autem ad cibum nihil dabat, eo quòd fortè plus abundabant Tyrij, quàm serui Salomonis, sed solum dedit triticum, & oleum, quia ista non erant ad sufficientiam in terra Tyriorum. Accipitur autem Corus pro mensura communi tam ad oleum, quàm ad triticum, & tamen raro sunt eædẽ mensuræ aridorum, & liquidorum, vnde Luc. 16. ponuntur diuersæ, cùm dixit villicus iniquitatis ad vnum debitorẽ domini sui: Quantum debes domino meo? Et ille dixit, cẽtum cados olei, & ad alium debitorem dixit, quantum debes? & ille ait, centum Coros tritici. hic tamen Corus est tam pro cado, quàm pro Coro.

E

Hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. Id est, quamdiu durauit ædificatio Sanctuarij, & domus Regis dedit ista Salomon, & ista non erant in plenam satisfactionem pro labore, & pro precio lignorum. Nam expleto tempore ędificationis, scilicet post 20. annos dedit Salomon regi Hiram 20. oppida in terra Galilææ, vt patet infra 9.

Deditq; Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei. Ista est recapitulatio, quia iam supra dictum fuerat de sapientia data Salomoni, hic tamẽ repetitur, quia agitur de ædificatione templi, in qua necessaria erat magna prudentia, & dicitur, sicut locutus est ei, scilicet, quia supra 3. dixit ei, quòd faceret eum sapientiorem omnibus qui præcesserant eum, & qui futuri erant, ex hoc patet, quòd sapientia prius data fuit Salomoni quàm inciperet ædificare templum, & quàm mitteret ad Hiram pro lignis, & lapidibus.

Et erat pax inter Hiram, & Salomonem. Et percusserunt fœdus ambo. Dicitur hoc, quia non poterant ista fieri, nisi esset pax inter Salomonem, & Hiram, fuitq; pax inter eos, sicut fuerat inter Hiram, & Dauid: nam Hiram fuerat amicus Dauid omni tempore, vt patet supra in litera, & ad confirmationem huius pacis inierunt fœdus inter se Salomon, & Hirã, ex hoc autem colligitur aliqualiter, quòd Hiram erat de terra Chananæorum, contra quem Salomon pugnare poterat licitè, alioquin non curasset Hiram facere fœdus cũ Salomone, quia non esset aliàs pugnaturus, dato, quòd nõ iniretur fœdus, & fortè fuit ista vna de causis, propter quas licuit Salomoni nõ pugnare contra Hiram, & terram suam, eo quòd valde indigebat Salomon ministerio Tyriorum, & Sidoniorum ad cædenda ligna, cùm nullus esset in Israël, qui sciret ligna cædere sicut Sidonij, vt patet supra in litera. Qualiter autem fœdus percussum fuerit inter eos, non apparet, sed credendum est, quòd ipsi, vel aliqui nomine eorum fecerint cæremonias illas, quæ requiruntur in fœdere, de quibus declaratum est Iosue vlt. & supra 1. lib. cap. 18.

F

Operarium electio.

Elegitq; Rex Salomon operarios. Hic ponitur quartum, scilicet operariorum electio: nam Salomon accepit operarios sufficientes ad hoc opus, & mittebat illos in Libanum, vt ibi cęderent arbores, & lapides cum Tyrijs, qui erant magistri operum. *De omni Israël.* Id est, isti operarij erant assumpti de toto Israël, quia eligebantur viri conuenientes ad hoc.

Et erat indictio 30. millia virorum. Id est, erat summa operariorum triginta millium. Vocatur autem indictio, id est summa, vel numerus. Vel magis propriè, indictio est impositio, vt cùm aliquis imponit aliquid agendum, dicitur ei indicere illud, & sic est sensus, quòd rex Salomon imponebat populo triginta millia operariorum, qui fortè recipiebant precium de pecunijs plebis, sic vult Iosephus 8. Antiquitatum, quòd Rex indixit omni populo tributum triginta millium operariorum.

Sciendum etiam, quòd isti operarij non erant de genere

Israëli-

A

Iſraëlitarum,ſed ſolùm de proſelytis, id eſt, conuerſis ad Iudaiſmum de gentilitate: Iſraëlitæ autem non cogebantur ad iſta ſeruitia,ſed erant ordinati vt eſſent viri bellatores. Sic patet infra 9. cùm dicitur, de filijs autem Iſraël non conſtituit Salomon ſeruire quemquam,ſed erant viri bellatores, & miniſtri eius, & principes, & duces, & præfecti curruum, & equorum.

Mittebatq; eos in Libanum 10. millia per menſes ſingulos. Id eſt, iſti triginta millia operariorum erant deſtinati, vt irent in Libanum,& ibant decem millia ſolum vno menſe,& alio menſe alia decem millia,& tertio menſe alia decem millia, & quarto menſe illa decem millia, quæ fuerant in primo menſe, & ſic fiebat circulatio, vt quælibet decem millia iſtorum vno menſe operarẽtur, & duobus menſibus quieſcerent. *Viciſſim.* Id eſt, quòd mutarentur per vices iſta triginta millia virorum,quia nunquam ſimul omnes ſeruiebant, ſicut ſupra declaratum eſt.

Ita vt duobus menſibus eſſent in domibus ſuis. Id eſt, fiebat iſta viciſſitudo, & permutatio in operarijs, ita vt quilibet operaretur vno menſe,& quieſceret duobus,iſtud fiebat ad recreationem,quia labor iſte cædendi lapides,& ligna,erat grauiſſimus,ideo fiebat mutatio, vt maius tempus daretur ad quietem,quàm ad laborem. Secunda cauſa erat, quia iſti egebant multis neceſſarijs pro domibus ſuis & familia,ideo vt poſſent illa procurare dabatur eis, quòd poſſent duobus menſibus quieſcere,& vno menſe operari.

B

Et Adoniram erat ſuper huiuſcemodi indictione. Id eſt, Adonirã erat Iſraëlita, & habebat curã de iſta indictione, id eſt de iſtis triginta millibus virorum,ſcilicet regendo eos,quo tempore deberent iſti quieſcere,& illi operari, ne maneret aliquod tẽpus, in quo decem millia virorum non operarentur,etiam faciebat, quòd opera non fierent negligenter.

Fuerunt itaq; Salomoni 70. millia eorum, qui onera portabant. Iſti ſeptuaginta millia non computabantur cum illis 30. millibus ſupra poſitis, quia 30.millia ſolum erant ad cædendum ligna in Libano, iſti autem de ſeptuaginta millibus erant ad portanda onera. Erant autem iſta onera ligna,quę portabantur de Libano. Nam Hiram, & ſerui ſui componebant ea in ratibus,& portabant per mare vſq; Ioppem, & inde vſque ad Ieruſalem per illas nouem leucas portabant illa iſti viri de 70 millibus. De lapidibus quoq; idem dicendum videtur, ſcilicet, quod parabãtur in monte Libano,& ducebantur per mare vſq; Ioppen: nam dicitur infra quod cementarij Hiram, & Salomonis parabant lapides in monte.

Et 80. milia latomorum in monte. Id eſt, habebat octoginta millia virorum fortè in monte Libano, qui ibi de lapidicina lapides grandes cædebant, & parabant. Vocantur autem Latomi,id eſt lapidum cæſores. Iſta autem 80. millia virorum,& 70.milia,de quibus ſupra dicebatur, & 30. millia, qui erant in indictione,erant de conuerſis ad Iudaiſmum, vt ſupra dicebatur, quia Iſraëlitæ ſolum accipiebantur, vt præeſſent opeantibus.

C

Abſque præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus numero trium millium,& trecentorum. Id eſt,iſta ſumma poſita ſupra centum, & octoginta millium erat de operarijs, & non computantur ibi magiſtri operum, qui præerant eis, & iſti erant tria millia trecenti. Iſti autem erant de Iſraëlitis,quia in hoc non ſeruiebant,ſed imperabant.

Præcipientium populo,& his qui faciebant opus. Id eſt, iſti præpoſiti,ſcilicet tria millia,& trecenti præcipiebãt populo quid agere deberẽt. Vocatur autem populus tota ſumma iſtorum latomorum,& portantium onera, & eorum,qui erant in indictione, quæ ſumma erat ſimul 180. millium. Præcipiebant etiam his qui faciebant opus, id eſt his, qui operabantur in templo:nam dum iſti,qui ſupra poſiti ſunt cædebant lapides, & ligna,& portabant, alij operabantur in templo diſponentes locum,& deinde facientes ædificia, & per omnes iſtos diuiſi erant præpoſiti tria millia, & trecenti,qui iubebant ſingulis operarijs quid facere deberent, etiam videbant quomodo fierent opera ne quid fieret negligenter.

Præcepitq; Rex,vt tollerent lapides grandes. Id eſt iuſſit, quòd cæderentur lapides valde magni ad ponendum in fundamẽto templi, & debebant eſſe magni, vt ſuſtinerent ædificium altum ſuperpoſitum.

Lapides precioſos. Id eſt,iſti lapides erant precioſi,qui ponebantur in fundamentis templi non intelligendo, quòd erant de natura gemmarum, quia de illis nunquam reperiuntur magni lapides,quales conueniunt cementis, & tamen hic dicitur,quod erant lapides grandes. Etiam non ſtat, quia valde videbatur ſtolidum, quòd lapides precioſi ponerentur in ædificio,vbi apparere non debebant, ſed vocantur hic lapides precioſi,id eſt,quia magno precio conſtabãt,ſcilicet marmora magna, quæ in montibus ſecabantur de lapidicinis, & iſta poterant haberi in magna quantitate.

D

Vnde dicit Ioſephus 8. Antiquitatum, quòd Salomon poſuit fundamenta templi nimia terræ profunditate de lapidibus fortiſſimis,qui poſſent longo tempore permanere,qui æquè conſtipati ſunt conſerti terræ pauimento, vt fortitudo ſuperædificati operis eſſent, & propter inferiorem ſui fortitudinem,ſine defectu impoſitam magnitudinem, & precioſam pulchritudinem ſuſtinerent. Dicit etiam de iſtis lapidibus, quòd quidam eorum erant viginti cubitorum in longitudine, & decem in latitudine, & quinque in altitudine, ita vt eſſent lapides ſupra humanam extimationem in magnitudine.

Ferẽt q̃ mul i ex iſtis lapidibus sũt hodie Romæ in tẽplo Petri et Pauli adducti per Veſpaſ. tẽpore deſtructionis tẽpli Iudæorũ.

In fundamentum templi. Id eſt,omnes iſti lapides magni erãt pro fundamento. Nam licèt parietes de lapidibus ædificati fuerint, tamen lapides, qui erant ſupra cementum minores erant,quia leuius pondus ſuſtinebant.

Et quadrarent eos. Id eſt, iſti lapides quadrabantur in monte antequam ducerentur in Ieruſalem, vt ſicut quadrandi erant,ita ibi quadrarentur, & ſcopularentur, iſtud autem fiebat ad tollendum magnitudinem ponderis,quia ſi lapides rudes ferrentur de lapidicina, & poſtea deberent quadrari, & ſcopulari, eſſet duplo maior magnitudo. Ideo ſi quis deberet ferre de lapidicina lapideam molem, de qua poſtquam quadraretur,& ſcopularetur, fieret lapis ſcopulatus 20. cubitorũ longitudine,& decem latitudine,& quinq; altitudine, oportet eſſe molem illam importabilem, cùm autem quadrarentur in monte,fiebat portabilior.

E

Quos dolauerunt cementarij Salomonis, & cementarij Hiram. Vocantur cementarij illi,qui lapides pro cementis dolant,& ſcopulant,& quia iſti lapides erant pro fundamento, vt patet hic,dicuntur cementarij dolaſſe eos, & erant iſti cementarij Salomonis,& Hiram,eo quòd ſerui vtriuſque laborabant ſimul in monte,ſicut dixit ſupra Salomon, ſint ſerui mei cum ſeruis tuis,quia in populo meo non eſt vir, qui nouerit ligna cædere,ſicut Sidonij.

Porrò Biblij præparauerunt lapides,& ligna. Scil. lapides dolabantur,& quadrabantur à cementarijs,qui erant artifices rudes,deinde Biblij,qui erant ſapientiores in hac arte, poliebãt illos, & reducebant ad quamcunque formam vellet: de lignis eodem modo fiebat,ſcilicet,quòd ligna cæderentur, & quadrarentur à quibuſcunque,deinde Biblij illa figurarent,ſicut vellent,ita vt in templum omnia ferrentur fabricata, & nihil ibi fieret,ſed ſolum ea,quæ facta erant extra Ieruſalem,ducebantur in Ieruſalem,& coniungebantur, & per illorum coniunctionem fiebat templum. Dicuntur autem Biblij viri quidam nominati à quadam ciuitate Phœnicis,quæ dicitur Biblos. De hac autem loquitur Ezechiel 27. cap. ſcilicet, Senes Biblij, & prudentes eius habuerunt nautas ad miniſterium variæ ſupellectilis tuæ. In Hebræo habetur Gebellim,vbi nos dicimus Biblij, & nomen gentis eſt, ſingulare autem eſt Gebal,& iſti Gebellim habitãt apud terram Iſraël iuxta Tyrum, & pugnauerunt aliquando contra Iſraëlitas. De hoc Pſalm. 82.ſcilicet,Moab & Agareni,Gebal & Ammon,& Amalec,& alienigenæ cum habitantibus Tyrum. Et ſic ponitur ibi Gebal pro nomine gentis,cuius plurale eſt Gebellim.

F

Ad ædificandum domum. Id eſt,fuerunt lapides politi, & ligna figurata per Biblios, vt nihil deeſſet ad ædificandam domum,niſi coniungere ipſa ligna,& lapides iam polita, & formata, ſicut cùm fit aliquod tabulatum ad ponendum in altaribus,nihil in Eccleſia fit, ſed ſolùm ibi compaginantur tabulæ,quæ exterius fabricatæ fuerant, & politæ, atq; depictæ.

A

CAPVT VI.

2 Para lip. 3.

FACTVM est ergo quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Aegypti in anno quarto mense Zio, ipse est mensis secundus regni Salomonis super Israël, ædificare cœpit domum Domino. Domus autem quam ædificabat Rex Salomon Domino habebat sexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine.

DESCRIPTA in præcedentibus materiæ præparatione, hic agitur de domorum ędificatione, & diuiditur in duas, quia primò agitur de ædificatione domus Domini: secundò de constructione regij palatij sequenti capit. Prima in duas, quia ponitur ædificationis tẽpus, secundò ædificij modus, ibi. *Domus autem quam ædificabat.*

An sit ordo continuus.

B

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, fuerint facta immediatè post præcedentia, & an sit continuatio ordinis, vel sit ordo mutatus?

Respondendum, quòd ista, & ea, quæ habentur præced. cap. simul fuerunt, nam supra dicitur de cæsione lignorum, & lapidum, & portatione eorum ad locum Sanctuarij: hic autem agitur de fabricatione ipsius Sanctuarij, fuerunt tamen ista simul, qui durauit ędificatio templi Salomonis, & domus suæ 20. annis, scilicet ædificatio templi septem annis, infra in litera, & ædificatio domus regis 13. annis, sequenti cap. & in omnibus istis viginti annis continuatum fuit opus cædendi lapides, & ligna, de quo præced. cap. dicitur, & etiam opus Sãctuarij in isto tempore factum est, ideo non procedit vnum ad alterum. vnde Salomon in fine viginti annorum dedit regi Hiram viginti oppida in terra Galilææ, quasi tunc finiretur opus, & daretur merces, infra 9. scilicet, expletis autem annis 30. postquam ædificauerat Salomon duas domos, id est domum Domini, & domum regis, Hiram rege Tyri prębente ligna cedrina, & abiegna, tunc dedit Salomon Hiram 20. oppida in terra Galilææ, prius tamen incepit id, quod habetur supra, quàm quod habetur hic, eo quòd prius incepit aliqua materia disponi, & duci in locum Sanctuarij, quàm ædificaretur aliquid de Sanctuario.

C

Quo tẽpore tẽplũ inceptũ est.

Factum est autem quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Ægypti. Hic ponitur tempus, quo incepta est ædificatio templi, quę fuit 480. annis post exitum de Ægypto.

In anno quarto. Scilicet regni Salomonis. Nam pauco tempore postquam accepit sapientiam Salomon à Deo, incepit ædificare. *Mense Zio.* Scilicet in mense secundo, qui vocatur Zio secundùm Hebræos.

Ipse est mensis secundus regni Salomonis super Israël. Id est, iste erat mensis secundus anni quarti regni Salomonis, & sic Salomon solum regnauerat tribus annis & vno mense qñ incepit templum ædificare, & disponere ea, quæ habentur hic.

Ædificare cœpit domum Domino. Istam domum ædificauit prius, & deinde palatium suum.

Quare in ædificatione templi ponitur annotatio temporis, cùm hoc non sit consuetum in sacra Scriptura.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR quare ponitur hic computatio temporis, scilicet, quando factum fuit Sanctuarium, nam non est ista consuetudo in Scriptura, quòd enarretur tempus præteritum in principio alicuius operis, licèt istud sit vsitatum apud aliquos historiographos.

D

Respondendum, quòd hic posita fuit summa annorum ad certificandum tempus, in quo factum est Sanctuarium, eo quòd erat istud de principalissimis, quæ facta sunt in Veteri testamento: nam in alijs quę minus principalia erant, scilicet in principijs ætatum Regum, & Iudicum non ponitur assignatio temporis ad hoc, quòd sciamus, quo tempore facta sunt, quia de illis non est principalis cura, ædificatio autẽ Sanctuarij, in quo debebat esse omnis cultus Dei, erat vnũ de principalissimis totius Veteris testamenti, ideo debuit poni annotatio temporis. Sic enim factum est in quibusdam alijs multum principalibus, vt patet de legis datione, in qua ponitur tempus ab exitu de Ægypto, Exod. 19. scil. mense tertio egressionis Israël de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinẽ Sinai, & ibi sequitur quomodo post tres dies data est lex. Item constructio tabernaculi Moysi fuit aliud de principalibus Veteris testamenti, quia in illo fuit totus cultus Dei vsq; ad templi Salomonis ædificationem, ideo assignatur tẽpus erectionis eius, Exod. 40. scil. igitur mense primo anni secundi in prima die mẽsis collocatum est tabernaculũ. Item numeratio Israëlitarũ, quę facta est in deserto prima vice fuit vnum de principalibus in Veteri testamento, eo quòd Israëlitæ ante hoc non erant distincti per tribus suas, & familias, quantum ad certitudinem numeri, nec erant eis assignata loca castrametandi, & modus mouendi castra, & quia in monte Sinai factum fuit hoc, quod acciperetur summa omnium tribuum cuiuslibet per se, & distinguerentur per vexilla, & assignarentur eis loca castrametandi, positum fuit tempus, quo hæc facta sunt, eo quòd nimis differebat nunc populus Hebraicus à præcedenti tempore, quia nunc erat exercitus ordinatus, & prius erat multitudo inutilis. De hoc Num. 1. scil. locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai anno altero egressionis de Ægypto prima die mensis secundi.

E

Item profectio Israëlitarum de monte Sinai fuit aliquid valde notabile, quia quando venerunt in Sinai non habebant legem, & quando recesserunt inde, iam habebant eam, etiam non habebant prius Sanctuarium, & tunc habebant, & prius non erant ordinati, & tunc erant ordinati in castrametationibus & progressionibus. Et quia multum differebat nunc status populi à priori conditione, posita fuit annotatio temporis progressionis de monte Sinai, Num. 10. scil. anno secundo, mense secundo 20. die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis, profectiq; sũt per turmas suas filij Israël de deserto Sinai. Debuit ergo hic fieri annotatio temporis.

Alia causa fuit, quia totus cultus Dei fuit in Sanctuario Moysi quòd fabricauerat in deserto, eo quòd iussum erat sub pœna mortis, ne quis extra illud offerret sacrificia, Leuit. 17. postquam autem fabricatum est templum Salomonis, cessauit cultus Dei in tabernaculo Moysi, ideo debuit hic poni annotatio temporis, vt per eam sciatur, quanto tempore durauerit cultus Dei in tabernaculo Moysi, & quanto tempore in templo Salomonis.

F

Annotatio temporis huius ædificationis quare potius fuit posita ab exitu de Ægypto, quàm ab alio tempore.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm deberet poni hic annotatio temporis, quare potius posita est ab exitu de Ægypto, quam ab alio tempore: nam poterat poni annotatio ab orbe condito, vt sciretur in quoto anno seculi factum est templũ Salomonis, vel fieret annotatio ab anno diluuij, vel ab anno natiuitatis Abrahæ, vel ab ingressu suo in terram Chanaan, vel ab ingressu Iacob in Ægyptum, quia omnes istæ annotationes ærarum erant satis rationabiles, & satis conuenientes Hebræis: nam istas annotationes ponit hic Iosephus 8. Antiquitatum.

Respondendum, quòd à qualibet istarum ærarum poterat fieri satis rationabiliter annotatio, fuit tamen facta potius ab exitu de Ægypto, eo quòd in Israëlitis erat, sicut in alijs gẽtibus. Nam quælibet gentes cõputant annos suos ab eo tempore, quo in eis accidit aliquid notabilissimum, sic inter Grę cos cœperunt computari tempora per Olympiades quasi incipiendo annos suos ab Hercule, qui Olympiades instituerat. Iterum autem à Troia capta cęperunt computare annos,

quia

A quia captio Troiæ fuit mirabilis victoria Græcorum, postea verò cęperũt ab Iphito Eleo, qui reparauit Olympiades, vt ait Solinus in Polyhistorum, deinde autem computauerunt à tempore Alexandri, quia ille fuit excellentissimus Rex Græcorum. Sic etiam Romani à principio computauerunt annos suos ab Vrbe condita, deinde tempore Octauiani cœperunt computare per æram, & indictionem, quę ab ipso Octauiano imposita est, & sic computabant omnes gentes, & vsq; hodie in quibusdam terris, quamquam Christo subditę sint, durat computatio per æram Cæsaris. In Hebræis autem nullum fuit maius bonum quàm liberatio de Ægypto, ideo non debuit fieri computatio per aliam æram. De prima æra, scilicet ab orbe condito dicendum, quod non attinebat ad Hebræos specialiter, sed generaliter inquantum ipsi, sicut & cæteræ res creati erant. Item non multum conueniebat eis æra à diluuio, eo quòd nihil speciale fuit in illa quantum ad Hebræos, licèt fuerit quasi quoddã principium sæculi, ideo erat communis ad omnes gẽtes. Item æra à natiuitate Abrahæ nõ erat specialis Iudæis, quia tunc non erat Abraham electus à Deo, vt esset pater Iudæorũ, scil. quia Deus nihil locutus fuetat ad eum, nec ad progeniem suam. Aliæ autem æræ, scil. ab ingressu Abrahę in terram Chanaan, vel ab ingressu Iacob in terram Ægypti pertinebant specialiter ad Hebręos, prima autem, quia Abraham præcepto Dei introiuit in terram Chanaan egressus de Mesopotamia, & tũc Deus promisit ei, quod
B benediceret ei, & multiplicaret ipsum, Gen. 12. Introitus etiã Iacob in Ægyptum pertinebat ad Hebræos inquãtum Iacob pater eorum præcepto Dei illuc introiuit. Gen. 46. & tamen ista duo non importabant aliquod magnum beneficium, sicut liberatio de captiuitate Ægypti, quia nullum maius bonũ potest homini esse, quàm libertas, potissimè quia captiuitas erat durissima: nam vocabatur fornax ferrea, sic enim Deus dixit Deut. 4. quòd eduxit Israëlitas de fornace ferrea Ægypti. Vocatur etiam ergastulum, vt patet Exod. 6. cap. ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute. Vocatur etiam catena ceruicum: Leuit. 26. scilicet, Ego Dominus, qui eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis, & qui confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti, ideo quandocunque Deus commemorat beneficia facta Israëlitis, vel ponit istud solum, vel ponit ante alia tanquam maximũ beneficium, vt patet sæpissimè in quatuor vltimis libris Moysi.

Captiuitatis Ægypti diuersa nomina.

Alia causa fuit, quia Israëlitæ nunquam fuerunt populus ante exitum de Ægypto, nam cùm introierunt in Ægyptum, nondum poterant vocari populi, quia solum erat Iacob cum filijs suis, & nepotibus, & cõputando omnes etiã vsq; ad paruulum vnius diei, non accedebant ad septuaginta. Genes. 46. In Ægypto autem, quamquam Israëlitæ multi essent, quia augebantur nimis, Exod. 1. tamen non merebantur vocari populus, eo quòd erant serui Ægyptiorum, & seruus non est aliquid sui ipsius, sed est homo simpliciter alterius, vt patet 1. Politicorum, cap. 2. vnde serui non possunt per se facere populum, cùm sint possessio dominorum suorum, 5. Ethic. & Exod. 21. nec etiam faciunt partem populi, cùm ipsi computentur, sicut bruta, vel quæcunque res possessæ, nec differunt serui à gladio, martello, & ferra, nisi sicut organum animatũ ab organo inanimato, 8. Ethic. Inceperunt ergo esse populus
C cùm primum exierunt de seruitute, & istud fuit in exitu de Ægypto, ideo ab eo tempore debet cõputari principium bonorum collatorum populo Hebræorum.

Alia etiam causa fuit, quia cultus Dei, & obseruatio omnium cæremoniarum erat in loco, vbi offerebãtur sacrificia, istud fuit primò in tabernaculo Moysi, deinde fuit in templo Salomonis, & ob hoc fuit rationabile, quòd cùm nunc cessaret cultus Dei in tabernaculo, & inciperet esse in tẽplo, quod poneretur quantum tempus fluxerat ab exitu de Ægypto, in quo anno constructum fuit tabernaculum Moysi vsq; ad inchoationẽ Sanctuarij, vel tẽpli Salomonis, & ob hoc omnes annotationes temporũ, quæ fiebant ante hoc, erant ab exitu de Ægypto. Sic enim habetur Exod. 19. annotatio dationis legis, scilicet mense tertio egressionis Israël de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Sic etiam in computatione facta in deserto ponitur ista annotatio Num. 1. scilicet locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai prima die mẽsis secundi anno altero egressionis eorum de Ægypto. Sic etiam in recessu de monte Sinai dicitur Numer. 10. Anno secundo mense secundo 20. die mensis eleuata est nubes. Sic etiam annotatio temporis erectionis tabernaculi Exod. 40. scilicet igitur mense primo anni secundi in prima die mensis collocatum est tabernaculum. Eadem annotatio ponitur Deut. 1. pro recitatione Deut. in quo erat secunda lex, vt patet Deut. 1. Iosephus tamen Antiquitatum 8. ponit plures ætates ad computandum, quando factũ fuit templum, dicens: cœpit Salomon templum anno sexcentesimo duodecimo filiorum Israël de Ægypto. Post mille & 20. annos aduentus Abraham de Mesopotamia in terram Chanaan à tempore diluuij anno millesimo quadringentesimo. Ab Adam anni tria millia centum, & duo. Tunc siquidem in regno Tyri vndecimum Hiram annum habebat. A Tyri verò conditione vsque ad ædificium templi fuit tempus annorum ducẽtorum quadraginta. Sciendum autem, quod licèt Israëlitæ computarent nunc annos suos ab exitu de Ægypto, eo quòd illud erat maximum, & recentissimum beneficium, tamen postquam ducti sunt in Babylonem, non computabant annos ab exitu de Ægypto, sed ab exitu de captiuitate Babylonica, eo quòd illud erat ita magnũ beneficium, sicut liberatio de Ægypto, & erat iam recẽtius, sic patet Ierem. 16. scilicet propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicetur vltra, viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Ægypti, sed viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Aquilonis, ante captiuitatem tamen Babylonis semper computabantur anni ab
E exitu de Ægypto, & non solùm anni, sed etiam menses mutati sunt, quia mensis ille, in quo exierunt de Ægypto factus est primus, quamquã ante illud non esset primus, vt patet Exodi 12. cùm dixit Deus mensis iste vobis principium mensium primus erit in mensibus anni.

D

Quomodo isti anni sunt computandi.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR vlterius quomodo computandi sint isti quadringenti octoginta anni.

Respondendum, quod sint computandi ab exitu de Ægypto per annos omnium principum, qui fuerunt vsque ad Salomonem, sed ad hoc sciendum, quod est magnus error in computando annos Iudicum, qui computari debent hic, eo quòd omnes Iudices fuerunt inter exitum de Ægypto, & regnum Salomonis: nam si computentur omnes anni, qui ibi sunt tanquam inter se distincti, non solum 480. anni colligentur, qui ponuntur hic, sed etiam vltra sexcentos, ideo debent omitti multi numeri coincidentes adinuicem, quorum doctrina & probatio declarata fuit Iudic. 3. Ideo computatio simpliciter fiet sic, scilicet quod accipiantur 40. anni ab exitu de Ægypto vsque ad introitum in terram Chanaan, quibus
F præfuit Moyses. Deinde 40. anni, quibus præfuit Othoniel primus Iudicum, & in istis 40. annis includitur totum tempus, quo dominatus est Iosue, & tempora media inter ipsum & Othonielem. De primis 40. annis Exod. 16. & Deut. 8. De secundis Iud. 3. Deinde accipiantur 80. anni quibus præfuit Aod Iud. 3. Postea accipiantur 40. anni, quibus præfuit Barac cum Debbora prophetissa, Iud. 5. Deinde sumantur anni 40. quibus præfuit Gedeon, Iud. 8. Postea 3. anni, quibus præfuit Abimelec filius Gedeonis, Iud. 9. Deinde sumantur 23. anni, quibus præfuit Thola, Iud. 10. Deinde 22. anni quibus præfuit Iair, eod. cap. Deinde anni 18. qui fuerunt sine Iudice, eodem cap. Postea anni 6. quibus præfuit Iephte Galadites, Iud. 12. Deinde anni 7. quibus præfuit Abessan de Bethlehem, eo. cap. Postea anni 10. quibus præfuit Abialon Zabulonites, eodem cap. Postea anni 8. quibus præfuit Abdon, eod. cap. Deinde anni 20. sub Samsone, Iud. 16. Postea anni 40. quibus præfuit Heli summus sacerdos, supra 1. lib. c. 4. Deinde 40. anni qui transierunt sub Samuele, & Saule, vt patet Act. 13. Deinde 40. anni sub Dauid, præced. lib. c. 5. & supra 2. cap. Deinde 3. anni sub Salomone: nam in principio quarti anni sui inceptũ est templum, vt patet hic, qui simul collecti efficiunt annos quadringentos, & octoginta.

Cõtra Ioseph.

Iosephus tamen 8. Antiquitatum ponit ab exitu de Ægypto vsque ad ædificationem templi annos sexcentos, & duodecim. Diuersitas autem ista nascitur, eo quòd Iosephus cõ-

A putat omnes annos medios inter Iudices, qui ponuntur in libro Iudicum, tanquam illi non sint coincidentes cum annis Iudicum, & tamē necesse est quod coincidant, alioquin summa annorū, quæ ponitur hic erit falsa cùm dicatur, quod anno 480. ab exitu de Ægypto fuit incepta ædificatio templi. Si tamen computemus omnes annos, qui sunt in libro Iudicū, proueniet ista summa quam ponit Iosephus, & adhuc superabundabit in annis nouem, scilicet, quia erunt sexcenti viginti vnus annus. nam computat Iosephus 26. annos quibus prę fuit Iosue computando ab exitu de Ægypto vsque ad exordium Iudicum, vel magis ad mortem Iosue. Deinde computat 8. annos quibus Israëlitæ afflicti fuerunt à Rege Mesopotamiæ priusquam Othoniel fieret iudex, Iud. 3. Deinde computantur 18. anni, quibus afflicti fuerunt Israëlitæ post mortem Othonielis antequam Aod esset iudex, eod. cap. Deinde computantur 20. anni quibus pressit Israëlitas Iabin rex Asor antequam esset iudex Barac, Iud. 4. Deinde anni 7. quibus oppressi fuerunt Israëlitæ à Madianitis, antequam Gedeon esset iudex, Iud. 6. Et 40. anni, quibus videtur vacasse principatus, & quibus oppressi fuerunt Israëlitæ à Philistinis. Iud. 13. qui anni collecti, & coniuncti precedentibus, efficiunt sexcentos viginti vnum, & superabundant nouem anni ad summam Iosephi, eo quòd ponit ipse pauciores annos, quàm nos in tempore Samuelis, & Saulis, computatio tamen vera est, quæ ponitur in litera. De annis autem, quos Ioseph insuper ponit,
B declaratum est in libro Iudicum, quomodo debeant computari cum annis ipsorum Iudicum.

Tempore quo ædificabatur templum Salomonis, vbi fiebant sacrificia.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR vlteriùs, tempore quo ædificatum est tēplum, vbi fiebant sacrificia, & aliæ cæremoniæ?

Respondendum, quòd nihil specialius fuit de tempore, quo fabricatum est templum, quàm de toto alio tempore, quod præcesserat ab exitu de Ægypto vsque ad initium ædificationis templi, nam semper fieri debuerunt cæremoniæ in Sanctuario, quod fecit Moyses vsquequo inceperunt cæremoniæ fieri in templo Salomonis, nam si alibi fierent peccatum erat, ideo cum tempore, quo ædificabatur templum Salomonis esset tabernaculum Moysi in Gabaon, vt patet supra tertio, & secundo Paralipomenon primo cap. debebant fieri omnes cęremonię in Gabaon, quousque ædificato templo Salomonis, & portata fuit arca de domo Dauid in Sancta sanctorum, & alia vasa sanctæ ministrationis: nam tunc inceperunt sacerdotes facere cæremonias in templo, vt patet infra 8. & 2. Paralip. 5.

Nicolaus tamen, & Hebræi dicunt, quòd toto tempore,
C quo fuit Sanctuarium in Silo, obligabantur Israëlitæ facere cæremonias in Silo, postquam autem mota fuit arca de Silo, dicunt quod poterant fieri cæremoniæ vbicunque, & offerri sacrificia in quocunq; loco, vsquequo ædificatum fuit templum Salomonis: post ędificationem autem templi huius obligabantur semper facere cæremonias in templo.

Sed istud falsum est, quia ante constructionem templi Salomonis semper fuit obligatio ad offerendum, in quocunq; loco esset tabernaculum, & non licebat fieri altare in diuersis locis, nisi ex speciali concessione, vt declaratum fuit supra 3. nam ibi dicitur, quod immolare in excelsis erat peccatum, cū dicatur de Salomone, quòd ipse ambulabat in præceptis Dauid patris sui, & diligebat Deum, excepto quod in excelsis immolabat, & accendebat thymiama.

An licuit Salomoni facere templum, vt post cessaret ritus legalis in tabernaculo.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo licuit Salomoni facere templum, in quo fierent omnes cæremoniæ legis, & cessaret fieri ritus legalis in tabernaculo, quod fecit Moyses, nam Deus iusserat, quòd ibi fierent sacrificia.

Respondendum secundùm quosdam, quòd non faciebat Salomon aliquid contra legem, quia ipse non destruebat ex D hoc tabernaculum Moysi, sed faciebat locum in quo conseruaretur illud tabernaculum. Patet enim de arca, nam eādem arcam, quā fecerat Moyses posuit Salomon in templo, quod erat infra 8. ca. & tamen in Silo sic factum est, quòd tabernaculum Moysi collocatum fuit intra quædam palatia magna, & sic postea in Nobe, & in Gabaon, & de his non dubitatur, an peccauerint Israëlitę ponendo tabernaculum in illis locis, ergo nec dubitari debet, an licuerit Salomoni facere nunc tē plum pro cæremonijs legis celebrandis.

Sed dicendum, quod non stat, quia in Silo & Nobe, & Gabaon positum fuit tabernaculum Moysi cum cortinis suis, & tabulis, & omnibus apparatibus, quæ fecerat Moyses, & tamē nunc non fuit sic in templo Salomonis, eo quòd ipse abstulit vsum cortinarum, & omnium operimentorum tabernaculi, & tabularum, quæ erant in circuitu cum vectibus suis. Etiam abstulit atrium tabernaculi cum velis suis de bysso, & cū columnis in circuitu, quia solum fuit arca posita intra domū quandam, quam fecerat Salomon, vt patet infra 8.

Dicendum igitur, quòd istud non licuisset Salomoni, nec alicui alteri, nisi ex Dei dispensatione, & sic fuit quod Deus reuelauit Dauid, quòd filius suus fabricaret illi templum, & in hoc dedit ei licentiam auferendi cortinas, & alia velamenta sub quibus erat arca, & vasa Sanctuarij, quia illa non fiebāt ad hoc, quod semper manerent, sed ex necessitate loci, & tem poris: nam in deserto non poterat fieri domus, in qua sine ve E lamentis, & cortinis maneret arca, & reliqua vasa. Etiā Deus declarauit, quòd quando ædificaretur templum, nihil debebat manere de illis operimentis, sed solùm vasa ministrationis. Quod colligitur præcedenti lib. c. 7. cùm dixit Deus ad Dauid, nunquid tu ędificabis mihi domum ad habitandum? Nec enim habitaui in domo ex die, qua eduxi filios Israël de terra Ægypti, vsq; in diem hanc, sed ambulaui in tabernaculo, & in tentorio per cuncta loca, quæ transiui: ergo videtur, quòd quando fieret ei domus non debebat habitare in tabernaculo & tentorio. De vasis autem ministrationis, quæ fecit Moyses an aliquid mutauerit Salomon, infra dicetur.

An reuelauerit Deus Salomoni quòd ædificaret templum in Ierusalem.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo sciebat Salomō quòd debebat ædificare templum in Ierusalem, vel si licebat ei ędificare templum in alio loco?

Respondendum, quòd non licebat Salomoni ædificare templum, nisi in Ierusalem, eo quòd Deus reuelauerat quòd in Ierusalem deberet ei ædificari domus, vt patet 2. Paralip. 6. scilicet, Elegi Ierusalem, vt sit nomen meum in ea, ergo si in alio loco ædificare vellet, peccaret. Sic enim dixerat Moyses F Deut. 12. quòd non offerrent Israëlitæ sacrificia in quocunque loco, sed in eo quem elegerit Dominus in vna tribuum Israël. Sed dicetur, an licebat Salomoni in alia parte vrbis Ierusalem ædificare, quàm in monte Sion, vel monte Moria, vbi nunc ædificauit?

Dicendum quod non, eo quòd Deus ostenderat illum locum Dauid: & Dauid dixerat Salomoni, vt patet 2. Paralip. 3. scilicet, cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ierusalem in monte Moria, qui monstratus fuerat Dauid patri eius in loco, quem parauerat Dauid in area Ornam Iebusæi. Item patet hoc, quia quando angelus Domini percutiebat Ierusalem, venit propheta Gad ad Dauid, & dixit ei, quòd ascenderet ad aream Ornam Iebusæi, & constitueret ibi altare, & cessaret ira Dei, & cessauit, præced. lib. cap. vlt. & ex tunc reuelatum est Dauid, quòd in eodem loco deberet ædificari templum. Non ergo licuisset Salomoni alibi ędificare. Dicitur autem quòd locus ille montis Sion, in quo ædificatum est templum erat angustus, & non capiebatur ibi magnum ædificiū, ideo Salomon deiecit cacumen montis illius, & in aream redigens maioribus spacijs diffudit, vt ait Iosephus 8. Antiq. & historia Scholastica.

A

Quomodo Salomon sciuit ædificare templum tantæ varietatis.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR vlteriùs quomodo Salomon sciuit ædificare sanctuarium cum tanta rerum varietate tam in ipso ædificio, quàm in vasis, & vtensilibus factis ad ministerium in templo.

Aliquis dicet, quòd sapiẽtia Salomonis fuit valdè magna, ideo poterat non solùm tantæ excellentiæ opus facere, sed etiam maioris. Sic patet in fabricatione domus suæ, quę opere mirabili constructa est seq. cap.

Sed dicendum, quod non est mirandum Salomonem sciuisse excogitare tantam pulchritudinem, & varietatem rerũ, sed erat mirãdum, quomodo Salomon vellet ista facere, nisi Deus ei reuelasset ædificij formam, quia quanquàm pulchrã varietatem excogitaret Salomõ, nesciret an illa placeret Deo. Dicendum ergo quòd Salomon nihil istorum egit sine Dei determinatione, nam Deus dederat exemplar huius ædificij Dauid, & Dauid dedit illud Salomoni, sic patet 1. Paralipom. 28. scilicet, dedit autem Dauid filio suo Salomoni descriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in abditis, & domus propitiationis, necnon omnium, quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitũ

B

in thesauros domus Domini, & in thesauros sanctorum: & ibi ponuntur omnia alia, quæ dedit Dauid Salomoni scripta, & posteà sequitur, quòd dixit Dauid: omnia, inquit, venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris, & sic Salomon non habuit quicquam addere, aut minuere, sed fecit iuxta exemplar ei datum. Nec decebat, quòd Salomon, aut aliquis alius ædificaret domum Domino ex arbitrio suo faciens omnia, quia tunc nesciretur, an aliquid illorum esset Deo acceptum. Sic factum est de tabernaculo, & vniuersis vasis eius, quæ fabricata sunt in monte Sinai: nam prius dabat Deus Moysi exemplar, & posteà iuxta illud operabantur artifices, sic patet Exod. 25. scilicet fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.

Quæ fuit figura tabernaculi Moysi, & atrij, & quæ erant vtensilia in eo, & quid de eis factum est in templo Salomonis.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlteriùs, an ea quæ prius ad ministerium Dei pertinebant in tabernaculo, quòd Moyses fabricauit nunc quoque pertinuerint, vel ablata sint de ministerio, & subrogata fuerint alia per Salomonem.

Respondendum, quòd Salomon fecit aliqua vasa ad

C

ministerium Domini, qualia erant facta per Moysem, quamquàm fecerit ea maiora, & aliqua in figura diuersa. Debuerunt autem esse nunc multa vasa ad maiorem honorem Sanctuarij, & ad necessitatem maiorem ministrationis, cùm nũc essent plures ministrationes in sacrificijs, & alijs cæremonijs, quàm fuerant tempore Moysi. De istis autem vasis infrà dicetur. Et patet hoc: nam vasa, quæ Nabuchodonosor transtulit de templo Dei solùm aurea, & argentea fuerunt quinque millia quadringenta, vt patet 1. Esdræ, cap. 1. & omnia illa reducta sunt posteà de Babylone in Ierusalem per Esdram, & socios suos, nunc tamen solum est dubium, an illa, quæ fecit Moyses in priori tabernaculo cessauerint à ministratione, vel suscepta fuerint cum alijs, quæ fecit Salomon.

Respondendum, quòd ad hoc considerandum est, quæ erant in tabernaculo Moysi, & sciendum, quòd ibi quædam erant tanquàm operimenta sacrorum vasorum, alia autem erant tanquàm vasa sacræ ministrationis.

De primis dicendum, quòd erat iste ordo, scilicet Moyses fecit tabernaculum, quod constabat ex tabulis grossis positis per tria latera, scilicet ad Occidentem, & Meridiem, & Septentrionem, ad Orientem autem nulla tabula erat, & istæ tabulæ erant deauratæ intus, & extra cum vectibus suis, erãtque istæ tabulæ viginti ad partem Septentrionalem cũ quadraginta vasibus, & totidem ad Meridiem cum vasibus suis ad Occidentem verò erãt octo tabulæ cum vasibus, tectum autem de tabulis nullum erat, sed de operimentis, & ista erãt quadruplicia. Primum erat operimentum cortinarum: secundum sagorum, quæ sunt de pilis caprarum: tertium erat de pellibus arietum rubricatis, quartum erat de pellibus hyacinthinis, & ista operimenta tegebant tectum tabernaculi, & pendebant super latera vsque ad terram, scilicet ad Meridiem, Aquilonem, & Occidentem. Manebat autem pars Orientalis tabernaculi aperta, per quam sacerdotes ingredi deberent ad ministrãdum, & tamen ne pateret quid erat intra tabernaculum, ponebatur in latere illo vnum tentorium pulchrum de auro, & hyacintho, & purpura coccoque bis tincto, & bysso retorta, deinde intra tabernaculum ponebatur quoddam velum ad Occidẽtalem partẽ, vt diuideret tabernaculũ in duas partes inæquales, scilicet vna erat viginti cubitorum in longitudine, & alia decem: pars autem minor erat ad Occidentem, & vocabatur sancta Sãctorum, vbi ponebatur arca. Pars autem viginti cubitorum ad Orientem vocabatur sanctum, vel Sanctuarium, & in hac erant multa vasa, de quibus infrà dicetur. Ista erat dispositio tabernaculi, de qua patet Exod. 26. ca. & ne possent accedere quicunque vellent ad tabernaculum, ponebatur in circuitu eius aliud vallum, & illud vocatur atriũ tabernaculi, quod sic fiebat: nam tabernaculum continebatur in medio illius valli. Et erat in longitudine triginta cubitorum, & in latitudine decem: vallum autem, siue atrium habebat in longitudine centum cubitos, & in latitudine quinquaginta, & habebat in latere Meridiano viginti columnas, & in Aquilonari totidem, & ista erant latera centum cubitorum, ad Orientem autem erant decem columnæ, & totidem in Occidente, & ista duo latera erant minora, scilicet quodlibet eorum cubitorum quinquaginta, & in istis columnis pendebant vela per totum circuitum ipsarum, & erat altitudo velorum, & columnarum quinque cubitorum, & sic continebatur intra ista vela, & columnas spacium quadrangulum centum cubitorum in longitudine, & quinquaginta in latitudine, ista erat dispositio atrij Exodi 27. & istud est quantum ad operimenta Sanctuarij Moysi. Secunda pars erat de vasis ministrationis. Et de istis dicendum, quòd intra tabernaculum in parte illa, quæ vocabatur sancta Sanctorum, erat arca fœderis, & nihil aliud: in secunda parte, quæ vocabatur sanctũ, erat altare aureum, scilicet altare thymiamatis, quod erat de lignis Setim, & deauratum, in quo quotidiè bis cremabatur thymiama. Exod. 30. erat etiam candelabrum de auro purissimo, in quo sacerdos bis quotidiè parabat lucernas eod. ca. erat etiam ibi mensa propositionis, in qua erant semper duodecim panes, qui mutabãtur per singula sabbata, vt ponerentur alij recentes. Leuitici 24. Erant quoque in illa mensa vasa aurea, & argentea, acetabula, & phialæ, thuribula, & Cyathi Exodi 25. intra tabernaculum autem nihil aliud erat, extra tabernaculum verò in atrio erat altare holocaustorum factum de ære, in quo cremabantur sacrificia, & erat ibi semper ignis, erant etiam cum eo semper vasa sua ænea, scilicet lebetes, & forcipes, fuscinulæ, & ignium receptacula. Exod. 27. erat etiam in atrio labrum æneum in quo lauabantur sacerdotes, antequàm ministrarent, & istud erat ad modum quorũdam lauacrorum factorum in monasterijs. De hoc Exod. 30. Nulla alia vasa erant in toto Sanctuario. Nunc autem dicendum de primis, scilicet de velamentis tam tabernaculi, quàm atrij, & primò de velamentis atrij, & columnis, quòd vsus illorum cessauit. Nam solum erat ad hoc, quòd Israelitæ non possent accedere ad tabernaculum, & quia iam fiebat domus Salomonis, in qua manerent vasa recondita, per ipsam cessabat vsus atrij, & non solùm facto templo Salomonis cessauit vsus atrij, sed etiam immediatè, vt Israelitæ locauerunt tabernaculum Domini in Silo: nam ibi constituerunt illud intra domum magnam, in qua nõ opus erat vallari tabernaculum atrio, sed solum fuit atrium tabernaculi pro tempore, quo Israelitæ manserunt in deserto, quia ibi nõ poterat poni tabernaculũ in aliquo loco, vbi custodiretur, ideo factum est atrium intra, quòd esset de cortinis, & alijs tribus operimentis tabernaculi. De tabulis, & vasibus eius dicendũ, quod vsus istorum cessauit, facto templo Salomonis, nam ipsa arca, quę erat intra sancta Sanctorum, posita fuit nunc in parte extrema templi Salomonis, & alia vasa quæ erãt in prima parte ta-

D

Dispositio atrij.

E

Vasa ministrationis.

F

Velamenta tabernaculi, & atrij cessauerunt.

A

bernaculi tempore Moysi fuerũt nunc posita in prima parte templi Salomonis, vt patet infrà in litera, ideo non fuerunt ibi tabulæ, nec operimenta ad tegendum.

Quæ generaliter cessauerunt.

Dicẽdum ergo generaliter, quòd omnes tabulæ, & bases, & columnæ, & vela, & operimenta, & tentoria tabernaculi, & atrij cessauerunt nunc ab vsu suo, sed quia ista erant sacra, & fuerant toto tempore præterito applicita cultui diuino, & quod magis est Moyses vnxerat illa oleo Sãcto, vt patet Exo. 31. & 40. & Nume. 7. ideo nunquàm poterant applicari ad vsus humanos, sed credendum est, quòd Salomon fecerit illa seruari in loco thesaurorum templi, vel in aliquo de cœnaculis, de quibus infrà dicetur, vt ibi abscondita, nunquàm iam ad aliquod ministerium ventura essent. De vasis autem tabernaculi, & atrij Moysi dicendum, quòd aliqua eorum manserunt in ministratione priſtina, pat. 1. de arca, quæ erat intra Sancta sanctorum, nam illam eandem posuit Salomon in templo, quod ædificauit, vt patet infrà octauo, & 2. Paralipomenon 6. erat autem intra tabernaculum Moysi altare aureum, scilicet altare thymiamatis, & istud non profecit posteà ad ministrationem, quia Salomon fecit aliud altare aureum maius, de hoc dicitur infrà in litera, scilicet, sed & altare vestiuit cedro, & primo Paralipomen. vigesimo octauo, dicitur: Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & altaria mea. Et intelligebatur de altari holocaustorum, & thymiamatis, ideo credendum, quòd altare, quod fecerat Moyses pro thymiamate conseruatum fuerit cum tentorijs, & alijs, quæ suprà dicta sunt. Nam non poterant esse duo altaria thymiamatis: Dauid tamen dederat aurum ad faciendum altare thymiamatis, primo Paralipomenon 28. alia vasa erant intra tabernaculum Moysi, scilicet candelabrum vnum, & mensa propositionis cum vasis aureis, scilicet acetabulis cyathis, & thuribulis. De istis dicendum est, quòd manserunt in ministratione, sicut prius: nam Salomon fecit alia candelabra aurea, & argentea, 1. Paralipomenon 28. & cùm ista multa essent, maneret cum eis candelabrum Moysi. Etiam fecit Salomon mẽsam auream propositionis, quæ erat pro panibus: fecit etiam multas alias mensas aureas, & argenteas pro vasis, vt patet eodem capitulo, ideo cum illis maneret mensa Moysi. Similiter fecit Salomon multas phialas, & thuribula, & cyathos, & alia vasa, sicut Moyses, quia ista non requirebant certum numerum, eodem capitulo, ideo cum illis manerent vasa facta à Moyse, & ista portata sunt de loco tabernaculi prioris, postquàm consummatum est templum Salomonis, & posita fuerunt ibi, vt patet infrà octauo, & secundo Paralipomen. 5. cap. venerunt que cuncti senes ex Israel, & tulerunt arcam sacerdotes, & portauerũt arcam Domini, & tabernaculum fœderis, & omnia vasa Sanctuarij, quæ erant in tabernaculo, & ferebant ea sacerdotes, & Leuitæ. Et sic patet de vasis, quòd ferrentur ad ministrationem, per tabernaculum autem intelligenda sunt operimenta, & tabulæ, de quibus suprà dictum est, & ista portata sunt nõ ad ministrationem, sed vt custodirentur in templo Salomonis. Erat autem extra tabernaculum in atrio altare holocaustorum, & de isto dicendum, quòd Salomon ædificauit aliud. Nam primo Paralipomenon vigesimo octauo, dicitur Salomon filius tuus ædificabit domum meam, & altaria mea. Et intelligitur de altari holocaustorum, & thymiamatis. Patet etiam, quòd ædificauerit: nam 2. Paralipomenon quarto dicitur, quòd fecit Salomon altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decem cubitorum altitudinis, & tamen altare, quod fecerat Moyses pro holocaustis erat minoris quantitatis, vt patet Exodi vigesimo septimo, scilicet quinque cubitorum in longitudine, & totidem in latitudine, & trium cubitorum in altitudine, & in illo altari Salomon offerebat victimas, vt patet infrà octauo. De isto altari Moysi, an manserit posteà in loco Sanctuarij, non apparet: satis tamen videtur, quòd solùm mãserit ad faciendum sacrificia illud altare magnum, quod fecit Salomon: nam sequenti lib. cap. 16. dicitur, quòd rex Acham fecit fieri aliud altare, sicut erat in Damasco. Et dicitur: porrò altare æreum quod erat coram Domino transtulit de facie templi, & de loco altaris: posuitque illud ex latere altaris ad Aquilonem, & posteà ibi sequitur quod iussit Acham quod super altare illud, quod nunc fecerat offerrẽtur omnia sacrificia: & aliud altare æreũ quod prius erat, iussit seruari ad

B

C

D

voluntatem suam. Ex quo apparet, quod solùm manebat tũc vnũ altare, in quo offerrentur holocausta, & istud erat altare quod fecerat Salomon: aliud autẽ altare quod fecerat Moyses videtur, quòd custoditum fuerit cum alijs, quæ suprà dicta sunt, vt non fieret in eis ministratio. Hoc satis apparet, quia sequenti lib. & 2. Paralip. quandocunque dicitur de immunditia templi per reges idololatras, & de purificatione eius per alios reges deuotos, vt per Ezechiam, & Iosiam semper fit mẽtio de vnico altari, & vocatur altare indeterminatè quasi vnicum esset. Vltimum vas quod erat in atrio tabernaculi Moysi fuit labrum æneum, in quo lauabantur sacerdotes: & de isto dicendum quòd cessauerit vsus eius, quia Salomon fecit mare æneum quantitatis magnæ, in quo lauabantur sacerdotes: fecit etiam luteres, & alia vasa in quibus lauabantur hostiæ, vt patet infrà 7. & 2. Paralipom. 4. labium autem æneum Moysi custoditum fuit cum alijs, quæ dicta sunt in thesauris templi, vt iam non esset ad ministrationem. Patet ergo ex his, quomodo se habuerint omnia, quæ fabricauit Moyses in deserto in tabernaculo, & atrio, quorũ cessauerit vsus, & quorum non.

Quem finem habuerunt ea, quæ erant in tabernaculo Moysi, & ea, quæ erant in templo Salomonis.

QVÆSTIO X.

E

QVÆRETVR vlteriùs quid factũ fuit de istis, quæ fecit Moyses in tabernaculo, & atrio, scilicet quis fuerit finis eorum: & item de his quæ fecit Salomon.

Respondendum, quòd omnia hæc manserunt in templo Salomonis vsque ad tempus captiuitatis Babylonicę: & tunc dicitur quòd Ieremias ingressus templum tulit arcam de sancta Sanctorum iubente Deo, & cum illa tulit tabernaculum & altare incensi, & posuit in sepulchro Moysi, vt patet 2. Machabæorum capitulo secundo, sed liber ille non est nimis approbatus ab Ecclesia, ideo satis poterat teneri contrarium.

Vide Conc. Trid. sess. 4. vbi liber primus, et secũd⁹ Machab. approbãtur.

Dicendum igitur quòd omnia vasa tam aurea quàm argentea tulit Nabuchodonosor in Babylonem, quando captiuauit regem Ioachim sequenti libro, capitulo vigesimo quarto, & ibi accepta sunt tã vasa, quæ fecerat Moyses quàm Salomon: manserunt autem vasa ænea in templo, & illa non tulit Nabuchodonosor, sed posteà Nabuzardam princeps exercitus confregit illa, & duxit in Babylonem sequenti libro, capitulo vltimo: reliqua autem facta de lignis auratis, & vestes incendio perierunt, quia Nabuzardam combussit templum eodem capitulo, & ibi perierunt tabulæ tabernaculi, quas fecerat Moyses, & vela & tentoria, & operimenta cum alijs vestibus, quas fecit Salomon, vel fortè Chaldæi diripuerunt sibi omnia ista velamenta, & vestes sacerdotum, & Leuitarum eo quòd precioſæ erant: in reuersione autem de Babylone nihil de his, quæ erant in templo reductum est in Ierusalem nisi vasa aurea, & argentea quinque millia, & quadringenta, vt patet Esdræ 1. cap. 1. vasa autem ænea non fuerunt reducta in Ierusalem, eo quòd illa confregerat Nabuzardam, sed posteà de nouo fabricauerunt Hebræi omnia alia vasa, quæ necessaria erant ad ministrationem, arca tamen nunquàm fuit in templo postquàm redierunt de Babylone, eo quòd tulerat eam Ieremias in sepulchrum Moysi, vt dictum est. Hebrei autem non ædificauerũt posteà aliquid loco arcæ, quia arca facta erat solùm propter tabulas testamenti, & vrnam auream, in qua erat manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, vt patet infrà 8. & 2. Paralip. 5. & ad Hebr. 9. ista tamen perierant, quia Ieremias tulerat illa in sepulchrum Moysi, ideo superuacuum erat construi arcam, in qua nihil poneretur, vnde tempore Christi quamquàm esset sancta Sanctorum, non erat ibi arca fœderis cum Cherubim. Cætera autem, quæ ad ministrationem pertinebant Hebræi nouiter fabricauerunt. Patet igitur ex dictis qs fuerit exitus eorum, quæ fecerat Moyses in tabernaculo, & atrio, & eorum, quæ fecit Salomon.

F

Quid factum est de arca fœderis.

Dominus autem. Hic ponitur secundũ, scilicet ædificationis mod⁹, & diuiditur in quatuor, qa primò ponit ædificationis forma, quantum ad templum, & porticum, secundò quantũ ad deambulatorium, & interiorem dispositionem parietum

ibi.

A ibi. *Ædificauit.* Tertiò ponitur ædificatio quantum ad dispositionẽ domus interioris,& exterioris ibi. *Ædificauitq;* Quartò ponitur dispositio quantum ad atrium, & introitum ibi. *Fecit in introitu.*

Circa primum considerandum, quòd in cap.& isto,& sequen.& 2.Paralip.cap.3.& 4. ponitur ædificatio templi, quæ nimis intricata est propter hoc,quia multa omittuntur,& alia sæpè replicantur,& ordine conuerso ponuntur.Ideo primò dicetur hic de ipsa forma ędificij in generali solùm quantum ad parietes, & tectum, postea autem exponendo literam dicetur de singulis partibus per se quantum ad pulchritudinem suam,& de vasis,quæ facta sunt ad ministrationem Sanctuarij.

Forma templi Salomonis secundũ Latinos.

Considerandum circa hoc, quòd templum Salomonis erat quædam domus valdè magna, in qua dispositio erat ista, quòd longitudo erat 60 cubitorum, & latitudo erat cubitorum 20. vt patet in litera, & accipiebatur longitudo eius ab oriente in occidentem,sicut in tabernaculo Moysi,& latitudo à meridie in Septentrionem, altitudo autem erat centum & viginti cubitorum, vt patet 2.Paralip.3. & sic erat templũ factum ad modum turris, quia altitudo erat maior longitudine in duplo, & maior latitudine sexcuplo. Vnde vocatur sæpè turris in scriptura: nam dicitur turris nebulosa,vt patet Micheæ 4.scilicet, Et tu turris gregis nebulosa,filia Syon vsque ad te veniet.

Templũ Salo. erat ad modũ turris.

B Sciendum vlteriùs, quòd ista domus secundùm altitudinem erat diuisa per tres partes,scilicet à pauimento,vsque ad altitudinem triginta cubitorum erat prima domus, quæ habebat ibi tectum, & ista erat, in qua fiebant omnes cæremoniæ sacerdotum,& Leuitarum,vt postea dicetur,& super istã erat alia domus habens in altitudine triginta cubitos, & super eam erat tertia domus habens in altitudine cubitos sexaginta:& ista perueniebat vsq; ad supremam partem templi:nam istæ tres domus,vel cœnacula continebant centum, & viginti cubitos in altitudine, tectum autem supremũ templi erat planum ad modum domorum Palæsthinæ. Habebat autem in circuitu eminentem supra quandam clausuram de mœnibus,sicut fit in turrib⁹, quia supra planitiem supremam turris eleuantur mœnia in circuitu. Etiam turres habent domos interiùs vnam super aliam, & sic per ordinem ascendendo vsque ad supremam turris planitiem. Habebat autem templum in suprema parte imagines aureas ad abigẽdas volucres, vt de longè aspicientibus quasi sylua aurea videretur. Erant quoq; de mœnibus dependẽtes vuæ aureæ cum pampinis aureis tam subtiliter fabricatis,vt sursum aspicientibus quasi ad auram semper moueri viderentur.

Sciendum autem,quòd duæ domus istarum,scilicet superiores non habent expressa aliqua ministeria, ad quæ essent. Ideo scriptura rarò de eis mentionem facit, sed credendũ est quòd ibi reponebantur thesauri templi,& vestes ministrorũ, & alia multa,quia erant ibi securissima. De domo autem inferiori fit tota mentio in scriptura,& ista erat in longitudine sexaginta cubitorum, & in latitudine viginti, sicut aliæ duæ domus superiores: altitudo autem erat triginta cubitorum à pauimento vsq; ad tectum, & ob hoc dicitur hic, quòd altitudo templi erat 30.cubitorum,quia solùm fit mentio de ista prima domo. Ista autem erat facta de lapidibus marmoreis pulchris, & omnes parietes eius interiùs erant operti tabulis cedrinis,& abiegnis, ita vt nullus lapis videretur in tota domo per partem interiorem. Et istæ tabulæ habebant imagines prominentes, tam in tecto quàm in parietibus, & erant totalitar deauratæ. Pauimentum quoq; quod de marmore erat,opertũ erat tabulis abiegnis, vel buxinis, vt dicunt Hebræi,& istæ tabulæ erant opertę laminis aureis,ita quòd totũ templũ interius,tam in tecto,quàm in parietibus,& in pauimento erat opertũ auro, ita vt nihil videretur in domo,nisi aurũ purissimum,vt patet infrà in litera.Deinde ista domus, quæ erat in longitudine cubitorum sexaginta erat diuisa pariete vno, qui relinquebat versus Occidentem viginti cubitos,& versus Orientem quadraginta, & sic fiebant duæ domus, quarum illa, quæ erat quadraginta cubitorũ, erat apud portam,& vocabatur Sanctum,vel sancta, & in ista erat mensa propositionis cũ panibus,& erant cãdelabra aurea, & erat altare aureum thymiamatis. Ad istam domũ primam ingrediebãtur aliqui de sacerdotibus quotidiè ad cremandũ thymiama,& ad parandum lucernas, & in diebus Sabbatorũ ad mouendum panes,qui erant in mensa propositionis tollẽdo veteres,& ponendo recentes. Secunda domus habens viginti cubitos in lõgitudine, & totidem in latitudine,& totidem in altitudine secundùm Hebræos, vel secundùm nos triginta cubitos in altitudine,vocabatur sancta Sanctorum,in qua solùm erat arca fœderis,& Cherubim, quos fecerat Salomõ de lignis oliuarum. Ad istam domũ solus summus sacerdos ingrediebatur,& hoc semel in anno, & hoc in die propitiationis,vt patet Leuitici 16. cap. & ad Hebræos 9. ista autem erat dispositio domus,quãtum ad partem interiorem. Ostiũ autem,per quod intrabatur erat solùm ad Orientem,cæteræ autem partes clausæ parietibus erant.

D

De dispositione autem exteriori domus,dicendum quòd erant parietes de marmore albo & pulchro, & non erant inuestiti auro,sicut intus. Habebat autem in parte anteriori Orientali,vbi erat porta,quendam porticum,super quem erat appenditium quoddam in suprema parte templi,scilicet, eleuatum centum,& viginti cubitis,sicut ante portas domorum solent ipsa tecta prominere per aliquantum spacium ad defensionem ab imbribus. Erat autem longitudo istius porticus viginti cubitorum, iuxta quantitatem latitudinis domus,quæ erat etiam viginti cubitorũ, vnde tota pars Orientalis templi,vbi erat porta erat operta porticu: deinde sciendum, quòd per latera tria templi, scilicet ad Occidentem, Meridiem,& Septentrionem erãt tabulata quædam in circuitu templi, per quæ poterant discurrere illi,qui suprà ascendissent, & ita tabulata erant facta in modum propugnaculorum, vt inde possent sacerdotes pugnare contra quoscunque inuadentes templum. Erant autem ista tabulata sic facta,quòd illæ trabes, quæ faciebant tria tecta domus transibant per parietes, & prominebant vltra domum, & in parte prominenti fiebat tabulatum, vtpotè prima domus habebat in altitudine 30.cubitos computando à pauimento versus sursum,& ibi erant trabes, & illæ trãsibant per parietem, & prominabant extra, & istud erat in circuitu totius templi, & in parte illa prominenti ponebatur pauimẽtum de tabulis,& erigebatur quoddam tabulatum in latere, ne ambulantes possent cadere extra, & ista tabulata vocantur secundùm quosdam pinnacula templi,de quibus Matth. 4. secundum tabulatum erat factum per istum modum, vbi erat tectum secundæ domus, & tertium tabulatum erat vbi egrediebanẽ trabes tecti tertiæ domus,scilicet apud supremã partem templi.Ista descriptio est secundùm Latinos. Hebræi tamen & Iosephus aliter volunt,scilicet quòd in circuitu templi essent quædã latera, vel tabulata,i.domus lateraliter adhærẽtes parieti templi,& istæ domus erant sic constitutæ, quod erãt ad latus meridianum,& occidentale,& aquilonare templi. Ad latus autem orientale nullæ domus erãt ne impedirent porticum,erant autem istæ domus sic ordinatæ,quòd prima earum erat quinque cubitorum in altitudine, & secunda totidem,& tertia totidem, & per vnam earum ascendebatur ad aliam,quoniam erat scala facta intra parietem per gyrũ, quæ vocatur cochlea, sicut fit in quibusdam turribus ecclesiarũ, & tunc istæ domus pertingebant 15. cubitis à terra, & manebant alij quindecim cubiti de altitudine primæ domus, in quibus factæ erant fenestræ, vt ingrederetur lumen in templum.Quid autem istorum verius sit,infrà dicetur.Quidqd tamen dicatur scala, per quã ascendebatur ad istas domos, quas ponunt Iudæi,vel ad tabulata,quę nos ponimus,erat in ipso pariete templi,& ab vna in aliã ascendebatur,sicut suprà dictum est,& secundùm Hebræos vocantur istæ domus exedræ,de quibus sæpè fit mentio in libris Regum, & Paralip.& Prophetarum. istud autem erat quantum ad dispositionem ipsius templi,& intra istud non licebat alicui stare, nisi sacerdotibus. Nam etiam Leuitæ non poterant illuc introire, quia istud templum Salomonis obtinebat nunc vicem tabernaculi Moysi, & tamen in tabernaculum nunquàm intrabant Leuitæ, sed sacerdotes soli, vt colligitur Numeri 3. & 18.& ad Hebręos 9.Sciendum autẽ,quod extra istud templum apud partem orientalem erat quædam platea magna vallata muro excelso, & intra istam erant tres distinctiones, quæ vocantur tria atria: vnum illorum erat atrium sacerdotum,in quo erat altare holocaustorum, & illuc nõ introibat aliqs de laicis,sed si quis offerre vellet aliquod animal, accedebat

E

Forma templi Sal. secundũ Hebræos.

F

C

A debat ad ostium illius atrij, & ibi sacerdotes susciebant illud. Alia duo atria erant, quædam loca amplissima distincta, vnum pro mulieribus, & aliud pro viris, & ibi orabant & videbant, quomodo fierent sacrificia. Istud autē non erat templum, sed aliquando vocatur templum, sic patet infrà octauo capitulo, cùm dixit Salomon: si aliquis veniret ad orandum in templo, non licebat tamen alicui orare ibi, nisi sacerdotibus quando introibant ad faciendum ministeria. Etiam dicitur, quod Christus introiuit in templum Salomonis Matth. vigesimo, & tamen manifestum est, quod cùm Christus non esset sacerdos, sed vir de tribu Iuda, non permitteretur introire in templum, sed introiuit in templū Salomonis, id est, in atrium, vbi erant viri ad orationem. Ista atria, quæ dicimus esse tria aliquando vocantur duo, vt patet sequenti libro, capitulo vigesimoprimo, scilicet, & extruxit altaria vniuersæ militiæ cœli in duobus atrijs templi Domini. Sed fortè accipitur ibi solum pro atrio sacerdotali, de quo magis ibidem videbitur. Ista autem quæ dicta sunt de templo, & atrio non possunt figurari in plano, eo quòd sunt solida corpora, & nō possunt omnia latera sua exprimi in plano, vbi solùm est vna superficies, & tamen deberent apparere 6. vt perfectè exprimeretur corpus solidum. Nicolaus autem ista figurat; sed quia non credidi aliquid posse exprimere in figura de istis, quæ dicta sunt, figurare non curaui, quia satis patet cuilibet cogitanti in dictis, quomodo figurari debeat cùm modicum differat templum Salomonis à figuratione vnius turris habentis tria genera camerarum in ascensu, & exterius prominentia tria tabulata per gyrum, quæ nos balcones vulgariter appellamus, ideo venio ad literam.

B

Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino. Solùm intelligitur hoc de templo excludendo atria, in quibus fiebat sacrificium, & oratio popularium, eo quòd illa atria non vocabantur domus, quia non habebant tectum, sed solum erat quædam platea magna patens soli & aëri, & per latera erat solum vallata muro, sicut atrium, quod fecerat Moyses in circuitu tabernaculi, de quo suprà dictum est, & habetur Exod. 27.

Habebat sexaginta cubitos in longitudine. Cōsiderabatur longitudo ab oriente in occidentem, & latitudo à septentrione in meridiem, sicut erat in tabernaculo Moysi, Exod. 26. & ob hoc paries septentrionalis & meridianus erant lōgiores, scilicet, quilibet sexaginta cubitorum.

Et viginti cubitos in latitudine. Ista erat longitudo parietum duorum, scilicet, occidentalis & orientalis, & sic longitudo erat tripla ad latitudinem, & altitudo erat dupla ad longitudinem, scilicet, quia erat centum, & viginti cubitorum, & erat sexcupla ad latitudinem.

Et triginta cubitos in altitudine. Sed obijcietur, quia 2. Paralip. 3. dicitur, quòd altitudo templi erat cubitorum centum & viginti.

C

Respondendum, quod ibi agitur de altitudine totius templi: hic autem de altitudine solius primæ domus: nam de alijs duabus domibus parua mentio fit, eo quòd illæ non proficiebant ad ministrationem sacram sicut domus inferior.

Pro quo sciendum, quòd tota altitudo templi, quæ erat centum viginti cubitorum, erat diuisa per tres partes: prima erat à pauimento vsque ad triginta cubitos, & ibi erat vnum tectum: secunda ab ipso tecto vsque ad alios triginta cubitos, & ibi erat secundum tectum: tertia ab ipso loco vsq; ad sexaginta cubitos, & ibi erat tectum supremum templi. Hic autem solùm dicitur de prima domo, in qua erāt sancta Sanctorum, & domus maior, quæ vocatur sancta.

Sciendum autem quòd cùm dicitur hic, quòd longitudo erat sexaginta cubitorum & latitudo viginti, solùm accipitur hic pro spacio contento intra parietes non computando grossitiem parietum: nam vt quidam volunt quilibet paries habebat grossitiei decem cubitos, & computando grossitiem parietum esset longitudo octoginta cubitorum, & latitudo quadraginta.

Quare Salomon fecit templum maioris quantitatis, quàm fuit tabernaculum Moysi, cùm fuerit eiusdem figuræ.

D

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR quare factum est istud templum maioris quantitatis, quàm tabernaculum, quod fecit Moyses, nam illud erat in longitudine cubitorum triginta, & in latitudine decem, & in altitudine totidem, vt colligitur Exo. 26. & ibi declaratum est.

Aliquis dicet, quod istud factum est ad hoc, quòd caperetur maior multitudo in Sanctuario: nam tempore Salomonis erant valdè plures Hebræi quàm tempore Moysi.

Sed dicendum, quod non stat, quia non introibat aliquis de Israelitis tempore Moysi in tabernaculum, nisi sacerdotes, tempore quoque Salomonis soli sacerdotes ingrediebantur, ideo non oportebat esse maiorem domum, nam omnes alij manebant in atrio, vbi fiebant sacrificia, & illud solum oportebat dilatari.

Sed adhuc dicetur, quòd cùm nunc essent plures sacerdotes quàm tempore Moysi, oportebat templum, in quod illi ingrediebantur, fieri maius quàm tabernaculum Moysi.

Sed dicendum, quod istud nō stat: nam esset verum si ingrederentur omnes sacerdotes in templum ad ministrandū, vel laudandum Deum, sicut faciunt sacerdotes nostri, qui simul ingrediuntur Ecclesiam, & tamē in tabernaculū Moysi vnicus sacerdos introibat, scilicet in mane, & in vespere ad cremandum thymiama, & ad collocandum lucernas. Exodi 30. cap. sic etiam in templum Salomonis vnicus sacerdos intrabat ad faciendum prædicta, scilicet incendere lucernas, & cremare thymiama. Sic colligitur Lucæ 1. cap. de Zacharia patre beati Ioannis, qui solus introiuit ad ponendum incensum, & totus populus expectabat eum exterius, apparuitque tunc sibi Gabriel, & factus est mutus, ergo etiam non oportebat propter hoc fieri maius templum Salomonis, quàm erat tabernaculum Moysi.

E

Sed dicendum, quod factum est maius propter duo, primò propter pulchritudinem, & excellentiam: nam Dauid dixerat primo Paralipomenon vigesimo secundo cap. domus quam ædificare volo Domino, talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur, in paruo autem ædificio nō potest esse magna pulchritudo, sicut dicit Aristoteles de hominibus valdè paruis, quòd quamquàm membra eorum sint proportionata non vocantur pulchri, sed poterunt vocari formosi, eo quod ad pulchritudinem requiritur debita magnitudo, & sicut est in homine, ita est in ædificio. Tabernaculum autem Moysi fuisset factum maius, vt esset pulchrius, tamen quia erat portandum humeris hominum, & in curribus Numeri 7. si esset valdè magnum efficeretur importabile, ideo magis curatum est de necessitate, quàm de pulchritudine. Templum autem Salomonis erat aliquid manens, ideo poterat fieri in quantacunque magnitudine ad hoc, quòd esset pulchrum.

F

Secunda causa fuit, quia templum Salomonis ædificatum fuit tale ad fortitudinem, vt esset ibi defensio ab hostibus, sicut in castro fortissimo, & ob hoc facta fuit tanta altitudo templi, scilicet centum viginti cubitorum. Etiam erant facta tria latera, vel ambulatoria in circuitu, quo erant propugnacula, ex quibus poterat pugnari contra hostes, ideo debuit esse ædificium satis lōgum, & latum, quia si esset angustum, & breue in longitudine non posset fieri valdè altum, nec esset tantæ fortitudinis. Tabernaculum autem Moysi non erat ad aliquam fortitudinem cùm esset de tabulis, & operimentis portatilibus, ideo etiam si fieret paruum nihil referebat.

Sciendum autem quòd licèt templum, & tabernaculum Salomonis non fuerint eiusdem magnitudinis, tamen erant aliqualiter secundùm vnam proportionem, scilicet, longitudo tabernaculi erat triginta cubitorum, & latitudo decem, vt colligitur Exodi vigesimosexto. ita longitudo templi erat sexaginta cubitorum, & latitudo viginti, & sic longitudo est dupla ad longitudinem, & latitudo dupla ad latitudinem, & tamen in eodem longitudo ad latitudinem est tripla: altitudo autem non tenet proportionem, quia in templo Salomonis altitudo centum & viginti cubitorum, & sic erat dupla ad longitudinē, & sexcupla ad latitudinē, in tabernaculo tamen erat altitudo æqualis altitudini, scilicet decem

cubi-

A

cubitorum, & erat ſubtripla ad longitudinem, ſcilicet, quia erat decem cubitorum, cùm quælibet tabula tabernaculi ſolùm eſſet altitudinis cubitorum decem, vt patet Exodi 26. cap. cauſa autem, quare non fuit ſeruata proportio in latitudine, & longitudine ad altitudinem in tabernaculo, ſicut in templo, fuit quia altitudo tabernaculi erat altitudo vnius tabulæ, quę nō poterat eſſe valdè longa, vel ſi reperirentur valdè longæ eſſent importabiles, ideo fuerunt ſolùm decem cubitorum, vt ſic portatiles eſſent, in templo autem, quia erat aliquid manens poterat fieri quæcunq; altitudo.

Fabricatio porticus.

Et porticus erat ante templum. Hic ponitur fabricatio porticus: pro quo ſciēdum, quòd porticus dicebatur eſſe quoddam ſpacium planum ante portam templi, quod erat ad partem orientalem eius ſecundùm magnitudinem tecti ſuprà poſitam, ad alia autem latera templi, ſcilicet Meridianum, Aquilonare, & Occidentale non erat porticus, quia porticus dicitur ſpacium, quod eſt ante portam, quod tamen tecto apertum eſt, & quia vnica porta erat templi, ſcilicet ad Orientem, erat vnicus porticus, reliqua autem latera templi habebant deambulatoria tria per gyrum, de quibus infrà dicitur, ſed non habebant porticus. In iſto porticu templi Salomonis aliquando Chriſtus ambulabat, vt patet Ioan. 10. cap. ſcilicet & ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis, & in loco illo licebat cuilibet ſtare, eo quod erat extra templum.

B

Viginti cubitorum longitudinis. Scilicet porticus habebat in longitudine cubitos viginti. Conſiderandum, quòd longitudo porticus aliter accipitur quàm lōgitudo templi, quia longitudo templi accipitur ab Oriente in Occidentem, & latitudo ab Aquilone in Meridiem, longitudo autem porticus accipitur à Meridie in Septentrionem, & latitudo ab Oriente in Occidentem.

Iuxta menſuram latitudinis templi. Id eſt tanta erat lōgitudo porticus, quanta erat latitudo templi, erat aūt latitudo templi viginti cubitorum, & æqua erat longitudo porticus, vel aliter intelligitur iuxta menſuram latitudinis templi, id eſt, longitudo porticus conſiderabatur ab illa parte, à qua erat latitudo templi, ſcilicet, à Meridie in Septentrionem. Et iſte eſt ſenſus, quem intendit litera, & ſic totum latus Orientale, quod erat latitudo templi habebat porticum.

Et habebat decem cubitos latitudinis. Accipitur latitudo porticus ab Occidente in Orientē, & iſtud eſt quantitas, p quam prominebat tectum à templo verſus foras, & in iſtis decem cubitis defendebantur manentes infrà à pluuijs.

Ante faciem templi. Id eſt, iſte porticus erat ſolùm in facie templi. Vocatur facies impropriè, nam facies vel poſteriora antè, vel retrò dextrorſum, vel ſiniſtrorſum non conſideran tur propriè, niſi in re animata, in domo autem accipiuntur largè, ſcilicet pars, vbi eſt porta vocatur facies, & ſecundùm hoc accipiuntur poſteriora, & dextrum, & ſiniſtrum, vel vocatur facies templi, quia erat Orientalis, & oriens in mundo eſt pars anterior, ſecundùm quod quidam conſi derent: philoſophus tamen, 2. de cœlo & mundo vocat oriētem partem dextram mundi. *Fecitq; in templo feneſtras obliquas.* Vocantur feneſtræ obliquæ illæ, quæ à parte exteriori ſunt paruæ, & interiùs dilatantur, & ſic lineæ laterales non ſunt paralelæ, ſed extenduntur, & elongantur à ſe inuicem, ſicut latera triangulī: iſtud autem fit ad hoc, quòd lux multa intret per illas, quòd nō fieret ſi eſſent feneſtræ æquales intus, & extra: cauſa huius eſt, quia radij ſolis venientes ab extra interſecant ſe in ſuperficie feneſtræ, vbi eſt locus ſtrictior, & deinde dilatantur, & intrat lux in domum per modum pyramidis auerſæ, de quo patet 1. lib. perſpecti. communis propoſitione, 6. & ſic fiunt feneſtræ communiter in eccleſijs, & in alijs domibus.

C

Et ædificauit ſuper. Hic ponitur ſecundum, ſcilicet ædificatio quātum ad deambulatoria, & interiorem diſpoſitionem parietum, & primò ponitur hic de ipſis deambulatorijs. Conſiderandum autem circa iſta, quod aliter aſſignantur à Iudæis, & aliter à nobis: nos enim ponimus tria deambulatoria, quæ fierent ſuper trabes eminentes de domo: nam accipiendo à pauimento verſus ſupra cubitos 30. erat ibi tectum, & trabes prominebant per parietem extra templum per 5. cubitos, & computando ab ipſis trabibus verſus ſupra fiebat aliud tectum in fine 30. cubitorum ſecundorum, & ibi ponebantur trabes ſecundæ, quæ prominebant extra parietem per 6. cubitos, & ab ipſo loco verſus ſupra per 60. cubitos erat aliud tectum de trabibus, quæ prominebāt extra parietem per 7. cubitos, & ſuper iſtas trabes ponebantur tabulæ, vt fieret pauimentum de eis, & erigebantur alia latera de tabulis in altum ſuper extremitates trabium, & ſic fiebat deambulatorium in circuitu templi, de quo non poſſet aliquis cadere cùm eſſet murus factus de tabulis in gyro. Sciendum, quòd iſta latera, vel tabulata, ſiue deambulatoria dicuntur eſſe hic tria: non quidem, quia erant in tribus lateribus, ſcilicet, Meridiano, Occidentali, Aquilonari, ſed quia erant in quolibet latere iſtorum iſta tria: nam primo modo vnum ambulacrum vocaretur tria ambulacra, vel tabulata, ſed quodlibet iſtorum trium tabulatorum circuibat tria latera in gyro, eo quòd trabes, quæ prominebant per parietem meridianum prominebant etiam per parietem Aquilonarem, & aliæ trabes, quo reſpondentes iſtis prominebant per parietem Occidentalem. Et ſic quodlibet iſtorum ambulatoriorum tranſibat per parietem Meridianum Occidentalem, & Aquilonarem, ſed non redibat ad idem punctum, eo quòd iſta tabulata non tranſibant per partem Orientalem, vbi erat porticus, & tunc dicitur de iſtis, quod primum tabulatum, vel ambulatorium, quod erat inferiùs habebat quinque cubitos, & ſecundum ſex, & tertium ſeptem, iſtud aſſignatur dupliciter. Vno modo, quòd prominerent trabes inferiores ſolùm quinque cubitis, & trabes ſecundi tabulati prominerent ſex cubitis, & trabes tertij tabulati prominerent ſeptem cubitis, & ſic illi, qui erant in ſuperiori tabulato poterāt videre omnes adhęrentes parieti templi non impedientibus viſum inferioribus tabulatis, ſi tamē æqualiter prominerent iſtæ trabes omnium tabulatorum, impedirentur, qui erant in ſuperioribus tabulatis videre obſtantibus inferioribus tabulatis. Alio modo aſſignatur iſtud, ſcilicet, quòd trabes æqualiter ſe haberent, ſcilicet, quod proiecto perpendiculo à ſuperiori tabulato tangeret extremitates duorū tabulatorum inferiorum, & tamen trabes prominerent inæqualiter, ſcilicet ſuperiores ſeptem cubitis, & inferiores ſex & infimæ quinq; cubitis: hoc autē eſt, quia parietes templi fortè verſus partem ſuperiorem ſtringebantur, ſicut in multis ædificijs partes ſuperiores ſtringuntur ad conum per modum pyramidum. Iudæi autē aliter aſſignant iſta tria latera templi, dicentes, quòd non prominebāt aliquæ trabes de templo, ſed ſolùm erant latera, id eſt, domus lateraliter adhærentes, ſcilicet, quia vnum latus earum erat ipſe paries templi, & conſtituunt iſto modo, quòd eſſet quælibet domus quadrata, ſcilicet, quinque cubitorum altitudinis, & totidem longitudinis; & totidem latitudinis, & ſic erant per circuitum totius templi, pręterquàm in latere orientali, eo quòd ibi erat porta & porticus; & ſecundùm hoc cùm paries aquilonaris haberet cubitos ſexaginta, & paries meridianus totidem, & paries occidentalis viginti, qui ſunt ſimul centum quadraginta cubiti, eſſent domus viginti octo, & iſtud eſt primum latus in gyro templi. Secundum latus domorum erat ſuper iſtas primas ſecundùm eandem longitudinem, latitudinem, & altitudinem, & ſic eſſent totidem domus quot ſupra. Tertium autem latus domorum eſſet ſupra ſecundum in eadem longitudine, latitudine, & altitudine: & ſic eſſent totidem domus in vno latere ſiue gyro, ſicut in alio: occuparent autem iſtæ domus in altitudine cubitos quindecim, cùm quælibet haberet quinque cubitos in altitudine, & ſic manerent alij quindecim cubiti ad altitudinem primæ domus complendam, quæ erat domus templi habens triginta cubitos in altitudine, vt patet ſuprà: & in illo ſpacio quindecim cubitorum erant factæ feneſtræ obliquæ, quæ habentur ſupra, vt lux introiret in templum: & tamen ſuper Sancta ſanctorum ſolùm manebant ſecundùm Hebræos cubiti quinq;, eo quod ipſi volūt quòd Sancta ſanctorum haberet in altitudine cubitos viginti, ſed de hoc infrà dicetur, ſecundùm iſtum modum aſſignant latera inæqualia, ſcilicet, quòd vnum haberet quinque cubitos, quod erat inferius, & immediatum haberet ſex, & ſupremum haberet ſeptem: iſtud autem eſt in prominentia à parietibus templi, & tunc aſſignant dupliciter iſtud vno modo, quòd domus inferior eſſet ſtrictior, & immediata prominet vno cubito, ſicut prominet tectū

D

E

F

ſuper

A

ſuper parietes domus,& tertia promineret alio cubito ſuper immediatam, & duobus cubitis ſuper inferiorem,& ſic ædificiū in parte ſuperiori ſemper dilataretur: alio modo, quòd iſtæ cameræ eſſent æqualiter prominentes , ſcilicet, quòd perpendiculum cementarij pendens ab extremitate cameræ ſuperioris tangeret cameras omnes vſque ad pauimentum, & tamen prominebat vna pluſquàm alia, ſcilicet, quia murus ſanctuarij ſtringebatur ſemper aſcendendo, ſicut ſuprà dicebatur.

Sed dicendum videtur, quòd ſit modus conuenientior aſſignandi ille, quem ponunt Latini, quàm ille,quem ponũt Hebræi, quod patet, quia dicitur hic ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum, & tamen non propriè dicitur,quòd iſtæ domus, quas Hebræi ponunt,eſſent fabricatæ ſuper parietem templi, ſed iuxta parietem ad latus eius: tabulata autem, quæ nos ponimus, ſunt ædificata ſuper parietem templi,quia facta ſunt ſuper trabes prominentes de lateribus templi.

Item dicitur hic in litera,quòd fecit latera in circuitu; & tamen iſtud non applicatur domibus, quas ponunt Hebræi, quia illæ vel vocabuntur tabulata,vel latera,cùm hic ponantur iſta,vt diuerſa : conueniunt tamen valdè poſitioni noſtræ, ſcilicet, quòd tabulatum vocetur ipſum pauimentum de tabulis factum, & latera vocantur ipſi cancelli lateraliter erecti verſus partem exteriorem domus, ne ambulantes per

B

tabulata caderent. Item dicitur infrà, quod poſuit Salomon trabes per circuitum domus,& iſtud valdè conuenit ad faciendum tabulata, ſecundùm quod nos ponimus, ſcilicet, quòd iſtæ trabes prominerent de parietibus, & ſuper eas poneretur pauimentum de tabulis. Item infrà dicitur,quod poſuit Salomon oſtium in latere domus ad aſcendẽdum ad iſta tabulata.Et dicit,quod de vno aſcendebatur ad aliud, & ponitur vnicus aſcenſus pro omnibus, quod ſatis conuenit ponendo tabulata,ſicut nos ponimus, quia ille aſcẽſus directus ibit ad omnia tria tabulata, cùm vnum ſit ſuper aliud, & tamen non videtur ſic,ſi ponantur domus paruulæ, quas ponebant Hebræi, quia tunc non videbitur modus,quomodo per vnicum aſcenſum iretur ad omnes domos, quia neceſſe erat ſecundùm poſitionem Hebræorum, quòd in quolibet tabulatu domorum eſſent 28.domus, vel 30.ſecundũ, quod vult Ioſephus, & ſic eſſent in tribus tabulatis 84.domus, vel ſecundùm Ioſephum 90. & tunc ad illas non videtur, quomodo aſcendatur per vnicum aſcenſum:nam poterit aliquis aſcendere ad tres earum directè ſuperpoſitas per vnũ aſcenſum,tamen non poterit aſcendere ad omnes alias, niſi ſint alij aſcenſus,vel quælibet earum ſit in duobus locis, vel tribus perforata, ita vt ſi aliquis debet ire ad vnam cameram vnius lateris,ſcilicet inferioris tranſeat omnes cameras inferiores de vna ad aliã,& ſic de latere medio,& ſuperiori,quod nullo modo conuenit,quia tunc nulla earũ propriè eſſet camera,niſi vltima,ſed eſſent trãſitus ad cameram vltimã. Ideo ſecundùm poſitionem noſtram meliùs ſtat,in qua nõ ſequitur inconueniens. Item non ſtat poſitio de iſtis cameris,ſcilicet quòd vnum tabulatum earum prominebat5.cubitis, & aliud 6.& aliud 7. quia aut ponetur, quòd iſtæ cameræ prominebant inæqualiter verſus partem exteriorem, ſcilicet,q; ſuperiores cameræ dilatarentur duobus cubitis ſuper infimas,& mediæ vno cubito ſupra infimas, aut quòd æqualiter prominerent ad partem exteriorem, & tamen murus templi continuè ſtringeretur verſus partem ſuperiorem,& ſic ſuperiores eſſent latiores. Primum non ſtat, quia tunc cùm illa tria latera domorum eſſent continuata, ſcilicet, quia paries vnius cameræ erat ſuper parietem alterius dilataretur ædificium continuè verſus ſuprà, quod eſt contra regulam ædificiorum,quia ædificium continet verſus ſuprà, vel conſtabit lateribus paralelis,vel continuè ſtringentur verſus ſuprà, ita vt acuantur in conum,ſicut pyramides. Hic tamen dilataretur opus verſus ſuprà.

C *Poſitio Latinorum melior.*

Secundus modus non ſtat,ſcilicet,quòd cameræ conſiſterent ad partem exteriorem in eadem linea recta ſecundùm perpendiculum , ita quòd non promineret vna ſuper aliam, nec vno digito : eſſet tamen latitudo vnius quinque cubitorum,& alia ſex,& alia ſeptem cubitos habens,quia ſtringeretur murus,ſiue paries templi. Sed hoc non ſtat, quia tunc in quinque cubitis computando à pauimento verſus ſuprà aſtringerentur parietes vno cubito, & in decem cubitis ſtringerentur duobus,& ſic conſequenter: & ideo oportebat, q; cùm altitudo templi eſſet 120.cubitorum, quòd quando parietes venirent ad ſuperiorem partem iam eſſet ſtrictio facta per viginti quatuor cubitos,& hoc non poteſt ſtare, quia latitudo templi ſolùm erat viginti cubitorum, vt patet in litera,& ſic nõ poſſet peruenire ad altitudinem 120.cubitorum, ſed cùm peruenirent ad centum cubitos cõcluderetur extremitas pyramidis,& conuenirent parietes in puncto. Etiam non ſtat conuenienter dictum, quod in quinque cubitis altitudinis aliquod ædificium ſtringatur vno cubitu per latitudinem,& ſic conſequenter, quia iſtud non pertineret,niſi ad aliquã pyramidem paruam,& ſolidã,& tamen domui quæ intùs habet vacuitatem, non conuenit tale ædificium, ideo tenendus eſt modus,quem ponunt Latini:non tamen negamus ex hoc quando in circuitu templi eſſent exhedræ ſacerdotales,quæ erant paruæ domunculæ. Nam litera ponit iſtas 1.Paralip.28.cap. & ſæpè ponit eas Ezechiel. An tamen iſtæ eſſent ſic coniunctæ muris , ſicut dixerunt Hebræi, declarabitur ſequen.lib.cap.22.vel 1.Paralip.28.

D

Alia aſſignatio fabricæ templi ſecundũ Ioſephũ.

Ioſephus autem octauo Antiquitatum , aliter aſſignat fabricam templi,& iſtorum tabulatorum:dicit enim,quod Salomon eleuauit templum vſque ad cameram ex lapide albo conſtructam , cuius altitudo fuit ſexaginta cubitorum longitudo tantundem,& ad orientem veſtibulum, vel porticus habebat longitudinem viginti cubitorum , & latitudinem decem:& ſic vult Ioſephus,quòd medietas templi ſecundùm altitudinem eſſet de lapide , & reliqua medietas altitudinis parietum eſſet de lignis , & illam medietatẽ ſuperiorem vocauit ipſe cameram , aliam autem inferiorem ſexaginta cubitorum vocat templum : & tamen illam nos diuidimus in duas partes,ita vt medietas inferior,quæ eſt triginta cubitorum in altitudine ſit templum , & alia medietas ſit camera, vel cœnaculum. Dicit etiam Ioſephus,quòd erant ædificatæ in circuitu templi triginta paruulæ domus , quæ ſui copulatione templi ſpacium extrinſecùs audiebãt:nam & ingreſſus earum ita fecit adinuicem,vt ex alia intraretur ad aliam. Harum autem ſingulæ domus latitudinem habebant quinque cubitorum,& tantundem longitudinis, altitudinis verò viginti.Erant autem ædificatæ ſuper has aliæ, & rurſus aliæ ſuper has æquales numero,& magnitudine. Et ſecũdùm iſtum modum ponendi Ioſephi iſta tria appenditia domorum exigebantur in altum cubitis ſexaginta,& operiebant totam altitudinem templi quantum ad partem, in qua fiebant miniſtrationes ſacræ , quia illa ſolùm erat altitudinis cubitorũ 30. vt patet ſuprà in litera.

E

In q.10 Tabulata q̃ dicantur & eorũ de ſpoſitiones.

Iſta tamen poſitio Ioſephi patitur inconuenientia, ſicut poſitio ſuperior Hebræorum. Etiam modicum conuenit literæ , quia ponit medietatem parietis templi factam de lapide,& aliam medietatem de ligno. Nec etiam in hoc oportet, quòd nimis credamus Ioſepho,quia ipſe nõ vidit iſtud templum, ſed ſolùm illud , quod conſtructum fuit poſt reditum de Babylone , quod non fuit per omnia ſimile huic magnitudine,& precioſitate , dico teneatur poſitio Latinorũ quæ ſuprà in principio deſcripta eſt.

F

Et ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum. Iſta tabulata ſunt pauimenta facta de tabulis in circuitu templi ſuper trabes,quæ prominebant de parietibus templi, & dicunt per gyrum, quia in toto circuitu templi erant iſta tabulata, ſcilicet ad Meridiem,Occidẽtem, & Aquilonem, in ſola autem parte Orientali non erant iſta tabulata, eo quòd ibi erat porticus,vt ſuprà declaratum eſt.

In parietibus domus. Id eſt,ſuper parietes domus,ſcilicet,qa ipſæ trabes, ſuper quas ponebatur pauimentum de tabulis, erant ſuper parietem,id eſt,prominebant de pariete.

Per circuitum templi,& oraculi. Id eſt,erant iſtæ trabes prominentes ex parietibus per totum circuitum templi,præterquàm in parte Orientali,& vocatur hic templum ſtrictè pars anterioris templi,quæ vocatur ſancta, & erat in longitudine quadraginta cubitorum,& in latitudine 20.oraculum vocatur Sancta ſanctorum,quæ erat parua domus habens in longitudine cubitos decem, & in latitudine totidem. Vocatur autem domus oraculi,id eſt domus, contra quam orabat,nã omnes Hebræi orabant contra Occidentem, vbi erat Sancta ſanctorum,eo quòd ibi erat arca,& Cherubim,in quib⁹ ma-

A xima ſanctitas Dei fulgebat. Vel vocatur domus oraculi, id eſt, domus arcæ, quia arca, vel propitiatorij eius vocat oraculum, & eſt ſenſus, ꝙ erant tabulata per gyrū templi, & oraculi, id eſt ꝓ omnia latera ambientia ſancta Sanctorū, & priorem domum templi. Latus aūt quod maximè pertinebat ad ſancta Sanctorū, erat occidentale, & eſt ſenſus, quòd etiā in illo latere erant trabes prominentes de pariete ad faciendum tabulata. *Et fecit latera in circuitu.* Iſta latera vocantur quidam cancelli, qui ſurgebāt in altum ſuper capita trabium ne ambulantes ſuper tabulata poſſent cadere ad partem exteriorē, & ſuper iſtos cancellos reclinabantur ad aſpiciendum inferiora illi, qui ambulabant per tabulata templi.

Quæ erāt pinnacula templi. Aliqui volunt, quòd iſta tabulata vocarentur pinnatula templi, & ſuper aliquod iſtorum fuerit Chriſtus conſtitutus à Satana, quando tentauit eum. Matth. 4. ſic tenet Rabanus, & Glo. ordinaria, & hiſtoria Scholaſtica. Sed non multū videtur, quia ſi Chriſtus conſtitutus fuiſſet ſuper aliquod iſtorum, cùm ipſe noluerit ſe mittere deorſum, ſicut diabolus ſuadebat, ſed deſcenderit per gradus aſſignatos, oportebat quòd deſcenderit per partem interiorem templi, ſ. per partē illam, in qua fiebant ſacræ miniſtrationes, & vbi erat incenſorum altare, & menſa propoſitionis, eo ꝙ oſtium, per quod aſcendebatur ad tabulata erat intra templum, vt patet infrà in litera: & tamen illuc nō licebat ingredi, niſi ſacerdotibus: Chriſtus autem nō permiſiſſet ſe tentari taliter, vt oporteret

B eum facere contra legem Iudæorū, ſcilicet quòd introiret in templum cùm ad ipſum non pertineret, quia non erat ſacerdos, ſed de tribu Iuda. Pinnacula igitur templi alia videntur fuiſſe, de quibus dicetur Mat. 4. Secundùm Hebræos, qui nō ponunt iſta tabulata, ſed domos inhærentes lateraliter templo, debet dici quod. *Ædificauit Salomon ſuper parietem templi tabulata per gyrum.* Id eſt, ædificauit domos de tabulis, quæ ab hoc vocantur tabulata, & iſta erāt ſuper parietes, id eſt in circuitu iuxta parietes templi. *Per circuitum templi, & oraculi.* Id eſt, iſtæ domus erant per totum circuitum tam primæ partis templi, quæ vocantur templum, quàm ſecundæ partis, quæ vocantur oraculum. vel ſancta Sanctorum. *Et fecit latera in circuitu.* Id eſt, fecit domos in laterib⁹ templi, quæ ob hoc vo-

Quæ erant tabulata cantur latera, id eſt laterales domus. *Tabulatum quod ſubter erat quinque cubitos habebat latitudinis.* Hic deſcribitur figura tabulatorum, & ſecundùm poſitionem noſtram tabulatum erat pauimentum factum de tabulis locatis ſuper trabes prominētes de parietibus. Et ponitur hic latitudo tabulati, ſcilicet quantum prominebant trabes extra parietem, altitudo autē non ponitur: & iſta erat altitudo cancellorum eleuatorum ſuper extremitates trabium in altum ad hoc, quòd non caderent ambulantes per tabulata. Sed certum eſt, quòd iſta altitudo parua eſſet ad hoc, ꝙ exiſtētes in tabulatis poſſent reclinari ſuper cancellos, & aſpicere exteriora: longitudo verò

C tabulatorum non ponitur, eo quòd iſta erat determinata, ꝙa quodlibet tabulatum iſtorum erat per totum gyrum templi præterquàm in latere orientali: quanta ergo eſſet longitudo trium laterum ſimul ſumptorum, ſcilicet, Meridiani, Occidentalis, & Aquilonaris, tanta eſſet longitudo cuiuſlibet tabulati: & iſta erat longitudo cubitorum 140. vel meliùs accipiendo erat 160. eo quòd groſſities cuiuſlibet duorum parietum, ſcilicet Aquilonaris, & Meridiani erat cubitorum decem, & ſecūdùm iſtum modum omnia tria tabulata erant æqualia in longitudine, & altitudine: latitudo autem erat inęqualis. *Et medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis.* Primum tabulatum erat ſuper trabes eminentes de pariete, quæ pertinebant ad tectum primæ domus, & iſtud tabulatum erat eleuatum à terra triginta cubitis, quia tanta erat altitudo primæ domus, vt patet hic in litera. Medium tabulatum erat ſuper trabes prominentes de pariete, de tecto ſecūdæ domus: & iſtud tabulatū eleuabatur à terra ſexaginta cubitis. *Et tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis.* Iſtud tabulatū erat factum ſuper trabes prominētes de tecto tertię domus, & erat eleuatum à terra cubitis 120. iuxta altitudinem totius templi. Latitudo autem ponitur diſſimilis in iſtis tabulatis, ſcilicet quod inferiùs eſſet minùs, & mediū maius, & ſupremum maximum, & hoc per exceſſum vnius cubiti ad alterū. Quomodo autem hoc ſit, aſſignati fuerunt ſuprà duo modi ſecundùm Hebręos, qui non ponunt iſta tabulata eſſe deambulatoria quædā, ſed domos paruas exiſtentes in circuitu templi. Dicendum quòd vnum tabulatum, id eſt, vna ſeries domorū, quæ immediatè fundata erat ſuper terram, erat minoris latitudinis, ſcilicet cubitorū quinque, & media ſeries erat latitudinis ſex cubitorum, & ſuprema ſeries domorum erat latitudinis ſeptem cubitorum. Quomodo autem aſſignanda ſit iſta diuerſitas latitudinis etiā ſecundùm Hebræos ſuprà declaratum eſt, & ſic iſtæ domus altitudine, & longitudine æquales ponebant, ſed latitudine inæquales. *Trabes autem poſuit in domo per circuitum forinſecus, vt non hærerent muris templi.* Secundùm poſitionem Latinorum exponitur iſta litera de trabibus, quæ prominebant de parietibus per tria loca, vbi erant tria tecta domorum, & ſuper iſtas trabes fiebant tabulata, vt ſuprà dictum eſt. Et tamen tunc dubium eſt, q.d *Dubiū de trabibus templi.* eſt, quod non hærebat muris templi: nam non poteſt intelligi de trabibus, quia cùm ipſæ egrederentur de pariete, neceſſe erat, quòd hærerent parieti.

Sed dicunt aliqui, quod intelligitur de tabulatis, ſ. quòd non hærebant parieti, quia tabulæ poſitæ ſuper trabes non coniungebantur parieti templi, nec tamen erat ibi tam magna apertura, vt aliquis labi poſſet, nec etiam poterat pes humanus intercipi. Sed tunc non videtur ad quid relinquebaī illud paruum ſpacium, quod inutile erat.

Dicunt ergo alij, & meliùs, quòd intelligitur hoc de cancellis, ſiue lateribus, quæ erigebantur ſuper capita trabium, ſcilicet quòd illa latera non adhærebant muris templi. Iſtud tenet Nicolaus.

E

Sed etiam iſtud non ſtat, nam omninò videtur carere ratione, quòd ponerentur trabes, vt latera, ſiue cancelli tabulatorū non adhærerent muris tēpli; quia ſi latera iſta nō adhęrerent muris templi, non eſſent ibi aliqua deābulatoria, ſed eſſent fixæ tabulæ ſuꝑ parietes ad tegendū illos, ſicut erat ex parte interiori domus, vbi omnes parietes tabulis operti erant, ita vt nullus lapis apparere poſſet, vt patet infrà: ideo quamquàm exiſtentibus trabibus cancelli non adhærerent muris templi, tamen trabes non erant poſitæ ad hoc, quòd cancelli nō hærerent muris, quia dato quòd non eſſent trabes cancelli non hærerent muris, eo quòd cancelli nō eſſent, niſi trabes ponerentur.

Sed dicendum, quod intelligitur hoc de quibuſdam trabibus groſſis, quas fixit Salomon in terra per totum circuitum templi ne aliquis poſſet accedere ad parietes templi, & hoc tum vt conſeruarentur à nocumento, tum propter ſanctitatem, quia non debebat cuilibet licere accedere ad rem ſanctam. Iſto modo fecit Moyſes in deſerto: nam in circuitu tabernaculi poſuit atrium, ne liceret cuicūq; accedere ad tabernaculum, & iſta expoſitio eſt ſatis conueniens.

Sed obijciet aliquis, ꝙa dicitur hic, quod poſuit trabes in domo, & tamen iſto modo non ponebātur trabes in domo, ſed extra per circuitum.

Dicendum quod hic non dicitur abſolutè, quòd erant iſtæ trabes in domo, ſed quòd erant in domo per circuitum F forinſecus, id eſt, erant extra domum per circuitum domus, & iſtud fortificat poſitionem, & redarguit poſitiones ſuperiores; quia ſecundùm illas iſtæ trabes non erant forinſecùs poſitæ, ſed de parietibus egrediebantur. Item dato quòd diceretur abſolutè, quòd iſtæ trabes erant in domo ſatis ſtaret, quòd eſſent in circuitu domus; quia illa, quæ ſunt in circuitu domus, dicuntur eſſe in domo, vt patet Ioan. 10. cùm dicitur, quòd ambulabat Ieſus in templo in porticu Salomonis: & tamen, quando erat in porticu, non erat in templo, cùm porticus eſſet extra templū, vt patet ſuprà in ltera, & ſic eſſet de iſtis trabibus, quòd eſſent in circuitu domus, quamquàm diceretur, quod erant in domo ſecundùm Hebræos, qui ponunt domunculas in circuitu templi.

Dicunt aliqui, quòd iſtæ trabes erant aliter aſſignandæ, ſcilicet quòd in tertio cuiuſlibet feriei domorum prominerent trabes aliqualiter extra domum, ſcilicet, capita earum, & iſtud faciebat ad hoc, quòd non adhæreret aliquid muro. Sed iſtud nihil eſt, quia iſtæ trabes erāt altæ à terra, ſ. ad min⁹ quinq; cubitis eleuatæ; ideo ſub illis poterat quilibet intrare, & non prohiberetur accedere ad murum. Ideo dicendum, quod etiā ſecundùm Hebræos iſtæ trabes ponendæ erant in circuitu domorum paruarum, quas ipſi ponunt, ita ꝙ nullus poſſet accedere ad illas domos, quæ etiam ſacræ erant. *Domus autem cùm ædificaretur.* Hic ponitur modus ædificationis,

A quantum ad hoc, quod instrumenta fabrorum in ea non apparuerũt. Et dicitur. *Domus cùm ædificaretur de lapidibus dolatis.* Scilicet, tota domus facta est de lapidibus dolatis, id est quadratis, quia erat facta opere cementarij, & polita à Biblijs, vt patet præced. cap. & fuerunt parietes de lapidibus vsq; ad altitudinem 120. cubitorum, quamquàm Ioseph⁹ dicat, quod fuit vsq; ad altitudinem 60. cubitorum de lapidibus, & reliqua medietas altitudinis fuit de lignis. *Atq; perfectis ædificata est.* Vocantur lapides perfecti, id est perfectè politi, atq; figurati: ponũtur autem dolati, & perfecti, quia duæ operationes fiebant in lapidibus. Prima erat quod quadrabantur, & dolabantur, & ista fiebat per cemẽtarios Salomonis, & Hiram, & tunc manebant lapides aliqualiter rudes, & fiebat secunda operatio in eis, scilicet, quòd poliebantur, & figurabantur: & istud fiebat per Biblios, vt patet præcen. cap. & quãdo fiebat ista vltima operatio dicebantur lapides esse perfecti. *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Scilicet, cùm ædificatum fuit templum Salomonis, non fuerunt aliqua ferramenta audita in domo, sed omnia sine ferramẽtis facta sunt, & hoc videtur speciale, quia nunquàm fit in alijs domibus.

Quomodo potuit templum Salomonis fieri sine ferramentis.

QVÆSTIO XII.

B QVÆRETVR quomodo potuit tantum ædificium sine ferramentis fieri cùm nihil artifices facere possent sine ferramentis.

Iudæorum fabula. Respondent Hebræi, quod Salomon habuit sanguinem cuiusdam vermiculi, qui vocatur Thamir, quo aspersa marmora facilè secabantur, quem inuenit hoc modo: habebat enim Salomon strutionem habentem pullum, & incluſus est pullus strutionis sub vase vitreo: strutio autem videns filium vase incluſum cùm eum habere non posset, tulit de deserto vermiculum cuius sanguine liniuit vitrum, & confractũ est, quem vermiculũ Salomon colligens, & alios similes inquirẽs marmora facilè secabat, ita vt non esset opus instrumento.

Sed dicendum, quod istud falsum est, quia omnia marmora, & ligna, & quicunque lapides priùs cędebantur à cementarijs Salomonis, & Hiram in monte, qui quadrabãt eos: deinde Biblij poliebant illos, præceden. cap. ergo cum instrumento ista fiebant.

Sed dicendum, quòd omnes lapides, & ligna, quę ad templum ducta sunt dolata fuerunt, & polita, sicut fiunt in alijs ædificationibus, fuit tamen differentia: quia Salomon fecit omnia ista poliri in monte, scilicet quia fecit, quòd artifices templi caperent mensuras templi, & considerarent quot lapides, & quales necessarij erant, & qualia ligna, & pro quibus locis, & tunc iusserunt lapides, & ligna sic parari in monte, & C ducebantur parata in Ierusalem, vnde nihil superẽrat, nisi quòd isti lapides, & ligna ponerentur in locis suis, & ad hoc non erat opus malleo, serra, aut alijs ferramentis: vnde non dicitur hic, quod ad ędificationem templi non fuerunt malleus, & serra, & alia ferramenta necessaria, sed solùm, quod non fuerunt audita in domo, quando ædificabatur, scilicet benè audita sunt in monte, quãdo lapides, & ligna cædebantur, & dolabantur, sed postea non fuerunt audita in domo, id est in ipso templo, quando coniungebantur lapides, & ligna ad ædificationem domus.

Sed obijcit Andreas contra hoc dato, quòd nõ essent necessaria ferramenta ad locandum lapides, & ligna, tamen saltem erant necessaria ad compaginandũ tabulas, & figendum clauos in eis, vt firmiter manerent: claui autem magni erant, vt patet hic, & 1. Paralip. 3.

Respondet idem Andreas, quod ista posita sunt ad hoc, ꝙ nos admirari debeamus sapientiã Salomonis, qui potuit inuenire aliquos modos, ꝑ quos ista fierent, sine opere malleorum. Et sic aliquo modo Andreas consentit Hebræis, & tamen non sufficit id, quod ponebant Hebræi ad hoc, quia dato, quòd essent multi vermes, quorum sanguine frangerentur marmora, tamen non poterat sanguis iste applicari ad hoc, quòd figeret clauos in tabulis, licèt posset applicari ad frangendum clauos, ideo necessarium fuit aliquod ferramentum.

D Dicendum igitur, quòd in domo, cùm fabricabatur non audita sunt malleus, serra, & alia ferramenta ad dolãdum lapides, & ligna, quia ista fuerant dolata in monte, sed audita sunt, quãdo compaginabantur tabulæ, & figebantur claui. Et patet hoc, quia dicitur in litera: domus autem cùm ædificaretur de lapidibus dolatis, atque perfectis malleus, & securis, & omne ferramentum nõ sunt audita in domo, quasi dicat ad dolandum lapides, & perficiendum eos, non fuerunt audita ferramenta, sed benè ad aliquid aliud, & sic nõ potest poni hic aliquod miraculum sapientiæ Salomonis.

Ostium lateris medij in pariete erat domus dextræ. Hic ponitur de fabricatione ostij, per quod ascendebatur ad tabulata tria suprapositа, & dicitur, quod erat vnum ostium pro omnibus tribus tabulatis, & istud erat in pariete domus intra templum, ne posset ascendi per partem exteriorem, & factum erat vnicum ostium pro omnibus tribus tabulatis hoc modo, quia paries tẽpli erat valdè grossus, scilicet 10. cubitorũ, sicut ponitur cõmuniter, & in ipso pariete intra grossitiem eius fecit quendam ascensum gyratiuum, quemadmodum fit, in quibusdam turribus, & vocatur cochlea, & cùm peruenitur ad altitudinem vnius deambulatoris, siue tabulati erat porta in pariete, per quam exiretur ad ipsum tabulatum: ascensus autem, siue cochlea continuabatur per parietem vsque ad secundum deambulatorium, & ibi erat alia fenestra per quam introiretur in ipsum deambulatorium, & sic continuabatur cochlea vsque ad tertium deambulatorium. Et E dicitur istud ostium lateris, id est, quia erat in latere, scilicet in pariete, qui erat latus templi: & dicitur lateris medij, id est quia erat in medio parietis, scilicet intra grossitiem eius. Vel aliter erat in medio pariete, id est in medietate longitudinis parietis æquè distans fronti Orientali, & Occidentali. Et dicitur quod erat in pariete domus dextræ, id est erat in pariete domus ad dextrã eius. Vocatur aũt dextra pars meridiana, ꝙ pars Orientalis vocãt facies, vt patet suprà, ſ. ꝙ porticus erat ante faciem templi, & tamen porticus erat ad Oriẽtem, & tamen conuersa facie alicuius ad Oriẽtem necessariò manus dextra est ad Meridiem, & sinistra ad Aquilonem. Philosophus tàmẽ secundo de cœlo, & mundo ponit faciem, siue antrorsum ad polum antarcticum, & retrorsum ad polum arcticum, sursum ad angulum cœli, deorsum ad angulũ terræ, dextrum ad Orientem, & sinistrum ad Occidãtem. *Et per cochleam ascendebãt in medium cœnaculum, & à medio in tertium.* Scilicet ascensus, qui erat in pariete erat cochlea, id est circularis, & ascendebatur per illum ad primũ cœnaculum, id est, tabulatum, vel deambulatorium, & cõtinuata cochlea ascendebatur ad secundum cœnaculum, quod vocatur medium, & inde ad tertium: vocantur autem ista deambulatoria cœnacula, quia cœnaculum secundùm Latinam consuetudinẽ est nomen generale, ad quodcunque ædificium, licèt propriè conueniat ædificijs, quæ sunt facta ad disponẽdum ibi mensas. Et accipiuntur cœnacula non solùm ipsa deambulatoria, quæ erant extra templi parietes, scilicet fundata super trabes prominentes de parietibus, sed etiam ipsa domus media, quę erat intra Sanctuarium, & domus suprema, quæ erant factæ ad aliquas speciales custodias thesaurorũ, vel alias ministrationes, de quibus scriptura modicam facit mentionem, & erant ista duo cœnacula æqualia in longitudine, & latitudine domui inferiori, quæ vocatur templum, cuius habitudo suprà designata est. Ioſephus autem dicit 8. Antiquitatum de isto ascensu, quod excogitauit rex ascẽsum superioris domus per latitudinem parietis efficere: nõ enim habuit ianuã grandem, sicut domus inferior ad Orientem, sed à lateribus erãt ingressus ianuarum valdè paruarum. Dicit etiam ibidem Ioſephus de hoc, quod suprà dicebatur, ſ. de ferramentis, quod non sunt audita in domo Domini, ꝙ fuerint audita, sicut in omnibus alijs fabricationibus, sed quòd ita subtiliter facta sunt oĩa, quòd videbant non fuisse tacta ferramẽtis inquiẽs: Fabrica verò totius tẽpli multa arte cõfecta est de lapidibus politis, arteq; compositis, & nimis limpidè constitutis, ita vt neq; mallei, nec alterius instrumenti fabrilis aliquod considerantibus appareret indicium, sed prẽter hunc vsum omnis materia implicita videret, vt naturali harmonia crederetur potiùs, quàm ferramentorum necessitate cõfecta. Litera tamen satis distat à sensu Ioſephi, quia dicit quod malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita.

Cœnaculum quid.

F

Et ædi-

A

Et ædificauit. Hic ponitur tertiũ, ſcilicet ædificatio quantũ ad diſpoſitionem domus interioris, & exterioris. Et dicitur. *Ædificauit domum, & conſummauit eam.* Iſtud ponitur per anticipationem, quia nondum erat domus tota conſummata cũ adhuc multa de ea referantur infrà nondum facta. Vel poteſt accipi hic domus pro ſolis parietib⁹, & tectis ſine aliquo alio ornatu, & tunc verũ eſt, quod domus erat conſummata, ſed poſt hoc facta ſunt ea, quę pertinebant ad pulchritudinẽ domus, vt patet infrà. *Texit quoq; domum laquearibus cedrinis.* Iſtud intelligitur ſolùm de domo inferiori, quę erat altitudinis cubitorum triginta, & latitudinis viginti, & longitudinis ſexaginta, vt patet ſuprà in litera: nam iſta domus operta fuit laquearibus, & non aliæ domus ſuperiores, quia cùm illæ nõ apparerent aliquibus, niſi ſolis ſacerdotibus, qui recondebãt ibi theſauros, non oportebat, quòd eſſent magnæ pulchritudinis: & iſta laquearia erant in ſolo tecto. Vocantur autem laquearia quædam tornaturæ factæ opere artificis, quæ habent laqueos, & folia arborũ, & alias circumuolutiones complicitas, ſicut ſtatuarij, & pictores facere conſueuerũt. In parietibus autem non erant laquearia, ſed aliæ ſculpturæ variæ, & cælaturæ factæ torno, in quibus ſpecialiter erant Cherubim, & palmæ, & picturæ variæ prominentes de pariete, vt patet infrà. *Et ædificauit tabulatum ſuper omnem domum quinq; cubitis altitudinis.* Hic loquitur de tabulatis, quæ erant facta extra parietes templi per gyrũ ſuper trabes, quæ prominebãt

B

de parietibus: nã iſta tabulata habebant cancellos, qui eleuabantur in altum quinq; cubitis, vt non caderent, qui ambulabãt per tabulata: magis tamen exponendum eſt de ſolo tabulato ſuperiori, quod erat in tertio cœnaculo templi; quia dicitur hic, quod ædificauit ſuper omnem domum, ſolum tamen tertiũ deambulatorium, vel tabulatũ erat in ſummitate domus, & cancelli iſtius tabulati erant quinq; cubitorũ. De cancellis autem aliorum duorum tabulatorũ non patet quantę eſſent altitudinis. Sed credendum eſt, q⁹ eſſent eiuſdẽ menſuræ: ſic exponit hiſtoria Scholaſtica, & benè. *Et operuit domum lignis cedrinis.* Iſta eſt replicatio ſententiæ, quia intelligitur de domo inferiori, quæ erat triginta cubitorum altitudinis, de qua immediatè dictum fuerat, & erat operta tabulis cedrinis, ſcilicet, quòd erant facta laquearia de tabulis cedrinis. *Et factus eſt ſermo Domini ad Salomonem.* Iſtud accidit quãdo ædificabatur domus, cuius ædificatio durauit ſeptem annis infrà in litera. Iterum autem apparuit ei Deus, poſtquã ædificauit tabernaculũ in dedicatione eius, vt patet infrà 8. iſta autem apparitio, & locutio ad Salomonem facta fuit ad confortandũ eum in opere, quia ædificatio durabat magno tempore, ſcilicet, ſeptem annis, & interim fortè Salomon faſtidiret, & pigreſceret in ædificando: ideo Deus locutus fuit ei, vt confortaret eum ad ædificandum per promiſſionem iſtã, quæ habetur hic. *Domus hæc quam ædificas.* Iſta eſt oratio incompleta per eclypſim, & eſt ſenſus iſta domus, quam ædificas,

C

complebitur, & erit glorioſa, ſi tu & poſteri tui ambulaueritis in præceptis meis; & non peribit in æternum: ſi autẽ peccaueris tu, & filij tui, tradetur domus hæc manibus hoſtium, & cremabitur, & ad terram deijcietur.

Si ambulaueris in præceptis meis. Iſta ſunt præcepta moralia, quæ continentur in decalogo, & alia ſimilia, quæ ſecundùm rationem intellectui noſtro innata ſunt. *Et iudicia mea feceris.* Iſta ſunt ſecũda præcepta, quæ vocantur iudicialia, eo quòd in eis continentur modi contractuum humanorum, & qualiter in ciuilibus, & in criminalibus iudices ſe habere debeãt, de his Exod. 21. & vſque ad 44.

Et cuſtodieris omnia mandata mea. Iſtã ſunt in tertio genere præceptorũ, quæ vocantur præcepta cæremonialia, quæ pertinent ad ritum colendi Deum, & ad alias cæremonias viuendi. De his per totum Leuiticum, & in Deutero. *Gradiens per ea* Id eſt, ambulans iuxta illa: nam cuſtodiri mandata pertinet ad cogitationem, ſcilicet, vt accedamus ad illa. Ambulare in eis pertinet ad actualem obſeruationem, ſcilicet, quando per illa regulamur.

Firmabo ſermonem meum tibi, quem locutus ſum ad Dauid patrem tuum. Iſte ſermo eſt, qui habetur præcedenti libro, cap. 7. ſcilicet, quòd Deus poneret de filijs Dauid ſuper ſolium eius in ſempiternum, & non auferret regnum de domo Dauid, ſicut abſtulit de domo Saulis.

D

Sermo Dei ad Dauid, an eſſet firmus.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR quomodo Deus dixit firmabo ſermonẽ, quem locutus ſum ad Dauid, quia Deus promiſerat certiſſimè Dauid, quòd ſic eueniret, ſicut dicebat, vt patet ibidem.

Aliquis dicet quòd ea, quæ Deus dicit alicui per modũ promiſſionis, vel cõminationis, variabilia ſunt ſecundùm variationẽ eius, cui fit promiſſio, vel cõminatio, ſed Dauid erat in mandatis Dei, quãdo ei illa promiſſa ſunt, ſi ergo filij ſui obſeruarent mandata Dei, ſicut ipſe confirmaretur in eis benedictio promiſſa ad Dauid: ſi autem non obſeruarent mãdata Domini, non ſeruaret ad eos ſermonem ſuum: ideo admonuit hic Deus Salomonem, vt obſeruaret mandata ſua.

Sed obijcietur, quòd iſta promiſſio facta ad Dauid nõ põterat mutari, eo quòd Deus certificauerat eum, quòd nunquàm mutaretur, vt patet præcedẽti lib. cap. 7. ſcilicet, quòd ſi iniquè agerent filij Dauid argueret eos Deus in plagis filiorum hominum, miſericordiam autem ſuam non auferret ab eis, ſicut abſtulit à Saule, quem amouit à facie ſua, ſed domus Dauid eſſet ſtabilis in æternum.

Reſpondendum, quòd ſermo Dei ad Dauid quantum ad aliquid poterat confirmari, & mutari, & quantum ad aliã

E

quædam non poterat mutari qualitercunque ſe haberent filij Dauid: Deus enim promittebat, quòd filij Dauid ſemper regnarent ſuper Iſrael, ſicut Dauid, ſcilicet, ſuper totum Iſrael; etiam Deus auferret omnes hoſtes eis, & numquàm ducerentur in captiuitatem, vſque ad Chriſti aduentum, nec poſt quamquàm lex vetus ceſſaret introeunte noua, & iſtud poterat variari, vel confirmari, nam ſi nunquàm peccauiſſet Salomon, nec poſteri ſui grauiter contra Deum numquàm fuiſſet diuiſum regnum in duas partes, ſicut fuit poſteà propter peccata Salomonis in 11. Etiam numquàm fuiſſent Iſraelitæ ducti in Babylonem, nec decem tribus ductæ in Aſſyrios, quia tamen peccauerunt grauiſſimè reges de progenie Dauid, venerunt omnia hæc mala, vt patet ſequenti lib. cap. 21. & 24. & 25. & 2. Paralipom. vlt. Quia tamen peccauerunt, venerunt hæc omnia, & ſic quantum ad iſtud poterat confirmari ſermo Domini, & non confirmatus eſt propter

F

peccata Salomonis, & poſteriorum eius. Alia erant, quantum ad quæ non poterat variari ſermo Dei, & conſequenter non oportebat, quòd confirmaretur, ſcilicet, quantum ad hoc, quòd regnum auferretur totaliter poſteris Dauid, & tranſiret ad aliam progeniem, ſicut factum eſt in Saule, de cuius domo propter peccatum regnum ablatum eſt. Differentia iſta de eo, quod mutari poterat, & de eo quod non poterat variari, habetur præcedenti lib. cap. 7. Nam Deus promiſit Dauid multa bona abſolutè, & intelligebantur illa ſi filij ſui obſeruarent præcepta Dei. Deinde dixit, quòd ſi peccarent non auferret ab eis miſericordiam ſuam: auferre tamen miſericordiam eſt facere aliquem miſerum omninò: nõ auferre autem miſericordiam eſt facere quòd aliquis, qui aliàs miſer eſſet, non ſit omninò miſer. Sic factum eſt de poſteris Salomonis: nam cùm peccauerunt, non data eſt eis proſperitas regni florentis, quam habuerunt Dauid, & Salomon, nec tamen omninò priuati ſunt miſericordia Dei, quia ſeruata eſt eis quædam pars regni. Ad argumentum incontrarium ſolutio patet ex dictis.

Et habitabo in medio filiorum Iſrael. Scilicet, benefaciam eis ſpecialiter. Deus enim in nullo loco habitare poteſt, cũ cœlum, & cœli cœlorum eum capere non poſſint, vt patet infrà octauo, ſed dicit in aliquo loco ſpecialiter habitare per hoc, quòd ſpeciales operationes ibi oſtendit: ſic enim Deus dicebatur habitare in templo, eo quòd orationes ibi factas exaudire debebat infra 8. & quia quamdiù Iſraelitæ ambulabant in præceptis Dei ipſe benefaciebat eis ſpecialiter: ideo dicebatur habitare inter eos. Cùm autem non cuſtodirent præcepta, quia Deus non benefaciebat eis, dicebatur non habitare inter eos, vel deſeruiſſe illos. *Et non derelinquam populum meum Iſrael.* Id eſt, non permittam illum tradi in manus hoſtium, nec deſinam ei benefacere: ſi autem peccaret, derelinqueretur populus à Deo.

Deus qũo dicitur habitare in aliquo loco.

A

Igitur ædificauit Salomon domum, & consummauit eam. Replicatio eiusdem sententię est, quia suprà hoc dictum fuerat. Et intelligitur istud de domo inferiori, in qua erat sancta Sanctorum, & pars anterior, quæ vocabatur sancta.

Et ædificauit parietes domus intrinsecus. Ista est dispositio domus quantum ad partem interiorem, & dicitur ædificauit, id est, exornauit, quia iam ipsi parietes facti erant de marmore albo, sed nunc solùm superponebantur tabulæ. *Tabulatis cedrinis.* Vocantur tabulata concatenationes factæ de tabulis, & erant istæ tabulæ de cedro.

A pauimẽto domus, vsq; ad summitatẽ parietum. Id est, istę tabulę incipiebant à pauimento domus, & operiebant ipsos parietes per gyrum, vsque ad tectum per tria latera, scilicet, Occidentale, Meridianum, & Aquilonare: nam in parte Orientali, porta erat, & parua pars lateris relinqueretur habens parietem. *Et vsq; ad laquearia operuit lignis intrinsecus.* Replicatio sententiæ est per alia verba. Nam laquearia erant in tecto domus, vt patet suprà in litera. Ideo idem erat peruenire tabulata vsque ad summitatem parietum, & peruenire vsque ad laquearia.

Sciendum tamẽ, quòd licèt hic solùm intelligatur de domo inferiori; tamen etiam intelligendum est, quòd duæ domus superiores, quæ vocantur cœnacula, quod erant operta tabulis, & auro, vt patet 2. Paralip. 3. scilicet, cœnacula quoq; texit auro. *Et texit pauimentum domus tabulis abiegnis.* Pauimentum domus erat de marmore pulchro, sed super illud posuit Salomon tabulas, quia volebat affigere laminas aureas pauimento, quod nõ poterat fieri super lapides: erant autem tabulæ istæ abiegnæ, tabulæ autem parietum, & tecti erant cedrinæ, & sic erant maioris valoris. Hebræi dicunt de tabulis buxinis: hoc autem forte est, quia buxus est lignum fortius, quàm abies maioris durabilitatis.

B

Ædificauitq; viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina. Hic agitur de distinctione duarũ domorum, quæ erant in ipsa domo interiori, & vna erat ad partem anteriorem, scilicet, versus portam, & Orientem: alia erat ad Occidentem, & vocabatur posterior domus, & ista est domus Sancti Sanctorum, de cuius fabricatione dicitur hic, in qua factum est, sicut in reliqua domo, scilicet, quòd parietes operirentur tabulatis cedrinis habentibus picturas opere statuario. Tectum etiam opertum tabulis cedrinis, & laquearibus. Pauimentum autem tabulis abiegnis opertum est, & dicitur: ædificauit ad partem posteriorem, id est ad partem Occidẽtalem, quæ erat posterior cùm pars anterior esset Orientalis: & dicitur, quòd tabulata cedrina, quæ ædificata sunt, erant cubitorum viginti, scilicet, quia ista erat altitudo parietis. *A pauimento, vsq; ad superiora.* Id est, ista tribulata operiebant totum parietem incipiendo à parte pauimenti, vsque ad tectum, vbi erat superior pars parietis.

C

Domꝰ oraculi quæ dicatur.

Et fecit interiorem domum oraculi. Id est, fecit, quòd domus interior, scilicet, quæ erat versus Occidentem esset domus oraculi, id est domus contra quam oraretur, quia sacerdotes in templo orabant contra sancta Sanctorum, eo quòd ibi erat arca. Etiam omnes laici orabant contra Occidẽtem versus arcam: sic etiam fuit tempore Moysi in deserto: nam ipse instituit, quòd esset arca in sancta Sanctorum ad Occidẽtalem partem tabernaculi. Exod. 26. vocatur etiam domus oraculi, id est domus responsionis. Nam ibi respondebat Deus summo sacerdoti, quando introibat illuc die propitiationis, vt declaratum est Leuitic. 16. & hoc modo accipitur oraculum, vt communiter, vt dicitur in rescriptis apostolicis: Viuę vocis oraculo postulas edoceri. Sic etiam accipitur Nume. 7. cùm dicitur cumque ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum, id est vt haberet responsum. Aliter potest accipi oraculum pro ipso propitiatorio, quod erat super arcam. sic patet Leuit. 16. scilicet, quia in nube apparebo super oraculum, id est, super propitiatorium, & vocatur domus oraculi, id est domus, in qua est arca cũ propitiatorio. *In sanctum Sanctorum.* Id est fecit domum interiorem esse sanctum Sanctorum, scilicet, fecit illam esse maximè sanctam, & hoc fuit per præsentiam arcæ, quæ erat vas sanctissimum in toto Sanctuario.

D

Tabulatum an esset tantæ altitudinis, quantæ erat templum.

Qvæstio XIIII.

Qværetvr quomodo dicitur hic, quòd fecit Salomon tabulata cedrina viginti cubitorum in domo interiori, quoniam altitudo istius templi inferioris erat cubitorum triginta, vt patet suprà, & tamen domus anterior & posterior distinctæ erant solùm pariete medio: ideo æqualis erat altitudo vtriusque.

Respondendum, quod omnes nostri expositores generaliter tenent, quòd æqua altitudo erat Sancti Sanctorum, & anterioris domus: quando autem dicitur hic, quòd erat altitudo viginti cubitorũ, dicunt quòd istud intelligitur de pariete medio, qui distinguebat sancta Sanctorum, & anteriorem domum: ille enim erat viginti cubitorum, & nõ pertingebat ad tectum, sed manebant decem cubiti vacui, & dicũt quòd ista apertura erat ad hoc, quòd fumus thymiamatis introiret in sancta Sanctorum: nam altare thymiamatis erat in anteriori parte domus apud parietem distinguentem sancta Sanctorum, & anteriorem domum: nam sicut in tabernaculo Moysi solùm erat velum distinguens sancta Sanctorum, & anteriorem partem, in qua erat altare thymiamatis Exod. 30. ita nũc paries diuidebat sancta Sanctorum, & locum in quo erat altare, & quia bis in die, scilicet in aurora, & vespere cremabatur thymiama, ingrediebatur fumus in sancta Sanctorum per illam superiorem aperturam.

E

Hebræi autem dicunt, quòd sancta Sanctorum erat domus minor altitudine, quàm anterior pars domus per decẽ cubitos. Et hoc dicendum est, quod satis apparet hic cùm dicatur, quod tabulatum erat viginti cubitorum in sancta Sanctorum, & tamen dicitur, quòd istud perueniebat vsque ad summitatem parietum. Item patet, quia infrà dicitur, quòd oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis, ergo maxima altitudo domus sancta Sanctorum erat viginti cubitorum. Cùm autem respondent nostri, scilicet, Historia Scholastica, & Nicolaus, & Andreas, quòd ista altitudo viginti cubitorum erat in pariete intermedio, & relinquebantur decẽ cubiti de apertura, non habent satis rationabilem causam, quia non opus erat, quòd fumus thymiamatis introiret in sancta Sanctorum, quod apparet, quia templum Salomonis erat factum ad imaginẽ tabernaculi Moysi, quia sicut hic in domo interiori erat sola arca, & in anteriori erat altare thymiamatis, & cãdelabra, & mẽsa propositionis: ita & in tabernaculo Moysi post velum in sancta Sanctorũ solùm erat arca. Exod. 26. & in parte anteriori erat altare, & candelabrum, & mensa propositionis. Exod. 26. & 30. & tamen in tabernaculo illo non erat aliqua apertura, per quam introiret fumus thymiamatum in sancta Sanctorum, quia pendebat velum à tecto, vsque ad pauimentum. Exod. 26. ergo nec etiam hic relinqueretur aliqua apertura, per quam ingrederetur fumus.

Cõtra Latinos expositores.

F

Item non potest conuenienter exponi ab istis, quod dicitur infrà, scilicet ꝙ lõgitudo oraculi erat viginti cubitorum, & latitudo totidem, & altitudo totidẽ; si tamen quilibet triũ parietum Sancti Sanctorum esset cubitorũ 30. scilicet Meridianus, Aquilonaris, Occidentalis, & solus Orientalis, qui erat distinguens domum anteriorem, & posteriorem, esset viginti cubitorum, non diceretur conuenienter, quòd erat altitudo domus interioris cubitorum viginti, quia ista non erat altitudo, sed pars altitudinis, & eodem modo diceretur, quòd erat decem, vel quindecim cubitorũ, quia pars altitudinis erat decem cubitorum. Item non conuenit expositio, quia isti volunt intelligere literã superiorem de pariete medio distinguente; sed non potest sic intelligi, sed necesse est intelligi de pariete Occidentali cùm dicatur ædificauit viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina à pauimento, vsque ad superiora; ergo in tota altitudine parietis Occidentalis solùm erant viginti cubiti, & sic erit de omnibus alijs parietibus: maxima ergo altitudo totius Sancti Sanctorum erat viginti cubitorum, & non erat aliqs paries habens aperturam, per quam ingrederetur fumus in

A

ſancta Sanctorum. Cùm autem probant, quod eſſet altitudo Sancti Sanctorum triginta cubitorum, quia dicitur ſupra, quod domus, quam ædificabat Salomon erat triginta cubitorum in altitudine, dicendum quod intelligitur illud ſolũ de domo anteriori, ſed Sancta Sanctorum licèt eſſet eiusdẽ latitudinis non erat eiusdẽ longitudinis. Vel aliter & melius dicendum, quòd quamquàm intelligatur illud de domo tota inferiori comprehendente domũ anteriorem, & interiorem, cùm dicatur, quòd habebat ſexaginta cubitos in longitudine, tamẽ quantum ad aliquid intelligitur de tota domo, ſcilicet quantum ad latitudinem, & altitudinem, & quãtum ad aliquid de maiori parte domus, ſcilicet, de anteriori.

Quare domus Sancti Sanctorum erat minoris altitudinis, quàm domus exterior, & quare erat quadrata.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR quare ſancta Sanctorum erat domus minoris altitudinis, quàm dom⁹ anterior, cùm eſſent ambæ vna domus continuata.

Reſpondendum, quod Salomon voluit facere domum ſancti Sanctorum quadratam, ſcilicet, æqualis longitudinis altitudinis & latitudinis: ideò cùm eſſet viginti cubitorum latitudinis, ſicut & reliqua pars templi, fecit etiam parietem diſtinguentem viginti cubitos de longitudine, & fecit quod trabes tecti eſſent inferiores quam trabes in domo anteriori, & ſic eſſet altitudo viginti cubitorũ: ſic enim in tabernaculo Moyſi erat Sancta Sãctorum domus quadrata ſcilicet decem cubitorum in altitudine, totidem in longitudine, & totidẽ in latitudine, vt colligitur Exod. 26. & quia templũ Salomonis erat ad figuram illius tabernaculi Moyſi, fecit ſancta Sanctorum eſſe domum quadratam: iſtud autem fuit ex Dei inſtructione, quia ipſe dedit in exẽplari qualiter omnia fabricari deberent, ſicut dixit Dauid, & habetur 1. Paralip. 28. ſcilicet, Omnia venerunt ad me ſcripta manu Domini. Deus aũt voluit hoc fieri ad aliquam ſignificationem: nam omnia, quę erant in templo, & quæ erant in tabernaculo Moyſi ſecundũ figurationem ſuam aliquid ſignificabant: ſic enim patet Sapien. 18. vbi dicitur, quòd in veſte Aaron erãt deſcripta magnalia patrum, & ibi erat totus orbis terrarum. Sic igitur in templo Salomonis. Cõuenit autem forma quadratiſſima ex omni parte ipſi rei perfectæ, quia ſignificat perfectionem in moribus per quatuor cardinales virtutes. Etiam deſignat impermutabilitatem, quia nullum corpus eſt, quod nõ poſſit permutari à ſtatu ſuo, niſi quadratum ex omni parte: vnde Ariſtot. 1. Ethico. comparat perfectè virtuoſum ipſi quadrato dicens, quod eſt ſicut tetragonus ſine vituperio, & qa domus Sancti Sanctorum continebat maximam ſanctitatem, & ob hoc vocabatur ſancta Sanctorum, competebat ei maximè forma tetragoni, vel magis propriè exacedron, quia tetragonus eſt in planis, exacedron verò in ſolidis. *Porrò quadraginta cubitorum erat ipſum templum pro foribus.* Hic ponitur diſpoſitio domus anterioris, quæ vocatur ſancta: & dicit quod erat quadraginta cubitorum ipſum templum, id eſt pars anterior templi, quæ vocatur templum: iſta quadraginta cubiti erant in longitudine: nam in altitudine ſolùm erant triginta cubiti, & in latitudine viginti, & dicitur pro foribus, id eſt, ante fores, quia iſta pars tẽpli, de qua hic dicit erat ante portam Orientalem: alia aũt pars ſcilicet ſancta Sanctorum erat diſtans à porta, ſcilicet ad partẽ Occidentalẽ, ſed magis dicit eſſe iſta pars templi pro foribus, i. ante portam Sancti Sãctorum, ſ. quia ſancta Sanctorum diuidebatur à domo anteriori ſolùm quodam pariete medio, in quo erat oſtium Sancti Sanctorum, & ante ipſum oſtium erat alia pars templi quadraginta cubitorum, quæ vocatur domus anterior, & dicit eſſe pro foribus oraculi, id eſt Sancti Sanctorum; quia illa domus vocatur oraculum, vt ſuprà declaratum eſt. *Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur.* Iſtud intelligitur de iſta domo anteriori, quæ erat quadraginta cubitorum, & tota operiebaẽ cedro, id eſt, tabulis cedrinis, ſcil. in tecto, & parietibus: nam in pauimento tabulæ abiegnæ erant, vt ſuprà patet. *Habens tornaturas ſuas.* Tornatura dicitur politura facta torno; quia tornus eſt inſtrumentum artificum, quo poliuntur tabulę, & erant omnes tabulæ illæ politæ, & figuratæ, ideo dicũtur habere tornaturas. *Et iuncturas fabrè factas.* Id eſt, habebant iſtæ tabulæ iuncturas facta s ſubtiliter: vnde non eſt fabrè facta s vna dictio, ſed fabrè eſt aduerbium, & ſignificat id, quod magiſtraliter, vel artificioſè: erant autem iſtæ iuncturæ quædam cauaturæ factę in extremitatib⁹ tabularum, quæ vocantur labia, quibus mediantibus vna tabula ſuperponitur alterius labio, & ſic non poteſt in medio aliquid aperiri ſicut fieret, ſi non eſſent tales iuncturæ: & iſtæ vocãtur incruſtaturæ, vt patet Exo. 26. vbi per iſtum modum incruſtabãtur, & iungebantur tabulæ tabernaculi. *Et cælaturas eminentes.* Cælatura ſignificat picturam, vel ſculpturam; & quia hic accipitur pro ſculptura dicitur cælaturas eminentes, id eſt egredientes de tabulis ad modum ſtatuarum; nam erant ibi flores, & palmæ, & Cherubim, & aliæ figuræ, vt patet infrà: & iſtæ omnes fabricatæ, & non pictæ erant. *Omnia cedrinis tabulis veſtiebantur.* Repetitio ſententiæ eſt, quia ſuprà hoc poſitum fuit, & intelligitur de tecto, & parietibus ſolùm, quod veſtiebantur cedro, id eſt, tabulis cedrinis: pauimentum autem opertum erat tabulis abiegnis. *Nec omninò lapis apparere poterat in pariete.* Id eſt, quamquàm parietes eſſent de pulchro marmore, tamen non apparebat aliquis lapis in parietibus ex parte interiori, eo quòd tam tectum, quàm parietes tabulis cedrinis tegebantur. Sic etiam erat de pauimento, quia nõ apparebat ibi aliquis lapis, cùm eſſet opertum tabulis abiegnis: dixit tamen hic de parietibus, quia ipſi operti erant tabulis cedrinis, de quibus ſuprà dicebatur, & non pauimentum. *Oraculum aute in medio domus interiori parte fecerat.* Hic ponitur rurſum de fabricatione dom⁹ interioris, id eſt Sancti Sanctorum, & replicatur ſæpè idem. Vocatur autem hic oraculum ipſa domus quadrata, in qua erat arca: quod patet, quia dicit, quod fecerat oraculum, & tamen non fecit arcam, ſed domum, in qua erat arca. Etiam patet, quia infrà dicitur, quod oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & totidem latitudinis. Sed hoc non poteſt accipi, niſi de domo, maximè quia dicit, vt poneret ibi arcam fœderis, & dicitur, quòd fecit oraculũ in medio domus, id eſt intra domum, hic accipitur domus pro tota inferiori domo apud terram, quæ erat cubitorum ſexaginta longitudinis, cuius quædam pars, ſ. viginti cubiti longitudis ſeparata eſt pro ſancta Sanctorum, & reliqua magnitudo fuit pro domo anteriori, & dicitur, quod fecit in medio domus oraculum accipiendo medium pro medio interpoſitionis, & non pro medio æquidiſtantiæ: nam non diſtabat ſancta Sanctorum æqualiter à pariete Orientali, & Occidentali, ſed erat domus illa habens pro termino parietem Occidentalem, & ab Orientali diſtabat quadraginta cubitis, & hoc declaratur, quia dicitur, quod fecit oraculum in parte interiori, ſcilicet, non apud portam Orientalem, vel in medio domus, ſed ad partem interiorem, ſcilicet apud parietem Occidentalem, vbi erat extremitas domus. *Vt poneret ibi arcam fœderis Domini.* Id eſt iſta domus ſolùm erat facta, vt poneretur ibi arca: nam nihil aliud erat in oraculo, niſi arca, & duo magni Cherubim de lignis oliuarum, inter quorum alas arca erat, vt patet infrà: ad iſtud oraculũ ingrediebaẽ ſumm⁹ ſacerdos ſemel in anno in die propitiationis Leuit. 16. & ad Hebræ. 9. Vocatur autem arca fœderis, quia in ea continebatur fœdus Dei, & Iſrael, ſcilicet duę tabulę lapideæ, in quibus erat decalogus deſcriptus, & ſuper obſeruatione illorum præceptorum, & aliorum fuit fœdus initum inter Deum, & populum. Leuit. 9. & 24. de modo autem iniendi fœdus declaratum eſt Ioſue vlt. reſeruabantur autem tabulæ illæ in arca, vt eſſet probatio per illas, quòd fœdus initũ fuiſſet inter Deum, & populum. *Porrò oraculum habebat viginti cubitos lõgitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis.* Iſta erat mẽſura oraculi, id eſt ſancti Sanctorũ, erat enim domus ex omni parte quadrata. Et non poteſt habere locũ expoſitio illorum, qui dicunt altitudinẽ oraculi fuiſſe triginta cubitorum, vt patet hic, & ſuprà declaratũ eſt: erat enim iſta domus magna templi diuiſa in duas partes inæquales, quorum vna erat dupla ad aliam, ſcilicet domus exterior ad interiorem. *Et operuit illud, atq; veſtiuit auro puriſſimo.* Scilicet, tota domus oraculi interius erat veſtita auro puriſſimo, ſcilicet affixis ſibi laminis aureis. Sciendum enim, quod oraculum erat de lapide in omnibus parietibus ſuis, ſicut domus exterior, & operiebatur tabulis cedrinis in tecto, & parietibus: in pauimento autem habebat tabulas abiegnas, ſicut alia

B

Cathedralis Toletana Hiſpaniarũ eſt figura quadrata, & admodũ templi Salomonis, i. ſancti Sancto rum.

C

Diſpoſitio domus anteris templi.

D

E

F

Arca fœderis quare dicatur ſic.

A domus anterior,& omnes istæ tabulæ tecti parietum, & pauimenti erant opertæ auro: non tamen operiebant̃ folio auri,sicut apud nos tabulæ deaurantur,quia istud modici valoris est,sed operiebantur laminis aureis infixis sibi per clauos: & istud erat magnorum sumptuum. Patet hoc, quia ipsum pauimentum erat opertum auro,& sacerdotes quotidiè ambulabant super illud quando introibant ad cremandum thymiama,& disponendum lucernas in aurora, & vespere, & illud aurum nunquàm deflorabatur, si tamen fuisset foliũ auri faciliter conculcatum periret. Et patet hoc, quia dicitur quod erat opertum auro purissimo, & tamen non accipitur aurum purissimum, vel non purum in folio auri, sed in ipsa massa. *Sed & altare vestiuit cedro.* Hic ponitur de fabricatione altaris thymiamatum.Pro quo sciendum quòd Salomon fecit duo altaria,scilicet altare holocaustorũ, & altare thymiamatis, sicut dixerat Deus ad Dauid 1.Paralipom.28. scilicet, Salomon filius tuus ædificabit domum meam,& altaria mea. Hic autem dicitur de altari thymiamatum : quod patet quia dicitur, quòd vestiuit altare cedro, & tamen altare holocaustorum non erat cedrinum,sed æneum,eo quòd semper erat ignis in eo,& si esset cedrinum cremaretur, de hoc 2.Paralip. 4.dicitur,fecit altare æneum, viginti cubitorum longitudinis,& viginti cubitorum latitudinis,& decem cubitorum altitudinis.Istud altare cedrinum, quod erat pro thymiamate vestitum fuit auro,vt patet infrà,scilicet : Totum altare oraculi texit auro.

Fabricatio altaris

B

Quid factum sit de altari,quod fecit Moyses.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR quid factum est de altari thymiamatum, quod fecit Moyses Exod.30. Aliquis dicet, quod est istud, de quo hic dicitur. Sed non stat, quia illud fabricatum fuit à Moyse ; istud autem fabricatum est nunc à Salomone, etiam illud erat de lignis Setim. Exod. 30. sed istud erat de lignis cedrinis. Dicendum ergo, quod aliud altare thymiamatum fecit Salomon præter id, quod fecerat Moyses, vt patet ex dictis : erat autem maioris quantitatis istud,quàm altare Moysi, quia omnia,quæ fecit Moyses erãt minora,quàm ea,quæ facta sunt in tẽpso Salomonis. Et hoc quia illa erant ad portandum facta : ista autem erant ad manendum semper.

Opi. Hist. Scholastica refellitur.

Dicit historia scholastica de isto altari thymiamatũ,quod fecit Moyses, quòd illud positum fuit in sancta Sanctorum, non ad vsus quotidianos thymiamatis, sed ad alios vsus singulares,scilicet quãdo semel in anno ingrediebatur summus sacerdos in sancta Sãctorum cum sanguine: & dicit hoc colligi,quia dicitur ad Roma.9. quòd sancta Sanctorum habebat aureum thuribulum.

C Sed istud non stat, quia altare thymiamatum non poneretur intra sancta Sanctorum:nam omnia vasa dispositа fuerunt sic in templo Salomonis, sicut fuerant in tabernaculo Moysi: & tamen in tabernaculo Moysi altare thymiamatum erat ante sancta Sanctorum in loco, ad quem quotidiè ingrediebantur sacerdotes, & in sancta Sanctorum solùm erat arca.Ideo etiam nunc sic esset in templo Salomonis. Patet antecedens Exod.26.& 30.

Item non stat,quòd in die propitiationis,quando introibat sacerdos in sancta Sanctorum poneret thymiama super altare aliquod intra sancta Sanctorum, quia in priori tabernaculo non ponebatur thymiama in die propitiationis in aliquo altari intra sancta Sanctorum, sed solùm ferebat sacerdos vas quoddam plenum thymiamate succenso, vt vapor grossus consurgens impediret visum sacerdotis, & non posset videre aliquid eorum, quæ erant in propitiatorio super arcam,quia ibi erat gloria Domini specialiter in quadam effigie apparente Leuit.16. sed solùm postquàm egrediebatur summus sacerdos, faciebat quasdam cæremonias cum sanguine super altare thymiamatum, vt patet eodem cap. ergo etiam in templo Salomonis sic fieret.

Item Deut.12. dicitur quod præcipio tibi hoc tantùm facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas: ergo sacerdotes non poterant facere alias cæremonias, nisi quæ in lege positæ erant, & tamẽ cæremoniæ diei propitiationis habent̃ solùm Leuit.16. & 23.& ibi non ponitur crematio aliqua thymiamatis intra sancta Sanctorum super altare aliquod, ergo non licebat aliquid tale fieri. D

Item cùm dicit, quòd Apostolus vult istud altare fuisse intra sancta Sanctorum in templo Salomonis non stat; quia Apostolus non loquitur ad Hebræos 9. de templo Salomonis,sed de tabernaculo Moysi, quod patet, qa dicitur tabernaculum enim factum est primum, in quo erãt candelabra, & mẽsa,& positio panum, quod dicitur sancta:post velamentum autem secundũ tabernaculum, quod dicitur sancta Sanctorum aureum habens thuribulum,& sic vocatur ibi tabernaculum,& non templum. Item dicitur post velamentum autem erat secundum tabernaculum,& tamen in templo Salomonis non diceretur post velamentum, quia non distinguebatur ibi sancta Sanctorum ab exteriori domo, solo velo interposito,sed pariete medio, vt patet hic : in tabernaculo autem Moysi distinguebatur sancta Sanctorum ab exteriori tabernaculo,velo medio Exod.26.ergo litera Apostoli,scilicet quòd sancta Sanctorum haberet aureum thuribulum, non intelligitur de templo Salomonis, sed de tabernaculo Moysi:ibi tamen constat, quòd non erat altare thymiamatis intra sancta Sanctorum, sed ante velum, vt patet Exod.30. Dicendum igitur, quòd nõ erat altare thymiamatum, quod fecit Moyses intra sancta Sanctorum in templo Salomonis, quomodo autem sancta Sanctorum habebat aureum thuribulum declaratum est Exod.30. E

Dicendum igitur, sicut fuit suprà declaratum in quadam quæstione, quòd altare thymiamatum factum à Moyse non fuit ad aliquos vsus in templo Salomonis, sed reseruatũ fuit in thesauris templi cum alijs, quæ de priori tabernaculo reseruabantur. *Domum quoq; ante oraculum operuit auro purissimo.* Hic redit ad dicendum de ornatu domus exterioris,quę vocat̃ sancta,& erat domus ante oraculũ,id est,ante sancta Sanctorum,quia sancta Sãctorum erat ad Occidentẽ, & ista domus exterior erat versus Orientẽ cõtra portam, sed ante,vel facies accipitur hic pro parte Orientali, qa ibi erat porta, & retrò pro parte Occidentali.Et dicitur quòd operuit eã auro purissimo,scilicet in tecto,& parietibus,& pauimento : nam etiã ipsum pauimentum, per quod sacerdotes mouebantur, erat velatũ auro,vt tota domus videretur aurum.*Et affixit laminas clauis aureis.* Scilicet,in parietibus,& tecto,& pauimento erant laminæ aureæ affixæ supra tabulas. Ex hoc patet, quod suprà dicebatur,scilicet quòd nõ deaurabantur hic tabulæ folio auri,sed operiebant̃ laminis aureis,& sic eras istud opus preciosissimũ valdè cùm multum de auro expenderet̃ ibi. Et hoc modo quanquàm sacerdotes ambularent quotidiè super pauimentum deauratum nõ deflorabatur aurum, quod faciliter fieret,si esset solum folium auri. *Nihilq; erat in templo,quod non auro tegeretur.* Id est,nõ erat aliqua pars in tota domo templi,tam in sancta Sanctorum,quàm extra,quæ nõ esset operta auro, siue esset in tecto,siue parietibus, siue pauimento. Et istud erat speciale in templo Salomonis, quòd quia in alijs operibus licèt sint parietes, & tectum deaurata, pauimentum nunquàm deauratur : & tamen hic non solùm erat deauratum, sed etiam opertum laminis aureis, ita vt illa domus non videretur domus, sed quædam massa auri : extra templum autem non erat sic, sed solùm apparebant pulchra marmora figurata, nisi in superiori parte templi, vbi erant quædam imagines aureæ, & vuæ pendentes cum pampineis aureis, ita vt à longè existentibus templum quædam sylua aurea videretur. *Sed & totum altare oraculi texit auro.* Id est, totum altare thymiamatis opertum fuit laminis aureis. Sic etiam fuit in altari thymiamatis,quod fecit Moyses Exod.30. & accipitur hic pro altari thymiamatis: nam altare holocaustorum non erat opertũ auro, sed erat purè æneum,ideo vocatur altare æneum,2.Paralip.4. etiam dicitur hic altare oraculi, quod non potest intelligi de altari holocaustorum, eo quòd illud non erat in templo,sed extra in atrio templi. Vocatur autem altare oraculi non, quòd esset intra oraculũ,sed qa ponebatur iuxta parietem oraculi:nam non poterat dici, quòd esset altare thymiamatis intra sancta Sanctorum, siue oraculũ:nã Exo.30.dicit̃, quod erat altare thymiamatis ante velũ,s.ante velum, quod distinguebat sancta Sanctorum, & priorem partem tabernaculi.Item Leuit.16.dicit̃,quod postquàm summus sacerdos exibat de sancta Sanctorũ ad altare, quod

F

Altare thymiamatis nõ erat inter sancta Sanctorũ

A quod erat coram Dño, ſcil. ad altare thymiamatis, faciebat ibi ceremonias quaſdam: & poſtea ponitur de altari holocauſtorum, quod erat extra tabernaculum; ergo altare thymiamatis erat extra Sancta ſanctorũ. Item patet hoc, quia quotidie ingrediebatur vnus de ſacerdotib' ad altare thymiamatũ in aurora, & veſpere offerens ibi thymiama: & tamẽ in Sancta ſanctorum nullus ſacerdos ingrediebatur, niſi pontifex: & hoc ſemel in anno in die propitiationis, Leuit. 16. & ad Hebr. 9. ergo erat extra Sancta ſanctorum iſtud altare, vt quotidie poſſet ad illud intrare ſacerdos quicunque ille eſſet. Item patet, quia Zacharias pater B. Ioannis ingreſſus eſt ad ponendũ thymiama, Luc. 1. & tamen ipſe non erat ſummus ſacerdos, quod patet, quia ſorte exijt, quòd ipſe cremaret thymiama. eodẽ ca. & tamen ſi eſſet ſummus ſacerdos non exiret ſorte, quia vnicus ille erat. Item Zacharias erat de vice Abia, eod. ca. & tũ de iſta ſorte non erant ſummi ſacerdotes, vt colligitur 1. Paralip. 24. ergo non erat intra Sancta ſanctorum altare thymiamatum. Ex hoc apparet difficultas, quæ eſt in verbis Apoſtoli ad Hebr. 9. cùm dicit, quòd poſt velamentum erat ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum, aureum habẽs thuribulum, & accipitur ibi thuribulum aureum pro altari thymiatum, quod vocatur thuribulum, quia in eo thus cremabatur, & vocabatur aureum, quia erat opertũ laminis aureis, vt patet hic, & Exod. 30. Quòd autem accipiat Apoſtolus pro iſto altari, patet quia ipſe in 9. ca. ad Hebr. ponit omnia, q̃

B erant in priori tabernaculo, & dicit, quòd in parte, quę vocabatur ſancta erãt candelabra, & menſa, & propoſitio panum: poſt velamẽtum autem erat ſecundum tabernaculum, quod dicitur Sancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam auro circumtectam: ſi tamẽ non intelligatur altare thymiamatum per thuribulum aureum ſubticebit ibi Apoſtolus illud, & tamen ipſe putat ſe enarraſſe ſufficienter omnia, quæ erant in tabernaculo. Dicendum igitur, quòd illud thuribulum erat altare thymiamatis, & tamen manet nunc difficultas, quia dicit, quòd Sancta ſanctorum habebat thuribulum aureum, & arcam. Sed dicendum, quod accipitur ibi eſſe in Sancta ſanctorum, id eſt, apud illam, vel dicitur Sancta ſanctorum habere aureum thuribulum nõ intra ſe, ſed apud ſe, & ſecutus fuit Apoſtolus in hoc modum loquendi legis; quia ſic dicitur hic altare oraculi, non quòd oraculum haberet illud intra ſe, ſed quia habebat illud apud ſe.

Fabricatio duorũ Cherubim.

Et fecit in oraculo duo Cherubim, Hic ponitur fabricatio duorum Cherubim, qui erant intra Sancta ſanctorum. Pro quo ſciendum, quòd quando Moyſes fecit arcam produxit in extremitatibus propitiatorij, quod eſt operimentum arcæ, duo Cherubim de auro puriſſimo, qui erant partes ipſius propitiatorij, quia erant facti de ipſo opere malleatorio ſiue productili extendendo ipſum propitiatorium percutiendo malleo, & iſti Cherubim erant parui, & quaſi ſedentes ſuper arcam. Salomon autem fecit alia duo Cherubim de lignis oliuarum, quorum quilibet erat altitudinis cubitorum decem,

C vt dicitur: & habebant alas, & ala cuiuſlibet erat quinque cubitorum. Et iſta duo Cherubim extendebant alas ſuper arcam, & velabant illam.

Qualis erat ſitus & figura duorum Cherubim reſpectu arcæ intra Sancta ſanctorum.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR de figura iſtorum Cherubim, & de ſitu eorum, ſcilicet, quomodo locabantur in Sancta ſanctorum.

Ad primum dicendum, quòd de figura iſtorum Cherubim non apparet determinatè qualis fuerit. Hebræi enim dicunt, quod habebant ſimilitudinem quarundam auium, quę in regione noſtra nunquam viſæ ſunt. Ioſephus autem dicit, quòd figura iſtorum Cherubim erat incognita, inquiens 8. Antiquitat. Hos verò Cherubim nullus, quales fuerint dicere, aut conijcere poteſt. Quod intelligendum eſt de illis, qui erant tempore Ioſephi: nam illi, qui erant tempore Salomonis, ſciebant quales erant Cherubim, eo quòd fuerant facti per artifices.

Sed dicendum, quòd Cherubim in Scriptura non accipitur ſemper eodem modo: nam aliquando ponuntur Cherubim pro aliquibus effigiebus hominum, vel aliarum rerum habentium alas duas: ſic enim accipiuntur Cherubim hic, & Exod. 25. quando agitur de Cherubim exiſtentibus ſuper arcam: aliquando autem accipitur Cherubim pro aliqua effigie hominis, vel aliarũ rerum habente alas quatuor, & capita quatuor, ſic patet Ezech. 10. Sciendum etiã, quòd Cherubim non accipitur ſpecialiter pro aliqua effigie determinata, ſed imago hominis habentis alas vocatur Cherub, & imago Bouis, & imago Leonis, & imago Aquilæ, ſic patet Ezech. 1. vbi ponuntur iſta quatuor animalia, quæ vidit Ezechiel iuxta fluuium Chobar, & tamen Ezech. 10. replicatur eadem viſio, cùm dicatur ibi ipſum eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar, & vocantur ibi quatuor Cherubim illa quatuor animalia, quę dicta ſunt. Aliquando autẽ accipitur ſpecialiter Cherub pro effigie bouis habentis alas, ſic patet eod. cap. cùm dicitur, quatuor autem facies habebat vnum, facies vna facies Cherub, & facies ſecunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ, & ſic ponuntur ibi quatuor animalia, quæ ponuntur Ezech. 1. & cùm deberet dici facies bouis, dictum eſt facies Cherub, quaſi ſpecialiter accipiatur Cherub pro figura bouis. Dicendum igitur quantum ad veritatem, quòd Cherub non dicit aliquam ſpecialem figuram; ſed dicit quamcunque figuram pertinentem ad præſentiam; & apparitionem gloriæ Domini; ideo quæcunq; effigies, ſiue hominis, ſiue equi, ſiue cuiuſcunq; auis, aut alterius animalis dicitur eſſe coram Deo, poterit illa appellari Cherub. Sic patet de iſtis quatuor effigiebus valde diſtinctis, quas vidit Ezechiel coram Deo, & omnes vocantur Cherubim. Et iſta eſt cauſa, quare iſtæ duæ effigies alatæ, quas fecit Moyſes ſuper arcam, vocatæ ſunt Cherubim, ſcilicet, quia erant coram gloria Domini: nam gloria Domini erat ſuper arcam, cùm dicatur Deus ſedere ſuper Cherubim in arca, pręced. lib. c. 6. ſic etiam iſtæ duæ effigies magnæ, quas fecit Salomon de lignis oliuarum, vocatæ ſunt Cherubim, quia velabant arcam inter alas ſuas. Vnde ſi iſtæ duæ effigies poſitę fuiſſent intra Sancta ſanctorum in quocunq; alio loco templi, non vocarentur Cherubim, quia non erat ibi gloria Domini. Et ſic non poſſumus dicere cuius figuræ fuerint iſti duo Cherubim, quia poterant eſſe in figura hominis, vel bouis, aut aquilæ, vel leonis, cùm iſta quatuor vocentur Cherubim. Ezech. 10. & non ſolum poterant habere effigiem alicuius iſtorum quatuor animalium, ſed etiam quorumcunque aliorum.

D *Cherubim diuerſimodè accipi.*

Dicendum tamen videtur, quòd tam effigies Cherubim quos fecit Moyſes ſuper arcam, quàm iſtorum, quos fecit Salomon, fuerit effigies hominum habentium alas, quia iſta figura magis conuenit propitiatorio arcæ ad velandum illud: & etiam pro nunc ad velandum arcam, quàm quæcunq; alia: alæ autem iſtorum Cherubim erant extentæ per longum ad partes oppoſitas, vt ſic velarent arcam.

De ſitu iſtorum Cherubim.

F

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlteriùs de ſitu iſtorum duorum Cherubim in Sancta ſanctorum? Reſpondendum, quòd litera ponit hic iſtos Cherubim extendentes alas ad velandum arcam, in quo ſciendum, quòd altitudo cuiuſlibet Cherub erat cubitorum decem, & tanta erat longitudo alarum, nam dicitur, quòd ala cuiuſlibet erat quinq; cubitorum: erant autem habentes alas alio modo, quàm Cherubim, quos poſuit Moyſes ſuper arcam; nam illi extendebant ambas alas verſus eandem partem, vtpote ambo erant in extremitatibus propitiatorij: erat autem propitiatorium lõgitudinis duorum cubitorum, & dimidij, & latitudinis cubiti, & dimidij. Exod. 25. & ſic diſtabat vnus Cherub ab alio, quaſi duobus cubitis, & dimidio, & extendebat alas ambas contra alas alterius: & ſic velabant propitiatorium ex omnibus quatuor lateribus, ſcilicet, à Meridie, & Septentrione velabãt illud mediante groſſitie corporum ſuorum, & ab Oriente, & Occidente velabant illud quatuor alis ſuis, ſcilicet, ala dextra vnius tangebat alam ſiniſtram alterius, & è contrario velut ſi duo homines ſint contra ſe poſiti, & teneant ſe manibus, contingendo ſolum, ſcilicet, dextra manus vnius, ad ſiniſtram alterius, & è contrario: Cherubim tamen, quos fecit Salo-

A

mon non habebant iſtam diſpoſitionem, ſed poſteriora eorũ verſa erant ad Occidentem, & vultus eorum ad Orientem, extendebantque alas in tranſuerſum, ſcilicet, quilibet eorum extendebat vnam alam contra Meridiem, & aliam contra Aquilonem, & cum ala quælibet eſſet quinque cubitorum, vt patet in litera, occupabant ambo Cherub in tranſuerſum cubitos viginti: tanta autem erat latitudo Sancti ſanctorum, vt patet ſupra in litera: ideo oportet, vt ala dextra vnius, tangeret parietem Meridianum Sancti ſanctorum: & ala ſiniſtra alterius tangeret parietem Aquilonarem, & ſic dicitur in litera. Sciendum autem, quòd arca erat poſita intra Sancta ſanctorum hoc modo, ſcilicet, quòd vna extremitas longitudinis eius erat cõtra Orientem, & alia extremitas contra Occidentem, latitudo autem erat cõtra Meridiem & Aquilonem: & ſic vnus de paruis Cherubim aureis exiſtentibus ſuper arcam erat ex parte Occidentali habens vultum contra Orientem, & alius erat ex parte Orientali habens vultum cõtra Occidentem: & iſta arca erat poſita in medio Sancti ſanctorum æquidiſtanter ab Oriente, & Occidente, & à Meridie, & Septentrione, velut ſi quis ponat aliquid in centro quadrati, vbi interſecãt ſe duo diametri. Sciendum etiam, quòd duo Cherubim, quos fecit Salomon, non erant coniuncti parieti Occidentali Sancti ſanctorum, ſed erant in medio longitudinis. Verbi gratia, ſi diuidantur paries Aquilonaris, & Meridianus per dimidium, vbi erat medietas longitudinis Sancti ſanctorum ala vnius Cherub tangebat illam medietatẽ parietis Meridiani, & ala alterius Cherub tangebat medietatem parietis Septentrionalis, & tunc tangebant ſe alæ eorum in cẽtro domus, vbi erat arca: vnde contactus alarum erat iſtorum Cherubim ſuper propitiatorium, & ſatis poterat capi arca ſub alis iſtorum Cherubim. Nam altitudo arcæ ſolum erat cubiti, & dimidij, Exod. 25. Et dato, quòd altitudo paruorũ Cherubim eſſet alterius cubiti, adhuc alæ magnorum Cherubim eſſent altiores à terra: cùm altitudo ipſorum Cherubim eſſet 10. cubitorum, vt dictum eſt. Iſta aſſignatio ſatis apparet in litera. *De lignis oliuarum.* Iſtud fuit ſpeciale in iſtis duob⁹ Cherubim, vt porta Sancti ſanctorum, & portæ domus exterioris poſtes, quia non legitur in templo aliquid aliud fuiſſe de lignis oliuarum, ſed omnia erant de lignis abiegnis, & cedrinis. Poſtea verò deauraſſe iſtos Cherubim figens laminas aureas, vt patet infra in litera, & 2. Paral. 3. *Decem cubitorum altitudinis.* Iſta altitudo fuit tanta ad hoc, quod eſſet proportionata alis eorũ: nam alæ cuiuſlibet erãt decem cubitorum: etiam factum eſt, quia dato quod alæ iſtorum eſſent longæ ſi ipſi non eſſent alti non poſſent conuenienter coniungi ſuper altitudinem arcæ, & Cherubim paruorum, qui erant ſuper arcam. *Quinq; cubitorum ala Cherub vna, & quinq; cubitorum ala Cherub altera.* Id eſt, Longitudo cuiuſlibet alæ erat quinque cubitorum, quod intelligitur computando alam cum medietate groſſitiei corporis, quia aliàs nõ erat ala quælibet quinq; cubitorum, quia tunc non poſſent capi Cherubim in Sancta ſanctorum, cùm latitudo eius eſſet cubitorum viginti ſolum, & Cherubim cũ alis ſuis eſſent pluſquàm viginti cubitorum. Hoc etiam patet ex litera ſequenti, quæ exponit iſtam. *Id eſt, decem cubitos habẽtes à ſummitate alæ vſq; ad alæ alterius ſummitatem.* Id eſt, Extendebantur alæ Cherubim per tranſuerſum; & alæ vnius extremitas diſtabat ab extremitate alæ alterius decem cubitis. Ex hoc patet, quòd quælibet ala erat minor quinq; cubitis, quia fortè eſſet quatuor cubitorũ, vel quatuor, & dimidij, & groſſities corporis eſſet vnius cubiti, vel plus. Patet etiam, quòd debebant alæ Cherubim extendi ad partes oppoſitas; nam ſi ambæ alæ vnius extenderentur verſus eandem partem, ſcilicet verſus Orientem, vel ambæ verſus Occidentem, non diſtaret extremitas vnius alæ ab extremitate alterius decem cubitis, ſed fortè vno cubito, vel minus. Item quia hic ponitur extremitas vnius alæ ad extremitatem alterius, tanquàm partes maximè diſtantes: ſi tamen non eſſent extentæ alę ad partes oppoſitas, non eſſent tanquàm partes maximè diſtantes. *Decem quoq; cubitorum erat Cherub ſecundus.* Iſta eſt menſura in altitudine: quia iſta eſt menſura corporis & non alarum. *Menſura pari.* Id eſt, Ambo Cherubim erant eiuſdem menſurę, ſcilicet, quilibet cubitorum decem in altitudine, & decem cubitorum in alis ab extremitate alæ vſq; ad extremitatem aliam alterius alæ. *Et opus vnum erat in duobus Cherubim.* Id eſt, Habebant eandẽ figuram, ſcil. ſi vnum habebat effigiem hominis, & aliud ſimiliter: & ſi in vno erant factæ aliquæ tornaturæ ad decorem, & in alio quoq;. *Id eſt, altitudinem habebat vnus Cherub decem cubitorum, & ſimiliter Cherub ſecundus,* Id eſt, Primus Cherub erat 10. cubitos in altitudine corporis, & ſecundus ſimiliter: ex hoc autem aliqualiter colligitur, quòd iſti Cherubim habebãt effigiem humanã, quia oportet poni iſtam effigiem erectã: & non eſt in animalibus aliquod erectam habẽs ſtaturam, niſi homo: iuxta illud Ouid. 1. Metamorph. ſcilicet,

Pronaq; cum ſpectent animalia cætera terram,
Os hominis ſublime dedit, cœlumq; videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Quòd autem debeat accipi iſta imago erecta, patet quia ſi eſſet imago bouis, vel leonis, & haberet in altitudine cubitos decem, cùm ſit imago iacens eſſet magnæ latitudinis, & vix caperetur in Sancta ſanctorum; ideò magis conueniebat ibi imago humana, quæ eſt erecta, quàm aliqua alia. *In medio templi interioris.* Vocatur templum interius Sancta ſanctorũ, quia erat ad interiorem partẽ illius magnæ domus, ſcilicet, ad Occidentem. Et dicitur, quod erant in medio templi interioris, accipiendo medium ſecundùm longitudinem, & non ſecundùm latitudinem: nam totam latitudinẽ domus occupabant, quia ala vnius Cherubim tangebat parietem vnũ: & ala alterius Cherubim tangebat parietem alterum, vt totam latitudinem occuparent, ſed erant in medio ſecundùm longitudinẽ, ſcil. accipiẽdo ab Orientali pariete Sancta ſanctorum vſq; ad Occidentalem erant 20. cubiti, & in medio iſtorũ erant Cherubim: & ſic ala vnius Cherub tangebat parietem Meridianũ in medio, & ala alterius tangebat medietatem parietis Aquilonaris. *Extendebant autem alas ſuas Cherubim,* ſcil. extendebant eas in partes oppoſitas; nam quilibet extendebat vnam alam contra Meridiem, & aliam contra Aquilonem, cùm haberẽt vultus verſos ad exteriorem domũ, ſcil. ad Orientem, vt patet 2. Paralip. 3. *Et tangebat ala vna parietem, & ala Cherub ſecundi tãgebat parietem alterum.* Id eſt, ala dextra vnius Cherub tangebat parietem Meridianum, & ala alterius Cherub ſiniſtra tangebat parietem Aquilonarem. *Alæ autem alterę in media parte templi ſe inuicem contingebant.* Scilicet, quęlibet Cherub tangebat vna ala parietem, & alia ala tangebat alam alterius Cherub: nam Cherub Meridianus tangebat ala dextra parietem Meridianum, & ala ſiniſtra tangebat extremitatem alæ alterius Cherub. Ipſe autem Cherub Aquilonaris ala ſiniſtra tangebat parietem Aquilonarem, & ala dextra tangebat extremitatem alæ ſiniſtræ Cherub Meridiani: & duæ alæ iſtorum Cherubim tangebant ſe in media parte templi, id eſt, in centro Sancti ſanctorum: nam pauimentum Sancti ſanctorum erat quadratum, & ſi ducãtur duo diametri ab angulis oppoſitis interſecabant ſe in centro domus, & ſuper punctũ illud tangebant ſe alæ Cherubim, vt patet ex aſſignatione ſupra facta, & ſuper punctum illud erat etiam centrum arcæ, quamquam arca non erat corpus quadratum, ſed quadrangulum. *Texit quoq; Cherubim auro.* Id eſt, Operuit illos laminis aureis tam corpora, quàm alas, ita vt viderentur maſſa aurea. *Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit.* Hic accipitur templum ſolum pro Sancta ſanctorum: quod apparet ex litera infra, & tamen iſtud non ſolum eſt verum de Sancta ſanctorum, ſed etiã de domo exteriori, quoniam totũ illud templum in tecto, & parietib⁹ auro opertũ erat, & varijs ſculpturis. Sciendũ autem, quòd licet totum templum tam in tecto, quã parietibus, & pauimento opertũ eſſet laminis aureis; tamen ſculpturæ, & cælaturæ ſolum erant in parietibus, & tecto: nam pauimentum ſolum erat opertum auro, ſed non ſculptum; quia pauimentũ planum eſſe debet: alioquin frangerentur ſculpturæ, quæ fierent in eo cùm conculcarentur. *Varijs cælaturis, & torno.* Id eſt, Erant parietes ſculpti varijs cælaturis, id eſt, imaginibus. Vocatur cælatura imago corporea, ſcilicet ſtatua, vel figura facta in plano de coloribus, ſed primus modus eſt proprior: ſic accipit Ouid. 2. Metamorh. ſcilicet,

Nam mulciber illic
Æquora cælarat medias cingentia terras.

Id eſt, Figurauerat ibi æquora ſculpendo: dicitur, & torno, id eſt, ſculpſerat torno: nam tornus eſt inſtrumentum quoddam artificum ad ſculpendum, & planandum. Et ponitur ibi torno tanquam inſtrumentum, & ſculptura tanquam effectus, licèt ambo ſint ablatiui. Vel poteſt poni torno, id eſt, tornatura, q⁹ habebant parietes varias colũnas & tornaturas.

Arca, quomodo poſita erat intra Sancta ſanctorum.

B

C

D

E

F

Et fe-

A *Et fecit in eis Cherubim, & palmas, & picturas varias,* ſcil. in parietibus Sancti ſanctorum fecit Cherubim. Iſti enim erant parui Cherubim facti in tabulis parietis, qui videbantur prominere de tabulis. De figura iſtorum Cherubim dicendũ eſt, quod poterat eſſe quæcunq;, dum tamen eſſet figura animalis: quia figuræ aliarum rerum nunquã vocabantur Cherubim. Et dicebantur eſſe Cherubim, quia erant intra Sancta ſanctorum, vbi erat gloria Dñi: extra autẽ quæcunq; figura eſſet, non vocarentur Cherub, quia non erat ibi ſpecialiter gloria Domini: niſi fortè accipiatur largiſſimè, & rarò: & ſic poteſt dici, q̃ in domo exteriori erant Cherubim in parietibus, vt patet 2. Paralip. 3. Erãt etiam Cherubim in portis Sancti ſanctorum, & domus exteriores infra in litera. Erant etiam palmæ ſculptæ in ipſis tabulis, & alia genera arborum, & variarum figurarum. *Quaſi prominentes de pariete.* Id eſt, iſtæ figuræ non erant pictæ, ſed ſculptæ, & erant ita corpulentæ figuræ, & ſubtiliter per membra diſtinctę, quod non videbantur eſſe partes tabularum, ſed exeuntes de tabulis: & in hoc apparebat ſubtilitas artificij. *Sed & pauimentum domus texit auro intrinſecus.* Id eſt, Pauimentum Sancti ſanctorum opertum fuit auro, licèt non eſſent ibi cęlaturæ, quia nõ ſculpebatur ibi pauimentum, ſed relinquebatur planum: vnde ſuper tabulas abiegnas figebantur laminæ aureæ clauis aureis: & quamquam hic dicatur de ſola domo Sancti ſanctorum, cùm dicatur intrinſecus: tamẽ etiam domus exterior habuit pauimentum deauratum, vt patet ſupra. *Et in ingreſſu oraculi.* Hic ponitur fabricatio oſtiorum

B *Fabricatio oſtiorũ Sancti ſanctorum.*

Sancti ſanctorum: & dicitur in ingreſſu oraculi fecit oſtiola. Vocatur ingreſſus oraculi, id eſt, porta Sancti ſanctorũ, quod eſt oraculum. Vocantur oſtiola, quia erant parua in comparatione oſtiorum magnorum, quæ erant in domo exteriori ad partem Orientalem. *De lignis oliuarum.* Iſta oſtia erant de lignis oliuarum, ſicut Cherubim, & etiam portę exteriores: cętera autem ligna Sanctuarij erant cedrina, & abiegna. *Poſtes q̃, angulorum quinq;.* Id eſt, Fecit poſtes habentes quinque angulos. Hoc poteſt intelligi, quòd iſti poſtes erant ſic fabricati, quòd loco ſculpturarum haberent per circuitum figuras pentagonas: vel alio modo quòd eſſent in iſtis poſtibus in quinque locis anguli facti ad decorem, ſcilicet, quòd quilibet poſtis haberet quinq; angulos. Aliter dici poteſt, quòd quilibet iſtorum poſtium habebat quinq; angulos, id eſt quinq; foramina, per quæ ſubintrarent clauſuræ, vtpote ſi haberet oſtiũ Sancti ſanctorum ad firmam cuſtodiam quinque vectes, vel repagula, vt firmiter maneret. & illi vectes tranſirent de poſte ad poſtem, & in quinque locis firmarentur: & ſic quilibet poſtis eſt quinque angulorum, erant autem iſti poſtes de lignis oliuarum, ſicut ipſa oſtia. *Et duo oſtia de lignis oliuarum.* Eadem oſtia ſunt iſta, & illa, quæ vocantur ſupra oſtiola. Aliqui autem volunt, quod erant oſtia Sancti ſanctorum, ſicut oſtia fracta, quibus in multis domibus vtimur, ſcilicet, quia in oſtio magno eſt oſtium paruum, & poteſt aperiri paruum ſine magno: oſtia autem magna vocantur hic oſtia, & oſtia parua quæ erant in magnis vocantur oſtiola. Sed iſta poſitio non conſonat literæ: quia manifeſtum eſt, quòd oſtia magna, & parua de eodem ligno eſſent, & ſic nõ diceretur, quòd oſtiola erant de lignis oliuarum: & poſtea quod oſtia erant de lignis oliuarum; ſed ſolùm diceretur de oſtijs. Alij volunt, quòd eſſent oſtia duplicia, ſcilicet, quædam oſtia eſſent ex parte interiori, & alia ex parte exteriori; & quando claudebatur vnum, claudebatur & aliud: & aperto vno aperiebatur & aliud; & illis clauſis videbatur totus paries continuus. Sed iſtud etiam non conuenit, licet aliqualiter poteſt conuenire pro foribus exterioris domus, vt infra dicetur. Sed dicendum, quòd erat vnicum oſtium quod claudebatur duobus oſtijs conuenientibus in vnum, & iſta aliquando vocantur oſtia, & aliquando oſtiola. *Et ſculpſit in eis picturam Cherubim.* Scilicet, in oſtijs iſtis erant Cherubim depicti, & aliæ imagines. De his dicendum, ſicut ſupra diximus de figuratione iſtorum. *Et palmarum ſpecies.* Id eſt, Etiam erant palmæ ſculptæ in portis, & multa alia figurata erant ad decorem.

Et anaglypha valde prominentia. Id eſt, Etiam erant ibi multę alię ſculpturę. Vocantur anaglypha quæcunq; imagines ſculptæ, quæ ſupereminent: & ob hoc anaglypha ab ana, quod eſt ſurſum, & glypho, quod eſt ſculpo dicũtur. Et iſta anaglypha non ſunt determinatæ ſculpturæ, ſed cuiuſcunq; modi ſculpturam prominentem fecerimus vocabitur anaglyphus. *Valde prominentia.* Dicuntur prominentia, quę non ſunt plana, id eſt, ſuperficialia, ſed ſolida: & diſtinguuntur quantum ad hoc à picturis, quia illæ ſuperficiales ſolũ ſunt, & non prominẽt. Vocatur autem ſculptura valde prominens, quando ſtatuæ factæ de aliquo ligno, vel tabula plana ſunt tantum diſtinctæ per membra ſua, vt non videantur eſſe partes ipſarum tabularum planarum, nec adhęrere eis, ſed totaliter egredi de ipſis tabulis. Et iſtud pertinet ad ſubtile artificium, quale fuit in toto opere templi. *Et texit ea auro.* Scilicet, Iſta oſtia cum Cherubim, & cęteris picturis erant operta laminis aureis. Iſtud tñ relatiuum, ea, ſolum refertur ad oſtia. *Et operuit tam Cherubim, quàm palmas, & cætera auro.* Id eſt, omnes ſculpturas operuit auro: principales autem erant Cherubim, & palmę: per dictionẽ cætera, intelliguntur anaglypha, ſcil. omnes ſculpturæ cuiuſcunq; generis: & quia illæ erant minus principales, intelligũtur ſub nomine generali anaglyphorum. *Fecit q̃, in introitu templi poſtes de lignis oliuarum.* Hic ponitur quartum, ſcilicet, diſpoſitio quantum ad introitum, & atrium: & agitur de atrijs domus exterioris, quæ erãt oſtia magna ad Orientalem partẽ tẽpli: & vocatur hic templum tota magna illa domus inferior habens cubitus ſexaginta in longitudine. Erãt autem iſti poſtes de lignis oliuarum, ſicut portæ Sancti ſanctorum: ſed portæ iſtæ erant de lignis abiegnis, vt patet in litera: *Quadrangulatos.* Id eſt, Erant iſti poſtes quadrati, vt ex omni parte haberent ſuperficiem planam, ſcilicet quatuor ſuperficies planas in circuitu, id eſt, poſtes erãt groſſi, eo quòd portę debebant eſſe fortes, quia erant pro introitu templi. *Et duo oſtia de lignis abiegnis.* Id eſt, Habebat duo oſtia, quia cùm porta magna eſſet, non eſſet vnicum oſtium, quia eſſet grauis motus, & non eſſet pulchrum.

D

E

Portæ qualiter eſſent fabricatæ.

QVÆSTIO XIX.

CONSIDERANDVM autem circa fabricationem portarũ, quòd iſtæ portæ erãt valde pulchræ, eo quòd erant portæ exteriores, apud quas Iſraëlitæ ſolebãt ſpatiari per porticũ ipſius templi Salomonis, & videbant portas illas: ideo vt ſaltẽ pulchritudine portarum ſtupeſcerent, & conijcerent ex hoc quanta eſſet pulchritudo interior, quam non ſemper videre poterant, decuit vt in portis eſſet magna pulchritudo. Tanta autem erat iſtarum portarum venuſtas, quòd Propheta cùm mentionem ageret in Pſalm. de deſtructione Sanctuarij dixit de iſtis portis, ſcilicet, exciderunt ianuas eius, in ſecuri, & aſcia deiecerunt eam, vt patet Pſal. 72. Sic etiam patet Thren. 1. cùm dicitur: Viæ Sion lugent, eo quòd non ſit, qui veniat ad ſolennitatem. Aliqui dicunt, quòd iſtæ portæ erant altæ nimis, & tamen erant factæ de multis lignis complicatis, vnde Ioſephus vult Antiquitatum 8. quòd non erat in iſtis portis aliquod lignum maius palmo: & dicunt quod erant iſta ligna quadrata, ſcilicet, in longitudine vnius palmi, & æquali latitudine: & hoc volunt eſſe id, quod infra dicitur, ſcilicet opere quadro ad regulam. Sed iſtud non ſtat, quia iſta multitudo lignorum paruorum ſic copulatorum, licèt poſſet conuenire alicui ædificio manenti: portis tamen, quæ ſemper mouentur non conuenit. Item, quia debebant eſſe portæ nimis fortes, cùm eſſent portæ exteriores domus, ſub quibus omnia cuſtodiebantur, quæ erant in templo: & tamen iſta multitudo lignorum coniuncta, faciebat portas eſſe infirmas. Etiam iſta varietas lignorum non faciebat ad pulchritudinem, quia exiſtente ligno vnico poſſent fieri pulchræ ſculpturæ, & eſſet opus fortius: maximè quia iſtæ portæ operiebantur laminis aureis, & non apparebat multiplicitas lignorum, vt in hoc videretur pulchritudo. Dicendum igitur, quòd erant iſtæ portæ de groſſis trabibus abiegnis, quarum longitudo veniebat ad ſurſum vſque deorſum. De altitudine, & latitudine iſtarum portarum nihil ſcribitur: quidam tamen putauerunt, quod erant in altitudine cubitorum triginta, ſecundùm altitudinem ipſius primæ domus. Latitudinem autem dicunt fuiſſe viginti cubitorum, & ſecundùm hoc in parte Orientali non eſſet aliquis paries: quia latitudo templi ſolum erat viginti cubitorum, vt patet ſupra in litera. Magis autem videtur dicendũ, quòd non eſſet tanta latitudo portarum, ſed relinqueretur aliquid de pariete

C

F

A Orientali versus Meridiem,& aliquid versus Aquilonem,vtpote si essent portæ latitudinis quindecim cubitorum, vel sexdecim.Si tamen contrarium aliquis velit tenere,non insisto. Habitudo autem istarum portarum secundùm quosdam erat, quòd in medio aperturæ magnæ, vbi erant portæ, erat quidam postis magnus, super quem coniungerentur portæ, & concuterentur,quod fiebat ad fortitudinem portarum; & quodlibet istorum ostiorum erat duplex,scilicet,quia quodlibet erat ostium fractum, & erant duo ostiola parua in istis ostijs magnis:& sic vocatur vtrumque duplex. Et etiam dicitur, quòd portæ se tenentes aperiebantur, id est porta parua cùm esset in magna tenebat se cum illa, & quando aperiebatur magna,aperiebatur parua. Alij autem dicunt aliter, scilicet, Historia scholastica,quòd murus vel paries, in quo erat istæ portæ,erat in grossitie decem cubitorum. Et dicũt,quod fuerunt positæ portæ occupantes in grossitie istos decem cubitos hoc modo,scilicet,quòd quodlibet ostiorum erat quinque cubitorum in grossitie,& erãt quatuor ostia in ipsa apertura:duo ostia extrinsecus,&duo intrinsecus,quorum cuiuslibet erat æqualis grossitiei,scilicet quinq; cubitorum,& erãt ita artificiosè posita,quod quãdo claudebantur, faciebant parietem quasi continuum, eo quòd erant ista ostia simul sumpta æqualis grossitiei cum ipso pariete. Duo autem istorum ostiorum aperiebantur versus partem exteriorem,& duo versus partem interiorem: & quãdo claudebantur in medio parietis vacui, sibi obuiabant totam latitudinem eius tegentes: & sic artificiosè istæ portæ sibi adhærebant, vt quando claudebantur exteriores,clauderentur simul interiores:nullus enim in templo remanebat qui clauderet eas interius, cumq; aperirentur exteriores aperiebantur etiam interiores: & hoc est,quod dicitur, quòd se inuicem tenentes aperiebãtur. Ista expositio magis conuenit literę,quàm alia.*Altrinsecus*,id est,ista ostia sic se habebant,quod vnum erat cõtra aliud,scil.duæ portę erant in vno pariete,& duę in alio,& correspondebant sibi altrinsecus, scil.porta interior Meridiana,portæ interiori Aquilonari;& porta exterior Meridiana, portæ exteriori Aquilonari.*Et vtrumque ostium duplex erat*,scilicet,Ostium in latere Meridiano erat duplex, & in latere Aquilonari etiam duplex,scilicet,quia in vno loco erant quatuor ostia ad claudendum eandem aperturam, & vnum ostium non erat pars alterius:& istud est contra consuetudinem aliarum portarũ,quia in vnica apertura ad plus sunt duæ portæ, nisi fortè vna sit pars alterius: hic tamen erant ostia duplicata. Aliqui volunt, quod esset quodlibet ostium duplex, non quòd essent quatuor ostia,sed duo: & tamen quodlibet istorum esset duplex, id est,factum ex lignis duplicatis: vt si supponeretur vna trabes,vel tabula alteri ad hoc, quòd porta grossa, & fortis efficeretur:sed istud non stat, quia immediatè dicitur; & se inuicem tenentes aperiebantur,id est,quamquam esset duplex ostium; tamen simul se tenebant illa ostia, & simul aperiebantur,& claudebãtur: si tamen ostium duplicaretur,secundùm quod isti volunt,cùm esset vnicum ostium, vnico actu aperiretur,& non diceretur, quod se inuicem tenendo aperiebantur.Ideo dicendum, quod erat quodlibet istorum ostiorũ duplex,id est,ad quamlibet partem erant duæ valuæ cùm deberet esse vnica, & erant quatuor valuæ in eadem apertura, vt dictum est.*Et se inuicem tenentes aperiebantur*.Id est, erant subtiliter fabricatæ istæ valuæ, quod se tenebant aliquo vinculo artificioso,ita vt simul aperirẽtur interiores, & exteriores, licèt nullus maneret in templo ad aperiendum & claudendũ portas interiores. *Et sculpsit Cherubim, & palmas*.Id est,in portis istis tam interioribus, quàm exterioribus fecit Salomon variã pulchritudinem sculpturarum,& principaliter erant ibi Cherubim, & palmæ, sicut erant in parietibus templi, & Sancta sanctorum, & in ostiolis eius,vt patet supra. *Et cælaturas valde eminentes*.Id est,fecit multas alias sculpturas diuersarum figurarum in illis portis. Iosephus autem 8. Antiquitatum dicit, quòd erant tam in portis,quàm in parietibus templi, & Sancta sanctorum sculptæ multæ historiæ: credendum tamen, quòd non essent istæ historiæ de factis gentium, sed de operibus Dei,vt de creatione orbis,& operibus sex dierum:& de beneficijs,quæ patribus suis contulerat, incipiendo ab historijs Gen.*Operuitq; omnia laminis aureis*.Scilicet,ipsas valuas, & omnes sculpturas suas operuit laminis aureis infixis per clauos aureos:ita vt portæ viderentur massa quædam aurea.*Opere quadro ad regulam*. Id est, Fixio laminarum erat facta opere quadro,scilicet,quòd omnes laminæ erant quadratæ, vt pulchrè sibi extremitates earum adhærerent,& erant factę laminæ ad regulam,id est,mensuratæ regula, ita vt nulla earũ excederet aliam in magnitudine.Etiam vt quælibet earum esset perfectè quadrata, non habens latera ex alia parte inæqualia. *Et ædificauit*.Hic ponitur fabricatio atrij, quod erat extra templum. Et dicitur:Et ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, id est,fecit atrium sacerdotũ, quod erat intra omnia atria: & illud fabricauit de tribus generibus lapidum politorum:intelligendum est, quod plura atria erãt, & tamen scriptura non curauit hic dicere, nisi de atrio interiori,quod erat solennius cæteris:nam erat atrium sacerdotũ de cuius fabricatione dicetur:erat autem istud atrium de tribus generibus lapidum politorum, scilicet, murus suus erat in altitudine trium cubitorum:& in quolibet cubito erat per gyrum ordo vnius lapidis politi.Et vno ordine lignorum cedri, id est, erat etiam vnus ordo lignorum super lapides illos: & fortè erat,vt sederẽt ibi sacerdotes,& vt frigiditas lapidum non noceret eis.

D

Fabricatio atrij.

De quatuor atrijs templi,& quæ fuit figura illorum,& qui intrabant in illa,& ad quid erant singula,& de dispositione domorum, quæ erant in circuitu templi.

B

QVÆSTIO XX.

E

QVÆRETVR circa dispositionem atriorum, quomodo facta erant? Ad hoc respondendum,quòd atria erãt extra templum,ideo dicemus prius de quibusdam,quæ claudebantur intra ipsa atria,deinde de atrijs.Pro quo sciendum, quòd sicut supra tangebatur secundùm opinionem Hebræorum erant in circuitu templi factæ quædam domus, quas sic figurat Iosephus, scilicet, quod essent tres ordines domorũ, quorum quælibet circundaret latus Meridianum, & Occidentale,& Aquilonare templi:in latere autem Orientali non erant aliquę domunculę, eo quòd ibi erat porticus templi,& non occupabatur aliquo ædificio: quælibet autẽ istarum domuncularum erat in altitudine cubitorum 20. & in latitudine cubitorum 5. & totidem in longitudine: & erant triginta de istis in tòto circuitu iam dicto, & super istas erat alius ordo domorũ æqualium magnitudine, & super illas tertius ordo,& sic erant tres domus vna super alterã, & sic per totũ gyrum,& altitudo istarum erat simul 60.cubitorum circa parietem templi, & tamen non coniungebantur templo:nam trabes erant positæ per gyrum in circuitu templi, ne quis posset hærere muris templi. Istæ domunculæ vocantur exedræ, vel pastoforia,& putauerunt aliqui quod erãt ad hoc, quòd alienigenæ venientes in templum ad adorandum Dominũ manerent in eis,& ibi comederent:vnde putant eas vocata pastoforia,quia ibi pascebantur forenses.Dicendum tamen,quòd istæ exedræ erant factę pro sacerdotibus & Leuitis,qui ministrabant in templo Domini, & in atrijs: nam morabantur tunc in istis exedris, & ibi habebant vestes sacras,& quasdam in thesauris Domini, vt patet sæpè 1. Paralip. Vnde eodem lib.cap.9.dicitur, hi sunt principes cantorum per familias Leuitarum,qui in exedris morabantur:ita vt die & nocte iugiter suo ministerio deseruirent:& iterum his quatuor Leuitis creditus erat numerus ianitorum, & erant custodientes exedras,& thesauros domus Domini.

Ioseph. lib.8. cap.3.

F

De atrijs templi.

QVÆSTIO XXI.

C

QVÆRETVR vlteriùs de atrijs templi, & dicendum, quod multa erant:nam in Psalm.133. Qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri.Idem patet hic cùm dicitur:Et fabricauit atrium interius. Ex quo apparet, quod erãt multa atria.Etiam sequenti lib.cap.21. dicitur, & extruxit altaria vniuersæ militiæ cœli in duobus atrijs templi Domini. Pro hoc sciendum,quòd erant quatuor atria, scilicet,atrium sacerdotum,atrium virorum mundorum, atrium mulierum mundarum, & atrium tam virorum, quàm mulierum, qui mundi erant: quædam autẽ istorum atriorum circundabant templum,alia autẽ non: nam ipsum atrium sacerdotum non

circun-

A circundabat templum. Ad intelligēdum autem iſta atria debet prę ſupponi, quòd templum erat in ſuperiori parte montis Sion, vbi erat tumulus altus: deinde in deſcenſu illius per totum gyrum vbi erant ſpacia ampliora erat atrium circundans totum templum ex omni latere, & magna ſpacia montis. Primum atrium iſtorum erat atrium ſacerdotum, & iſtud erat quædam platea grandis quadrata, quæ erat ad partem orientalem templi, & iſta non circundabat templum, licèt aliqui vellent, quòd ſic, & habebat iſta platea murum ſolum altitudinis trium cubitorum, & erat altitudo vnius cubiti de lapidibus vnius coloris, & altitudo cubiti ſecundi erat de lapidibus alterius coloris, & altitudo cubiti tertij de lapidibus alterius modi, vt eſſet pulchra varietas: & iſti tres ordines lapidum erant in gyro iſtius muri, & hoc eſt quod dicitur in litera: ędificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum. Altitudo iſtius muri erat ita parua, vt omnes viri, & fœminæ, qui erant extra murum iſtum poſſent videre ſacrificia, quæ faciebant ſacerdotes, & omnes alias cæremonias, quæ intus fiebant. Pauimentum autem huius plateæ, ſiue atrij erat de pulchro marmore, diuerſis imaginibus decoratum. Habebat etiam iſte murus à parte interiori, inueſtituram de lignis cedrinis, ita vt lapides non apparerent ex parte interiori, ſed ex parte exteriori: & fortè iſtud erat ad tollendum frigus lapidum, quia ſacerdotes habebant aliqua ſedilia apud parietes, per gyrum: ſuper iſtum murum ſe apo-
B diabant ſacerdotes, & inclinati loquebantur ad populum extra murum ſtantem: eratque iſte murus ad defenſionem, ne laici accederent ad loca ſacra, in quibus ſacerdotes miniſtrabant. In iſto muro erant multæ columnę pulchræ, de quibus dicitur ſequenti cap. quarum quædam ſcriptæ erant literis Græcis, aliæ Latinis, aliæ Hebræis, prohibentes laicos accedere & tranſire murum. Intra iſtum murum erat altare magnum æneum, quod fecit Salomon viginti cubitorum longitudine, & totidem latitudine, & decem cubitorum altitudine. 2. Paralipom. 3. Erant etiam ibi luteres: erat etiam mare æneum, de quibus ſequenti cap. dicetur: quædam autem iſtorum erant ad hoc quod lauarentur ſacerdotes: alia verò ad hoc, quod lauarentur hoſtiæ in eis, vt quidam volunt. Iſte murus atrij proprio noīe vocabatur gion, ſed à Latinis appellatur cancellus, ſicut eſt cancellus chori in Eccleſia, de quo dicitur infra:

Cancelli laicos prohibete ſedere,
Ne ſe præſumant cœleſtia ſacra videre.

Hoc autem nomen erat, quia erat paruæ altitudinis, ideo nō poterat propriè vocari murus. Habebat autem iſtud atrium aperturam vnicam ab Oriente contra portam templi habentem aperturam vigintiquinque cubitorum, & non erant ibi aliquæ viduæ, ſed patens introitus: vſq; ad hunc introitum, vel portam aſcendebant viri laici, & mulieres deferentes oblationes ſuas, ſcilicet animalia ad immolandum, vel libamenta: & ibi occurrebāt eis miniſtri templi, ſcilicet, ſacerdotes ac-
C cipientes oblationes eorum, nec licebat laicis introire. Iſtud vocabatur atrium interius, quia erat intra alia atria magis cōiunctum templo. Ad iſtud etiam atrium prohibebantur introire quidam de ſacerdotibus, ſcilicet, qui erant maculati, ſ. fracto oculo, vel habens albuginem, vel torto naſo, aut breuē valde, aut longum habens: etiam ſi claudus eſſet, vel manum, aut pedem haberet fractum, aut eſſet lippus, vel gibbus, vel habens iugem ſcabiem, vel impetiginem in corpore, vel eſſet hernioſus, aut haberet aliquam aliam maculam: nam de iſtis dicitur Leuit. 21. quòd non accederent ad offerendum hoſtias Domino, nec panes, ſed veſcerentur panibus, qui offeruntur in Sanctuario: ita tamen, vt non ingrederentur intra templum, nec accederent ad altare. Hæc ſunt quæ pertinebant ad atrium ſacerdotum. Secundum atrium erat virorum mundorum, & iſtud erat inferius atrio ſacerdotum: conſiderabitur autem hoc modo, ſcilicet, quòd templum eſſet in ſummitate montis Sion, & deſcendendo aliquantulum verſus Oriētem eſſet platea magna, in qua eſſet atrium ſacerdotū, de quo dictum eſt. Deinde deſcendendo magis verſus radices montis erat quoddam aliud atrium valde magnum, quod per gyrum montis circuibat tam ipſum templum, quàm atrium ſacerdotum includens: ideo illi, qui erant in atrio iſto, quando volebant aſcendere ad atrium ſacerdotum, vt offerrent, aſcendebant per 14. gradus. iſtud atrium erat valde magnum, & pla-
num, cuius pauimentum vario marmore ſtratum erat. Erat D
autem iſtud atrium vallatum ex omnibus quatuor lateribus, & altitudo muri erat ex parte interiori 25. cubitorum: ex parte autem exteriori erat idem murus quadraginta cubitorum: & iſtud erat propter decliuitatē collis, ſicut videmus in quibuſdam vrbibus, quarum ſunt muri ex parte interiori humiles, & ex parte exteriori valde alti. Erat aūt iſte murus ad partem Occidentalem ſimplex, ſcilicet, nullā habens portam, in latere autē Orientali Meridiano, & Aquilonari erant portę & porticus circumiacentes. In iſtis aūt porticibus erāt columnę ſingulorum lapidum diuerſi coloris cum baſibus argenteis. teſtudo aūt porticum, & laquearia cedrina erant: latitudo verò porticus 30. cubitorum: in latere autem Meridiano erant quatuor portæ duplices valuas habentes, quæ laminis aureis, & argenteis erant opertę, ſicut diximus in portis templi, licèt non eſſent portæ tantæ pulchritudinis, ſicut portæ templi: in latere autem Aquilonari erant quatuor portæ ſimiles portis Meridianis, in his ſedebant ianitores, vt arcerent immundos ab ingreſſu huius atrij; in fronte autē Orientali atrij erat porta, quæ dicebatur ſpecioſa, habēs valuas de ære Corintho. De iſta porta dicitur Act. Apoſt. quòd Petrus & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam, & vir quidam claudus ponebatur quotidie ad portam quę dicitur ſpecioſa, vt peteret eleēmoſynam ab introeuntibus, & petiuit à Petro & Ioanne, Act. 3. In angulis autem parietis Orientalis atrij, ſci-
E licet, vbi cōiungebatur iſtud latus lateri Meridiano, & Aquilonari, erant portæ duæ paruæ, per quas aſcendebant mulieres ad offerendum, vel miniſtri deſcendebāt in occurſum earum, vt ad ipſas portas ſuſciperent earum oblationes. Per portam autem ſpecioſam Oriētalem, & per quatuor portas Meridianas, & totidem Aquilonares aſcendebant viri mundi ad orandum, & tempore ſerenitatis orabāt in locis patentibus, quia iſta atria nō habebant tectum. Tempore autem pluuiarum orabant ſub quibuſdam porticibus qui erant apud muros huius atrij. In platea autem huius atrij apud latus Orientale vendebantur animalia, & volucres ad offerendum, & ibi ſtabant menſę nummulariorum. Has autem quadā die Chriſtus euertit, quando introiuit in templum, vt patet Matth. 21. Eijciebat Ieſus omnes emētes & vendentes de templo, & mēſas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas euertit. In iſto atrio circa omnes portas tam Orientales, quàm Aquilonares & Meridianas erant gazophylacia, in quibus ingredientes templum proijciebant pecuniam ad fabricam tēpli: & poſtea enacuatis illis gazophylacijs fiebat inde fabrica. De hoc patet ſeq. lib. cap. 12. & 2. Paralip. 24. In porticibus autem intra iſtud atrium erant paſtoforia, quæ erant quædā loca ſeparata ad comedendum: nam ſacrificantes comedebant ibi partes ſacrificiorum, quæ proueniebant eis de ſacrificijs pacificis: vnde dicuntur paſtoforia à paſtu, & foris, ſcil. quòd venientes de foris ad ſacrificandum, paſcebantur ibi de partibus ſacrificiorū ſuorum: in eiſdem porticibus erant tria genera ſedilium, vt ait Iſidorus, ſcilicet, cathedræ, & ſinedræ, & exedræ. In cathedris ſedebant Doctores in gymnaſio; in ſinedris ſedebant auditores in conſiſtorio. Vnde ſinedra interpretatur ſimul ſeſſio, vel cōſiſtorium. In exedris ſedebant aſſeſſores cum iudice, quando aliquid ſecretius tractabant, & dicebantur exedræ quaſi aſſeſſus: aliquando tamen & impropriè vocantur exedræ cameræ, vel domus: & ſic accipitur ſemper in Paralipomenon, & in libris Prophetarū. Iſtud atrium vocatur ſæpè templum, vnde Chriſtus dicitur eieciſſe ementes & vendentes de templo. Matth. 21. ſcilicet, de atrio templi: nam intra templum nihil vendebatur, nec etiam laici illuc introibant, nec Chriſtus introiret illuc. Tertium atrium F
erat mulierum mundarum, & iſtud erat intra atrium magnū, de quo nunc diximus: habebat tamen proprios muros, quibus diſtingueretur ab atrio virorum, ſicut nunc Iudæi in ſynagogis ſuis faciunt: nam diſtinguunt loca virorum à locis mulierum, vt honeſtius vacent orationi. Iſtud atrium eiuſdē compoſitionis erat cum primo, non tamen tantæ venuſtatis, nec precioſi ornatus, ſicut primum: in hoc orabant mulieres quæ mundæ erant. Sciendum aūt, quod tam in iſto atrio mulierū quàm virorum erant cathedræ ſuper quas aſcendebant legiſperiti, & pdicabant populo legem, & moralē inſtructionem. Sic patet Matt. 23. ſcil. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: omnia quæcunque dixerint vobis, facite,

Primū atriū ſacerdotum

Secundū atrium virorum mundorum

Tertiū atriū mulierū mundarū.

A

Quartum atrium immundorum

secundùm opera verò eorum nolite facere. Quartum atrium erat, in quo orabant immundi, & vocabatur atrium immundorum: erant autem ibi tria genera personarum, scilicet, Iudæi viri immundi, & mulieres Iudææ immundæ, & viri Gentiles, & fœminæ: nam interdum Gentiles veniebant ad adorandum in templum Domini, vt patet Act. 8. de illo Eunucho Reginæ Candacis Æthiopum, de quo dicitur, quod venerat adorare in Ierusalem. Gentiles tamẽ non poterant intrare in templum Domini, vt patet Ezech. 44. scilicet, Sufficiant vobis omnia scelera domus Israël, eo quòd inducitis filios alienos incircuncisos corde, & incircuncisos carne, vt sint in sanctuario meo, vt polluant domum meam. Et non solum erat illicitum Gentilibus introire in templum propriè dictum, sed etiam introire in atrium Iudæorum virorum: & si quis introduceret illuc aliquem virum Gentilem debebat lapidari. Sic patet de beato Paulo, qui cum alijs viris Iudæis, qui purificabantur introiuit in templum, scilicet, in atrium virorum mundorum. Iudęi autem putantes, quòd illi, qui introierunt cum Paulo erant Gentiles, cõmoti sunt, & trahentes Paulum extra templum, voluerunt eum lapidare, dicẽtes: Viri Israëlitæ, adiuuate: hic est homo, qui aduersus populum, & legem, & locum hunc omnes vbiq; docens, insuper, & Gẽtiles induxit in templum, & violauit sanctum locum istum, Act. 21. Et tamen manifestum est, quòd ibi non dicebatur de templo Salomonis, sed de ipso atrio: nam etiam Paulo non licuisset introire in templum, cùm ipse non esset de sacerdotibus, sed erat de tribu Beniamin, vt patet ad Gala. 1. Istud atriũ erat exterius separatum, & murus eius erat in radice montis Sion, & ascendebatur quadringentis cubitis vsque ad verticem collis, in quo erat templum situm, & ita muri atriorum in nullo prohibebant aspectum templi, nec eorum qui ministrabant in atrio sacerdotum. De istis atrijs modicam mẽtionem facit Scriptura: nam in isto libro solum dicitur de vno atrio, scilicet, de interiori, quod erat atrium sacerdotum, sed 2. Paralip. 4. tangitur de duobus atrijs, scilicet, de atrio sacerdotum, & de atrio magno virorũ mundorum, cùm dicitur: Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem, & ostia in basilica, quæ texit ære, de alijs autem duobus atrijs nõ tangit determinatè scriptura, nec etiam de fabricatione istorũ: sed hæc, quæ dicta sunt, colliguntur ex varijs locis scripturæ in Paralipomenon, & in Ezechiele, & in isto libro, & sequente, & aliqua ex Ioseph 8. Antiquit. & aliqua ex Historia scholastica, cæterisq; scriptoribus. *Tribus ordinibus lapidum politorũ.* Istud intelligitur solũ de atrio interiori, vt dicitur hic, quod 2. Paralipom. 4. vocatur atrium sacerdotum, cuius murus erat in altitudine cubitorum trium, & in quolibet cubito erat vnus ordo lapidum politorum, & differebant isti lapides in coloribus, vt causaretur pulchritudo ex varietate, vt supra dictum est. *Et vno ordine lignorum cedri.* Id est, erat vnus ordo lignorum, scilicet, quia erant tabulæ cedrinæ à parte interiori in latere muri. De his autem, quæ erant in isto atrio, non dicitur hic, quia sequenti cap. habetur: *Anno quarto fundata est domus Domini.* Hic ponitur tempus, quo durauit ędificatio tẽpli, scilicet, per septem annos: ideo ponitur quando cœpit fabricatio, & quando finita est, & dicitur anno quarto, scilicet, regni Salomonis fundata est domus Domini, id est, posita fuerunt fundamenta. *In mense decimo.* Iste est mensis secundus anni quarti regni Salomonis, vt patet supra in litera. *Et in anno vndecimo, mense Bul.* Id est, consummata fuit domus anno vndecimo regni Salomonis, in mense Bul, qui est mẽsis octauus anni: aliqui corrigunt hic literam dicentes, mẽse Elul, vel Ebul. Et motiuum est, quia quidam mensis apud Hebræos vocatur Ebul: sed istud non stat, quia mensis Ebul est apud Hebræos sextus, scilicet Augustus: iste autem, scilicet Bul, est octauus: nam dicitur hic, ipse est mensis octauus. Dicendũ ergo, quod est alius mensis, qui nũc alio nomine vocatur apud Hebræos, & coincidit cum Octobri nostro. Vocatur tamen Bul dupliciter, scilicet, quia apud Hebræos fortè antiquitus erant alia nomina mensium, quàm nunc: & tunc erat Bul nomen mensis octaui. Aliter dici potest, quòd Bul non est propriè nomen mensis, sed est nomen appropriatum, quia Bul, siue Bol significat marcorẽ, & conuenit illi mensi, eo quòd in mense illo omnia sunt marcida, & tunc defluunt folia arborum, cùm tunc sit medietas autumni: sed primus modus est melior. *Ipse est octauus mensis,* id est, iste mensis Bul, in quo finita est fabrica, erat mensis octauus, & sic durauit fabricatio septem annis, & dimidio: nam incœpit in mense secundo anni quarti, & finita est in mẽse octauo, anni vndecimi. *Perfecta est domus in omni opere suo.* Id est, perfecta est domus templi, in qua erant tria cœnacula, sicut supra declaratum est. Et dicitur in omni opere suo, id est, in omnibus sculpturis, & deaurationibus, & apparatibus tam domus, quàm portarum: & in hoc intelligitur fabricatio omnium quatuor atriorum, de quibus supra dictum est. *Et in vniuersis vtensilibus.* Id est, etiam compleuit omnia vtensilia. Vocantur autem vtensilia omnia domestica vasa, quæ alicui vsui applicantur, & dicuntur vtensilia ab vtendo. Erant autem vtensilia sanctuarij tam intra templum quàm in atrijs. In templo erant hæc, scilicet arca, & duo cherubim de lignis oliuarum: & ista erant in Sancta sanctorum, & altare thymiamatis, & candelabra aurea decem, & mensa propositionis, & aliæ mensæ, & in eis vasa multa aurea, & argentea: extra templum in atrijs erant alia vasa, scilicet, altare holocaustorum, & omnia instrumenta eius: erat etiam ibi mare æneum, & luteres, de quibus sequenti cap. Hæc omnia fecit Salomon in septem annis. *Ædificauitq; eam annis septem,* id est, compleuit ædificationem eius in septem annis. Istud templum fuit consummatum in septem annis mirabili velocitate ex causis, quæ dicentur seq. cap. Templum autem quod factum est post reditum de Babylone, factum fuit in annis quadraginta, vt patet Ioan. 2. Et tamen illud fuit minoris operis: intantum, quod illi, qui viderant templũ Salomonis, & postea viderunt templum reædificatum post reditum de Babylone, flebant, vt patet 1. Esdræ, cap. 2.

Vtensilia templi.

B

C

Tẽpus quo durauit ædificatio templi.

Mensis Bul rectè dicitur.

D

E

F

CAPVT VII.

DOMVM autem suam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsq; perduxit. Ædificauit quoq; domum saltus Libani centum cubitorũ longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis, & triginta cubitorũ altitudinis, & quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas.

Descripta in præcedentibus templi ædificatione, hic agitur de domus regiæ constructionẽ, & diuiditur in duo, quia primò domus regiæ fabrica describitur, secundò ad constructionem quorundam vtensilium sanctuarij scriptura reuertitur ibi. *Misit quoque Rex.*

An ordo continuatus, & immediatus sit.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ista, quæ habentur hic, habeant ordinem continuatum ad præcedentia, & an fuerint facta immediatè post illa? Ad primum dicendũ, quòd ordo continuus est, quia Salomon ędificauit domum Domini, & domũ suam, & tamẽ prius ædificauit domum Domini quàm suam, quia videretur incõueniens, quod prius laboraret in re sua, quàm in templo Domini: potissimè cùm Salomon esset valde deuotus Deo, vt patet supra 3. Et prius vellet ædificare domum Domini, quàm domum suam. Ad secundum dicendum, quòd ista fuerunt immediatè post præcedẽtia, scilicet, quod cùm finiuit Salomon domum Domini, incœpit ędificare domum suam, quod patet, quia domum Domini ædificauit in septem annis, præced. cap. Domum autem suam annis tredecim, qui simul sunt viginti, & tamen à principio ædificationis templi vsquequo ædificata est domus Salomonis, & cessauit ędificare, fluxerunt solũ anni 20. ergo nõ fuit aliquod tempus medium, in quo cessaret Salomon ab opere, vt patet infra 9. scilicet, Expletis viginti annis, postquã ædificauerat Salomon duas domos, &c. Et est sensus, quòd à principio ædificationis Salomon composuerat cum Hiram, quod daret ei ligna cedrina, & abiegna, supra 5. Et nunc dicitur, quòd ab illa promissione fluxerant anni viginti vsque ad tempus, quo Salomon dedit ipsi Hiram viginti oppida, & tunc erat finita fabricatio, & reddebatur merces, & sic solum ædificatio durauit viginti annis, vnde non fuit aliquod tempus medium, in quo Salomon cessaret ab ædificatione. *Domũ*

A

autem suam ædificauit Salomon, Id est, ædificauit domum pro se, postquàm ædificauit domum Domini.

De tribus domibus, quas ædificauit Salomon pro se, & vxore sua, quæ fuerint figuræ, & vsus illarum.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR de fabricatione istius domus Salomonis. Considerandum pro hoc, quòd Salomon fecit tres domos, præter domum Domini, scilicet, domum suam, & domum saltus Libani, & domum vxoris suæ filiæ Pharaonis. De prima patet cum dicitur, Domum suam ædificauit Salomon tredecim annis: de secunda dicitur infra: Ædificauit quoq; domum saltus Libani: de tertia dicitur infra domum quoq; fecit filię Pharaonis. Considerandum, quòd Salomon fecit domum saltus Libani, quæ erat domus præcipua inter istas tres: ideo de huius compositione exprimitur: de alijs autem modicum dicitur. Sciendum autem, quòd domus saltus Libani erat duplex, scilicet, erat vna domus habens duo cænacula, scilicet, quòd super eosdem parietes esset vna domus inferius, & alia superius, sicut diximus supra de templo, quod habebat tria cænacula, vnum super alterum, & alterum super alterum, & ijdem parietes in longitudine, & latitudine erant omnium trium: domus autem inferior Salomonis, quæ vocatur saltus Libani erat de lapidibus: domus autem superior erat tota de lignis tam in parietibus, quam in tecto. Prima autem domus, scilicet, inferior erat lapidea, vt esset frigida ad conseruandum aromata, & pigmenta ad vsus templi, & vsus regiæ domus, vt beneficio terræ, muri lapidei diu vigerent quasi recentia. Superior pars domus erat tota facta de lignis Libani, & erat de lignis, vt conseruarentur ibi arma, quæ in siccitate melius conseruantur, ita vt rubiginem non sentiant: erantque ibi non solum arma ad pugnandum, sed etiam alia ad decorem, & ostentationem diuitiarum regis: nam fecerat rex Salomon scuta aurea multa, & lanceas aureas, quæ erant seruatæ in domo saltus Libani, vt patet 2. Paral. 12. cap. ista domus quam figuram habuerit in parte inferiori, quæ lapidea erat non legitur, sed solum de domo superiori, quæ erat lignea: credendũ est autem, quòd ambæ fuerint eiusdem figuræ, cum essent eiusdem longitudinis, & latitudinis: erat autem altitudo domus ligneæ cubitorum triginta, & longitudo cubitorum centum, & latitudo cubitorum quinquaginta habebat autem ista domus frontẽ latitudinis quinquaginta cubitorũ vbi erant tres ordines columnarum procedentes à fronte domus vsq; ad aliam frontem, & mediantibus his fiebãt quatuor deambulatoria inter columnas istas, & parietes. Pro quo sciendum, quòd series columnarum tendebat à fronte latitudinis in aliam frontem latitudinis, & erat extensio earum, vel progressus per longitudinem totius domus, quæ erat centum cubitorum. Considerabitur autem hoc modo, scilicet, sit paries orientalis cubitorum quinquaginta, & paries occidentalis totidem, & paries meridianus centum cubitorum, & paries aquilonaris totidem: tunc diuidatur paries orientalis in quatuor partes æquales, & prouenient cuilibet parti cubiti duodecim & dimidius: in duabus extremitatibus istarum erant parietes, scilicet, in angulo aquilonari, & in angulo meridiano: & tunc computando de ipso pariete Orientali duodecim cubitos, & dimidium versus Aquilonem ponebatur ibi vna columna, & computando totidem versus Aquilonem ponebatur alia columna, & tertiò accipiebatur æquale spatium ad Aquilonem, & ponebatur alia columna, & sic erat paries diuisus in quatuor partes, & solum erant ibi tres columnæ, deinde à qualibet istarum trium columnarum, extendebatur vnus ordo columnarum vsque ad parietem Occidentalem, quæ extensio erat centum cubitorum, & inter columnam, & columnam erat spatium sex cubitorum, & modicæ quantitatis vltrà. Quod patet quia quindecim columnę erant in quolibet istorum trium ordinum: & quindecim columnæ cum duabus parietibus, scilicet, Orientali, & Occidentali, inter quos erant, constituebant sexdecim spatia, & cuilibet proueniebant sex cubiti, & modicum: & sic erat in quolibet aliorum duorum ordinum columnarum: nam in illis tribus ordinibus erant quadragintaquinque columnæ, vt patet in litera, & in quolibet ordine quindecim, & istæ columnæ spatio æquali inter se distabant, & etiam ordines columnarum æqui distabant inter se. Sic patet in quibusdam Ecclesijs, quæ habent tria, vel quatuor ambulacra ab Oriente in Occidentem, distincta tribus ordinibus columnarum. Ista autem domus habebat tot curuaturas, siue testudines, quot erant ambulatoria, & secundũ hoc non erant columnę altiores quibusdam alijs, sed omnes sustinebant æquales testudines, vel fornices, quos nos arcus vocamus: ante portam autem huius domus erat porticus pulchra. Figura autem huius domus non potest poni in plano: ideo solum figurabitur infra facies huius, scilicet, paries orientalis tam domus superioris, quàm inferioris, & per illum intelligentur alij parietes, & tota domus. Alia erat domus regis, de qua tangitur hic in principio literæ: & ista distabant à domo saltus Libani, aliquanto spatio interiacente viridario, & erat ista domus eiusdem figuræ, & numeri columnarum cum domo saltus Libani, sed solum differebat ista ab illa, inquantũ illa erat duplex, scilicet, superior, & inferior, vt supra assignatum est, ista autem erat simplex, scilicet, vnica mansio, cuius muri altitudo quatuor habebat distinctiones, quarum tres erant diuersorum colorũ, & totidem simplicium, & superior erat cælaturis ornata: erantque ibi arbores sculptæ diuersi generis ramis, foliis, & pomis obumbratæ, ita vt propter miraculum subtilitatis agitari, quodãmodo putarentur. In medio totius amplitudinis erat domuncula habens latitudinem triginta cubitorum, & in ea erat solium Regis, in quo Rex sedens iudicia proferebat: erat autem solium istud mirabile valde, ita vt non reperiretur simile solium in omnibus regnis: de cuius figura patet infra decimo, vt quidam putant in posteriori pariete domus erant laquearia, & parietes vestiti erant auro, vbi Rex fecit thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro. Et iste erat thronus pretiosus Regis, de quo infra decimo dicitur, & non ille, in quo sedebat ad iudicandum, de quo supra diximus, licet quidam aliter velint. De fabricatione autem huius loco suo declarabitur. Et fecit Salomon circa domum reliqua habitacula, & sedilia, vbi residebant ipse & iudices post causas explicatas, & erant habentia pauimentum de marmore, & tabulis cedrinis: de ista domo dicitur infra, quòd fecit porticum solij in qua tribunal esse fecit. Tertia domus erat Reginæ filiæ Pharaonis, de qua infra dicitur, scilicet, domum quoque fecit filiæ Pharaonis, quam vxorem duxerat, tali opere, quali & hanc porticum. Ista domus erat facta apud domum Salomonis, quia noluit Salomon quòd vxor sua habitaret in domo, quæ sanctificata erat, vt patet 2. Paralepomenon. 8. Scilicet, Filiam verò Pharaonis transtulit de ciuitate Dauid in domum, quam ædificauerat ei: dixit enim non habitabit vxor mea in domo Dauid, eo quòd sanctificata sit, quia ingressa est in ea arca Domini: erat ista domus facta in latere montis Sion, magis distans à templo, quàm domus Salomonis. *Domum autem suam ædificauit Salomon.* Istud intelligitur de illa domo, quam fecit pro se, in qua erat thronus suus, & sedes iudicij, & tamen etiam intelliguntur per hanc aliæ duæ domus, vt infra declarabitur, scilicet, domus saltus Libani, & domus filiæ Pharaonis. *Tredecim annis.* Scilicet, durauit fabricatio istius domus annis tredecim. *Et ad perfectum vsque perduxit.* Id est, cœpit ædificare, & duxit ad complementum in istis tredecim annis.

Domus saltus Libani dispositio.

Domus Regis figura.

Domus Reginæ situatio.

An omnes tres domos fabricauit in tredecim annis.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR an isti tredecim anni fuerunt ad ædificandum domum Salomonis solum, vel fuerunt pro istis tribus domibus supra positis. Aliquis dicet, quòd fuerunt solum pro domo Salomonis, & tempus in quo ædificatæ sunt domus saltus Libani, & domus filiæ Pharaonis non exprimitur. Respondendum, quòd isti tredecim anni fuerunt ad ædificandum omnes tres domos. Quòd patet, quia si intelligeretur solum de domo Salomonis, cum aliæ duæ essent ita pretiosæ, & maiori tempore egerent ambæ, quàm domus Salomonis, posuisset etiam scriptura tempus ædificationis illarum, & tamen solum ponit annos tredecim

ædificationis: ergo isti intelliguntur fuisse pro omnibus tribus domibus. Item Salomon ædificauit domum Domini septem annis, & domum suam annis tredecim, qui sunt simul viginti. Et tamen post viginti annos, ipse cessauit ædificare, & dedit præmium regi Hiram pro lignis Libani, vt patet infra 9. Si tamen nondum ædificasset alias duas domos egeret lignis Libani: ideo non cessasset recipere ligna cedrina ab hiram, nec dedisset ei viginti oppida in mercedem laborum, & lignorum acceptorum, si adhuc egeret lignis cedrinis, & tamen post viginti annos dedit ei mercedem pro opere suo, tanquàm nihil operis vltra facturus esset: ergo in istis viginti annis compleuerat templum Domini, & omnes domos suas.

Ad argumentum in contrarium dicendum, quòd hic in principio accipitur domus Salomonis pro ipsa domo eius, specialiter distinguendo eam ab alijs duobus, & tamẽ quando posita est summa annorum fuit posita pro omnibus domibus. Aliter posset dici, quòd accipitur hic domus Salomonis pro omnibustribus domibus, quas fecit, quia cũ nulla illarum esset pro Deo, sed ad vsum suum, & vxoris suæ dicebantur esse omnes domus eius, sic accipitur infra 9. scilicet, expletis annis viginti, postquàm ædificauerat Salomon duas domos, id est, domum Domini, & domum Regis.

Salomon quare moratus est tredecim annis, pro ædificatione domus, & septem tantum ædificando domum Domini.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR vlterius, quare Salomon moratus est tredecim annis ædificando domum suam, & solum annis septem ædificando domum Domini. Aliquis dicet, quòd hoc factum est, quia Salomon fecit sibi tres domos, scilicet, suam, & domum vxoris, & domum saltus Libani, & pro his egebat maiori tempore, quàm pro vnica domo Dei. Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia quanquam essent tres domus Salomonis, non accedebant omnes tres simul ad magnitudinem ædificij, & expensarum templi: immo fortè, nec ad medietatem, sic ait Iosephus 8. Antiquitatum, scilicet, sed illud quidem, licet esset grande, & operatione mirabili cunctis simul inopinabile, quod operãte Deo, cui fiebat terminum septem annis accepit, regiæ verò domus multum templi dignitate minores erant. Respondendum, quòd non fuit consummatum ædificium domorum regis in tam breui tempore, sicut ædificium domus Domini, primò propter feruorem regis, quia circa ædificationem templi Dei erat valde feruidus, eo quòd ibi non parabatur habitatio homini, sed Deo. Secunda ratio fuit, quia Salomon non habebat magnitudinem expensarum paratarum ex antiquo tempore ad fabricandum domum suam, sicut ad fabricam domus Domini: nam Dauid parauerat omnes expensas ante mortem suam pro domo Domini, vt patet 1. Paralipom. 22. & 28. Ideo de expensis paratis facile fuit ædificare, & tamen pro domo sua ipse debuit habere expensas, quas non poterat in paruo tempore acquirere, ideo magno tempore moratus est ædificando domum suam. Tertia causa fuit ex deuotione popularium, qui erant ministri operis: nam desiderabant Israelitæ facere templum Domino, ideo laborabant nimis feruidè in opere templi, & sic faciliter consummatum est: in palatijs autem regis, quia non Deo, sed homini fiebant non ita promptè laborauerunt, & sic oportet opus dilatari ad maiora tempora. Istas tres causas tangit aliqualiter Iosephus 8. Antiquitatum. *Ædificauit quoque domum saltus Libani* Id est, post ædificationem domus suæ, de qua supra diximus ædificauit domum saltus Libani, cuius figura habetur hic. *Cap. 3.*

Quare vna de tribus domibus Salomonis, vocatur domus saltus Libani.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR quare vocatur domus saltus Libani. Aliqui putant, quòd sic vocatur, quia facta est in monte Libano. Sed isti falsè opinantur, nam iste tres domus, quas fecit sibi Salomon erant intra Ierusalem, & omnes in parte superiori ciuitatis, quæ vocabatur ciuitas Dauid. Quod patet, quia Salomon semper morabatur in Ierusalem; ideo nõ faceret domum in saltu Libani, quia multum distabat inde Libanus. Item Salomon posuit omnia arma sua in domo saltus Libani: nam ibi erant ducenta scuta de auro puro, & trecentæ peltæ de auro puro, posuitque eas in domo saltus infra 10. Ergo non distaret ista domus procul à Ierusalem, quia non haberet conuenienter Salomon ibi arma sua, maximè cum sæpe vteretur illis ad ostentationem gloriæ suæ. Item Iosephus dicit de vita Salomonis. 8. Antiquitatum, quòd quotidie equitabat extra vrbem ferens coram se illa scuta aurea inquiens: Exornabantur ascensores equorum primum decora iuuentute florentes, habentesque magnam proceritatem, & satis alios excedentes, longamque diffundentes in equorum sessione cæsariem, ex purpura tyria veste circumamicti, auriq; tinctura quotidie suis comis adijcientes, vt eorum capita percussa Sole auro radiante fulgerent. Hic circa eum armatis existentibus, arcusque ferentibus rex vectus in curru, & alba veste circumamictus solitus erat exire ad quendam locum, qui ab Ierosolymis duobus funiculis abest, vocaturq; Eden hortus, & aquarum rigationibus gratus, & locuples. Cùm ergo ista scuta aurea, & peltas aureas, quotidie viri Salomonis coram eo portarent, & postea reducebant in domum saltus Libani, oportebat, vt esset ista domus intra Ierusalem, vel satis propè Ierusalem. Dicendum igitur quòd vocabatur domus saltus Libani, quia erat domus illa circumquaque consita arboribus, & viridarijs mirabilis recreationis, iuxta diuersitatẽ saltus Libani. Aliter potest dici, & melius, quòd vocabatur domus saltus Libani, quia tota erat facta de Libano, & hoc speciale erat in ista domo, quia aliæ licet haberent ligna de libano, tamen saltem habebant parietes de lapidibus, & pauimentum; ista autem tota erat de lignis Libani tam in parietibus, quàm columnis, & tecto. Ideo rectè vocabatur domus saltus Libani, id est, domus tota facta de lignis saltus Libani. *Centum cubitorum longitudinis.* Hic ponitur mensura domus secundum longitudinem, scilicet, in pariete meridiano, & aquilonari; & solum accipitur hic mensura, & figura domus superioris: nam ista domus saltus erat duplex, vt supra dictum fuit; propriè tamen pars superior vocabatur domus saltus Libani, eo quòd illa erat tota de lignis: inferior autem erat de lapidibus tota, quia tamen eiusdem figuræ, & magnitudinis erant istæ duæ domus, solum describitur figura superioris. *Et quinquaginta cubitorum latitudinis.* Ista erat latitudo pro vtraq; domo tam inferiori, quàm superiori. *Et triginta cubitorum altitudinis.* Ista altitudo solũ erat pro domo superiori: quanta autẽ fuerit altitudo domus inferioris nõ apparet, sed fortè etiam erat triginta cubitorũ altitudinis. *Et quatuor deambulatoria inter columnas cedrinas.* Id est, fecit quatuor ambulatoria, siue quatuor calles inter columnas: non poterant tres columnę solũ positę in frõte domus cõstituere quatuor calles, sed istæ tres columnæ cum duobus parietibus, scil. meridiano, & aquilonari cõstituebant inter se quatuor deambulatoria, sicut fit in ecclesijs, quæ tribus, vel quatuor callibus distinguuntur per columnas distinguentes: erant autem ista deambulatoria procedentia ab oriente versus Occidentẽ inter tres ordines columnarũ, & parietem meridianum, & aquilonarem: erant autem istæ columnæ cedrinæ, cum dota domus illa esset facta de cedro, vt dictum est. *Ligna quippe cedrina exciderat in columnis.* Id est, exciderat ligna cedrina ad hoc quòd faceret ex eis columnas. *Et tabulatis cedrinis vestiuit totam cameram.* Vocatur camera quilibet fornix, vel tectũ in modum arcus procedens inter columnas, scilicet quòd sicut erant quatuor deambulatoria à pariete orietali vsq; ad occidentalem, ita erant quatuor testudines, vel fornices inter columnas, quas nos vulgariter vocamus bouedas: & istę erant vestitæ de cedro, scilicet, quia in tota domo illa superiori nihil apparebat nisi cedrus: & non accipitur hic camera secundum quòd aliqui malè intelligũt pro cubiculo, vel thalamo, sed pro arcu: nam camera in Græco dicitur à camur, quòd est curuum, & sic sunt illi arcus curui. *Quæ quadragintaquinque columnis sustentabatur.* Ista erat camera distincta per quatuor cameras, id est, quatuor arcus, vel fornices, quorum quilibet procedebat ab oriente in occidentem, & sustentabatur

Salomõ equitabat quotidie extra vrbem.

Mensura huius domus.

quadra-

A

quadragintaquinque columnis, quia non erant plures columnæ in illis quatuor deambulatorijs: nam tres ordines columnarum erant, & in quolibet erant quindecim columnæ. *Vnus autem ordo habebat calumnas quindecim.* Vocatur vnus ordo, id est, vna linea columnarum ab oriente in occidentem: & in ista linea erant quindecim columnæ. *Contra se inuicem positas.* Istud nõ refertur ad vnicum ordinem columnarum, sed ad omnes tres simul, scilicet, quòd habebant columnas contra se inuicem positas, scilicet, imaginemur tres ordines æquales columnarum procedentes ab Oriente in Occidentem, & columna prima primi ordinis erat posita contra columnã primã secundi ordinis, & tertij ordinis; & sic secunda cõtra secundam, & tertia contra tertiam, & conformiter de omnibus alijs. *Et è regione se respicientes.* Id est, columnæ istorũ trium ordinum respiciebant se è regione, id est, ex opposito æqualiter, scilicet prima duas primas: & secundas duas secunda & sic vsque ad quintamdecimam. *Æquali spatio inter columnas.* Istud refertur ad columnas cuiuscunque ordinis inter se, scilicet, in primo ordine, quantum distabat columna prima à secunda, tantùm distabat secunda à tertia, & sic de alijs: erat autem inter columnam, & columnam spatium sex cubitorum, & aliquid plus: potest etiam hoc referri ad tres ordines inter se, scilicet, quantum distabat columna prima primi ordinis à columna prima secundi ordinis tantum distabat columna prima secundi ordinis à columna

B

prima tertij ordinis; & sic de omnibus alijs columnis ipsorum ordinum, quia quælibet distabat ab alia duodecim cubitis, & dimidio, eo quòd paries quinquaginta cubitorum diuidebatur per quatuor partes ad constituendum quatuor ambulatoria, vt supra dictum fuit. *Et super columnas quadrangulata ligna.* Id est, superquamlibet columnam illorum trium ordinum erat quoddam lignum quadrangulatum. Pro hoc sciendum, quòd istæ columnæ cedrinæ erant rotundæ, & in capitibus earum ponebãtur ligna quadrata ampliora, quàm ipsæ columnæ, vt sederet conuenienter fornix, vel arcus super illa ligna quadrata, & sic fit in omnibus columnis, quas nos alicui rei subijcimus, quia capita columnarum ampliora facimus, quàm ipsas columnas. *In cunctis æqua.* Id est, ligna posita super istas columnas erant omnia æqualia, quia columnæ erant inter se æquales, & fornices, qui sustentabãtur à columnis erant æquales. *Et porticum columnarum.* Hic de-

Varia porticus describũtur.

scribuntur variæ quæ erant ante domum regis, de quibus hic dicitur, & ista prima porticus erat maior, cuius ponitur

C

mensura: aliarum autem mensura, & figura subticetur, & dicitur. *Et porticum columnarum.* Id est, fecit porticum de columnis, scilicet, ante portam domus regis posuit columnas secundum longitudinem cubitorum quinquaginta, & triginta cubitorum in altitudine, & super istas pendebat tectum, vnde erat magna porticus, cuius autem domus fuerit ista porticus, scilicet, an domus Salomonis, vel domus saltus Libani, non dicitur, sed videtur intelligendum quòd erat porticus domus saltus Libani, eo quòd mensura porticus erat iuxta magnitudinem ipsius domus in latitudine, & altitudine. *Fecit quinquaginta cubitorum longitudinis.* Ista longitudo porticus è contrario consideranda est, quàm longitudo domus, quia longitudo domus erat ab Occidente in Orientem centum cubitorum: latitudo autem erat à Meridie in septentrione cubitis quinquaginta: ista autem longitudo porticus considerabatur à Meridie in Septentrionem, & sic tanta erat longitudo porticus, quanta erat latitudo domus. Et ratio huius est, quia porticus erat ad portam domus, & illa erat in pariete orientali, qui erat quinquaginta cubitorum, ideo porticus debebat poni in fronte orientali: latitudo autem huius porticus erat ab Occidente in Orientem, scilicet, à porta domus versus partem exteriorem domus, & huius ponitur mensura, scilicet, quòd erat triginta cubitorum latitudinis: vnde ista porticus erat valde magna, quia porticus templi solum erat in longitudine viginti cubitorum, & in latitudine decem, præcedenti cap. *Et alteram porticum in facie maioris porticus.* Id est, alteram porticum fecit minorem ante porticum istam magnam, quæ nunc descripta est. Et dicitur ista maior porticus, quæ sequuntur minores erant in quantitate, & opere. *Et columnas, & epystilia super columnas fecit.* Id est, in ista porticu secunda fecit columnas, quibus sustentaretur tota porticus, & fecit epystilia, id est, capita columnarum de lignis quadratis, sicut dictum fuerat in porticu superiori, & dicuntur epystilia ab epy, quòd est supra, & stylus: nam stylus dicitur esse ipsa columna æqualiter rotunda, cui aliquid superponitur tanquàm caput. *Porticum quoque solij, in qua tribunal est, fecit.* Ista est alia porticus, in qua erat domus iudicij. Considerandum autem, quòd ista porticus non erat, sicut aliæ porticus domorum, quia illæ sunt ante portas domorum factæ: ista autem porticus non erat ante aliquam domum, sed per se erat facta. Vocatur autem porticus, quia erat solum tectum innixum super columnas, & non habebat parietes in lateribus, ita quòd per omnes partes poterat ingredi quilibet sub illud tectum, & in medio istius porticus, quæ magna erat, facta fuit quædam domus parua, in qua erant sedes ad iudicandum: & erat facta sic ista porticus, vt illi qui veniebant ad iudicia possent ambulare in circuitu illius domus iudiciorum, dum non audiebatur causa eorum, & postea intrabant in domum iudicij. Porticus autem ista magna esset, vt multi sub ea capi possent: erat autem ibi solium siue tribunal, scilicet, quædam sedes pretiosa, in qua rex sedebat ad iudicandum: erant quoque aliæ sedes minores, in quibus sedebant alij iudices, quando rex non erat in iudicio, vel eo iudicante assistebant ei. *Et texit lignis cedrinis à pauimento vsque ad summitatem.* Id est, operuit porticum illam tabulis cedrinis à pauimento vsque ad tectũ eius, quòd magis de domuncula intelligitur, quæ erat sub porticu. *Et domuncula, in qua sedebatur ad iudicandum.* Scilicet, quia tam Salomõ, quàm alij iudices sedebant ibi ad iudicandum. *Erat in media porticu.* Id est, erat in medietate porticus. Intelligendũ est enim, quòd ista porticus erat quadrata, & in medio illius erat domũcula iudicij æquidistãs à lateribꝰ istius porticus. *Simili opere.* Id est, erat fabricata de lignis cedrinis à pauimento vsque ad tectum, sicut dicebatur de porticu. *Domum quoque fecit filiæ Pharaonis.* Ista erat tertia domus, quàm fecit Salomon pro vxore sua, quia licet ipse habitaret in domo, quam fecerat Dauid, tamen noluit quòd habitaret vbi vxor sua dicens, quòd illa domus fuerat sanctificata per ingressum arcæ, vt patet 2. Paralipom. 8. *Quam vxorem duxerat Salomon.* Id est, Salomon acceperat in vxorem filiam Pharaonis, & ædificauit ei domum; non tamen habebat Salomon eam solum in vxorem, quia acceperat multas alias, vt patet infra 11. Scilicet, Fuerunt ei vxores quasi Reginæ septingentæ, & concubinæ trecentæ: inter istas tamen filia Pharaonis erat vxor principalis, eo quòd ipsam duxerat prius in vxorem, & ipsa erat tanquàm vxor, aliæ autem erant tanquàm concubinæ, sic patet Canticorum 6. Scilicet, Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus: vna est columba mea, & perfecta mea: viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prędicauerunt: Reginæ, & concubinæ laudauerunt eam, & illud intelligebatur de filia Pharaonis, vt satis colligitur ex litera, ideo huic

F

fecit Salomon domum, & alijs non. *Tali opere, quali & hanc porticum.* Id est, erat domus ex tali opere, ex quali erat porticus, de qua supra dictum est: & hoc intelligitur solum, quantum ad operturam tabularũ cedrinarum, à pauimento vsque ad tectum: & tamen quantum ad multa alia erat dissimile opus, eo quòd domus hęc habebat lapides multos pretiosos, & porticus, de qua supra dictum est, non habebat lapides pretiosos. *Omnia lapidibus pretiosis.* Id est, Omnia facta erant de lapidibus pretiosis in parietibus domus. Non vocantur lapides pretiosi gemmæ, quia tunc non posset aliqua domus fieri de lapidibus pretiosis, sed vocãtur lapides pretiosi, quia erant magni valoris, licet non essent gemmæ, sed erant marmora pulchra, & non erant lapides communes. Quod patet, quia infra dicitur, quòd erant lapides isti pretiosi: & dicitur, quòd erant magni octo, vel decem cubitorum: & tamen nõ possunt reperiri gemmæ tantæ magnitudinis: in Hebręo habetur lapidibus ponderosis, vbi nos dicimus pretiosis: & intelligitur, quòd erant ponderosi, scilicet, in sumptibus, & valore: nam cꝫ ipsi lapides substãtia sua ponderosi essent, nõ erat dubium, ideo litera nostra accepit sensum, & nõ verba dicens lapides istos esse põderosos .i. pretiosos. *Qui ad normã quandam, atq; mensuram tam intrinsecus, quàm extrinsecus serrati erant.* Id est, Isti lapides erant facti ad normam, id est, ad regulam, scil. ne aliqua pars eorum supereminet ad alias partes, sed essent planissimi, & ob hoc serrabantur, & erat ista serra-

D

E

Tertia domus, quam fecit Salomõ filia Pharaonis.

A

tura tam interius, quàm extrinſecus, ſcilicet, ex omni parte lapidis. Et dicitur hoc, quia communiter in alijs ædificijs lapides dolantur ex quinq; lateribus, vt ſedeant in opere: latus autẽ ſextum interius non dolatur, quia interiora parietis replentur calce, & paruis lapidibus, & interdũ quando opus eſt rudius ſolum dolantur lapides ex vno latere, ſcil. ab exteriori facie, & alia latera locantur in opere interiecto bitumine, & ſuppoſitis lapillis, vt ſedeant: in iſto autem opere, quia pretioſum valde erat omnia ſex latera lapidis dolabantur, & hoc eſt ſerrari interius, & exterius, *A fundamento vſque ad ſummitatem parietum.* Scilicet, Iſtud opus erat in lapidibus à fundamento parietis vſque ad extremitatem eius ſuperiorem. *Et intrinſecus vſque ad atrium maius.* Id eſt, Intra domum erat iſta habitudo parietum vſque ad atrium maius, id eſt, vſque ad aliquod atrium magnum, quod factum erat in ipſa domo filiæ Pharaonis, & poteſt hoc intelligi dupliciter. Vno modo, quòd iſti lapides erant ſerrati vſque ad atrium maius, id eſt, vſq; ad atrium domus Domini, & tunc erit ſenſus, ſcil. templum habebat multa atria, vt prꝫcedenti cap. declaratum eſt, & atrium maximum circundabat omnia alia. Fuit autem domus filiæ Pharaonis facta in deſcenſu montis apud latus atrij maioris templi: ideo ſtructuræ factæ de lapidibus dolatis in domo filiæ Pharaonis erant vſque ad atrium maius ſcilicet, atrium templi, & ſic coniuncta erant iſta ædificia. Aliter poteſt intelligi, quòd domus filiæ Pharaonis habebat in circuitu ſuo aliqua atria, & vnum illorum erat maius, & vſq; ad illud accedebat ſtructura de lapidibus pretioſis dolatis. *Fundamenta autem de lapidibus pretioſis.* Vocantur lapides pretioſi, ſicut ſupra dictũ eſt nõ gemmæ, ſed marmora diuerſarum ſpecierum, quæ pulchra ſunt, & magni valoris, ſicut eſt alabaſtrum, quòd vocatur marmor parium, quòd & pretioſius eſt cæteris: & iſto modo vtuntur Poëtæ, & Scriptores. *Lapidibus magnis decem, ſiue octo cubitorum.* Id eſt, Iſti lapides, qui erant in fundamento erant magni, ſcilicet, decem, vel octo cubitorum in longitudine: tales enim lapides ſunt pro cementis, vt ſuſtineant pondus ſuperpoſiti operis. Ex hoc patet, quòd nõ erant iſti lapides pretioſi, quia non reperiretur tanta magnitudo lapidum pretioſorum, ſed omnes parui ſunt, & quanto maiores reperiuntur, tanto ſunt in ſpeciebus imperfectioribus lapidum pretioſarum. Cuius ratio eſt, quia materiam communẽ diſpoſitam ex qualibuſcunq; operationibus cœleſtibus facile eſt reperiri in quantacunq; magnitudine: materiam tamen cauſatam per diſpoſitiones ſpecialiſſimas cœli difficile eſt reperiri in magna quantitate, eo quòd influentiæ illæ ſpeciales modico tempore durant, & rariſſimè eueniunt, & in paucis locis cauſantur. *Et deſuper lapides pretioſi æqualis menſuræ ſecti erant.* Id eſt, Non ſolum in fundamento erant lapides pretioſi, ſed etiam in parietibus: immo & à fortioſi in parietibus, quia ibi appareret pulchritudo lapidis, & non in cemento: & iſti erant æqualis menſuræ, vt pulchritudo appareret in ordine illorum: etiam erant ſecti, id eſt, dolati ex omni parte, vt pulchrè ſederent in opere. *Similiterque de cedro.* Id eſt, Etiam erant ibi parietes habentes tabulas cedrinas, ſicut habebat porticus ſupra poſita *Et atrium maius rotundum trium ordinum.* De iſto atrio eſt dubiũ, domus Domini. Nicolaus dicit, quòd erat arium domus filiæ Pharaonis; nam dicitur hic, quòd erat rotundum, & tamen atrium domus Domini erat quadratum. Sed dicendũ, quòd hoc non probat: præſupponit enim probandum, ſcil. quòd erat atrium domus Domini quadratum, quia non habetur ex aliquo loco ſcripturæ, an quadratum, vel rotundũ eſſet. Sed adhuc dici poteſt, quòd dato, quòd eſſet quadratum, ſecundum quòd omnes ponunt, fortè non erat perfectè quadratum, ſed irregulariter, ita vt parietes ſui aliqualiter declinarent ad rotunditatem, & ſecundum hoc vocabitur hic rotundum. Dicendum ergo, quòd iſtud atrium poteſt intelligi, quòd eſſet in domo filiæ Pharaonis, & tunc dicitur, quòd habebat domus illa multa atria, & iſtud, de quo hic dicitur erat atrium maius claudens in ſe totam domum. Aliter poteſt dici, quòd iſtud erat atrium domus Domini, & hic ſcriptura redit ad dicendum de illo, & iſta poſitio eſt melior. Quod patet hic cum dicitur, quòd iſtud atrium erat de tribus ordinibus lapidum, & immediatè ſubditur, nec nõ in atrio domus Domini interiori, id eſt, ſic etiam erat in atrio interiori: cum ergo iſtud vocetur atrium interius domus Domini, oportet quòd illud primum vocetur atrium exterius, alioquin non vocaretur iſtud atrium interius domus Domini, ſe abſolutè vocaretur atrium domus Domini. Pro quo ſciendum, quòd ædificatio domorum Salomonis ſolum durat à principio capituli vſque ad locum iſtum. Hic autem incipit deſcribere ea, quæ omiſſa erant de domo Domini: & quia præceden. cap. Cœperat dicere ſcriptura de atrio templi, hic continuat illud: & diſtinguit duo atria, ſcilicet, atrium maius, & atrium interius. Vocatur atriũ maius illud, quòd præcedenti cap. vocauimus atrium virorum mundorum. Vocatur atrium minus illud, quod ibi vocatum eſt atrium ſacerdotum. Et non facit hic mentionem ſcriptura de atrio mulierum, & de atrio immundorum: nam iſta atria videbantur comprehendi intra atrium maius virorum, ſaltem ipſum atrium mulierum. Atrium autem immundorum paruum erat, & de illo non curat ſcriptura: & ſecundũ iſtum modum dici debet, quòd atrium maius, quòd ſupra ponebatur, vſque ad quod accedebant ædificia domus filiæ Pharaonis, erat atrium domus Domini. *Trium de lapidibus ſectis.* Id eſt, Habebat iſtud atrium tres ordines lapidum in parietibus, qui erant ſecti, id eſt, dolati ex omni parte. Hoc poteſt intelligi dupliciter: vno modo quòd erant tres ordines lapidum, id eſt, erant tres domus de varijs lapidibus in iſto atrio, ſcilicet, atrium virorum, & atrium mulierum, & atriũ immundorum. Aliter poteſt intelligi, quòd erant tres ordines lapidum, ſcilicet, in quolibet pariete hoc modo, vt diſtingueretur altitudo parietis in tres partes: & in prima parte per totum gyrum eſſet vnus ordo lapidum, & in ſecunda parte eſſet alius ordo, & in tertia alius: & ſic quilibet ordinũ eſſet per totũ gyrum de puncto ad punctum. Et dicendum, quòd iſte ſenſus eſt melior, quòd patet quia dicitur immediate, quòd in atrio interiori erat ſic: & præcedenti cap. dicitur, quòd atrium interius erat ædificatum tribus ordinibus lapidum politorum: & tamen manifeſtum eſt, quòd nõ erat illud atrium diſtinctum per tria atria, ſed erat ſimplex: ergo in eodem pariete accipiendi ſunt iſti tres ordines: & ſic eſt, quòd in pariete claudente atrium exterius erant iſti tres ordines lapidum. *Et vnius ordinis de dolata cedro.* Scilicet, Vnus ordo erat de cedro, id eſt, parietes inueſtiebantur tabulis cedrinis vſque ad aliquam partem altitudinis, ſcilicet, ad quam fortè accedebat primus ordo lapidum. Et ſortè erant de lignis cedrinis ibi facta aliqua ſedilia, vt viri ſederent ad audiendum Doctores legis, & ad videndum quomodo fiebant ſacrificia, & aliæ cæremoniæ ſacræ. *Nec non, & in atrio domus Domini interioris.* Scilicet, Fecit tres ordines lapidum in atrio interiori domus Domini, quòd vocatur atrium ſacerdotum. & dicitur interius, quia erat paruum, & claudebatur ab atrio magno in quo erat populus ad orationem. Etiam erat iſtud atrium circa templum, ſcilicet, ad portam eius Orientalem: & atrium magnum magis diſtabat à templo Domini. *Et in porticu domus Domini.* Scilicet, poſuit lapides pretioſos in porticu domus: & hoc intelligitur de pauimento, quia illud erat pulchro marmore ſtratum: & eſt ſententia ſuſpenſiua, quia ſupra dicitur: Fecit fundamentum de lapidibus pretioſis. Etiam intelligendum eſt hic, quòd fecit in porticu domus Domini de illis lapidibus pauimentũ. *Miſit quoque.* Hic ponitur ſecundum, in quo ſcriptura ad deſcribendum vtenſilia quędam domus Domini reuertitur, & diuiditur in quatuor, primò ponuntur duæ columnæ notabiles: ſecundò æneum mare ibi. *Fecit quoque mare.* Tertiò deſcribuntur lutores ibi. *Et fecit baſes.* Quartò plura alia vaſa pertinentia ad cæremonias Dei ibi. *Fecit Hiram.* Circa primum dicitur. *Miſit quoque Rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro.* Hic ponitur artifex iſtorum vaſorum, quæ ſequuntur: & non eſt intelligendum, quòd nunc Salomõ miſerit pro illo, quia iam miſerat à principio, antequam inciperetur aliquod opus templi Domini, aut domus regiæ; quòd patet 2. Paralip. 2. Nam ibi dicitur, quòd cùm Salomon miſit ad Hiram, vt daret ei ligna inter alia, quæ reſpondit Hiram Salomon, ait; miſi tibi virum prudentem, & ſcientiſſimum Hiram patrem meum. Ponitur tamen hic, quòd miſit Salomon ad vocandum illum, eo quòd nunc dicitur de frabricatione illorum vtenſilium, quæ fecit Hiram.

B

C

D

E

F

Cur lapides pretioſi ſint parui.

Atriũ deſcribitur.

Vtenſilia quædam domus Domini.

Hiram qui fabricauit vtensilia quis fuerit.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR quis erat iste Hiram, qui fabricauit ista vtensilia. Aliqui putant, quòd erat Hiram Rex Tyri, qui ex magna deuotione voluit fabricare ista vtensilia. Deuotio autem sua apparet ex verbis eius, quæ habentur 2. Paralipomeno. 2. Scilicet, Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cœlum, & terram; qui dedit Dauid Regi filium sapientem, & eruditum, & sensatum. Sed dicendum, quòd non stat, quia dato quòd Hiram Rex Tyri esset valde deuotus ad Deum: tamen nesciret facere ista vtensilia, eo quòd Reges non consueuerunt esse docti in ædificationibus, scilicet, quòd manu sua ipsi fabricẽt, eo quòd ad talia nunquàm assueti sunt. Item patet, quòd ipse Hiram dixit Salomoni in literis suis: misi ergo tibi virum prudentem Hiram patrem meum, ergo non erat ipsemet. Dicendum tamen, quòd dato, quòd vocetur pater eius, non erat pater eius, sed solum vocabat eum patrem, eo quòd erat amicus suus valde, & erat vir eruditus: & fortè erat consiliarius Regis. Consiliarij autem solent appellari patres. Hoc autem aliqualiter apparet, quia allegato cap. Dixit Hiram ad Salomonem: Misi tibi Hiram patrem meum filium mulieris de filiabus Dan, cuius pater Tyrius fuit: Hiram tamen non erat filius mulieris Hebręæ, & viri Tyrij: ideo ipse non erat iste, qui construxit vtensibilia, de quibus hic dicitur: *Et tulit Hiram de Tyro.* Scilicet, iste Hiram erat oriundus de ciuitate Tyri, & pater suus erat Tyrius. Ideo Hiram misit eum ad Salomonem. *Filium mulieris viduæ de tribu Nephtalim patre Tyrio.* Id est, iste Hiram habebat matrem Iudæam, & patrem Tyrium, eo quòd Israelitæ, & Tyrij miscebant connubia.

Mater Hiram an esset de tribu Nephtalim, vel Dan.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR quomodo stat, quòd mater istius Hiram esset de tribu Nephtalim: nam 2. Paralipo. 2. dicitur, quòd erat filius mulieris de filiabus Dan, & tamen istæ erant distinctæ tribus. Respondendum, quòd vocabatur de vtraque tribu ex patre matris, eo quòd mater poterat esse de vtraque tribu, scilicet, quòd haberet patrem de tribu Nephtalim, & matrem de tribu Dan: & licet magis propriè nominaretur de tribu illa, de qua erat pater, tamen poterat largè de vtraq; tribu nominari, & quia filius erat de eadẽ tribu, de qua mater, & illa poterat vocari de tribu Dan, vel Nephtalim poterat vocari iste Hirã de tribu Dan, vel Nephtalim. *Artificẽ ærarium.* Id est, Erat artifex, quantũ ad omnia opera æris: & dicitur de hoc principaliter, quia licet ipse haberet aliam cognitionem multarum artium, tamen ista quæ fecit hic erant omnia de ære; ideo nominatur præcipuus in opere æris, & tamen 2. Paralipomenon 2. Dicitur, quòd nouerat iste Hiram operari in auro, & argento, & ære, & ferro, & marmore, & lignis: in purpura quoque, & hyacintho, & byssо, & coccino, & qui sciret cælare omnem sculpturam, & adinuenire prudenter quodcunque in opere necessarium est: & ideo factus est iste princeps artificum, vt patet eodem cap. *Et plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina.* Ponuntur ista tria, quæ distincta sunt hic pro eodem: nam sapientia propriè pertinet ad speculabilia: aliquando tamen accipitur pro cognitione suprema in qualibet arte: sic enim accipit Aristot. 7. Ethicorum cap. de Sapientia. Intelligentia autem propriè significat habitum principiorum, qui vocatur intellectus, vt patet 6. Ethicorum. Hic tamen non potest accipi sic, quia solum pertinet isto modo intellectus ad speculabilia, sed accipitur hic intellectus, pro ingeniositate quadã ad inueniendum subtilia opera. Doctrina autem propriè vocatur cognitio habita per demonstrationem, sicut est in mathematicis, quæ solum vocantur doctrinæ: & tamen hic non accipitur sic, sed solum pro cognitione habita in arte per alterius documentum. *Ad faciendum omne opus ex ære.* Id est, iste habebat industriam ad fabricandum quicquid potest fabricari ex ære; ideo fabricauit omne opus Salomonis. *Qui cum venisset ad Regem Salomonem.* Scilicet, Venit de Tyro, qui misit eum Hiram, vt patet 2. Paralipomenon. 2. *Fecit omne opus eius.* Potest intelligi dupliciter, vno modo quòd fecit omne opus eius, id est, omne quod erat de ære faciendum, & intelligitur de istis, quæ infra sequuntur. Aliter potest intelligi, quòd fecit omne opus eius, id est, totum opus Sanctuarij, & domorum Salomonis. Dicitur tamen fecisse omne opus, id est, præfuisse omnibus artificibus, qui faciebant opus. Nam ipse per se non poterat omnia facere: & istud consonat satis literæ Paralipomenon: vbi laudatur nimis sufficientia artis Hiram: sic enim dicitur quòd Beseleel, & Oliab fecerunt omne opus tabernaculi Moysi, scilicet, quòd ipsi fuerunt præcipui in faciendo istud opus, & informabant reliquos artifices. Exod. 31. & 35. *Et fixit duas columnas æreas.* Id est, fabricauit duas columnas de ære, & fixit illas in basibus suis.

De fabricatione duarum columnarum ærearum.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR autem circa fabricationem istarum columnarum. Pro quo sciendum, quòd in latere atrij sacerdotum in porticu templi fecit Salomon columnas multas pulchras valde, inter has tamen fuerunt duæ pretiosiores sui magnitudine, & varietate operis: ideo de his potius agitur, & imponuntur eis nomina propter singularem pulchritudinem, vt infra patet. De compositione autem illarum considerandum, quòd quælibet habebat quatuor partes, scilicet, basem, & stipitem, & caput, & capitellum: & ista coniuncta efficiebant columnam: altitudo autem omnium istorum simul sumptorum erat cubitorum trigintaquinque, vt patet 2. Paralipomenon 3. Partes autem columnæ habebant diuersas magnitudines: nam ipse stipes, qui propriè vocatur columna, erat decemocto cubitorum: caput autem erat quatuor cubitorum, vt patet hic, vel quinque, vt patet 2. Paralipomenon 4. Capitellum verò habebat quinque, basis autem habebat octo, & sic ista simul sumpta constituunt altitudinem trigintaquinque cubitorum. De base tamen non legitur quantæ esset altitudinis, debet tamen dici quòd esset octo cubitorum ad hoc, quòd cum stipite capite, & capitello constitueret altitudinem trigintaquinque cubitorum, vt patet 1. Paralipomenon 4. De columnis istis quantum & stipites suos, Dicendum, quòd non erant planæ, sed valliculatę, habentes in circuitu canales cauationis quatuor digitorum. Etiam grossities cuiuslibet stipitis erat magna, scilicet, quatuor quasi cubitorum in profundo: nam linea duodecim cubitorum ambiebat quamlibet columnam, vt patet in litera: & tamen circulus, cuius peripheria est duodecim cubitorum habet diametrum quasi quatuor cubitorum: eo quòd omnis diameter triplicatus cum septima parte sui constituit circulum: caput autem columnæ ponebatur immediatè super stipitem & pars capitis immediatè coniuncta stipiti erat eiusdem grossitiei cum stipite; deinde dilatabatur versus sursum ad modum floris lilij, qui flos inferius est acutus, & superius dilatatur, & capitella ponebantur super stipitem quasi in medio illius dilatationis existentem, & inferior pars capitelli aptabatur illi stipiti, & post aliquam eleuationem erat quædam dilatatio in circuitu capitelli per modum cuiusdam circuli, & super illum circulum erant centum malogranata superposita quasi per circuitum, & centum alia quasi posita sub circulo illo dependentia. Super circulum istum, & malogranata erat quædam eleuatio strictior ascendens propriè medium altitudinis capitelli, & diuidebatur in septem portiones, per lineas intermedias, seu circulos graciles, & quælibet portio erat perforata in circuitu subtiliter secundum varias figuras, sicut fieri solet in ostijs lanternarum ærearum, & quia capitella, & columnæ erant interius concauæ, lumen transiens per illa foramina circunquaque ostendebat pulchritudinem illius operis super istas septem portiones, quæ in litera vocantur retiacula, & cathenæ eo quòd in retibus, & cathenis apparent talia foramina, & intricationes: prope medium capitelli erat alia dilatatio circularis omnino similis prædictæ, & ibi erant centum malogranata superposita, & centum

A

ſuppoſita, & deſuper erant iſtæ ſeptem portiones perforatæ, ſicut prædictæ, ſed erant ſtrictiores, quia capitellum aſcendendo ſtringebatur, & in ſummitate capitelli erat aliquid ſimile flori lilij, cuius figura infra ponetur ſecundum Latinos, & iterum ponetur ſecundum Hebræos. *Decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam.* Iſtæ duæ columnæ erant, & ſimiles in toto opere, ideo quòd de vna dicitur intelligendum eſt de alia. Sed obijcietur, quia 2. Paralipomenon 4. dicitur, quòd quælibet columna erat cubitorum trigintaquinque. Dicendum, quòd ibi accipitur columna pro tota magnitudine compoſita ex ſtipite, baſe, capite, & capitello. Hic autem accipitur ſolum columna pro ſtipite, qui erat decemocto cubitorum, & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque. Aliqui errant in hoc putantes, quòd vna linea duodecim cubitorum circundaret vtranque columnam ſimul: ſed hoc non ſtat, quia illæ columnæ diſtabant à ſe, cum vna eſſet poſita ad vnam partem porticus, ſcilicet, Meridianam, & alia ad partem Aquilonarem, ideo non circundaret eas linea duodecim cubitorum, nec etiam viginti. Si autem intelligatur, quòd iſtæ columnæ coniunctæ ambiebantur vna linea duodecim cubitorũ etiam hoc non ſtat, quia iſti volunt, quòd quælibet iſtarum duarum columnarum ambiretur à linea ſex cubitorum, ſi igitur coniungerentur iſtæ duæ columnæ æquales, quarum quælibet per ſe ambiretur à linea ſex cubitorum, impoſſibile erat lineam duodecim cubitorum eſſe neceſſariam ad ambiendum illas coniunctas: immo nec acquireretur linea decem cubitorũ, eo quòd tunc non fierent duo circuli ambiendo ambas ſimul: ſicut ſi ambiretur quælibet earum per ſe. Dicendum ergo, quòd quęlibet illarum ambiebatur linea duodecim cubitorum, & erat profunditas groſſitiei parum vltra tres cubitos, & dimidium: dicitur tamen ambiebat vtranque, quia cum iſtæ columnæ eſſent æquales per omnia, ſicut vna ambiebatur linea duodecim cubitorum, ita & alia ambiretur. Sciendum, quòd iſtæ duæ columnæ æreæ non erant factæ opere malleatorio, ſed fuſili, ſicut campanæ. *Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur ſuper capita columnarum.* Hic apparet, quòd in qualibet columna erat caput, & capitellum: caput autem ponebatur immediatè ſuper ſtipitem columnæ, & ſuper caput ponebatur capitellum. Vocatur autem caput, & capitellum, quia iſta duo erant diſtincta, & quodlibet per ſe fabricabatur: ſuperius autẽ vocabatur capitellum propter duo: primò, quia erat ſtrictius, & aliud erat groſſum: ſecundò, quia capitellum ſupereminebat. *Fuſilia ex ære.* Id eſt, Iſta capitella erant fuſilia: ſic etiam erant capita, & columnæ: nam nihil erat factum opere malleatorio, etiam erant iſta capitella intus inania, & perforata in ſuperficie, vt ſic poſſet tranſire radius corporis lucidi ab vna parte in aliam, & iſti radij in corporibus obiectis effigiabant pulchritudinẽ operis. *Quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum.* Iſta altitudo accipienda eſt cum flore lilij ſuperpoſito, qui erat vnius cubiti. *Et quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum.* Scilicet, Æqualia erant capitella in altitudine, & groſſitie; ideo quot cubitorum erat vnum, totidem erat alterum. Groſſities autẽ iſtorũ capitellorũ non ponitur ſicut ponitur ſupra groſſities columnæ, ſcil. quòd ambiretur linea duodecim cubitorũ. *Et quaſi in modum retis, & cathenarum ſibi inuicem miro opere contextarum.* Id eſt, Iſta capitella erant facta ad modum retis, & cathenarum. Dicitur ad modum retis, quia ſicut rete ex omni parte perforatum eſt, & nullã partem habet totaliter clauſam: ita capitellum quodlibet erat ex omni parte perforatũ ſubtilibus foraminibus, ſicut fit in oſtijs lanternarum æreárum, vt lumen per illa foramina parua appareat. Dicitur eſſe in modum cathenarum, quia cathenæ perforatæ ſunt, vt teneat vna pars aliam, ſcilicet, per varios vncinos. Et dicitur miro opere contextarum, quia ſicut ſi cathenæ eſſent ſubtiliter complicitæ, ita vt nemo ſciret illas ſoluere, ita foramina capitellorum in illis retiaculis erant ſubtiliter facta, quòd videbantur cathenæ miro opere contextæ. *Vtrunque capitellum columnarum fuſile erat.* Iam iſtud ſupra dictum eſt, quia tam capitella, quàm capita erant fuſilia, & iſta poſſunt intelligi pro capitellis ſuperioribus, ſed melius intelliguntur pro capitellis inferioribus. Quod patet, quia infra ponuntur adhuc alia capitella. Vocantur enim ſupra capita extremitates ſtipitum: capitellum autem vocatur ipſius caput groſſum poſitum ſuper ſtipitem: deinde eſt aliud capitellum, quòd propriè vocatur capitellum, quia paruum erat. Et diſtinctio, quam ſupra dedimus de capite, & capitello, intelligitur de iſtis duobus, quæ vocantur hic capitella. *Septena verſuum retiacula in capitello vno.* Hic ponitur cælatura, quæ erat in capitellis. Et ſciendum, quòd altitudo capitelli diuidebatur per ſeptem partes æquales, ſicut ſi quis diuideret vnam columnam per ſeptem partes per ſex lineas gyratiuas, & iſtæ partes habebant in ſe diuerſa laquearia, quæ diſtinguebantur per illas lineas gyratiuas, ſicut apparet in figura ſupra poſita quęlibet autem iſtarum partium vocatur vnus verſus, quia erat magnitudo quædam per circuitum columnæ clauſa inter duas lineas gyratiuas: ſic enim accipitur Exod. 18. vbi dicitur de rationali, quòd erant in eo poſiti duodecim lapides pretioſi in quatuor verſibus: in quolibet autem verſu erant tres lapides. *Et ſeptena retiacula in capitello altero.* Id eſt, In capitello alterius columnæ, quia erant ſimiles iſtæ columnæ. Dicuntur autem eſſe retiacula in quolibet verſu, quia illæ cælaturæ, quæ erant in quolibet verſu erant retiacula, id eſt, facta ad modũ retiaculorum cum eſſent ibi foramina multa vario opere facta, ſicut in retibus. *Et perfecit columnas, & duos ordines per circuitum retiaculorum ſingulorum.* Dicitur perfeciſſe columnas, id eſt, ſtipites cum capitellis, & baſibus, & duos ordines: iſti enim ordines erant in circuitu retiaculorum. Poteſt intelligi dupliciter de iſtis ordinibus. Vno modo, quòd vocentur iſti ordines lineæ circulares in circuitu columnæ; & tunc quodlibet retiaculum, id eſt, quilibet verſus retiaculorum habebat duos ordines, ideſt, duas lineas gyratiuas claudentes ipſum retiaculum quarum vna erat ſupra & alia infra, & huic videtur conſonare litera, cum dicit: per circuitum ſingulorum retiaculorum: & tamen quilibet verſus capitelli vocatur retiaculum. Aliter poteſt intelligi, & melius, quòd vocentur hic duo ordines, ſcilicet, duo ordines malogranatorum, quia in quolibet capitello in parte inferiori erat vnus circulus ſupereminens, & in illo erat vnus ordo malogranatorum, & ſupra in fine illius capitelli erat alius ordo malogranatorum, & propriè iſti ordines vocantur quidam circuli groſſi ſupereminentes, quos appellare poſſumus labia columnarum, & ſuper illos infra illos erant malogranata. *Vt tegerent capitella.* Dicuntur iſti ordines, id eſt, circuli groſſi tegere capitella, id eſt, ſupereminere ad tegendum, ſicut labia columnarum ſunt ampliora, quàm ipſæ columnæ, & dicuntur tegere ipſas columnas. *Quæ erant ſuper ſummitatem malogranatorum.* Id eſt, Capitella erant ſuper malogranata, eo quòd malogranata pendebant de extremitate capitelli ad partem inferiorem columnarum. *Eodem modo fecit, & capitello ſecundo.* Id eſt Simile opus erat in capitello ſecundæ columnæ, & in capitello primæ; quia vt ſupradictum eſt æquale opus erat in vtraque columna. Vel poteſt vocari capitellum, ſecundum ipſum capitellum ſuperius, quòd habebat eandem fabricationem, quam capitellum inferius, ſed differebat ſolum per magnitudinem, & paruitatem: primus tamen ſenſus melior eſt. *Capitella autem, quæ erant ſuper capita columnarum, quaſi opere lilij fabricata erant.* Hic accipiuntur capitella pro capitellis ſuperioribus, quæ erant minora, & dicuntur eſſe ſuper capita columnarum, id eſt, ſuper capitella prima, quæ aliquando vocantur capita, & aliquando capitella, & dicuntur iſta fabricata in modum lilij, quia in parte ſuperiori capitelli ſecundi erat vnus flos lilij: ſi autem accipiatur capitellum pro inferiori, dicetur, quòd erat fabricatum opere lilij, ſcilicet, quia in parte inferiori capitelli antequam inciperent ſeptem verſus retiaculorum, eſſent aliqua folia lilij, ſicut interdum in capitibus columnarum lapidearum ſunt ſimiles flores: ſed ſecundus ſenſus melior eſt. *In porticu.* Id eſt, Iſtæ duæ columnæ erant in porticu, ſcilicet, vna ad partem dextram portæ templi, & alia ad partem ſiniſtram, & ſic ambæ erant inter portam templi, & atrium ſacerdotum. *Quatuor cubitorum* Id eſt, Erant iſte capitella quatuor cubitorum in altitudine, & erant iſta ſuper columnas ipſas immediatè: & ſuper iſta capitellà erant alia capitella minora, quæ erant quinque cubitorum in altitudine. *Et rurſus alia capitella in ſummitate columnarum deſuper.* Iſta erant capitella, vltima, quæ erant minus groſſa, & dicitur rurſus alia capitella, ſcilicet, quia non erant iſta capitella, quæ ponebantur immediate ſuper columnas ſed ponebatur

B C D E F

De ambitu columnarum.

capitellum

capitellum ſuper capitellum : & ob hoc dicitur in ſummitate columnarum, quia vltra iſta capitella nihil aliud erat : & dicitur deſuper, id eſt, ſuper capitella prima. *Iuxta menſuram columnæ.* Id eſt, Iſtud capitellum ſuperius erat iuxta menſuram columnæ, id eſt, æquale ei, non quidem in altitudine, ſed in groſſitie, ſcilicet, quòd linea duodecim cubitorum ambiret ipſum capitellum, ſicut ambiebat columnam, vt patet ſupra in litera : altitudo autem iſtius capitelli non apparet quanta fuerit : de capitello autem primo, & inferiori non apparet quanta fuerit groſſities. *Contra retiacula.* Id eſt, Iſta capitella ſuperiora in duabus columnis erant contra retiacula, id eſt, diſpoſita contra ſeptem verſus retiaculorum, qui erant in capitello inferiori. *Malogranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli ſecundi.* Vocatur capitellum ſecundum illud, quòd erat ſuperius, & erant ibi ducenti ordines malogranatorum, ſcilicet, malogranata quadringenta. Pro quo conſiderandum, quòd iſta malogranata erant ſic diſpoſita in extremitate capitelli, quòd in parte ſuperiori capitelli erat vnus circulus groſſus : & in extremitate inferiori alius circulus groſſus, & vterque erat tanquam labium columnæ, & in ſuperiori circulo erant ducenta malogranata, pendentia centum ſupra circulum, & centum infra circulum, & quia vnum malogranatum ſupra circulum, reſpiciebat aliud malogranatum infra circulum, conſtituebant illa duo malogranata vnum ordinem, quia erat habitudo eorum æqualis, & vnum reſpiciebat directè alterum, & ſic erat de ſecundo ad ſecundum : & de tertio ad tertium ; & ſic de omnibus alijs vſque ad centeſimum : & centeſimum, & ibi complebantur centum ordines in malogranatis ducentis. In extremitate inferiori capitelli erat alius circulus groſſus, & ibi erant alia ducenta malogranata, centum ſupra circulum, & centum infra circulum, & conſtituebant centum ordines : ſicut dictum eſt de malogranatis circuli ſuperioris. *Et ſtatuit duas columnas in porticu templi.* Iſtæ columnæ fuerunt poſitæ in porticu ad pulchritudinem : nam nihil erat ſuperpoſitum eis, nec legitur fuiſſe ſuperpoſitum. Item non habebant talem diſpoſitionem, vt poſſet eis imponi pondus ſuſtendandum, eo quòd extremitas earum erat quidam flos lilij ; & tamen ibi non benè ſederet pondus : erant igitur ad pulchritudinem, & vna erat ad dexteram portæ templi, & alia ad ſiniſtram ; & ibi propter varietatem ſuam pulchrum ſpectaculum intuentibus exhibebant. *Cumque ſtatuiſſet columnam dextram vocauit eam Ioachin.* Vocatur enim dextra columna, id eſt, quæ erat ad partem dextram portæ templi, ſcilicet, verſus latus Meridianum, & ſiniſtra, quæ erat ad latus Septentrionale : nam Oriens vocatur facies, vel anterior pars, vt patet præcedenti cap. Et tamen cùm aliquis conuerterit vultum & Orientem, erit ſibi pars Meridiana dextra, & pars Septentrionalis ſiniſtra. Vocatur iſta columna Ioachin, id eſt, firmitas ſecundum interpretationem Hebraicam. *Similiter erexit columnam ſecundam.* Iſta erat ad partem Aquilonarem. *Et vocauit nomen eius Booz.* Interpretatur enim ſecundũ Hebræos Booz robur : & dicunt Hebræi, quòd iſtæ duæ columnæ erant poſitæ ad ſignificandum firmitatem regni Dauid. Sed dicendum, quòd iſtæ columnæ poſitæ fuerunt ad oſtendendam pulchritudinem, quia erant vario opere factæ, & vt venientes ad portam templi gauderent videndo tantam pulchritudinem ; ſicut multa alia erant tam in templo, quàm extra pulchra nimis, quæ ad nihil aliud ſic facta fuerant, niſi vt pulchritudinem oſtentarent, ſicut patet de ſculpturis factis per parietes templi, & in portis, & de pauimento, quòd totum erat auro opertum. De nominibus autem iſtarum columnarum dici poteſt ſecundum literam, quòd vocabantur ſic propter groſſitiem ſuam, quia quælibet habebat tantam groſſitiem, vt ambiretur à linea duodecim cubitorum, vt patet ſupra in litera : & quia ambæ columnæ erant æquales in magnitudine, & figuratione debuerunt accipere idem nomen, & vt pulchrius ſonaret, poſita fuerunt eis duo nomina in voce differentiæ, & tamen idem ſignificatum habentia, vel ſaltem coincidens, ſcilicet, firmitas, & robur. Aliter poteſt dici, quòd ſi inſpiciamus rationem fortè ipſius imponentis nomina columnis, fuit ad ſignificandum duplicem fortitudinem, vel firmitatem, ſcilicet firmitatem regni Dauid, & firmitatem templi : nam ſi filij Dauid nõ peccauiſſent, manſiſſet thronus Dauid in poſteris ſuis ſemper ſuper Iſrael, & templum ſemper manſiſſet in flore ſuo : quia tamen peccauerunt, valde perijt regnum Dauid, & templum combuſtum eſt. Iſtud colligitur ex reuelatione facta Salomoni, quando Deus ei apparuit dum ædificaretur templum, vt patet præceden. cap. Ad ſignandum ergo iſtam firmitatem fuerunt duæ columnæ : vno pro regno Dauid, & alia pro templo. *Et ſuper capita columnarum opus in modum lilij poſuit.* Scilicet, Super capita vtriuſque columnæ in capitello ſuperiori poſuit opus lilij, id eſt, fecit quendam florem lilij, in quo finiebatur opus columnæ. *Perfectumque eſt opus columnarum.* Id eſt, Faciendo iſta, quæ ſuperpoſita ſunt, completum fuit opus columnarum, quia nihil aliud erat in eis, niſi id quod in litera continetur.

Quot erant malogranata iſta.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR de aliquibus dubijs circa ea, quæ habentur hic in litera : & primum, quia 2. Paralipomenon, cap. 3. dicitur, quòd erant quadraginta malogranata. Hic autem dicitur, quòd erant ducenta malogranata, vel alio modo ducenti ordines malogranatorum. Item in Paralipo. dicitur, quòd erant duo retiacula. hic autem dicitur quòd erant ſeptem retiacula. Reſpondendum, quantum ad primum, quòd in Paralipomenon eſt litera noſtra corrupta. Nam cum deberent eſſe ibi quadraginta malogranata ſcriptores noſtri poſuerunt quadraginta ; & hoc propter ſimilitudinem nominis. In Hebræo tamen habentur ibi quadringenta : & hoc ſatis apparet ex iſta litera, quia hic ponuntur ducenti ordines malogranatorum, & quilibet ordo continet duo malogranata, ſicut ſupra declaratum eſt : & ſic in ducentis ordinibus malogranatorum ſunt quadringenta malogranata. Item patet hoc infra in litera, vbi recapitulantur ita, quæ dicta ſunt : & dicitur perfecit columnas duas, & funiculos capitellorum ſuper capitella columnarum duos, & retiacula duo, vt operirent duos funiculos, qui erant ſuper capita columnarum, & malogranata quadringenta in duobus retiaculis. Ad ſecundum dicendum, quòd quanquàm ponantur duo retiacula in Paralipomenon, & hic ponantur ſeptem, non eſt contrarietas, quia hic accipitur retiaculum pro verſu quolibet retiaculi, & in Paralipomenon accipitur retiaculum pro ordine : & ſic ſolum erant duo ordines retiaculorum, ſcilicet, in capitello inferiori erat vnus ordo retiaculorum : & in capitello ſuperiori alius ordo : & in quolibet iſtorum ordinum erant ſeptem verſus, id eſt, ſeptem partes diſtinctæ per circulos, qui vocantur ſeptem retiacula, vt patet ſupra in litera, & tamen infra in litera vbi recapitulantur ea, quæ dicta ſunt hic, dicitur perfecit columnas duas, & funiculos capitellorum, ſuper capita columnarum duos, & retiacula duo. Ecce qualiter vocantur ibi duo retiacula ſolùm, ſicut in Paralipomenon 1. duo ordines retiaculorum.

De numero malogranatorum, & retiaculorum.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR vlterius, quia videtur litera iſta repugnare ei, quod habetur Ieremiæ vltimo, vbi dicitur de iſtis columnis, & ponuntur malogranata aliter, quàm hic. Nam dicitur, & fuerunt malogranata nonagintaſex dependentia in centum retiaculis : & tamen hic dicitur, quòd erant malogranata ducenta dependentia. Item hic dicitur, quòd erant duo ordines retiaculorum, & in quolibet erant ſeptem retiacula, vel ſeptem verſus retiaculorum. Ad primum reſpondet Nicolaus, Rabbi Sa. quòd iſtæ columnæ erant poſitæ in porticu domus, iuxta parietem, & in parte qua iungebantur parieti, occultabantur quædam malogranata, quæ non poterant videri à reſpicientibus, & illa erant in quolibet capitello quatuor inferiora, & quatuor ſuperiora : & illa non numerauit Ieremias dicens, quòd erant nonagintaſex malogranata pendentia loquens de illis ſolum, quæ apparebant vlterius. Etiam dicendum, quòd in quolibet columna erant duo circuli, qui vocantur labia capitelli :

Columnæ poſitæ ad oſtendendã pulchritudinẽ.

& ſuper quemlibet iſtorum circulorum erant centum malogranata, & ſub eo totidem, & ſic in duobus circuitibus, ſcil. ſuperiori, & inferiori erant malogranata quadringenta. Ieremias tamen locutus fuit ſolum de malogranatis, quę erant in vno circulo, & de his quidem ſolum, quæ erant ſuper circulum, vel ſolum infra circulum, & iſta erant centum, de quibus occultabantur quatuor, propter hoc quod capitellum coniungebatur parieti, ideo poſuit nonagintaſex, quia tamē ſecundum veritatem in illo circuitu erant centum malogranata ſubdit Ieremias ſecundū literam Hebraicam, & omnia malogranata centū ſuper capitellum, quod intelligendū eſt de vnō circulo malogranatorū, & tot erant in quolibet aliorum trium circulorum, & ſic erant omnia quadringenta: erant tamen de iſtis ſola ducenta dependentia, quia duo circuli erant dependentiū malogranatorum, & duo circuli non dependentium. Aliter poteſt dici, quòd Ieremias noluit deſcribere omnia malogranata, ſed deſcripſit minorē numerū, ſicut ſæpe fit in ſcriptura, quia idem numerus in diuerſis locis poſitus alicubi eſt maior, & alicubi minor. Quia tamen non eſt dicendum, quòd ſine aliqua cauſa Ieremias poſuiſſet nonagintaſex malogranata pendentia cum eſſent ducenta pendentia, vel ſi latius accipiamus erant quadringenta malogranata accipiendo tam pendentia, quàm non pendentia, quia tunc ſi ex ſola voluntate hoc diceret, poſſet etiā dicere, quòd erant quindecim malogranata, vel ſexaginta, quòd eſt puēriliter dictum, quia talis numerus nō debet poni in ſcriptura cum nihil certificet. Ideo dicendum, quòd propter aliquam cauſam Ieremias expreſſit nonagintaſex, hoc autem poteſt eſſe, quia licet malogranata eſſent quadringenta; tamen erant inæqualia in magnitudine, & pulchritudine, & ea quæ pulchriora erant cæteris, erant nonagintaſex, ideo illa ſolum numerauit Ieremias, & quia erant alia quatuor, quæ aliquo modo ſimilabantur iſtis in pulchritudine, & magnitudine, poſuit primo nonagintaſex, deinde poſuit centum. Alia ratio poteſt eſſe, ſcil. quòd tempore Ieremiæ ſolū erant centū malogranata, & de iſtis erant nonagintaſex pulchriora, reliqua autem quatuor erant parui valoris, ideo primo dixit, quòd erant nonagintaſex, deinde recapitulando, vt nihil videretur omiſiſſe dixit, quòd omnia malogranata erant centum. Sed tunc obijcietur, quia ſi accipiantur malogranata omnia tam pendentia, quàm non pendentia, erant quadringenta, vt patet in litera: ſi autem accipiantur pendentia in duobus circulis, erant ducenta, ideo non poterat eſſe, quòd tempore Ieremiæ eſſent ſolum centum malogranata. Reſpondendum, quòd etiam poterant eſſe ſolum centum, licet à principio fuiſſent quadringenta: nam proceſſu temporis multa corum, quæ facta erant, tam in templo, quam in atrijs, peribant, & oportebat, quòd repararentur. ſic patet de rege Ioas, qui quando bonus, & deuotus erat, fecit colligi pecuniam ad ſartatecta templi, vt patet ſeq. lib. cap. 12. & 2. Paralip. 24. Ita ergo poterant perire aliqua de iſtis malogranatis, quæ erant in columnis, ſic peribant aliqua de alijs rebus templi, & atriorum, & quia ante ętatem Ieremię fuerunt reges valde mali, ſcil. Acham, qui perturbauit totum Sanctuarium, & atria Domini ſequen. lib. ca. 16. Et Manaſſe, & Ammon, qui deſtruxerunt totum cultum Dei, ſeq. lib. cap. 21. Et deinde circa tempus Ieremiæ Ioachim, & Sedechias fuerunt reges non curantes de cultu Dei. Ideo non reſtaurarent aliquid de rebus pereuntibus in templo, & atrijs eius: & ſic poterant perire aliqua malogranata de iſtis columnis, quę prædicti reges nō reſtaurarent: & ſic poterant eſſe tempore Ieremiæ ſolum centum malogranata in qualibet columnarum. Alia cauſa poterat eſſe ſecundum quòd aſſignauit Rabbi Sa. & Nicolaus. Ad ſecundum de centum retiaculis dicendum, quòd tranſlatio noſtra corrupta eſt in ipſo loco, quis tamen corruperit eam, ibi dicetur: Hebræus tamē habet, ꝙ fuerūt malogranata nonagintaſex, & poſtea ſequitur omnia malogranata centū ſuper capitellū: & ſic de retiaculis nō fit ibi mentio aliqua: poteſt tamē dici ſecundum tranſlationē noſtram, ꝙ licet eſſent ſolum quatuordecim retiacula, quæ erant in duobus ordinibus, & in quolibet eorum erant ſeptem verſus retiaculorum, tamen iſta retiacula erant variè, & multipliciter perforata, ita vt varietas eorum faceret ea pertingere ad numerum centum retiaculorum. De hoc tamen forte magis dicetur ſuper Ieremiam.

Quid ſentiendum ſit magnitudine iſtarum columnarum.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR vlterius quid ſentiendum ſit de magnitudine iſtarum columnarum. Reſpondendum, quòd ſecundum veritatem, & vt ſupra dictum eſt, quælibet columna erat altitudinis trigintaquinq; cubitorum computando baſem, & duo capitella: nam ſtipes columnæ erat cubitorū decem & octo, capitellum autem vnum erat cubitorum quatuor, & aliud cubitorum quinque, baſis verò erat cubitorum octo, & ſic cōplebatur ſumma trigintaquinque. Aliqui tamen Doctores Latini, & Hebræi ſentiunt aliter de altitudine columnarum, ſcil. quòd quælibet columna eſſet ſolum decem & octo cubitorum, computato capite, & capitello, & baſe, & quòd probant, quia textus dicit hic, quòd columna erat altitudinis cubitorum decem & octo. Item probant, quia ſi quælibet columna eſſet trigintaquinque cubitorum in altitudine excederent altitudinē tecti templi, nam prima domus, ſcil. inferior templi erat triginta cubitorū in altitudine, præce. cap. & ſic quęlibet colūna pertingeret vltra primum deambulatorium. Sed hoc non poteſt ſtare, ergo non erat columna trigintaquinq; cubitorū: & reſpondent ipſi ad id, quòd habetur 2. Paral. 3. dicentes, quòd ibi nō accipitur altitudo cuiuſlibet columnę per ſe, ſed ambarū ſimul. Sed dicendum, ꝙ non ſtat, quia quælibet iſtarū columnarū, ſecundum ꝙ dicitur in litera, & ipſi confitentur, erat cubitorum decem & octo, ergo altitudo ambarū ſimul eſſet triginta ſex cubitorū, & non trigintaquinq;, vt patet 2. Para. 3. Item non ſtat hoc, quia capitellū cuiuſlibet iſtarū columnarum habebat quinq; cubitos in altitudine, vt patet hic & Ieremiæ vlti. Subtractis ergo iſtis quinq; cubitis de altitudine columnæ, manebant tredecim, de quibus ſubtrahatur altitudo baſis columnæ, quia nunquam eſt columna ſine baſe, ſic illa eſſet ſaltem cubitorū duorum, vel vnius ad minus, & manerent duodecim cubiti de altitudine ipſius ſtipitis: groſſities tamen columnę erat duodecim cubitorū, quia, vt dicitur ſupra in litera, linea duodecim cubitorū ambiebat columnā: ergo tanta eſſet groſſities columnę quanta altitudo: iſta tamē forma eſſet valde indecens, & turpis, ideo nō poneretur talis diſpoſitio colūnæ: potiſſimè, quia omnes Doctores tam Latini, quā Hebręi dicunt iſtas columnas fuiſſe ad pulchritudinem. Ad hoc ergo, ꝙ columna tantæ groſſitiei eſſet pulchra, oportebat ꝙ eſſet magnæ altitudinis, ſcil. cubitorū trigintaquinq;, aut plurium. Vnde valde conſonat pulcritudini columnę altitudo trigintaquinq; cubitorū, quę ponitur in Paral. Dicendū igitur ꝙ iſtæ columnæ erant in altitudine trigintaquinq; cubitorū, & erant poſitæ ad ſolam pulcritudinē in porticu tēpli. Quod apparet primò ex aſſertione omnium Doctorum Latinorū, & Hebræorū. Secundò patet, quia nō legitur, ꝙ haberēt ſuper ſe aliquod pondus. Tertiò, quia nō erant in tali loco, in quo poſſunt habere pōdus: nam erant in porticu templi, & ibi nō erat aliqua pars tecti porticus, quæ poſſet pendere ſuper ipſas colūnas, quia tectū porticus erat eleuatum, centū, & viginti cubitis, vt patet 2. Paral. 3. Columnæ tamē iſtæ erant in altitudine cubitorū trigintaqunq; ſolum. Etiā nihil aliud erat quod pendere poſſet ſuper eas, quia atrium ſacerdotum, apud quod erant, nō habebat tectū, ſed ſolum parietem de tribus ordinibus lapidum eleuatū à terra tribus cubitis, vt præced. cap. declaratū eſt. Quartò patet ex figura iſtarū columnarū, quia ſi aliquod pondus ſuſtendandum eis deberet imponi, oporteret, quòd eſſent capita earū plana, & ampla, ſicut baſes: ſicut videmus in alijs columnis, & tamen ſummitas cuiuſlibet columnæ erat acuta, & erat flos lilij in ſummitate, vt patet ſupra in litera. Ideo non erant columnæ ad ponendum aliquod pondus. Quinto patet, & efficacius, quia iſtæ columnæ licet eſſent valde groſſæ, ſcilicet, quòd linea duodecim cubitorū ambiret quamlibet earum, tamen non erant ſolidæ, ſed interius inanes, ita quòd groſſitudo columnæ ſolum erat quatuor digitorum, vt patet Ierem. vlt. ſcilicet, Porro groſſitudo eius quatuor digitorū, & intrinſecus caua erat: ſi tamen deberet eis imponi aliquod pondus etiam paruum non eſſent cauæ, quia ſic facillimè frangerētur: ideo nullo modo dici poteſt, quòd erant niſi ad

oſtenden

A ostendendum pulchritudinem: ergo oportet, quòd esset cõueniens altitudo illi grossitiei ad ostendendum pulchritudinem. Ad primum argumentum in contrariarum dicendum, quòd nõ intelligitur illud de altitudine totius columnæ sed solum de altitudine stipitis detracto duplici capitello, & base, & altitudo istorum erat decem & septem cubitorũ, ita vt cum altitudine stipitis esset simul altitudo cubitorũ triginta quinque. Ad secundũ dicendum, quòd illud argumentũ non concludit contra Hebræos: quod patet, quia ipsi non ponunt aliqua deambulatoria per circuitũ templi in parietibus facta, sicut Latini assignant. præce. cap. Ideo quantumcunq; erigantur columnæ in altum nihil erit sibi, quòd impediat secundũ Latinos. Dicendum, ꝙ Nicolaus, & quidam alij ponunt deambulatoria per circuitũ totius templi ad omnia quatuor latera, & sic etiã in parte orientali vbi erat porticus posuerunt deambulatoria, & quia primũ deambulatoriũ solum eleuabatur à terra triginta cubitis, præced. cap. declaratum est, videtur, quòd non posset columna eleuari triginta quinq; cubitis. Sed dicunt isti, quòd quanquàm altitudo primi deambulatorij esset cubitorũ triginta, hoc intelligebatur computando à lateribus pauimenti templi, quia tanta erat altitudo à pauimento templi vsq; ad primum tectum vbi erat primum deambulatorium, pauimentũ tamen porticus erat inferius pauimento templi, per aliquot cubitus: ideo computando à pauimento porticus vsq; ad tectum primum templi, & deambulatorium essent plures, quàm triginta quinque cubiti, & sic possent columnæ istæ capi in porticu sub altitudine primi deambulatorij. Mihi tamen non videtur rationabile dictum, quòd ad partẽ Orientalem templi essent deambulatoria tria, sed solum in latere Meridiano Occidentali, & Aquilonari: quia alias superfluum fuisset, ꝙ poneretur tectum super porticũ ad partẽ Orientalem, quia ipsa de ambulatoria operiebant porticum immediatè, & sic porticus non esset operta tecto, sed deambulatorijs, & tectũ, quòd vocatur tectum porticus magis propriè vocaretur tectum deambulatoriorum, quia illa tegebat: positum fuit tamen tectum super porticum, quòd erat eleuatum centum viginti cubitis à terra 2. Paral. cap. 3. Ergo videtur, quòd non erat deambulatorium aliquod in parte Orientali templi, quo dato non oportebit respondere, sicut supra dictum est, ponendo inæqualitatem altitudinis pauimenti templi, & pauimenti porticus: sed quantumcunq; eleuarentur columnæ nõ poterant pertingere ad tectum, quòd erat altum centum viginti cubitis.

Figura capitellorum qualis esset.

QVÆSTIO XII.

C QVÆRETVR vlterius de assignatione istarum columnarum in figura capitellorum secundum Hebræos. Pro quo sciendum quod Hebræi discrepant à nobis in figura capitellorum: nam Rab. Salon. non ponit, quòd quælibet columna haberet duo capitella, sed quod haberet vnicum, & dicebat quòd capitella ista erant, sicut duo grossi pomelli positi super capita columnarum, quorum maior esset latitudo, quam altitudo, sicut fieri solent quædam rotunda corpora in modum pomorum in summitatibus campanilium ecclesiarum, & etiam communiter in synagogis & in quibusdam ecclesijs in funibus, quibus pendent lampades, ponuntur similia poma de aurichalco, aut de materia ænea, & in superiori parte erat pomellus iste aliqualiter acutus, & in inferiori grossior: in parte autem latiori exterius erant duo circuitus malogranatorum vnus supra & alius infra, & in quolibet circuitu erant centum malogranata, & quia duo malogranata faciunt vnum ordinem, ideo ibi erant centum ordines malogranatorum in capitello cuiuslibet columnæ, & ducenti ordines in duobus capitellis duarum columnarum & in hoc differt imaginatio ista à figuratione, quam nos facimus, quia illa ponit dubentos ordines malogranatorum in qualibet columna, & ista ponit solum centum. in superiori autem parte huius pomelli erat opus, quasi lilij, scilicet, quidam flos lilij surgens, & ea pede huius floris descendebat opus per modum retis, & catenarum factum descendens vsque ad inferiora malogranata, & tegens illa, quasi videretur rete super positum malogranatis, & ipsa viderentur per foramina retis, & illud opus retiaculi à superiori parte vsque ad inferiorem diuidebatur octo lineis, quasi facientibus septem portiones, velut siquis diuideret vnum pomum per septem partes quarum quælibet veniret à capite vsq; ad pedem & tangere centrum esset quælibet trigona, & secundum hoc dicebatur quòd erant septena versuum retiacula, hæc omnia patebunt infra in figura. Sed ista figuratio capitelli non consonat literæ. Primò, quia solum ponit vnum capitellum in qualibet columna, & tamen litera significat hic, quòd essent duo capitella in qualibet columna, quia dicitur supra in litera, & rursum alia capitella in summitate columnarũ, & supra posuerat de alijs capitellis, ergo oportet ad minus esse quatuor capitella. Nec valet si aliquis dicat, quòd est hic replicatio eiusdem rei, sicut sæpe fit hic, & cap. præcedenti, & in alijs locis, quia litera manifestè exprimit, quòd non sit replicatio, sed superadditio, & diuersitas, & hoc patet ex duobus. Primò, quia dicitur & rursum, & tamen rursum significat iterationem & additionem. Secundo patet, quia dicitur, & alia capitella: alius tamen dicit diuersitatem, ergo erant duo capitella cuilibet columnæ. Secunda ratio est quia ista positio vult capitellum esse rotundum, & latum ad modum pomi, & non ad modum columnæ surgens; & tamen hoc non stat, quia litera dicit supra, & rursum alia capitella in summitate columnarum iuxta mensuram columnæ, id est, quòd capitella superiora erant eiusdẽ mensuræ cum columna, scilicet, eiusdem grossitiei, scil. si tamen ponatur figuratio secundum Rab. Sal. non poterit esse capitellum eiusdem mensuræ cum columna: non quidem in altitudine, quia hoc manifestum est, in latitudine etiam non erat eiusdem mensuræ, quia erat latius quam caput columnæ, ergo oportet aliquod figurari capitellum columnæ ad hoc, quòd fit secundum mensuram columnæ, scil. secundũ ꝙ nos figuramus dando duo capitella, & quòd primum sit grossius quam columna, & tamen sit secundum figuram columnæ: capitellum autem secundum sit æquale columnæ in grossitie & sit altũ ad modũ columnę. Tertia ratio est, quia secundũ istam positionẽ in qualibet columna solum erant centum ordines malogranatorum, & tamen litera ponit in vno capitello ducentos ordines, vt patet supra in litera, scil. malagranatorum autem ducenti ordines erant in circuitu capitelli secundi, & sic in eodem capitello erant ducenti ordines. Quarta ratio est, quia supra dicitur rurũ alia capitella in summitate columnarũ iuxta mensuram colũnę cõtra retiacula. Et sic aliqua capitella erant in colũnis quæ erãt contra retiacula: si tamẽ in qualibet columna esset vnicũ capitellũ, nõ posset poni capitellũ cõtra retiacula, nisi fortè in ipso stipite columnæ essent retiacula, ideo oportet quòd in qualibet columna essent saltẽ duo capitella, & cum in inferiori esset retiaculum, capitellum superius erat positũ contra retiacula, non ergo stat conuenienter figuratio quam ponunt Hebræi. Poterat tamẽ litera exponi secundum figurationem quam facit Rab. Salom. sed non curo eam exponere. Primò, quia cùm sit positio falsa, expositio esset inutilis, & non esset expositio, sed retorsio. Secundo, quia licet litera in quibusdam posset coloratè applicari ad figurationẽ Rab. Salom. in alijs tamen est impossibile. Tertiò, quia volo diffusionem euitare, potissimè in his quæ modicum fructum afferunt. F

Fecit quoque mare. Hic ponitur secundum huius partis, scil. fabricatio maris ænei. Pro quo considerandum quòd istud mare erat quoddam vas æneum continens multam aquam, & vocatur mare iuxta consuetudinem Hebraicam, quia Hebræi omnes congregationes aquarum maria vocant, vt patet Genes. 1. scilicet, & vocauit Deus aridam terram congregationesq; aquarũ appellauit maria. Figura autem huius maris erat sicut est in fontibus baptismalibus ecclesiarũ, scil. quòd sit quoddã vas quasi dimidia sphæra, & in parte superiori sit amplissimũ, eo quòd per locum illum transit maximus circulus sphærę; vt quando quis diuidit pomum per duas partes æquales. Istud mare versus fundum suum erat strictius, ideo minori circulo ambiebatur secundum conditionem sphærę, quando declinamus de medio versus polum ad angustias sphærę. Diameter autem circuli maximi istius maris erat decem cubitorum, scil. linea, quæ veniebat à labio in labium: linea autẽ circularis super ipsum labium erat

Fabricatio maris ænei.

cubitorum

A cubitorum triginta, deinde habebat versus partem inferiorem quosdam circulos minores, in quibus erant sculpturæ historiarum, & istud mare erat positum super duodecim boues ad quatuor ventos respicientes, vt appatet in litera. Erat autem istud ad hoc, vt sacerdotes lauarentur in eo: nam quando debebant accedere ad ministrandum lauabant manus, & pedes, vt patet Exod. 30. cap. & dicitur. *Fecit quoque mare.* Istud erat de ære, sicut dictum est, quia omnia ista vasa erant ænea, & vocatur mare ex causa supradicta.

Cùm Moyses fecit labrum æneum, in quo lauarentur sacerdotes, quare Salomon fecit mare æneum.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR cum esset à Moyse factũ labrum æneum, in quo lauarentur sacerdotes Exo. 30. quare fecit nunc Salomon mare æneum loco illius. Respondendũ, quòd vna causa fuit, eo quòd labrum ꝙ fecerat Moyses erat paruũ, vt esset portatile per desertum, & sic pauca aqua capiebatur in eo: nunc autem, quia erant multi sacerdotes, qui interdũ simul ministrabant ad altare in sacrificijs, necessaria erat multa aqua ad lotionem ipsorum, ideo oportuit fieri maius vas, & sic fuit mare æneum quod capiebat duo millia batos, vt patet infra in litera. Alia causa fuit ad decorem, quia B volebat Salomon facere omnia vasa templi, & atrij pulchra nimis: labium tamen quod fecerat Moyses, in quo lauarentur sacerdotes, cum esset paruum non poterat esse pulchrũ: sic factum est de alijs vasis multis, de quibus diximus præce. cap. quòd licet præfuissent in tabernaculo Moysi, tamen fecit Salomon alia. *Fusile.* Id est, erat factum opere fusorio, & non malleatorio. Nam difficillimum erat tantam materiam opere malleatorio formari: erat quippe quasi campana, licet non esset ita longum, sed magis accedens ad naturam dimidiæ sphæræ.

Decem cubitorum à labio vsque ad labium. Id est, ab extremitate labij vsque ad aliam extremitatem oppositam transeundo super centrum sphęræ continebat linea decem cubitos, & istud est verum solum de diametro. Nam omnes aliæ lineę minores erant. *Rotundum in circuitu.* Id est, non erat figuræ quadratæ, vel alterius cuiuslibet, sicut Hebræi volunt, sed erat rotundũ, nam erat tanquam dimidia sphæra. *Quinque cubitorum altitudo eius.* Istud intelligitur non computando basem, sed solum profunditatem ipsius maris ænei vsque ad labium, & sic quando implebatur aqua, erant quinq; cubiti de profunditate aquæ. Ex hoc apparet, quòd istud mare erat propriè factum ad modum sphæræ, quòd patet ex diametro: nam diameter huius maris erat decem cubitorum, scilicet, perueniens à labio in labium, vt patet in litera: ergo semi- C diameter esset quinque cubitorum: & tamen à profundo maris ænei vsque ad orificium eius erat linea quinq; cubitorum, & sic erat semidiameter, & sic si superponeretur isti mari alterum mare æquale, haberet in profunditate quinq; cubitos, & sic compleretur diameter decem cubitorum, & intersecabant se illi diametri in superficie maris ænei: ergo ibi erat centrum sphærę; & ob hoc propriè Iosephus vocat istud mare hemisphærium 8. Antiq. *Et resticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.* Id est, accipiendo labium maris ænei circundabatur ab vna linea triginta cubitorum. Sed dicendum quòd istud est impossibile, quia si diameter istius maris erat cubitorum decem necessariũ erat quod linea circundans ipsum ad minus esset 31. cubiti & dimidij, & si esset circulus maris 30. cubitorum præcisè, necesse erat diametrum suum esse minus quam decem cubitorum, quia omnis diameter triplicatus cum septima parte sui circulum constituit, vt est demonstratum in geometria. Dicendum ergo quòd diameter istius maris erat decem cubitorum præcisorum, & resticula circundans mare erat triginta vnius cubiti, & quasi dimidij: scriptura tamen non curauit de modico, ideo dixit quod erat resticula 30. cubitorum.

Et sculptura super labium circuibat illud. Id est, erat quædam sculptura facta continens aliquas imagines, & ista dicebatur esse super labium maris, non quidem in superficie eius, quia hoc est impossibile, sed in alia parte versus angustias sphęræ, vbi erant circuli minores, vt infra dicetur.

Decem cubitis ambiens mare. Id est, ista linea vbi erant sculpturę ambiebat mare per circuitũ, & erat decem cubitorum. D

Sed obijcietur, quòd sit impossibile, quia linea cubitorum triginta erat, quæ circuibat labium maris, vt patet in litera. Ideo non poterat linea decem cubitorum circuire mare per labium, ita quòd esset linea extensa super labium circulariter. *Linea ambiès mare quanta esset.*

Sed dicendum, quòd ista linea erat inferior labio, scilicet, maxima amplitudo maris erat in labio, & in loco ipso non poterat circundari mare, nisi linea trigintaunius cubitorum, & dimidij sed, deinde descendẽdo ad partes inferiores ipsius maris stringebatur, & in aliquo loco posset circundari linea viginti cubitorum, & alibi linea octo cubitorum, & quatuor, & vsque ad vnum, & sic procedendo vsque ad minutissima. Vnde necesse est, quòd sit aliquis locus in mari æneo, in quo linea cubitorum decem circundaret illud, & ibi erant quædam sculpturæ factæ in gyro maris, & sic dicitur linea ambiens mare decem cubitis, id est, ambiens illud in loco, vbi poterat ambiri linea decem cubitorum. Hebræi autem aliter intelligunt, vt immediatè dicetur.

Sed obijcietur contra istam positionem, quia litera dicit, quòd sculptura super labium circuibat illud decem cubitis, & tamen secundum modum supra assignatum sculptura erat infra labium.

Respondendum, quòd istud procedit ex varia acceptione, quia superius in sphæra vocatur punctus, qui magis recedit à centro, & eodem modo in circulo, & quia omnia puncta quę sunt in superficie sphærę æqualiter distant à centro omnia sunt æquè supra, sed illa quæ sunt intra grossitiem sphęræ sunt magis, vel minus supra secundum quod magis, vel minus accedunt ad centrum: hic autem ista puncta, quæ accipiuntur erant in circuitu maris, ꝙ erat dimidia sphęra, ideo nullũ erat superius, nec inferius. Accipitur ergo aliter hic supra, & infra secundum lineam rectam altitudinis, & tunc labium maris deberet esse superius, qui erat in maiori altitudine: litera tamen accipit è contrario, quia ponit fundum maris pro superiori parte, eo quòd ibi est magis acutũ, & labium maris ponit tanquã inferius, eo quòd ibi erat amplissimum, & quia iste locus, in quo linea decem cubitorum ambiebat mare, erat magis circa fundum, quàm labium, ideo dicebatur esse super labium. E

Hebræi autem ponunt quòd esset istud mare factũ è contrario, scil. quòd in parte superiori esset strictum in labio, & in parte inferiori esset latius, & sic continuè dilataretur versus partem inferiorem, sicut nos ponebamus, quòd stringeretur versus partem inferiorem: differunt tamẽ à nobis quia ipsi ponunt mare in parte superiori esse rotundum, & in parte inferiori esse quadratũ, & volunt quod à labio in labium in parte inferiori essent tres cubiti longitudinis, & iste esset diameter, & linea circularis ambiens esset decem cubitorum, & de hoc exponunt istam literam, quia dicitur hic, & sculptura super labium circuibat illud decem cubitis ambiens mare. Dicunt autem, quòd in parte inferiori erat mare quadratum, & quodlibet latus illius quadrati continebat cubitos decem, & linea ambiens totũ mare in circuitu esset quadraginta cubitorum, & de hoc exponunt quod dicitur in principio, scilicet, quòd linea decem cubitorum veniebat à labio in labium. F

Sed dicendum, quòd ista positio non stat, quia ponit mare habere solum in labio tres cubitos diametraliter, & tamẽ litera ista ponit decẽ cubitos. Item quia litera ponit triginta cubitos in resticula ambiente labium, & tamen Iudæi ponunt solum decem cubitos. Item ipsi volunt quòd labium maris vocatur fundus eius, vbi erat mare latius, & tamen non potest poni vbi labium, quia labiũ est vbi res aperta est, & tamen in parte inferiori erat mare clausum, & in superiori erat apertum, ergo in superiori erat maris labium. Item errant quia id, quod dicitur in litera de linea decem cubitorum, quæ veniebat à labio ad aliam extremitatem labij, ipsi applicant parti inferiori, & tamen immediatè non conuenit, quia ipsi non possunt applicare literam sequentem, scil. quòd resticula triginta cubitorum ambiebat labium, ergo necesse est quòd labium esset rotundum, & diameter eius esset decem cubitorum. Item non possunt vllo modo applicare literam illam, scilicet, resticula 30. cubitorum ambiebat

labium,

labium, ſcilicet, quia non poteſt conuenire labio ſuperiori, eo quòd illud erat cubitorum decem in circuitu, vt ipſi ponunt, & trium in diametro: etiam non conuenit labio inferiori, quia illud ambiebatur linea quatuor cubitorum, vt ipſi volunt: ergo neceſſe eſt aliter intelligi literam, vt ipſi volunt. Hebræi autem veniunt in iſta inconuenientia, vt euitent vnum quòd videtur eis inconueniens, ſcilicet, quia ſemel dicitur, quòd reſticula 30. cubitorũ cingebat illud per circuitum, & iterum dicitur, quò linea cubitorum 10. ambiebat mare ſuper labium. Sed iſtud non eſt aliquod inconueniens: nam ſupra ſolutum eſt. Nicolaus dicit, quòd poſitio Iudæorum multum differt à poſitione Ioſephi, & poſitio noſtra valde conuenit poſitioni Ioſephi, quod probat, quia Ioſephus vocat iſtud mare cantarũ grandem, & dicit quòd cantarus eſt crater, id eſt, ſcyphus, qui oblongus eſt: & tamen in parte ſuperiori eſt circularis, & amplior quàm in fundo, ideo ponit Nicolaus aliam figuram maris ſecundum poſitionem Ioſephi, quæ differt à poſitione Hebraica, & à figuratione noſtra. Eſt autem iſtud mare ſicut vas vitreum habens pedem, quod in parte inferiori ſtrictius eſt, & acuitur verſus partem ſuperiorem: tamen vbique eſt circulare cuius figura patet infra. Sed iſta poſitio non ſtat, quia figuratio maris ſecundum Ioſephum nullo modo debet differre à figuratione noſtra, quam ponit ipſe homine omnium Latinorum, quòd ſatis patet ex verbis Ioſephi 8. Antiquit. dicentis: Fuit mare æneum modo hemiſphærij, habebat eius diametrum cubitos decem, & craſſitudo eius erat fuſilis digitorum 4. habebatque fundum in medio aluei ſui loco rotundum decem coronis explicitum: cum ergo dicat illud fuiſſe ad modum hemiſphærij non debet dici, quòd erat ad modum crateris habentis partem inferiorem acutiorem, quia crater non formatur ad modum hemiſpherij, ſed vnus diameter eſt ibi longior alio. Tenenda eſt igitur figuratio maris, quam primo proſuimus. *Duo ordines ſculpturarum hiſtriatarum erant fuſiles.* Id eſt, erant per gyrum illius maris in ipſo duo ordines ſculpturarum hiſtriatarum, id eſt, habentium hiſtorias, ſcil. quòd erant duo circuli in gyro, in quibus erant factæ ſculpturæ hiſtoriarum, & dicitur hic hiſtriatarum, id eſt, hiſtoriatarum ſublato ô per Syncopam inuſitatam. Ioſephus autẽ 8. Antiq. dicit, quòd erant decem coronæ in illo mari æneo, & fortè illæ vocantur hic ſculpturæ hiſtriatæ. An verò iſti duo ordines different ab illo circulo, qui erat ſuper labium, & ambiebat mare 10. cubitis non apparet nec etiam multum refert. Dicitur quòd erant iſtæ ſculpturæ fuſiles, id eſt, factæ opere fuſorio, quia tam ipſum mare, quàm quidquid in eo erat opere fuſorio factum erat: dicitur tamen de iſtis ſculpturis, quòd erant fuſiles, ne putetur quòd poſtquam factũ fuit mare æneum opere fuſorio fuerunt factæ aliquę cauaturæ in eo, & illæ erant ſculpturæ ſicut ligna quælibet per cauaturam ſculpuntur, & figurantur: etiam ne putetur quòd iſtæ ſculpturæ erant per ſe factæ, & poſtea infixæ ſuperficiei maris ita vt videretur eſſe pars maris. Sed dicendum quòd erant illæ ſculpturæ pars maris, & fuerant factæ cũ ipſo opere fuſorio, ſicut fit in fabricatione campanarũ. quia quæcunq; literæ, vel imagines fiant in forma fuſoria eædem poſtea apparent in campana, nihil in ea ſculpendo. Idem etiam fit in fabricatione cuiuſlibet monetæ, quia cadente materia in vaſe monetali fit figuratio in moneta. *Et ſtabat ſuper duodecim boues.* Iſtud mare, vt dictum eſt, erat rotundum in modum hemiſphærij, & erat locatum ſuper 12. boues æreos, quorum capita erant ad partem exteriorem, & poſteriora eorũ erant ſub mari, ita vt nihil appareret, ſicut conſueuit fieri in ſepulchris, ſiue ciborijs valde pulchris, quæ locantur ſuper leones, & illi habent facies ad exteriora & terga eorũ latent ſub ciborijs. *Et quibus tres reſpiciebant ad Aquilonem, & tres ad Meridiem, & tres ad Occidentem, & tres ad Orientem.* Iſti boues erant poſiti per gyrum ſub mari, & quia mare erat rotundũ oportet, quòd iſti boues reſpicerent ad omnem partem mundi quidam ad Orientem, & quidam ad Occidentem, alij ad Meridiem, alij ad Septentrionem. Non tamen eſt verum, quòd tres eorum reſpicerent ad Orientem præcisè, & tres ad Occidentẽ, & ſic de Meridie, & Septentrione, quia cum eſſent iſti boues in gyro poſiti modo circulari non poterant reſpicere tres eorum ad vnam partem, ſed reſpiciebant iſti 12. boues ad 12. ventos, nam ſic ſe habent 12. venti in circulo horizontis diuidendo illum per partes æquales, ſicut ſe habebant iſti 12. boues ad circulum imaginatum in pauimento ſub mari æneo, & ſub pedibus ipſorum, quòd arcus æquales de circumferentia illius manerent inter bouem, & bouem. Hebræi autem aliter ponunt, nam ipſi dicunt fundum maris eſſe quadratum, & in quolibet latere eſſe decem cubitos: illa autem quatuor latera reſpiciebant directè quatuor partes mundi: nam quilibet tres boues, qui erant ſub vno latere reſpiciebant directè vnum cœli, ſcilicet, Orientem vel Occidentem, Meridiem, vel Aquilonem. *Et mare ſuper eos deſuper erat.* Id eſt, mare erat poſitum ſuper iſtos boues. *Quorum poſteriora vniuerſa intrinſecus latitabant.* Id eſt, facies iſtorũ boum erant ad partem exteriorem contra quatuor ventos, & poſteriora eorum latebant ſub mari, ita vt non viderentur, ſicut eſt de leonibus, ſuper quos ponuntur ciboria ſepulchrorum. *Groſſitudo autem luteris.* Hic ponitur groſſitudo labij ipſius maris, nam dictum fuerat, quòd ab extremitate labij vſque ad aliam extremitatem erant 10. cubiti, & tamen non dicebatur quanta eſſet groſſitudo ipſius labij maris, & hic ponitur groſſitudo, & vocatur iſtud mare luter, quia luter dicitur à luo luis, quòd vno modo ſignificat abluere, vel purgare, eo quòd ſacerdotes lauabantur in mari iſto: infra tamen diſtinguuntur luteres à mari. *Trium vnciarum erat.* Aliqui accipiunt vncias pro digitis, ſic accepit Ioſephus 8. Antiq. dicens, quòd groſſitudo labij maris erat digitorum triũ, ſic etiam accipit Hiſtoria ſcolaſtica. Sed in Hebroo dicitur 4. digitorum & 2. Paralip. 4. dicitur vnius palmi. Ex quo apparet, quòd in Hebræo pro eodem accipitur vnus palmus, & quatuor digiti. Etiam tres vnciæ ſignificant magnitudinem vnius palmi, vnde vncia aliquando eſt nomen ponderis, & aliquando nomen menſuræ: hic autem pro menſura accipitur.

Labiumque eius quaſi labium calicis. Scilicet, non erat planũ labium, ſed rotundum in ſuperficie ſicut calices, id eſt, vaſa habere ſolent.

Et folium repandi lilij. Id eſt, erat labium maris complicatũ circulariter in parte ſuperiori, ſicut lilium repandum, id eſt, curuum. Nam ſtos lilij in parte ſuperiori curuatur: ita extremitas labij iſtius complicabatur, & curuabatur, & dicitur repandum valdè curuum, à re, & pandus, id eſt, curuus.

Duo millia batos capiebat. Hic ponitur capacitas iſtius maris ſcil. quòd capiebat duo millia batos. Satis enim erat magna capacitas, quòd poteſt apparere ex magnitudine maris æneꝰ: nam ipſum erat hemiſphæricum, & habebat de labio ad labium diametrum decem cubitorum, & in circuitu cingebatur linea 30. cubitorum vel triginta vnius, & dimidij: determinatè tamen non colligitur ex ſcriptura, quanta ſit magnitudo bati: nam Ezech. 45. ponuntur menſuræ Hebraicæ, & dicitur, quòd batus, & ephi ſunt æqualia, & quòd batus eſt decima pars cori; & tamen neſcimus quanta ſit magnitudo cori, aut ephi, vt per illa cognoſcamus magnitudinem bati. Dicendum tamen quod poterat cognoſci certiſſimè eo magnitudine maris æneꝰ, quia mare æneum erat media ſphæra cuius diameter erat decem cubitorum, & ſemidiameter, id eſt, altitudo erat quinque cubitorum & peripheria erat 31. cubiti. & dimidij quaſi: eratque iſtud corpus regulare, ideo cum nos fecerimus tale corpus, & impleuerimus illud aqua, erunt ibi duo millia bati, vt patet in litera, & conſequenter cùm diuiſerimus illam aquam in partes duo millia æqualiter ſciemus quamlibet illarum eſſe capacitatem bati, & conſequenter ſciemus magnitudinem omnium menſurarum Hebraicarum: nam batus, & ephi ſunt æqualia Ezech. 45. ergo caperentur duo millia ephi in mari. Item gomor decima pars eſt ephi Exod. 16. ergo in mari æneo caparentur 20. millia gomor. Corus autem eſt maior menſura, quam batus, quia decem bati implent corum, Ezech. 45. ergo in mari æneo caperentur ducenti cori. Aliqua Biblia habent. *Duo millia batos, tria millia metretæ.* Sed iſta litera eſt ſuperabundans, quia nec in Hebræo, nec in Biblijs noſtris correctis cõmuniter habetur, ſed erat gloſſa interlinearis magiſtralis ſuper litteram iſtam poſita, & imperitia librariorum textui inſerta eſt. Motiuum autem fuit, quia 2. Paral. 4. vbi ponitur iſta figura maris dicitur, & capiebat mare metretas tria millia, & ſic eadem menſura eſt duo millia bati, & tria millia metretæ, & ob hoc vnum exponitur per aliud.

Capacitas maris æneꝰ

Sciendum

A *Metreta quæ mẽsura.*

Sciendum quòd mensura est nomen commune ad omnia vasa mensurandi, & non significat aliquam quantitatem determinatam. Metreta autem licet à nobis accipiatur aliquando impropriè pro nomine generali mensuræ: tamen significat aliquam mensuram determinatam, & pro illa solum stat, quòd patet 2. Paralip. 4. cùm dicitur: capiebatque mensuræ tria millia metretas, id est, de mensura, vel de quãtitate capiebat metretas tria millia: si tamen metreta non esset nomen speciale mensuræ frustra poneretur quòd capiebat tria millia metretas, quia per hoc nihil determinaretur. Item patet hoc Ioannis 2. cùm dicitur erant ibi lapideæ hydriæ capientes singulæ metretas binas, vel ternas: ergo metreta erat nomen speciale alioquin non magis caperent illæ hydriæ metretas binas, vel ternas, quàm decem millia metretas, vel vnam metretam, si metreta est mensura indeterminata. Sciendũ quòd Papias dicit metretam cõtinere decem sextarios Hebraicos. Isidorus autem 16. Etym. dicit, quòd metreta capit 50. sextarios Hebraicos. Nicolaus autem conatur reducere metretã, & batum ad copinam, & pintam, & quartam, & dolium, quæ sunt mensuræ Parisienses: ad vltimum tamen concludit, q̃ non possunt reduci mensuræ Hebraicæ ad mensuram Parisiensem, vel ad aliquam modernam, eo quòd per tempora variantur mensuræ: etiam non habemus aliquam mensurã vniuocam cognitam, quæ mensuret mensuras nostras, & illas antiquas. Et sic dicendum est, quòd per modum, quem vult Nicolaus impossibile est sciri iam mensuras Hebraicas determinatè: sciemus tamen certissimè per modum quem supra assignaui, scilicet, faciendo vnũ corpus dimidiæ sphęræ cuius diameter sit decem cubitorum, & cum illud fuerit impletum aqua, necesse est esse ibi duo millia batos, & duo millia ephi, & tria millia metretas, & viginta millia gomor, & ducentos coros; quia istæ mensuræ sunt æquales quantũ ad ista, quæ exprimitur. *Et fecit bases decem.* Hic ponitur tertium huius partis, scilicet, fabricatio luterum, & erant decem, sicut apparet in litera: erantque vasa magna, in quibus continebatur aqua, vt infra apparet.

B

Fabricatio luterũ.

Luteres ad quid positi fuerint in templo Salomonis, & cur non fuerunt in tabernaculo Moysi, & de eorum figura.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR circa hoc ad quid fuerunt positi luteres in templo Salomonis, & quare non fuerunt in sanctuario Moysi, quòd enim ibi non fuerint apparet, quia fecerat solum Moyses labrum æneum, in quo lauarentur sacerdotes Exod. 30. & tamen non posuit in toto sanctuario aliquod aliud vas, in quo continerctur aqua, vt patet discurrendo à 25. cap. Exod. vsque ad finem libri: vbi ponuntur omnia vasa, quæ erant in sanctuario, & sæpe repetuntur. Respondendum ad primum quod Salomon posuit luteres in atrio templi ad continendum aquam, vt ibi aliquid lauaretur, quòd satis apparet ex nomine suo, nam luter dicitur à luendo, id est, lauando, vel purgando: erat tamen differentia inter luteres, & mare æneum, quia in omnibus eis cõtinebatur aqua, & tamen mare erat, vt lauarentur in eo sacerdotes, ipsi autem luteres erant, vt lauarentur in eis hostiæ, hoc patet 2. Paralipom. 4. Scilicet, fecit conchas, vt lauarent in eis omnia, quæ in holocaustum oblaturi erant, porro in mari sacerdotes lauabantur. Sed obijcietur, quòd non lauarentur animalia offerenda in luteribus, sed lauabantur in probatica piscina, quæ erat antè templum in Ierusalem, de qua Ioan. 5. ideo ipsa vocatur ibi probatica piscina more Græcorum, & vocatur Bethsaida Hebraicè, & vtrunque significat lotionẽ animalium ibi. Nam probatica dicitur à probaton, quòd est ouis, id est, quia ibi oues lauabantur, & alia animalia: bethsaida autem in Hebræo interpretatur domus ouis, quia beth significat domum, & Zon significat ouem, scilicet, quia oues ibi lauabantur, & ista videbatur esse fortè causa, quare angelus Domini descenderet quotidie ad probaticam illam piscinam, vt moueret aquam, & qui prior descendisset in aquam sanabatur à quacunque ægritudine. Ioan. 5. scilicet, vt Hebræi intelligerent, quòd ad approbandum sacrificia, quæ ipsi faciebant, quorum carnes ibi lauabantur, Deus faciebat, quòd in aqua illa sanarentur infirmi. ergo nõ erant necessarij luteres in atrio templi ad hoc, quòd lauarentur ibi carnes cremandæ in altari.

C

Respondendum, quòd quando offerri debebat aliquod animal in sacrificium, maximè si esset holocaustum: modus erat iste, scilicet, quòd duceretur animal viuens ad atrium sacerdotum ab offerentibus, & sacerdotes exeuntes ad portam atrij ne intrarent laici in atrium suum suscipiebant animal, & introducebant illud in atrium suum, & iugulabant illud apud altare: & sanguis eius suscipiebatur à sacerdotibus in quibusdam vasis magnis, & iste sanguis fundebatur per gyrum altaris, scilicet super parietes, & aliquando per quatuor cornua secundum diuersas cæremonias sacrificiorũ, de quibus Leuit. 1. 3. & 4. & 6. iste autem qui iugulabat animal erat sacerdos, & etiam ipse decoriabat illud: nam nulli laico licebat hoc facere, immo nec Leuitæ, sed si aliquando esset valde magna necessitas, vtpote quia essent pauci sacerdotes, & multa sacrificia necessario offerenda, Leuitæ ex quadam speciali dispensatione poterant adiuuare sacerdotes, non quidem ad iugulandũ animalia, nec ad faciendum alias cæremonias sacrificiorũ, sed solum ad decoriandum animalia. Sic fuit tẽpore Ezechiæ regis quando valde pauci sacerdotes erant de sacerdotibus Domini, & non poterant complere cæremonias; ideo adiuuerũt eos Leuitæ, vt patet 2. Paral. 29. scilicet, sacerdotes verò pauci erant, nec poterant sufficere vt pelles holocaustorum detraherent; vnde & Leuitæ fratres eorum adiuuerunt eos, donec impleretur opus, & sanctificarentur antistites. Regulariter ergo sacerdos iugulabant animalia, & ipsi decoriabant illa, & hoc intra arium suum apud altare, deinde ferebant animal integrum decoriatũ ad probaticam piscinam, quæ erat iuxta templũ, & ibi aperiebant viscera animalis, & effundẽtes fimum lauabant intestina animalis, & caput & pedes: nam omnia ista in holocasto cremanda erant, vt patet Leuit. 1. deine reducentes carnes lotas ad atrium suum concidebant illas in frusta, vt sic ponerent super altare, quia non erat ponendum animal integrũ Leuit. 1. & diuisis sic partibus, quia continebat aliquid sordis mansisse in aliqua particula animalis, lauabatur illa in luteribus, qui erant pleni aqua apud altare; immo omnes partes animalis quanquam mundæ essent immergebantur ibi, vt essent mundiores quando ponerentur super altare, & ad istud proficiebant luteres. Ad secundum dicendum quòd in sanctuario Moysi non fuerunt luteres, eo quòd Moyses fecit sanctuarium quod portandum erat per desertum, & ob hoc obseruant duo. Primum quòd non fecit multa vasa, secundum quod non fecit illa magnæ quantitatis, vt essent faciliter portabilia. De primo patet, quia multa vasa erant in templo Salomonis in magno numero, quæ in tabernaculo Moysi erant simplicia, vtpote Moyses fecit vnicum candelabrum Exod. 25. & 27. & vnicam mensam propositionis Exod. 26. Salomon autem fecit decem candelabra, & decem mensas. 2. Paral. 4. etiam Moyses fecit solum duo cherubim parua super arcam Exod 25. Salomon autem præter hæc fecit alia duo cherubim de lignis oliuarum præced. cap. Secundum erat quòd Moyses fecit fasa parui ponderis, Salomon autem fecit vasa magnæ quantitatis & ponderis, vt patet in altari holocaustorum, quod Moyses fecerat quinque cubitorum in longitudine, & totidem in latitudine & trium cubitorum in altitudine Exod. 27. Salomon autem fecit altare holocaustorum viginti cubitorum in longitudine, & totidem in latitudine, & decem cubitorum in altitudine. 2. Paralipo. 4. & sic generaliter erat de omnibus alijs vasis, quòd maioris quantitatis erat quodlibet vas in templo Salomonis quàm fuerit in tabernaculo Moysi, & sic fuit de luteribus, quòd ista vasa fuerunt in templo Salomonis, quæ non fuerant in tabernaculo Moysi: & hoc fecit Moyses propter duo. Primum, quòd si multiplicaret vasa, difficile esset ea portari. Secundum erat, quia luteres non erant vasa magnæ necessitatis, quia sine illis poterant sacrificiorum carnes ablui in aliquo alio loco. In templo autem Salomonis non solum fuerunt vasa ad necessitatem, sed etiam ad pulchritudinem, & sic luteres, quia faciebant ad magnam pulchritudinem dato quòd necessitas non esset nimia ipsorum, positi fuerunt in templo Salomonis, scilicet in atrio sacerdotum.

D

E

Moyses quare non fecerit luteres.

F

De

A

De figura istorum luterum.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR vlteriùs de figura istorum luterum. Et dicit Nicolaus, & historia Scholastica, quòd luteres isti ponebantur in atrio ad lauandum ibi carnes hostiarum, quæ iã lotæ erant per Nathinæos in probatica piscina.

Abluere carnes sacrificiorum ad sacerdotes tantũ pertinebat.

Hoc tamen videtur non habere fundamentum, quia abluere carnes sacrificiorum erat officium sacerdotale, ideo nulli admitterentur ad illud, nisi sacerdotes: Nathinæi autem nõ erant sacerdotes, nec Leuitæ, immò nec Israëlitæ, sed Chananæi, scilicet, ipsi Gabaonitæ, qui subiecti fuerunt seruituti templi ad portandum aquas, & cædenda ligna: Iosue 9. ideo non liceret eis abluere animal postquam per sacerdotes immolatum erat; immò nec liceret eis tangere, quia iam consecratum erat. Item patet hoc, quia motiuum istorum est, quòd Nathinei abluerent carnes animalium in probatica piscina, eo quòd abluere illas esset officium contaminatiuum, & abiectum, ideo nolebant attribuere sacerdotibus. Sed hoc non stat, quia eodem modo decoriare animalia est officium turpe, & iugulare illa intantum quòd carnifices vocantur banausi, & ita abiecti sunt, quòd Aristoteles Politicorum 3. dicit, multitudinem banausorum non constituere ciuitatem, & vocantur banausi omnes carnifices, & multitudo coquorum, & omnes alij habentes officia commaculatiua, & tamen manifestum est, quòd iugulabant sacerdotes animalia, & decoriabant, nec aliquis poterat supplere vicem eorum nisi in maxima necessitate, quando non existentibus sacerdotibus ad sufficientiam adiuuabant eos Leuitæ ad decoriandum animalia: secundo Paralipomen. 29. sicut ergo competebat eis istud officium banausum, ita competeret eis abluere in probatica piscina intestina animalium. Item nõ semper fuerunt Nathinæi, cùm isti fuerint Gabaonitæ, de quibus Iosue 9. ergo oportet, quòd sacrificia quæ fiebant, prius lauarentur per sacerdotes, vel Leuitas, & tamen in vtrisque erat inconueniens æqualiter, cùm nullis eorum esset committendum officium banausum, vel si vni competeret, etiam posset competere alteri. Item, motiuum istorum non est sufficiens, quia putabant istud officium esse turpe, & abiectum, ideo non esse committendum sacerdotibus. Sed falsum est, nam si sacerdotes lauarent carnes pro populo, & decoriarent esset quidem officium turpe, quia tamen lauabant istas carnes solum pro Deo, scilicet, vt cremarentur in sacrificio eius, non erat officium turpe, sed potius honorabile: sicut inter nos est ad reges nostros, quia aliqua ministeria inter nos sunt humilia, quæ vnus homo nullo modo exhiberet alteri: & tamen Regi illa libenter impenderet, & non putaret se abiectũ vel humiliatum, quia officium quod secundùm se est humile, efficitur honorabile respectu cui impenditur: à fortiori ergo erit hoc in Deo, cuius honor excedit omnem humanum honorem, ideo reputabuntur ista in sacerdotibus honorabilia. Item patet, quia esse aliquid honorabile, vel abiectum, solùm pendet ex humana opinione, ideo quod apud quasdam gentes reputatur honorabile, apud alias putatur honore digniſſimum, vt patet per Boëtium 3. de consolat. prosa 4. Iudei tamen reputabant illud officium sacerdotum esse honorabile nimis tunc, quia Deus illud sacerdotibus imposuerat: tum quia ipsi hoc Deo, & non homini impendebant, ideo non erat turpe, quòd sacerdotes lauarẽt intestina pecorum in probatica piscina. Et sic tenendum est, quòd ipsi lauarent, & nulli alij hoc liceret, nisi in defectum ipsorum sicut licebat Leuitis decoriare animalia in defectum sacerdotum, vt patet 2. Paralipom. 29.

B

Figura luteris quæfuerit, & sedis eius.

Nunc autem de figura luterum dicendum est, quòd luter erat quoddam vas, in quo ponebatur aqua, & ipsum fixum erat super quandam sedem planam, & quadratam, ideo Scriptura primò figurat sedem luteris, deinde figurat ipsum luterem: erat autem maius opus & varietas in sede luteris quàm in ipso; ideo de lutere modicum dicitur. In quo sciendum, quòd sedes luteris vocatur basis, vel concha, vt patet hic, & secundo Paralipomenon 4. & erat ista sedes facta ad modum arcæ quadratæ, non habentis fundum, sed solùm quinque latera, scilicet, vnum superius in quo sedebat luter, & quatuor latera in gyro. In fundo autem non habebat aliquod latus, erat autem magnitudo cuiuslibet luteris istorum quatuor cubitorum, & sub istis lateribus in quatuor angulis ipsorum erant quatuor rotæ in pedibus, sicut videmus quasdam arcas habere quatuor rotas in pedibus, vt hinc inde moueri possent: & sic illi luteres possent deduci de loco ad locum mediantibus rotis: in altitudine autem habebat quodlibet latus istius sedis tres cubitos computata altitudine rotarum eam sustentantium. In latere verò superiori, id est, in tabula iacente, quæ erat quadrata omnino, & erat quatuor cubitorum in quolibet latere erat quoddam foramen rotundum in medio tabulę cuius diameter habebat cubitum & dimidium intra quod ponebatur fundus luteris, vt esset luter quasi fixus, & non posset cadere ad vnam partem, vel ad aliam, & iste luter habebat in parte inferiori circa fundum suum cubitum & dimidium in diametro rotunditatis suæ, & sic aptabatur foramini sedis quod erat cubiti & dimidij in diametro, & iste luter procedebat versus sursum dilatando se vsque ad medium sui, & ibi erat diameter quatuor cubitorum, & inde procedebat superius versus orificium restringendo se, ita quod in parte superiori diameter erat cubiti vnius, & ista erat figura luteris, in lateribus autem sedis suę, scilicet, in quatuor lateribus in gyro, & in tabula superiori in circuitu foraminis erant figurati multi circuli ad modum coronarum, & in illis circulis erant sculpturæ variæ; scilicet figuræ hominum, & Cherubim leonum, & boum, & palmarum, & super leones, & boues erant frena, & lora, vt quasi tenerentur alligati. In tabula autem superiori perforata in quatuor locis contra angulos eius erant quatuor columnæ pertingentes vsq; ad medium luteris sustentantes illum sicut solet fieri in bacinis magnis, & hoc vt luteres non solum sederent in foramine tabulæ, sed etiam tenerentur ab illis quatuor columnis per gyrum, ne ad aliquod latus cadere possent. Erat autem quælibet columna istarum aliquo modo facta ad modum brachij humani applicantis manum ad tenendum luterem, ideo vocantur istæ columnæ quatuor humeruli, id est, brachia vel humeri humani. De figuratione autem basis & luteris magis patebit applicando literam, & secundùm quòd exponatur. Et dicitur: *Et fecit bases decem æneas.* Istæ sunt sedes luterum, & ponuntur per se, quia luter non erat pars ipsius sedis tanquam esset aliquid continuum, sed erat per se factus in alia forma fusoria, & forte hoc factum est, vt posset luter tolli de sede sua, & euacuari aqua, quæ ibi erat, & lauari ab omnibus sordibus, quæ intus manerent de carnibus, quæ ibi lauabantur. Hoc autem non poterat fieri, si esset luter pars sedis, quia totum simul magna moles esset, & non posset conuenienter moueri ad prædicta. Istæ bases vocantur conchæ 2. Paralipom. 4. & hoc, quia sicut concha est aliquid profundum, & rotundum, in quo potest aliud situari, ita istæ sedes in tabula superiori plana erant perforatę in rotundum, vt esset ibi locatus luter. *Quatuor cubitorum longitudinis bases singulas.* Ista est longitudo tabulæ superioris perforatæ in qua erat luter situatus. *Et quatuor cubitorum latitudinis.* Etiam istud intelligitur de latitudine tabulæ superioris perforatæ. Pro quo sciendum, quòd tabula superior erat cubitorum quatuor in longitudine, & quatuor in latitudine, scilicet, perfectè quadrata: aliæ autem quatuor tabulæ, quæ erant in gyro per quatuor latera, habebant in longitudine quatuor cubitos, sicut tabula superior; & tamen in latitudine non erant ei æquales, ideo longitudo & latitudo istius basis attenditur secundùm longitudinem & latitudinem tabulæ superioris, & non secundùm laterales. *Et trium cubitorum altitudinis.* Illa erat altitudo basis à terra, in quo computabatur altitudo tabularum, quæ erant per gyrum, & altitudo rotarum. Nam rotæ erant in quatuor angulis sub quolibet lutere, & sic tabulæ laterales erant paruæ altitudinis. *Et ipsum opus basium interrasile erat.* Vocatur autem opus interrasile, quando in aliqua superficie plana fiunt aliquæ sculpturæ, & inter illas manent aliquæ partes planæ non sculptæ, & dicitur interrasile de inter, & rado radis, scilicet, quia inter rasuras, id est sculpturas, manent aliquæ partes planæ non rasæ, id est non sculptæ, sic accipitur Leuit. 25. scilicet, facies coronam interrasilem, & istud intelligitur hic tam de tabula superiori, quàm de lateralibus, quia omnes erant ex aliqua parte sculpta, & inter sculpturas manebant aliqua spacia plana. *Et sculpturæ inter iunctu-*

C

D

E

F

A

ras. Vocantur hic iuncturæ coniunctiones laterum in angulis, ſicut cùm fit aliqua ſedes quadrata tabulæ coniunguntur in angulis cauſantes angulos rectos, & illa ſpacia angularia dicuntur eſſe inter iuncturas: & de illis dicitur hic, quòd erãt ſculpturæ inter iuncturas, id eſt, in angulis iuncturarum. *Et inter coronulas, & plectas,* Id eſt, ſculpturæ erant inter coronulas. Eſt ſenſus, quòd in tabula ſuperiori, & in lateralibus erant aliqui circuli in modum coronarum, & illi vocãtur coronulæ, & inter iſtas coronulas erant aliquæ ſculpturæ diuidentes eas. Plectæ ſecundùm aliquos vocantur ipſæ coronæ, & dicũtur plectæ à plectendo, id eſt complicando, quia iſtæ coronæ complicabant alias ſculpturas, ſcilicet copulando eas inter ſe. Sed magis videtur dicendum, quòd plectæ ſint aliquæ ſculpturæ in modum ramorum, vel foliorum extendentes ſe, & copulantes alias ſculpturas ſicut fieri videmus in picturis, & in ſculpturis.

Leones, & boues, & Cherubim. Id eſt, etiam erant ſculpturæ aliquæ inter leones, & boues, & Cherubim, vel aliter quod erant aliqua ſpacia plana non ſculpta inter Cherubim, & leones, & boues: quia ſupra dicitur, quòd erat iſtud opus interraſile: erant enim Cherubim ſculpti in iſta baſe, qui cuius figuræ fuerint neſcimus, quia poterant eſſe figuræ humanæ, vel cuiuſcunque alterius animalis, & fortè erant figurę hominis, vel aquilarum, eo quòd quatuor animalia vocantur Cherubim, Ezech. 10. ſcilicet, homo, bos, leo, aquila. Hic autem po-

B nuntur duo iſtorum, ſcilicet, leones, & boues, ideo videtur quòd fuerint Cherubim, de quibus hic dicitur, figuræ hominum, vel aquilarum, licèt poſſet quis dicere, quod erant figurę aliorum animalium, quia figura cuiuſlibet animalis poteſt vocari Cherub, vt declaratum eſt præcedenti cap. verius tamen eſt, quòd ſolum eſſet figura aquilarum vel hominum, cùm iſta quatuor animalia expreſsè nominentur Cherubim, Ezech. 10.

Et in iuncturis ſimiliter deſuper. Id eſt, in ſpacijs relictis in tabula ſuperiori inter iuncturas angulares, & foramen factum in medio tabulę erant ſculpturę hominum, & boum, & Cherubim. Et dicitur deſuper, id eſt in tabula ſuperiori, vt non intelligamus tabulas laterales. *Et ſuper leones, & boues quaſi lora ex ære pendentia.* Id eſt in ore leonũ, & boum erãt lora ex ęre facta & dependebant à parte ſuperiori, quaſi tenerentur leones, & boues ligati fręnis, & iſta lora erant facta de ære arte fuſoria ſicut totum opus, & dicitur dependentia, quia lora erãt ſuſpenſa à parte ſuperiori: & leones, & boues erant à parte inferiori, quaſi quis illos infrænatos teneret equitans ſuper eos. *Et quatuor rotæ per baſes ſingulas, & axes ærei.* Id eſt in qualibet baſe, vel ſede erant quatuor rotæ, & illæ erant per quatuor angulos baſis poſitæ in iuncturis, velut ſi quis imaginetur arcã quadratam habentẽ quatuor rotas in quatuor pedibus: multæ enim ſimiles ſunt. Hebræi autẽ dicunt de iſtis rotis, quod non erant volubiles, quia fuerant factæ opere fuſorio cum ipſa baſe, ſed erant poſitę ad pulchritudinem, vt videretur baſis poſſe moueri. Dicendum tamen, quòd ſatis poterant eſſe rotæ volubiles, quia dato quod opere fuſorio factæ ipſæ cum axibus ſuis, non poſſent eſſe volubiles; tamen poſtea poterant limari axes in rotis, & rotæ in pedibus baſis, ita vt efficerentur volubiles, & hoc ſatis eſt veriſimile, vt poſſent moueri de loco ad locum.

C *Et per quatuor partes quaſi humeruli.* Id eſt, erant in quatuor angulis iſtius baſis ſurgẽtes quatuor columnæ paruulę in modum brachiorum humanorum, quæ tenerent luterem, ne ad aliquam partem cadere poſſet. Et vocantur humeruli, quia erant facti ad modum brachiorum humanorum, quæ de humeris procedunt. *Subter luterem.* Dicuntur eſſe ſubter luterem, non quod luter locaretur ſuper eos, quia luter locabatur in medio baſis in foramine rotundo, vt dictum eſt, ſed dicebantur eſſe ſubter luterem, quia luter eleuabatur pluſquam humeruli: nam ipſi ſolum eleuabantur vſque ad maximam groſſitiem luteris, quæ erat in medio eius: deinde eleuabatur medietas luteris vltra humerulos, & quantum ad hoc dicebatur eſſe luter ſuper humerulos, quia modo loquendi Scripturæ quidquid eſt altius alio, dicitur eſſe ſuper illud, licèt non ſit ſuper illud. *Fuſiles.* Id eſt, erant facti opere fuſorio. Iſtud dicitur, ne quis credat, quòd illi humeruli erant affixi ſuper baſem illam, & quod per ſe facti fuerant, ideo dicitur quòd erant fuſiles, ſcilicet, quia totum opus baſis erat factum opere fuſorio. *Contra ſe inuicem reſpicientes.* Id eſt, erant iſti humeruli in quatuor punctis oppoſitis, & reſpiciebant ſe inuicem, ſcilicet, quia erant in angulis laterum, & ibi neceſſario quilibet humerulus reſpiciebat omnes alios tres; quia duos illorum reſpiciebat per coſtam quadrati: & vnum reſpiciebat per diametrum quadrati: & omnes iſti ſunt aſpectus oppoſiti. D

Os quoque luteris intrinſecus erat in capitis ſummitate. Hic ponitur locatio luteris: & dicitur quòd os luteris erat intrinſecus, id eſt, extremitas ſuperior luteris, quæ erat os, erat interius, id eſt, intra luterem, ſcilicet, recuruata ad partem interiorem, & ex hoc fiebat os eius ſtrictius. *In capitis ſummitate.* Id eſt, in ſuperiori parte luteris erat os replicatum ad partem interiorem. In Hebræo non dicitur: os luteris, ſed os eius: & dictio eius, ſecundùm Hebræos non refertur ad luterem, ſed ad baſem, cuius os erat circulus quidam, intra quem ponebatur luteris fundus, vt dictum fuit ſupra. *Et quod forinſecus apparebat vnius cubiti erat totum rotundum.* Id eſt id, quod apparebat in parte exteriori, & ſuperiori luteris vbi replicabatur os ad interiora erat vnius cubiti. Ex quo patet, quòd diameter rotunditatis oris in parte interiori eſſet minus quàm vnius cubiti, cùm replicarentur labia luteris interius, & illa occupabant aliquid de groſſitie. Et dicitur quod erat totum rotundum, ſcilicet, luter erat rotundus in omnibus partibus, & os ſuum erat rotundum. in Hebræo non habetur ſic, ſed loco iſtius literæ totius, ſcilicet, *In capitis ſummitate, & quod extrinſecus apparebat vnius cubiti erat rotundum.* Habetur aliter, nã non eſt ibi capitis, ſed dicitur: *Et deſuper per vnum cubitum os eius in rotundum.* Nicolaus, & Hebræi exponunt, quòd ſuper altitudinem, quæ erat vnius cubiti erat circulus, qui vocatur os, ſed iſta litera Hebraica magis conuenit literæ noſtræ, quàm ſenſui, quem faciunt Hebræi: & tota varietas eſt in illo relatiuo, & tamen manifeſtum eſt, quòd relatiuum debet referri ad immediata, niſi aliquid obſtet, ideo intelligetur de lutere, & non de baſe. Item dicitur os, & tamen os propriè pertinet ad vas: in baſe autem non propriè aſſignatur os, ideo cùm dicatur os eius, debet intelligi de ore luteris, & non baſis. *Pariterq́, habebat vnum cubitum, & dimidium.* Scilicet in lutere infra os erat diameter vnius cubiti, & dimidij. Pro quo ſciendum, quòd ſicut ſuprà dictum fuit, luter erat in parte inferiori ſtrictus, & etiam in ſuperiori; in medio autem erat latiſſimus, vnde ibi erat diameter quatuor cubitorum, & in orificio erat diameter vnius cubiti, & in pede erat diameter vnius cubiti, & in loco, in quo aptabatur foramini baſis verſus medium, erat cubiti & dimidij; & de hoc intelligitur hoc, ſcilicet quòd habebat pariter cubitum & dimidium. *In angulis autem columnarum variæ cælaturæ erant.* Iſta litera poteſt dupliciter intelligi: vno modo quòd vocentur anguli columnarum extremitates ſuperiores columnarum, vbi adhærebant ipſi luteri, & vocantur columnæ humeruli, de quibus ſupra dictum eſt, & tunc eſt ſenſus, quòd in extremitate ſuperiori columnarum erant ſculpturæ variæ, & inferiores partes columnarum non erant tunc ſculptæ, & tunc exponitur litera ſequens, ſcilicet, *Et media intercolumnia quadrata, & non rotunda.* Intercolumnium eſt vna dictio, ſicut interraſilis, & dicitur intercolumniũ, quaſi inter columnas, ſcil. ſpaciũ inter columnas occupatũ, vel intercolumnium, id eſt, pars media columnæ, quæ eſt inter extremitates duas columnæ, & ſic accipietur hic, ſcilicet, quòd pars ſuperior columnæ, quæ vocatur angulus columnæ, quia ibi clauduntur omnia latera eius, erat ſculpta valde: partes tamen inferiores, quæ erant in medio columnæ verſus baſim luteris, vocabantur intercolumnia: & illæ partes non erant rotundæ, ſed quadratæ, ſcilicet, quia columnæ iſtæ, vel humeruli erant quadratæ. Alio modo poteſt exponi iſta litera, ſcilicet, *In angulis autem columnarum erant variæ cælaturæ.* Vocantur anguli columnarum ipſi anguli cauſati in tabula ſuperiori baſis, quæ erat quadrata, & fiebant in ea quatuor anguli recti ex coniunctione aliorum laterum per gyrum, & vocantur anguli columnarum, id eſt, facti apud columnas, quia in loco illo, vbi erat angulus tabulæ ſurgebat vna columna, vel humerulus, & tunc exponetur hoc modo litera ſequens, ſcilicet, *Et media intercolumnia quadrata, & non rotunda.* Vocantur tunc intercolumnia ſpacia occupata inter columnas, ſcilicet, tota tabula ſuperior vocaretur intercolumnium, quia erat inter quatuor columnas, & iſta tabula erat qua- E F

drata,

A drata,& non rotunda.Sed primus ſenſus melior eſt, eo quòd ſi intelligatur hoc modo ſecundo, ſuperfluum eſt dici, quòd media intercolumnia erant quadrata, quia nunc tota tabula vocatur intercolumnium:& tamen manifeſtum eſt,quòd tabula erat quadrata,cùm ſuprà dictum fuerit, quod erat quatuor cubitorum in latitudine,& totidem in longitudine. Etiam quia nõ propriè diſtinguerentur tunc anguli columnarum,id eſt,qui erant apud columnas, & intercolumnia, quia tam anguli, quàm cæteræ partes tabulæ vocarentur intercolumnia,quia erant inter columnas.

Quatuor quoq; rotæ, quæ per quatuor angulos baſis erant, cohærebant ſubter baſim. Quatuor rotæ erant ſub qualibet baſe,& iſtæ erãt per quatuor pedes,vel angulos baſis, vt æqualiter ſuſtentarentur,& dicitur,quòd cohærebant ſubter baſim, non quòd ipſæ rotæ coniungerentur inter ſe, ſed quia quælibet earum coniungebatur baſi, eo quòd erant factæ opere fuſorio:ipſas autem ſibi ipſis coniungi erat impoſſibile, quia longitudo cuiuſlibet rotę erat cubiti & dimidij;& longitudo cuiuſlibet tabularum,in qua erant duę rotæ,erat quatuor cubitorum;ideo inter rotam, & rotam eſſent plus quàm duo cubiti intelligendo de illis rotis, quæ erant in eodem latere: ſi autem comparentur rotæ vnius lateris ad rotas alterius lateris, erit inter rotam, & rotam magnitudo cubitorum quatuor.

B *Vna rota habebat altitudinis cubitum, & ſemis.* Id eſt, quelibet rota habebat in altitudine cubitum, & dimidium : & ſic eleuabat rota ipſam baſem à terra per medium cubitum, & aliquid plus, quia medietas rotæ ſolùm erat infra baſim, cùm ipſa baſis videretur ſedere ſuper axes rotarum, & non ſuper extremitates rotarum.

Tales autem rotæ erant,quales ſolent in curru fieri. Id eſt, rotæ baſium erant tales, ſicut rotæ curruum, ac ſi deberet ſedere ſuper eas,& moueri quælibet baſis.

Et axes earum,& radij,& canti,& medioli,& omnia fuſilia. Id eſt,omnia iſta erant facta ſimul cum ipſa baſe; ita quòd erant vnum continuum, & fuerunt facta in eadem forma fuſoria. axes vocantur ligna tranſuerſalia infixa rotis.Radij vocantur quædam ligna infixa mediolo in circuitu axis, vt non ſit tota rota de materia ſolida,quia eſſet nimis onuſta. Canti vocãtur circuitus rotarum,id eſt ipſæ orbitæ,quæ terram terunt,& in ipſis infinguntur radij. Mediolus dicitur quoddam lignũ rotundum,& groſſum,in quo axis infigitur.

Nam humeruli illi quatuor per ſingulos angulos baſis vnius ex ipſa baſi fuſiles, & coniuncti erant. Id eſt humeruli ſiue columnæ egrediebantur de quatuor angulis baſis vnius, id eſt cuiuſlibet,ſcilicet,quia in qualibet baſe erant iſti humeruli, & erant ex ipſa,id eſt tanquam partes eius,ſcil.quia erant fuſiles.*Et cõiuncti erant.* Scilicet,erant coniuncti iſti humeruli nõ inter ſe, ſed ipſi baſi,quia cùm eſſent in quatuor angulis eius non poterant eſſe inter ſe coniuncti.Etiam non dicuntur coniuncti
C baſi,id eſt colligati, vel infixi,quia fuſiles erant cum ipſa baſi, ſed coniuncti,id eſt vniti,vel vnum exiſtentes cum baſe.

In ſummitate autem baſis erat quædam rotunditas vnius, & dimidij cubiti. Iſta rotunditas erat quoddam foramẽ rotundum in ſuperiori tabula baſis, in quo ponebatur luter, & aliqua pars luteris mergebatur in foramine illo.

Ita fabrefacta,vt luter deſuper poſſet imponi. Id eſt, foraminis rotunditas erat ita ſubtiliter facta, quòd coaptabatur luteris, vt poſtquam poneretur ibi luter, videretur eſſe quaſi quædã pars ipſius baſis.

Habens cælaturas ſuas. Id eſt luter habebat cælaturas, id eſt picturas, vel ſculpturas varias. *Et ſculpturas varias ex ſemetipſo.* Id eſt erant ſculpturæ variæ factæ in lutere:& tamen illæ non erant appoſitæ,vel infixæ ipſi luteri,ſed erant ex ſemetipſo,id eſt factę in eo opere fuſorio,ſicut in campana ſunt ſculpturę, & illæ ſunt factæ in forma fuſoria.

Sculpſit quoq; in tabulatis illis,quæ erant ex ære. Iſta ſunt tabulata,id eſt latera quatuor, quæ erant per gyrum, & vocantur tabulata non quidẽ,quòd eſſent de tabulis,quia omnia erant ex ære,ſed quia erant facta in modum tabularum, ex quibus cõiunctis componitur arca,vel ſedes,& ob hoc dicitur quòd tabulata iſta erant ex ære, & hoc modo dicimus eſſe duas tabulas lapideas,in quibus erat decalogus,ſcilicet,quia illę erãt factæ ad modum tabularum.

Et in angulis. Vocantur anguli hic loca, vbi coniungebantur tabulæ æneæ:nam ibi erant ſculpturæ, ſicut in ipſis tabularum planiciebus. D

Cherubim, & leones, & palmas. Multa ſculpebantur in iſtis tabulis,ſed pręcipua erant Cherubim,& palmæ,& leones.De Cherubim dicendum eſt,ſicut ſupra,quòd erant aliquę figuræ hominum,vel aquilarum. *Quaſi in ſimilitudinem ſtantis hominis.* Id eſt,ita ſubtiliter erant factæ cęlaturæ hominum palmarum,& leonum, & Cherubim, quòd non videbantur inhærere ipſis tabulis æneis, vel eſſe pars earum, ſed videbantur per ſe ſtare, ſicut homo per ſe ſtat, non adhærendo alicui alteri rei.

Vt non cælata,ſed appoſita per circuitum viderentur. Id eſt,tam ſubtilis erat cęlatura,quòd non videbantur imagines iſtæ cęlatæ,ſed appoſitæ. Differentia inter cælatum, & appoſitum eſt, quia imagines factæ per cælaturam ſunt partes ipſarum tabulatarum cælatarum, & ob hoc apparent coniunctæ valde ipſis tabulis, niſi ſit magna ſubtilitas artificis faciens apparere imagines diſtinctas ab ipſa tabula,in qua ſunt ſculptæ: imagines autem appoſitæ alicui tabulæ, licèt non ſint ſubtiliter factæ,poſſunt apparere ſatis diſtinctè: hic autem tãta erat ſubtilitas artificis,quòd imagines ſculptę videbantur eſſe appoſitæ quaſi exiſtentes extra tabulam, in qua erant ſculptæ.

In hunc modum fecit decem baſes. In omnibus ſupra poſitis deſcripta eſt figura vnius baſis ſolius, & quia omnes aliæ erãt ſimiles, dicitur quod fecit in hũc modum decem alias baſes: & hoc vt eſſent ibi decem luteres fuſura vna, id eſt,erant omnes baſes factæ vna fuſura,id eſt ſimili fuſura,quia impoſſibile erat in eadem forma fuſoria vnica fuſione fieri decem baſes,ſed quia fuerunt omnes formæ fuſoriæ eiuſdem figurę omnino,dicebatur eſſe vna fuſura omnium baſium,ſicut dicitur eſſe vnica figura duorum hominũ, qui ſimiles ſunt. *Sculpturaq; conſimili.* Id eſt, talis ſculptura erat in vna baſe ſicut in alia,ita vt nullo modo viderentur differentes baſes. E

Fecit quoq; decem luteres æneos. Iſta erant decem vaſa locata in decem baſibus,de quibus ſupra dictum eſt.

Quadraginta batos capiebat luter vnus. Id eſt quilibet luter capiebat quadraginta batos aquæ: batus enim menſura eſt, de cuius quantitate ſupra dictum eſt.

Eratq; quatuor cubitorum. Scilicet,quilibet luter erat quatuor cubitorum in diametro rotunditatis mediæ.Pro quo ſciẽdum, quòd luter erat quoddam vas longum magis quàm latum,& in medio ſui erat latius, quàm in omnibus alijs partibus:vnde in medio erat diameter rotunditatis quatuor cubitorum, & cùm procedebatur verſus orificium ſtringebatur ſemper,ita quòd in parte ſuperiori erat ſolùm vnius cubiti,etiam à medio deſcendendo verſus fundum ſtringebatur; ita vt eſſet cubiti & dimidij in loco, in quo coaptabatur foramini ſedis,& deinde eundo ad fundum erat adhuc ſtrictior, ita vt fortè in fundo diameter rotunditatis eſſet vnius cubiti. de hoc patet ſupra.

Singulos quoq; luteres per ſingulas,id eſt decem baſes poſuit. Erãt F decem baſes,& totidem luteres,ideo poſiti ſunt luteres ſingu li ſuper baſes ſingulas.

Et conſtituit decem baſes quinq; ad dextram, & quinq; ad ſiniſtram partem templi. Iſti decem luteres tenebant aquam, & locati fuerunt quinque ad dextram partem templi,ſcilicet verſus Meridiem, & quinq; ad ſiniſtram, ſcilicet verſus Aquilonem, nam Meridies vocatur pars dextra, cùm Oriens ponatur hic pars anterior,eo quòd erat porta templi in parte Orientali. Et non eſt intelligendum quòd iſti luteres eſſent intra templum,cùm dicatur hic, quòd erant ad dextram, vel ſiniſtram partem templi,ſed erant in atrio extra templum : & tamen dicebãtur eſſe ad dextram vel ſiniſtram templi,eo quòd parietes atrij erant oppoſiti parietibus templi,& illa quæ erãt in atrio apud parietem Meridianum,erant verſus partem dextram templi, & quæ erant ad parietem Aquilonarem atrij, erant verſus partem ſiniſtram templi.

Mare autem poſuit. Iſtud eſt mare æneum, de quo ſupra dictum eſt,in quo lauabantur ſacerdotes: luteres autem erant, in quibus lauabantur carnes ſacrificiorum.

Ad dexteram partem templi contra Orientem ad Meridiem. Id eſt mare erat ad Meridiem, ſcilicet,verſus parietem Meridianum atrij, & erat ad partem dextram, quia Meridies eſt pars dextra: erat etiam ad Orientem, ſcilicet, reſpectu luterum: quia illi erant magis coniuncti parieti Occidentali atrij, &

A consequenter magis coniuncti templo, eo quòd pars Occidentalis atrij erat coniuncta porticui templi, & accipiuntur hic Meridies, & Oriens respectu diuersorum, quia erat mare ad Meridiem, respectu atrij, scilicet, circa parietem meridianum atrij; Oriens autem non accipitur respectu atrij, quia tunc oporteret, quod esset extra atrium ad Orientem illius, sed accipitur respectu luterum, quia licèt mare, & luteres essent intra atrium, erat magis ad Orientem mare, quàm luteres.

De figura luteris secundùm Nicolaum.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR de figura luterum secundùm Nicolaum. Pro quo sciendum, quòd quamquam figuratio suprapositа luteris, & basis sit concorditer posita ab omnibus Latinis, tamen Nicolaus concordat huic in modo fabricandi basim, sed in figuratione luteris discordat: nam nos posuimus luterem esse in medio cubitorum quatuor in diametro, & in parte superiori vnius cubiti, ipse autem dicit quod istud non cõuenit, quia luteres erant, vt lauarẽtur in eis hostię cremandæ, vas autem quod supra est strictius quàm infra non est aptum ad lauandum ibi aliquid, sed magis debet esse supra latum, & infra strictum, ergo debet figura aliter poni. Item
B vas cuius labium est recuruatum non est aptum ad hoc, quòd ea, quæ immersa fuerint in eo, liberè extrahantur, quia illa recuruatio retinet ibi immersa: maximè quando orificium est restrictum, vt secundùm istam oppositionem dicitur. Item secundùm prædictam figuram non videtur, quod tantum posset capere, scilicet 40. batos, quos quilibet luter capiebat, ideo ipse ponit aliam figuram, dicens quod secundùm illos, qui posuerunt luterem figuratum, vt supra, altitudo rotę sub base erat cubiti & dimidij, & altitudo basis super rotas erat trium cubitorum: corpus autem basis erat quadratum habẽs quatuor cubitos in longitudine, & quatuor in latitudine, & desuper erat quædam eleuatio circularis in medio quadrati interius concauum habens, & intra illum circulum ponebatur fundus luteris, ideo ipse dicit locando sic luterem, quòd luter esset versus partem superiorem latior ad modum calicis, cuius suprema sunt lata, & inferiora stricta. Ad hoc autẽ non oportet poni aliam figurationem distinctam à prima, qa in omnibus conuenit cum prima, nisi in orificio luteris, quia Nicolaus dilatat orificium luteris plusquã medium, & quòd ibi sit diameter maximus, positio autem præcedens stringit orificium, & dilatat medium.

Sed dicendum est, quòd positio præcedẽs est verior positione Nicolai. Quod patet ex litera, quæ dicit, os quoque luteris intrinsecus erat in capitis summitate, & quòd forinsecus apparebat vnius cubiti totum erat rotundum. Postea autem ponitur de lutere, quod haberet cubitum, & dimidium
C in diametro, & deinde quatuor cubitos, ergo videtur, quòd strictior erat in ore, quàm in alijs partibus: ista litera necessario conuincit contra Nicolaum, ideo ipse non tenet eam, sed sequitur distorsionem quandam Hebræorum, quæ procedit ex quadam æquiuocatione literæ Hebraicæ, & tamen supra declaratum est, quòd litera Hebraica magis conueniebat literæ nostræ quàm sensui, quem dabant Hebræi.

Ad rõnes Nicolai. Hoc autem posito, cùm veritas constet ex litera, non oportebat respondere ad argumenta Nicolai, quæ procedunt ex quadam leui imaginatione. Sed respõdebitur ad primum cùm dicit, quòd non conueniebat os luteris strictum ad hoc, quòd lauarentur ibi carnes. Dicendum quod satis conueniebat, sicut si esset orificium latissimum, quia partes carnium, quæ lauabantur in luteribus, erant paruæ: nam Deus iusserat, quòd quando animal cremandum erat in altari, diuideretur in frusta, & sic cremaretur, Leuit. 1. & sic poterant sacerdotes facere parua frusta, quæ non solùm caperentur in latitudine vnius cubiti, sed etiã in minori latitudine, & non solùm conuenit ista forma luteri, sed etiã est magis cõueniens quã forma, quam ponit Nicolaus, eo quòd si luter esset in parte superiori latissimus, & in parte inferiori strictus, cùm non esset pars basis sitæ, sed aliquid locatur in base, posset facilius effundi aqua eius cadente ipso ad vnam, vel alteram partem, quam cùm esset in medio latus, & in orificio strictus.

Ad secundum dicendum, quòd vasa recuruata in orificio D non sunt apta ad extrahendum ea, quæ ibi posita & immersa sunt si immergãtur res magnæ: in luteribus tamen immergebantur frusta parua carnium, vt supra dictum est, ergo conueniens erat figura.

Ad tertium cùm dicit, quòd secundùm istum modum non possent capi quadraginta bati in quolibet lutere: dicendum quod nihil concludit, nec saltem in apparentia, tum quia batus erat mensura parua, scilicet, quia capiebantur in mari æneo duo millia bati, vt patet supra, tum quia latitudo luteris erat satis magna in medio, scilicet, quatuor cubitorũ, & cùm esset figura rotunda esset capacissima, tum quia nescie batur altitudo luteris, & posset esse satis altus, ita vt caperentur ibi 40. bati.

Plura vasa pertinẽtia ad cæremonias Dei. *Fecit quoq; Hiram.* Hic ponitur quartum, in quo plura vasa pertinentia ad cæremonias Dei fabricantur, & dicitur: *Fecit quoq; Hiram.* Scilicet ille Hiram Tyrius, qui erat filius mulieris Hebrææ, de quo suprà dictum est.

Lebetes duplex *Lebetes.* Lebes accipitur dupliciter: vno modo pro quodã vase lato, & plano in medio ad extrahendum cineres altaris holocaustorum extra templum, sic accipitur Exod. 27. scilicet, Faciesq; in vsus eius lebetes ad suscipiendos cineres, scilicet, cineres altaris. Alio modo accipitur lebes pro olla, vel caldaria ad coquendum carnes, sic accipitur supra 1. lib. c. 2. scilicet, veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in
E lebetem, vel in caldariam aut in ollam, siue cacabum, & vtroque modo potest accipi hic.

Scutra quid. *Et scutras.* Dicuntur scutræ vasa plana, vbi ponebantur carbones ad introducendum in templum, vt cremaretur thymiama, & ista vocantur ignium receptacula, Exod. 27. Pro quo sciendum, quòd sacerdos aliquis debebat introire bis in die in aurora, & solis occasu ad cremandum thymiama in altari aureo, quod erat intra templum apud sancta sanctorum, vt colligitur Exodi 30. & ad hoc debebat ferre secum prunas, in quibus cremaretur thymiama, quia intra templum nulli carbones erant, & isti adducebantur de altari holocaustorum. Vnde si sacerdos acciperet de alio igne, cremabatur à Deo, sicut cremati sunt duo filij Aaron, Leuit. 10. & ad hoc erant vasa determinata in altari holocaustorum, in quibus ponerentur prunæ, & portarentur intra templum ad altare thymiamatum.

Amula quid *Et amulas.* Aliqui putant, quòd amulæ dicantur esse vasa vinaria, in quibus ministrabatur in sacrificijs. Sed dicendum quod non stat, quia vasa omnia, in quibus ministrabatur ad sacrificia erant aurea, vel argentea, vt patet Exodi 25. & illa erant, quæ ponebantur in mensa propositionis: vasa autem seruientia ad vsum ignis, & cinerum, erant ærea, Exodi 27. & tamen ista, quæ fecit hic Hiram, erant ærea, ergo non erant ad
F tenendum vinum, quia illa seruiebant ad sacrificia, & debebant esse aurea, vel argentea: ideo videtur dicendum, quòd amulæ sint quædam instrumenta ænea ad disponendum carbones super altare, quæ vocantur forcipes, Exod. 27. vel bacilla, Num. 4. vel erant instrumenta habentia dentes ad extrahendum carnes sacrificiorum de caldarijs, & patet hoc, quia ista instrumenta ponuntur Exod. 27. scilicet, lebetes ad suscipiendum cineres, & forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula, sed lebetes, & ignium receptacula, scilicet, scutræ positæ fuerunt hic, ergo videtur quòd amulæ sint forcipes, vel fuscinulæ. Item patet hoc ex nomine, quia amula à pluribus scribitur cum h, scilicet hamula, & dicitur de hamus, scilicet, quia erat curua sicut hamus, vtpotè si esset fuscinula tridens, vel si esset forceps, quia vtrumque instrumentum est ad tenendum, & arripiendum.

Et perfecit omne opus regis Salomonis in templo Domini. scilicet, Fecit Hiram omne opus Salomonis, quod pertinebat ad templum Domini, quod potest intelligi de solis vasis æneis, quia in ijs erat præcipuus artifex Hiram. Vel potest intelligi de quibuscunq; vasis templi, & atriorum quòd fuerit præcipuus artifex in illis Hiram.

Et columnas duas. Hic specificat ea, quæ fecit Hiram, vel saltem quædã eorum, scilicet, columnas duas pulchras, de quorum figura supra habetur.

Et funiculos capitellorum super capita columnarum duos. scil. fecit circulos quosdam grossos, qui erant quasi labia columna-

A rum prominentia,& erant ſuper capita columnarum, ſcilicet quia in qualibet columna erant duo capitella, & capitellum inferius erat groſſius, & iſtud habebat duos circulos groſſos, ſuper quos,& infra quos erant malogranata,& vnus circulus iſtorum erat immediatè ſuper caput columnæ: aliud autem erat ſupra vbi coniungebantur capitellum ſuperius & inferius,& vocantur iſti circuli funiculi, quia erant groſſi ad modum funiculorum, & dicebantur eſſe ſuper capita columnarum,ſcilicet in capitellis, quæ erant ſuper capita columnarũ, vt ſupra declaratum eſt.

Et retiacula duo. Id eſt,duos ordines retiaculorum,quia ſupra quamlibet columnam erant duo capitella, & in quolibet erat vnus ordo retiaculorum, & quilibet ordo iſtorum continebat 7.verſus retiaculorum,vel 7.retiacula, vt ſupra patet, & ſic aliquando accipitur retiaculum pro vno verſu retiaculi,& aliquando pro vno ordine,in quo erant 7.verſus.

Vt operirent duos funiculos, quæ erant ſuper capita columnarum. Id eſt,retiacula operiebant funiculos, quia vnus funiculus erat in extremitate inferiori capitelli primi, & in iſto capitello aſcendendo verſus ſupra erat vnus ordo 7. retiaculorum, & ſic iſta retiacula operiebant primum funiculum: in extremitate autem ſuperiori iſtius capitelli erat alius funiculus, & ſuper iſtud capitellum erat aliud capitellum, in quo erat vnus ordo 7.retiaculorum, & iſte ordo erat ſuper ſecundum funiculum, & ſic dicebantur operire funiculos, quia id quod ſuper alterum eſt operit illud.

B

Et malagranata quadringenta in duobus retiaculis. Scilicet, in qualibet columna erant quadringenta malogranata: nam erant in quolibet circulo ſiue funiculo de ſupradictis ducenta malogranata : centum ſupra circulum, & centum infra, & quia erant duo funiculi in qualibet columna,erant quadringenta malogranata in qualibet columna, & dicebantur iſta malogranata eſſe in retiaculis,id eſt ſub illis, quia ducẽta malogranata erant ſub primo retiaculo in primo circulo, & totidem in ſecundo circulo ſub ſecundo retiaculo.

Duos verſus malogranatorum in retiaculis ſingulis. Id eſt in quo libet retiaculo erant duo verſus malogranatorum, quia ſub quolibet retiaculo,id eſt ordine retiaculorum erant duo verſus,id eſt duo circuli malogranatorum, & in quolibet verſu erant cẽtum malogranata: in medio autem iſtorum verſuum erat quidam circulus groſſus æneus, qui vocatur funiculus, & iſte diſtinguebat illos duos verſus malogranatorum.

Ad operiendos funiculos capitellorum. Id eſt iſti duo verſus malogranatorum operiebant funiculos, id eſt circulos nunc dictos cùm inter duos verſus malogranatorum eſſet vnus funiculus,qui operiebatur à parte ſuperiori, & inferiori verſibus malogranatorum : iſta omnia patent in figura capitellorum ſupra aſſignatorum.

Qui erant ſuper capita columnarum. ſcilicet,Funiculi erãt ſuper capita columnæ cuiuſlibet,vt declaratum fuit ſupra.

C *Et baſes decem.* Id eſt, etiam fecit Hiram decem baſes pro luteribus.

Et luteres decem ſuper baſes. Erant enim luteres per ſe facti, & locabantur in baſibus ſuis quadratis, ſicut ſupra declaratũ & figuratum eſt.

Et mare vnum. Iſtud ſufficiebat, vt lauarentur ibi omnes ſacerdotes, & non erant multa maria ænea, ſicut multi luteres.

Et boues duodecim ſubter mare. Iſti duodecim boues erant locati ſub mari ad ſuſtentandum illud, & aſpiciebant ad duodecim ventos cęli,vt ſupra declaratum eſt.*Et lebetes,& ſcutras, & amulas,* iam declaratum eſt, quæ vaſa iſta ſint.

Omnia vaſa, quæ fecit Hiram Salomoni regi in domo Domini de aurichalco erant. In hoc recapitulatur totum opus Hiram,&ex hoc apparet, quòd Hiram ſolum fabricauit iſta vaſa ænea, q̃ ſupra habentur, & non fabricauit aliquid in argento,vel auro,licèt poſſit teneri contrarium,& tunc dicetur ad iſtam literam, quod non diſtribuit hic omnis vniuerſaliter, ſed ſolùm pro iſtis,quæ enarrata ſunt nominatim, & iſta omnia erãt de aurichalco: fecit tamen alia, quæ erant de auro, & argento. Verius tamen eſt, quòd ſolum fecerit Hiram vaſa iſta de ære, quæ hic nominantur:cætera autem opera in auro,& argento lapidibus,& lignis facta ſunt per alios artifices.

Sed obijcietur, quia dicitur ſupra quòd erant de ære, & hic quòd erant de aurichalco.

Dicendum,quòd pro eodem accipiuntur æs & aurichalcum:nam aurichalcum dicitur lapis auri,vel fex auri, & quia æs eſt ſimile auro in colore, vocatur aurichalcum, id eſt aurũ impurum. Vel accipitur aurichalcum ſolum pro ære Corinthio,quod precioſius eſt quolibet alio ære,eo quòd eſt mixtũ ex auro,argento, & ære, & vocatur æs Corinthium,quia iſta compoſitio incepit in vrbe Corintho: erant enim templa in vrbe illa,in quibus erant ſimulachra aurea,argentea,& ænea, cùm autem tota ciuitas hoſtili incendio conflagraret omnia metalla igne calefacta in vnum confluxerunt, factaque eſt quædam commixtio, velut eſſet vna ſpecies metalli, & quia maior pars æris erat,vocata eſt commixtio illa æs,& quia precioſius erat quolibet alio ære propter mixtionem auri, & argenti, vocatur æs Corinthium ab illa vrbe, in qua cœpit. De quo Paulus Oroſius 5.de Ormeſta mundi. Poſtea autem multæ cõpoſitiones ſimiles factæ ſunt, & iſtud æs poterat vocari propriè aurichalcum, quia habebat partem auri,& tamen erat aurum impurum, cùm eſſet mixtum ære, & argento. Et quamquam tempore Salomonis non cœpiſſet æs Corinthiũ, tamen fortè ipſe fecit aliquam talem compoſitionem,vt eſſet æs precioſum.

D *Auri chalcũ vocatur æs Corinthiũ, et quare.*

In campeſtri regione Iordanis fudit ea Rex. Scilicet, omnia iſta prædicta de ære,ſiue aurichalco erant facta opere fuſorio, & fuſa ſunt in campeſtri regione Iordanis, id eſt apud Iordanẽ, in quadam terra campeſtri. Vocatur autem terra campeſtris aliqualiter plana,& aliqualiter montuoſa.

E

In argilloſa terra. Id eſt,apud Iordanem erat terra argilloſa: ideo ibi fuſa ſunt vaſa prædicta, & fuſa ſunt ibi, vt haberetur copia materiæ, de qua fierent formæ fuſoriæ. Nam de argilla fiunt omnes formæ fuſoriæ, fiunt etiam omnia vaſa fictilia, quia de alio luto nõ poſſent conuenienter fieri,eo quòd partes à ſe reſilirent propter impuritatẽ mixtionis, & groſſitiem partium materialium.

Inter Sochoth & Sarthan. Iſtæ ſunt duæ ciuitates apud Iordanem in campeſtribus,& ſunt in ſorte Iudæ, vt patet Ioſue 15.quòd autem ſint iſtæ,& non alię eorundem nominum apparet,quia ſicut dicitur hic in regione campeſtri,ita Ioſue 15. dicitur,quòd Sochoth & Sarthan, & quædam aliæ ciuitates erant in campeſtribus:iſta ciuitas Sochoth,ſiue Sochor eſt illa,cui poſuit nomen Iacob,quando tranſiuit Iordanem,& fixit tabernacula,vocauitq; nomen loci Sochoth, id eſt tabernacula,Gen.33.Sarthan eſt locus iuxta Iordanem, ex quo videbantur tumores aquæ Iordanis, quando tranſierunt Iſraëlitæ, vt patet Ioſue 3. ſcilicet, Aquæ intumeſcentes ab inſtar montis apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Edom vſq; ad locum Sarthan. De iſto loco habetur ſupra 4. & vocatur Sarthana ſecundùm modum linguæ Hebraicæ.

Sochoth ciuitas vbi.

Et poſuit Salomon omnia vaſa. Scilicet poſuit ea in locis ſuis in atrio ſacerdotum, & in porticu templi. Et eſt iſta ſententia imperfecta,quia dicitur quod poſuit,& non vbi poſuit, ſicut præcedenti lib. cap.5.dicitur, quòd propoſuerat Dauid præmium in die illa,& non dicitur quod præmium.

F

Propter multitudinem autem nimiam non erat pondus æris. Qua ſi dicat vaſa aurea, & argentea erant in certo pondere,ſed vaſa ærea non erant in pondere determinato, quia tanta erat multitudo æris, quòd non curauit Salomon vaſa ponere in pondere certo.

Fecitq; Salomon omnia vaſa in domo Domini. Hic dicitur de vaſis,quæ erant intra templum,quę omnia fecit fieri Salomon, & ponuntur hic in litera: *Altare aureum.* Iſtud erat altare thymiamatum,quod vocatur aureum,quia erat totum opertum laminis aureis, & dicitur aureum ad differentiam altaris holocauſtorum,quod erat totum æreum,vt patet 2.Paralip.4.Iſtud altare erat apud Sancta ſanctorum intra templum.

Et menſam ſuper quam ponerentur panes propoſitionis auream. Id eſt,fecit menſam auream pro panibus.

Sciendum, quòd iſti panes propoſitionis erant 12.valde magni,qui ponebantur recentes quolibet ſabbato ſuper mẽſam auream, & in ſequenti ſabbato tollebantur illi, & ponebantur alij 12.recentes, & iſti ablati pertinebant ad ius ſacerdotum,& ponebantur 12.in memoriam 12.filiorum Iſraël,de omnibus autem cæremonijs iſtorum panum habetur Leuit. 24.& ibi declaratum eſt. de iſtis autem non licebat comedere niſi ſacerdotibus, & tamẽ in tempore famis licebat comedere.De eis ſupra lib.1.cap.21.& Matth.12.

A *Et candelabra aurea 5. ad dextram, & 5. ad sinistram.* Decem candelabra fecit Salomon: Moyses autem fecerat vnicum, vt patet Exod.25. Salomon autem fecit multa, tamen propter honorem & decorem, quia maioris honoris debuit esse nunc templum, quàm fuerat prius Moysi tabernaculum. Etiam quia templum Salomonis erat maius valde, quàm tabernaculum Moysi: ideo egebat maiori lumine, sed prima causa est efficacior. De figura istorum candelabrorum nihil ponitur hic, eo quòd facta sunt ad similitudinem candelabri Moysi, de cuius fabricatione patet Exodi 25. Dicitur, quòd quinque istorum candelabrorum erant ad dextram, & 5. ad sinistram, scilicet, 5. ad parietem Meridianum templi, & 5. versus parietē Aquilonarē, & per medium eorum transitus ad ostium Sancti sanctorum. *Contra oraculum.* Id est, erant locata ista candelebra contra parietem Sancti sanctorum, quod vocatur oraculum, vt patet prędcedenti cap. & ibi dictum est, quare sic vocatur. *Ex auro primo.* Vocatur aurum primum, id est purissimum, sic enim accipitur in Canticis Canticorum, scil. manus meæ distillauerunt myrrham primam, id est myrrham purissimam, Cant. 5. *Et quasi lilij flores.* Id est in candelabris erant facti flores lilij, & sphærulæ, & calami, vt patet Exod. 25.

Et lucernas desuper aureas. Id est, in summitate candelabrorum in calamis eius erant lucernæ de auro. Accipiuntur hic lucernæ pro quibusdam vasis concauis, in quibus ponebatur
B oleum. Nam in Sanctuario non cremabatur sepum, nec cera, sed solum oleum, vt declaratum est Exodi 25. in istis autem vasculis ponebatur lychnum, & ardebat, ideo ipsa vasa vocātur lucernæ aureæ.

Et forcipes aureas. Vocantur forcipes quædam paruę retiaculæ de auro ad tollendum lychnum combustum, ne caderet in oleo lucernæ, & fœdaret illud.

Et hydrias. Istæ erant quædam vasa magna, in quibus seruabatur oleum ad ponendum in lucernis, & fortè istæ hydrię erant intra templum, & quando sacerdotes introirent in mane, & in vespere ad componendum lucernas, & cremandum thymiama, vt patet Exodi 30. acciperent de oleo hydriarum, & ponerent in lubernis.

Et fuscinulas. Istæ erant aureæ factæ ad mittendum intra lucernas aureas, si aliquando caderet aliquid de cinere lychnorum intra ipsas, cum his enim extrahebatur, vt maneret oleum mundum: propriè autem vocantur fuscinulæ vncini quidam, quibus carnes de olla extrahuntur, & dicūtur fuscinulæ de fuscus, a, um, id est niger, quia fuscinula denigratur propter fumum, sicut alia vasa coquinaria.

Et phialas. Vocantur phialæ vasa aurea in parte superiori stricta, & inferiori lata, & sunt ad continendum vinum: seruiebant autem in Sanctuario ad ponendum in eis vinum libaminum. Nam quandocunque offerebantur holocausta, vel hostiæ pacificæ, oportebat simul offerri libamina, scilicet, similam, oleum, vinum, sal, & thus. De hoc Leuit. 2. & magis
C Num. 15.

Et mortariola. Ista erant vasa quædam aurea ad conterendum in eis varias species aromatum, vt fieret thymiama. In templo enim quotidie cremabatur bis thymiama, in mane, & in vespere, Exodi 30. istud autem fiebat ex diuersis aromatibus, & speciebus contusis & redactis vsque ad puluerem minutissimum. e. c. Conterebantur autem in istis mortariolis.

Et thuribula. Ista erant vasa in quibus cremabatur thus. Nam super altare thymiamatum cremabatur quotidie thus, & hoc erat in istis thuribulis aureis, quæ fortè haberent interius aliquam crustam ferri, ne aurum calore prunarum liquefieret. Vel vocātur thuribula vasa, in quibus seruabatur thus, quod postea cremandum erat, & nō cremabatur in ipsis thuribulis: sed primum est verius.

De auro purissimo. Istud refertur ad omnia superiora vasa immediatè posita.

Et cardines ostiorum domus templi, & interioris domus Sancti sanctorum ex auro erant Istud erat speciale in portis Sancti sanctorum, & in portis exterioribus templi, quia erant ipsi cardines ex auro. Vocantur hic cardines quædam armillæ fixę in liminaribus domus, in quibus vertebantur ianuæ. Etiam erant aliæ armillæ de auro circumpositæ ipsis pedibus ianuarum, quæ infigebantur cardini, & vtræque armillæ erant de auro.

D *Et perfecit omne opus, quod faciebat Salomon in domo Domini.* Id est finiuit omnem apparatum domus, & vasa eius. Omisit tamen supra litera decem mensas aureas, in quibus ponebantur vasa aurea & argentea, de quibus 2. Paralip. 4.

Et intulit quæ sanctificauerat Dauid pater suus. Id est, posuit in Sanctuario omnia, quæ Dauid vouerat. Dicitur autem sanctificare, id est sanctum efficere, quia per hoc, quòd aliquid deuouetur, transit in dominium Sanctuarij, & vocatur iam sanctum, quia omnia, quæ ad Sanctuarium pertinent, sancta sunt.

Argentum, & aurum, & vasa, reposuit ꝯ in thesauris Domini. scilicet, Dauid vouit multa quæ parauerat pro expensis templi Domini, 1. Paralipom. 22. & 18. Et de illis facta sunt vasa aurea, & argentea, & mansit fortè aliqua massa auri, & argenti, non redacta in vasa, & omnia ista posuit Salomon in thesauris Domini. Credendum est enim, quòd vasa, quæ erant necessaria ad quotidianam ministrationem, erant in templo in domo inferiori, vbi ministrabāt quotidie sacerdotes, vasa autem quæ non erant necessaria ad quotidianam ministrationem seruabantur in duobus cœnaculis superioribus domus, de quibus dictum est prædcedenti cap.

Vasa Sanctuarij, quæ fecit Salomon, quæ erant.

QVÆSTIO XVII.

E QVÆRETVR quæ erant vasa Sanctuarij, quæ fecit Salomon?

Respondendum, quòd accipiendo largè vasa pro omni supellectili.

Dicendum, quòd erant quædam vasa templi, & quædam atrij sacerdotum: nam in alijs atrijs non erant aliqua vasa, erant autem in atrijs sacerdotum decem luteres cum vasibus suis, in quibus erat aliqua aqua ad lauandum carnes sacrificiorum: erat etiam mare æneum, in quo lauarentur sacerdotes: erat etiam mare æneum holocaustorum valde magnum: erant etiam vasa ærea altaris, scilicet, lebetes, scutræ, & amulę, & ignium receptacula, & forcipes, nihil aliud erat in atrio sacerdotum de vasis.

In porticu autem templi erant duæ columnæ pulchræ cū capitellis suis, de quibus patet supra in litera. Intra templum verò erat duplex domus, scilicet, Sancta sanctorum, & domus exterior. In Sancta sanctorum erat sola arca Moysi, & duo Cherubim magni de lignis oliuarum: in domo autem exteriori erat altare aureum pro thymiamate: erat etiam mensa propositionis, cum panibus duodecim: erant etiam decem candelabra, quinque ad dextram, & quinque ad sinistram: erant etiam ibi decem mensæ: in quibus erant vasa aurea, & argentea ad vsum sacrificiorum, & illa erant multiplicia, scilicet phialæ, mortariola, thuribula, acceptabula. De his omnibus patet hic, & 2. Paralipomenon 4. cap. Ioseph
F phus autem 8. Antiquitatum, enumerat ista vasa magis in *capit.* particulari. Vnde postquam posuit mare æneum, & luteres, & columnas, & altare holocaustorum, ait: Fecitque omnia vasa eius ærea, insuper caldarias, ollas, trullas, arpagones. Obtulit Rex mensarum multitudinem auream & vnam prę cipuam, super quam ponebantur panes Dei, & huic proximas alias decem millia alio modo factas, super quas iacebant paterę, & phialæ. Aurea quidem decem millia: Argentea quadraginta millia: fecitque candelabra decem millia secundùm præceptum Moysi, ex quibus vnum recondidit in templo, vt per diem luceret secundùm legem, & mensam vnam, super quam positi erant panes. Fecitque Rex vini infusoria octoginta millia, & phialas aureas decem millia, argenteas verò duplici numero. Patenas autem aureas ad offerendum in eis similam consperſam ad altare octoginta millia, & phialas aureas, & argenteas duplici numero. Crateras autem in quibus similam cum oleo fermentabant, aureas quidem, sexaginta millia: argenteas duplici numero: mensuræ autem similes eis, quæ Mosaicæ vocabantur. Assarones aureos viginti millia, & argenteos dupliciter. Thuribula aurea, quibus offerunt incensum viginti millia, & alia thuribula, in quibus portabant ignem à maiori altari, quod erat in templo quinquaginta millia. Stolas autem sacerdotales pontificibus cum his, quæ pendebant ad pedes, & superhumerales &

ratio-

rationales mille. Corona verò, in qua Moyses Deum inscripserat vna fuit, & ad hunc diem vsque permansit. Sacerdotes autem stolas ex byssо contextas, & zonas purpureas singulis decem millia, & tubas secundùm præceptum Moysi 200. millia. Item stolas Leuitarum dicẽtium hymnos ex byssо, 200. millia & instrumenta musica ad hymnos dicẽdos adinuenta, quæ Nabla dicuntur, & Cirnana ex electro constituta quadraginta millia. Ista vasa in tanta multitudine non ponit scriptura, sed credendũ est, quod fuerint, & sacerdotes habebant numerum istorum, & sic Ioseph us, qui erat vnus de sacerdotibus poterat scire hæc, & describere. Potest etiam intelligi istud per clausulam generalem, scilicet, intulitque Salomon quæ sanctificauerat Dauid pater suus argentum, & aurum, & vasa, reposuitq; in thesauris domus Domini: scriptura autem non curauit enumerare, nisi illa vasa, quæ pertinebant ad quotidianam ministrationem, & non ea, quæ seruabantur in templi thesauris abscondita.

CAPVT VIII.

2. Par. 5. **TVNC congregati sunt omnes maiores natu Israel, cum principibus tribuum, & duces familiarum filiorum Israel ad regem Salomonem in Ierusalem, vt deferrent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid, id est, de Sion.**

TVNC. Descripta in præcedentibus templi ædificatione, hic agitur de eius dedicatione, scilicet, quia fuit facta magna solennitas dedicando illud, & ponendo vasa sacra ibi, & diuiditur in quatuor, quia primò ponitur arcæ introductio, secundò diuinæ præsentiæ insignis apparitio ibi.

Factum est autem. Tertiò Salomonis oratio ibi. *Stetit autem Salomon.* Quartò populi benedictio, & licentiatio ibi. *Factum est autem.*

An dedicatio templi fuit immediatè post ædificationem.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum an ista, quæ habentur hic facta fuerint post præcedentia, & an immediatè, vel interposito aliquo tempore.

Respondendum, quòd ista fuerunt post illa, quia certum est, quòd priùs fuit ædificatio, quã dedicatio. Ad secundum dicendũ, quòd fuerunt ista post illa immediatè, scilicet quòd cùm finita sunt omnia vasa, & apparatus domus Domini intulit illa Salomon in templum, & illa fuit dedicatio. Hoc apparet in litera, quia dicitur: Tunc congregati sunt, scilicet, postquàm facta sunt quæ habentur suprà congregati sunt Israelitæ ad dedicandum templum. Nec est verisimile, quòd aliqua mora interciderit, quia vasa facta sunt, vt ponerentur in templo, & ministraretur in eis, ideo mox, vt facta est copia vasorũ, & ædificata est domus, dedicaretur, vt posset in ea ministrari.

Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israel. Id est, factis quæ habentur præcedẽti cap. congregati sunt. Vocantur autem maiores natu seniores, qui maiorem ætatem habebant. Et isti propter auctoritatem & prudentiam vocati sunt, quia erant honorabiles nimis iuxta illud: Canities veneranda, Sapien. 4.

Cum principibus tribuum. Erant autem duodecim principes, sicut erant duodecim tribus. Sic patet Num. 1. & 2. vbi in computatione cuiuslibet tribus ponitur vnus princeps, & dicitur: Hi sunt nobilissimi principes multitudinis per tribus, & cognationes suas. Isti duodecim erant honorabiliores in toto populo. Vnde quando dedicatum est sanctuarium sub Moyse, isti duodecim principes obtulerunt per duodecim dies, Nume. 7. Et non fit mentio de alijs de populo. Isti principes veniebant directè per lineam primogenitorũ à capitibus ipsarum tribuum.

Et duces familiarum filiorum Israel. Familiæ erant quædam cognationes speciales in ipsis tribubus: nam quælibet tribus habebat duas, vel tres, aut plures familias, quarum quælibet habebat vnum principem venientem per lineam primogenitorum à capitibus ipsarum familiarum, sicut fiebat in tribubus. Erat autem princeps ipsius tribus excellentior principibus familiarum. Quot autem erant familiæ in qualibet tribu, habetur Nume. 26.

Ad regem Salomonem in Ierusalem. Scilicet congregati fuerunt ad ipsum, quia ipse misit ad vocandum eos. Sic enim Dauid misit ad vocandum omnem Israel, quando voluit transferre arcam de Cariathiarim in Ierusalem, 1. Paralipomenon 13.

Vt deferrent arcã fœderis Domini de ciuitate Dauid, id est de Sion. Non venerunt, vt ipsi deferrent arcam, quia soli sacerdotes, & Leuitæ intulerunt eam, quia non licebat alijs tangere ipsam, vt patet hic, & 1. Paralip. 15. sed venerunt ad deferẽdum arcam, id est ad honorandum translationem eius, cùm præsentes essent. Et dicitur de ciuitate Dauid, id est Sion, non quidem, quòd esset templum, in quo ponenda erat arca extra vrbem Dauid, quia templum erat in monte Moria, 2. Paralip. 3. & tamen mons Moria erat ipse mons Sion intra ciuitatem Dauid, sed dicitur quòd translata fuit arca de ciuitate Dauid, id est de domo Dauid, in qua priùs erat. Et ista erat ciuitas Dauid, vt patet præcedenti lib. cap. 5.

Conuenitq; ad regem Salomonem vniuersus Israel. Id est plurimi de Israel, quia non conuenerunt omnes viri Israel. Vel potest dici, quòd venerunt omnes viri Israëlitæ in Ierusalem nullo manente in ciuitatibus, quia nunc erat septimus mensis, in quo erat festum tabernaculorum, & tamen tenebantur omnes masculi Israelitarũ apparere ter in anno coram Domino in sanctuario, scilicet in festo azymorum, & Pentecostes, & tabernaculorum, Exod. 23. & 34. & Deutero. 16. nunc autem erat dies propitiationis in die decimo mensis 7. & post 5. dies erat festum tabernaculorum, ergo tenebãtur omnes venire in Ierusalem, quia ibi erat iam locus sanctuarij.

In mense Bethanim in solenni die. Est enim mensis Bethanim mensis 7. apud Hebræos, qui apud nos September vocatur, & aliquando coincidit cum Octobri secundùm diuersas lunationes Hebræorum, & in isto mense dedicatum est templum. Dicitur in die solenni, id est, in die propitiationis, secundùm quod communiter exponunt.

In quo die facta fuerit dedicatio templi.

Sed dicendum, quod hoc non constat, quia mensis septimus apud Hebræos habebat tria festa, scilicet festũ Clangoris prima die mensis, festum propitiationis decimo die, festũ tabernaculorum die 15. & istud durabat per octo dies vsq; ad diem vicesimum secũdum mensis, poterat ergo in quolibet istorum trium festorum, cùm non determinetur, de quo illorum intelligatur.

Sed adhuc magis videtur dicendum, quòd fuerit festiuitas ipsa tabernaculorum, quod satis apparet ex litera. Nam infrà dicitur, quod rex celebrauit diebus septem festum, cũ Israelitis, & die 8. dimisit eos, & tamen non erat aliquod festum, quòd duraret septem diebus in mense septimo, nisi festum tabernaculorum, istud enim celebrabatur septem diebus, & dies octauus erat cætus, & collectæ, & cùm fuisset die ipsa collecta pecunia de populo, poterat quilibet ire in domum suam. De hoc Leuit. 23. & Deut. 16.

Sed aliquis dicet, quod non erat istud festũ tabernaculorum, nec nunc rex celebrauit septem diebus propter tabernaculorum festum, sed quia voluit honorare dedicationem templi.

Sed dicendum necessariò, quòd fuerit festum tabernaculorum, quia istud incipiebat die 15. mensis, & finiebatur die 23. Leuit. 23. Et tamen istud festum, quod nũc factum est fuit à 15. die vsq; ad 23. mensis 7. vt patet 2. Paralip. 7. scilicet, Fecit Salomon solennitatem in tempore illo septem dieb⁹, & omnis Israel cum eo. Et posteà sequitur: Igitur in die 23. mensis 7. dimisit populos lætantes ad tabernacula sua. Item in ista solennitate factus est cætus, & collecta, vt patet 2. Paralip. 7. scilicet fecit die 8. collectam, eo quòd dedicasset altare septẽ diebus, & tamen in nulla festiuitate fiebat cætus & collecta, nisi in festo tabernaculorum, vt patet Leuit. 23. ergo erat nũc festum tabernaculorum, quando altare dedicatum est,

Ipse mensis septimus. Scilicet Bethanim erat mẽsis septimus, in quo fuit dedicatio templi.

Quomodo dedicatio potuerit fieri mense septimo, cùm templum mense octauo consummatum fuerit.

Qvæstio II.

Qværetvr, quomodo potuerit fieri dedicatio templi in mense septimo, quia dedicatio fuit post completionem, & tamen completum est sanctuarium, cum omnibus supellectilibus suis in mense Bul, qui est octauus, præcedenti cap. ergo non fuit dedicatio in septimo.

Ad hoc respondent aliqui, quòd finitum fuit templum mense septimo, & in illo dedicatum est: cùm autem dicitur præcedenti cap. quòd fuit consummatum mense octauo dicunt, quòd ibi computantur menses per annos regis Salomonis, cùm dicatur anno 4. fundata est domus Domini, & tamen ille erat quartus à principio regni Salomonis, ita ergo mensis vocaretur octauus faciendo primum mensem illum, in quo cœpit regnare Salomon, & fortè ipse cœpit regnare mense vltimo anni, & ille vocabitur primus mensis in anno suo, & sic mensis septimus anni erat mensis 8. secundùm annos regni Salomonis.

Ista responsio erat nimis colorata, sed non stat, quia tunc idem mensis esset secundùm substantiam, qui esset octauus secundùm annos regni Salomonis, & septimus secundùm computationem communem, ideo haberent idem nomen, & tamen iste mensis dedicationis vocatur Bathanim, & mensis quo finitum est templum, vocatur Bul, ergo non erat idem mensis secundùm veritatem, sed ille erat 8. & iste 7.

Dicendum ergo aliter, quod forte Salomon fecit dedicari templum mense septimo, & tamen nondùm consummatũ erat, quia manebant aliqua vasa eius facienda, quæ consummata sunt in mense sequenti, & sic dicitur, quòd consummatum est mense 8.

Sed tunc dicetur, quomodo Salomon dedicauit templum antequàm consummaretur, quia iste est ordo præposterus.

Respondendum, quòd Salomon vidit modicum superesse ad complendum omnia vasa sanctuarij, quæ complerentur in mense octauo, & quia volebat Salomon mox dedicare sanctuariũ vocauit in mense septimo ad dedicationem eius: hoc autem fuit ad excusandum populum à laboribus, quia populus venturus erat mense septimo ex necessitate legis in domum Domini, Exodi 23. & 34. ideo voluit, quòd tunc dedicaretur. Nam si tũc non dedicasset oporteret, quòd sequeretur vnum de tribus inconuenientibus, scilicet, quòd non dedicaretur templum mox, vt compleretur, vel non dedicaretur honorabiliter, vel populus grauaretur laboribus & expensis. Quodlibet autem istorum trium erat inconueniens. Patet quòd sequantur hæc, quia si Salomon finiuisset templũ mense octauo, aut dedicaret illud immediatè, aut expectaret vsq; ad aliquod festum, in quo congregarentur Israëlitæ. Si primo modo esset inconueniens, quia esset magnum tempus post ædificationem templi, scilicet ferè 5. mensium, aut 6. in quo non fieret ministratio aliqua in sanctuario, & sic esset inutile. Si autem Salomon vellet mox post consummationem illud dedicare, aut vocaret populum ad dedicationem, aut non: si vocaret grauaret populum magnis laboribus & expensis, quod erat inconueniens: Si autem non vocaret eos, esset dedicatio sine honore. Vocando autem populum mense septimo ad dedicationem non sequebatur aliquod istorum trium inconuenientium, eo quòd populus aliàs venturus erat ex necessitate legis mense septimo, ideo tunc vocauit eos, quod autem ante consummationem fieret dedicatio, non erat inconueniens, quia iam templũ consummatum erat, cum toto ornatu suo, sed solùm restabant aliqua vasa complenda, poterat autem templum sine illis dedicari: ista solutio est conueniens, & tenet eam historia scholastica.

Aliter potest responderi, scilicet quòd templum finitum est vndecimo anno regni Salomonis mense 8. suprà 6. cap. & tamen in illo anno fuit consecratũ templum, sed in sequenti anno mense 7.

Sed istud non stat, quia sequuntur duo inconuenientia. Primum quia maneret templum vno anno ferè integro post consummationem, in quo nihil ministraretur in eo, quod est irrationabile. Secundum inconueniens est, quia dato quòd templum consummaretur mense octauo anni 11. & non dedicaretur immediatè, saltem tamen in primo festo, in quo congregaretur totus Israel ex necessitate legis dedicaretur: istud autem erat festum azymorum, 15. die mensis primi, in quo totus Israel conueniebat in locum sanctuarij: Leuit. 23. & Deuteron. 16. Saltem tunc dedicaretur. Non ergo potest stare illa responsio, sed dicendum vt suprà, scilicet quòd vno mense dedicatũ est, antequàm complerentur vasa eius.

Veneruntq; cuncti senes ex Israel. Non solùm venerunt senes, sed etiam cæteri principes, & nõ principes: fit tamen mentio de senibus propter honorem. Sciendum autem quòd non vocantur hic senes omnes illi, qui erant in magna ætate: nam propter esse magnæ ætatis non est aliquis honorabilis, quia potiùs cùm quis venit ad nimiam senectutem deficit iudicio propter quod erat honor, sed vocantur senes viri maturæ ætatis, qui magna prudentia vigent, quorum dictis circa moralia attendendum est, & insistendum, sicut demonstrationibus apud mathematica, vt patet 6. Ethicor. Et isti quanquàm non sint in valdè magna ætate, habent gloriam senectutis. Sapien. 4. scilicet senectus enim venerabilis est nõ diuturna, nec numero annorum computata: cani sunt autẽ sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.

Et tulerunt arcam sacerdotes. Scilicet acceperũt illam de domo Dauid. *Et portauerunt arcam Domini.* Repetitio est eiusdem sententiæ. *Et tabernaculum fœderis.* Vocatur tabernaculum ipsę cortinæ, & omnia velamenta, quæ fecit Moyses in deserto cum tabulis, & vectibus & columnis. Ista autem erant nunc in Gabaon, quia ibi erat altare holocaustorum: nam illuc iuit Salomon ad offerendum mille hostias, suprà tertio: omnia autem hæc, cum velis & columnis atrij portata fuerunt in templum Salomonis: nõ vt essent ibi am ad aliquam ministrationem, sed solùm, vt conseruarentur in thesauris templi.

Et omnia vasa sanctuarij quæ erant in tabernaculo. Id, est etiam portauerunt vasa tabernaculi. Accipitur largè tabernaculum pro toto aggregato ex tabernaculo, & atrio: erant enim vasa in atrio: scilicet altare holocaustorum cum vasculis suis, scilicet lebetibus forcipibus fuscinulis, & ignium receptaculis, Exod. vigesimoseptimo, erat etiam ibi labrum æneum, in quo lauabantur sacerdotes: Exod. 30. in tabernaculo erant alia vasa, scilicet mensa propositionis cum vasculis suis, scilicet acetabulis, phialis, thuribulis, & cyathis. Erat etiam ibi candelabrum aureum. Exodi 25. erat etiam ibi altare thymiamatis: Exodi 30, erat etiam arca intra Sancta sanctorum: Exodi 26. & hęc omnia portata fuerunt in sanctuarium Salomonis, vt ponerentur in thesauris templi, & quædam pauca istorum proficerẽt ad ministrationem, vt declaratum est suprà 6,

Et ferebant ea sacerdotes & Leuitæ. Id est, tam sacerdotes quã Leuitæ portauerunt arcam ad templum Salomonis.

An sacerdotes portauerint arcam.

Qvæstio III.

Qværetvr, an sacerdotes portauerunt arcam, vel Leuitæ. Aliquis dicet, quòd portauerunt eam sacerdotes, quia dicitur hic: Et tulerunt sacerdotes arcam Domini. In contrarium videtur, quia 2. Paralipomenon 5. vbi ponitur ista materia dicitur, quòd Leuitæ portauerunt arcam.

Respondendum quod satis videtur, quòd portauerint sacerdotes arcam, quia hic dicitur, quòd sacerdotes tulerunt eam. De Leuitis autem & sacerdotibus simul dicitur, quòd portauerunt alia vasa tabernaculi. Item patet, quia infrà dicitur, & intulerũt sacerdotes arcam fœderis Domini in locũ suum intra oraculum templi in Sancta sanctorum.

Sed obijcietur, quòd sacerdotibus non liceret portare arcam, quia istud erat officium Leuitarum, vt patet Nume. 4. & 7.

Respondendum, quòd illa officia, quæ pertinebant ad

A Leuitas poterāt fieri ſimul per ſacerdotes, eo quòd ſacerdotum officiū erat maius,& ordo ſuperior poteſt facere ea,quæ pertinent ad ordinem inferiorem, ſicut ſacerdos poteſt facere,quæ pertinēt ad diaconum,vel ſubdiaconum, ideo ſacerdotes aliquando leguntur portaſſe arcam. Sic patet In tranſitu Iordanis, quia ibi ex mandato Dei ſacerdotes tulerunt eam: Ioſue 3.iterùm etiam quando circuibāt Iſraelitæ vrbem Iericho ſacerdotes portabant arcam Ioſue 6. ita igitur cùm nunc fieret magna ſolēnitas arcæ, quia transferebatur in locum ſuum ſempiternum, ſacerdotes tulerunt eam, quia ipſi erant digniores miniſtri quàm Leuitæ.

Ad rationem in contrarium, 2.Paralipom.5. dicendum, quòd ibi accipiūtur Leuitæ pro ſacerdotibus.Pro quo ſciendum,quòd Leuitæ accipiuntur dupliciter: vno modo,vt dicunt genus:alio modo,vt Leuita ſignat officium. Primo modo omnes de ſtirpe Leui vocantur Leuitæ,& quia ſacerdotes erant de ſtirpe Leui vocantur Leuitæ: nam Aaron, qui erat princeps omnium ſacerdotum, & caput progeniei ipſorum fuit de ſtirpe Leui. Secundo modo Leuita dicit officium,& tunc Leuitæ vocantur quædam pars ipſorū filiorum Leui,cui aſſignata erat inferior miniſtratio. Alia aūt pars filiorū Leui, cui competebat miniſtratio ſuperior, vocabatur pars ſacerdotalis,nunc autem accipiuntur Leuitæ primo modo, & ſic æqualiter poſſunt intelligi ſacerdotes, vel Leuitæ. De illo primo modo patet Exo.4.vbi Aaron vocatur Leuites,& tamen B ipſe fuit ſummus ſacerdos.

Rex autem Salomon, & omnis multitudo Iſrael, quæ conuenerat ad eum. Scilicet totus Iſrael, qui conuenerat ad ſolennitatem feſti Tabernaculorum, quando templum dedicandum fuit.

Gradiebantur cum illo ante arcam. Scilicet non accedebant ipſi ad arcam,quia laici erant: nam morerentur ſi præſumerent accedere, ſicut alij qui immiſcebant ſe miniſterijs ſacerdotum,vel Leuitarum moriebantur. Patet de 250. viris,qui mortui ſunt offerentes incenſum: Nume.15.& de rege Azaria,qui percuſſus eſt lepra volens offerre incenſum ſequenti lib.cap.15.ſed præcedebant arcam canendo, & offerendo ſacrificia.

Et immolabant oues, & boues abſq; æſtimatione & numero. Scilicet tam Rex quàm populares offerebāt ſacrificia multa nimis,& dicebantur abſq; æſtimatione, & numero, non quòd numero carerent, quia numero limitata ſunt omnia, ſed quia vulgus dicit omnia illa, quæ multa ſunt, vel quorum numerum neſcimus eſſe infinita: fuerunt tamen iſta determinata, ſcilicet boues viginti duo millia,& oues cētum & viginti millia,vt patet infrà in litera, & 2.Paralipomenon 7.illa enim fuerunt animalia, quæ oblata ſunt in tota dedicatione Sanctuarij. Fortè enim voluit tenere Salomon hic modum, quem tenuit Dauid quando tranſtulit arcam de domo Obededom in domum ſuam. Nam poſtquàm tranſiſſent Leuitæ,qui portabant arcam ſex paſſus immolabant ſeptem tauros,& ſeptem arietes, & ſic fiebat in ſingulis 6.paſſibus,vt patet præcedenti libro, cap.6.& meliùs Paralipomenon 15. C

Et intulerunt ſacerdotes arcam fœderis Domini in locum ſuum. Scilicet poſtquàm portauerunt eam in templum, introduxerunt illam in locum ſuum,ſcilicet in ſancta Sanctorum. In hoc autem ſciendum, quòd dato,quòd Leuitæ portauiſſent arcam de domo Dauid vſque ad templum, tamen ipſis non licebat introducere eam in templum, & potiſſimè in ſancta Sanctorum, ſed ſacerdotes debebant eam introducère. De hoc patet ſimile Nume.4.

Quomodo fuit portata arca in templum,ſcilicet velata, vel nuda.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR quomodo fuit portata arca. Reſpondendum, quòd cùm arca eſſet in domo Dauid erat velata pallijs ſuis, de quibus dicitur Nume.4. & quando portata fuit ad templum etiam fuit velata pallijs, alioquin totus populus,qui videbat eam, moreretur. Sic fuit in Bethſamitis,de quibus mortui ſunt quinquaginta millia,eo quòd viderunt arcam ſuprà primo libro, cap. ſexto, etiam Leuitæ non poterant videre arcam nudam, vel tangere eam, alioquin morerentur, ideo quando per deſertum caſtra mouenda erant, licèt arca portanda eſſet à Leuitis, non tollebant eam ipſi de tabernaculo, ſed ſacerdotes ingrediebantur, & velabant eam, & velatam tradebant Leuitis, & ſic ſine periculo eam accipiebant, alioquin nudam eam videntes,vel accipientes,morerentur,vt patet Numeri 4. Nunc autem arca in ſancta Sanctorum diſcooperienda erat, quia nunquàm debebat eſſe velata, niſi propter periculum quando portabatur,ne videretur ab aliquibus,& morerentur, vt ſatis colligitur allegato cap. ideo oportebat, quòd ſacerdotes intrarent ad tollendum velamenta eius, quia Leuitis non licebat hoc. D

An ſacerdotes intrauerint in Sancta ſanctorum cum arca.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR vlteriùs,quomodo ſacerdotes potuerunt nunc intrare in Sancta ſanctorum, quia ſoli ſummo ſacerdoti licebat illuc ingredi, & hoc ſemel tātùm in anno,Leuit.16.& ad Hebr.9.

Reſpondendum,quòd ad miniſtrandū aliquid intra Sancta ſanctorum,dum arca manſura eſſet in loco ſuo non licebat ingredi alicui,niſi ſummo ſacerdoti, & huic ſemel tantū in anno, quando tamen arca mouenda erat de loco ſuo, vel reponenda ibi,licebat ſacerdotibus minoribus illuc introire cum ſummo ſacerdote ad velandum eam, vel tollendum velamenta. Hoc patet Numer.4. vbi iubetur, quòd quando mouenda eſſent caſtra, introiret Aaron,& filij eius, ſcilicet ſacerdotes minores, & velarent arcam,traderentque Leuitis portandam, & rurſum cùm caſtra figenda eſſent ſacerdotes introibant in Sancta ſanctorum, & nudabant arcam velamentis ſuis, manebatque ibi. Et tunc ſtantibus caſtris non licebat ſacerdotibus minoribus introire in Sancta ſanctorum,ſed ſoli pontifici ſemel in anno. Tunc ergo dicendum,quòd hac vice ſolùm licuit ſacerdotibus minoribus introire in Sancta ſanctorum ad ponendum arcam, poſteà autem nunquàm licuit,niſi ſummo ſacerdoti, eo quòd poſteà nunquàm fuit arca inde mota quouſq; totaliter ablata eſt. Ratio differentiæ erat, quia quando arca manebat in Sancta ſanctorum,apparebat Deus ſuper illam,& nolebat quòd aliquis introiret illuc,vt patet Leuit.16. ſcilicet lōquere ad Aaron fratrem tuū ne omni tempore ingrediatur ſanctuariū, quod eſt intra velum coram propitiatorio, quo tegitur arca, vt non moriatur, quia in nube apparebo ſuper oraculum. Cùm autem ſemel in anno ingrediebatur ſummus ſacerdos ferebat ſecū thymiama, vt vapor groſſus conſurgens ex thymiamate ſuperpoſito prunis faceret, quòd ſacerdos nihil videret de eo, quod erat ſuper oraculum, vt patet eo.cap.cùm autem caſtra mouebantur,vel locabantur,gloria Domini receſſerat ſuper arcam, ideo poterant ſecuri introire ſacerdotes ad velandum eam,vel diſcooperiendum. E F

In oraculum templi in Sanctum ſanctorum. Id eſt introduxerūt eam in oraculum, idem eſt enim oraculum, & ſanctum ſanctorum,vt declaratum eſt ſuprà ſexto.

Subter alas Cherubim. Scilicet poſuerunt arcam ſub alis Cherubim,vt videretur obumbrata ab eis:non ſunt illi Cherubim duo parui, qui erant ſuper arcam, quia ſub iſtis non poterat poni arca, cùm ipſi eſſent pars arcæ, & quocunque moueretur arca, ipſi ſimul ibant, ſed intelligitur de duobus Cherubim magnis de lignis oliuarum, quos fecit Salomon ſuprà ſexto.

Si quidem Cherubim expandebant alas ſuper locum arcæ, ſcilicet Cherubim erant poſiti in medio domus, vnus ab Aquilone, & alius à Meridie: arca verò erat in medio Cherubim, quia ipſa non magis declinabat ad meridiem, quàm ad ſeptētrionem, & velabatur illis Cherubim extēſis contra ſe inuicem, vt magis declaratum eſt ſuprà ſexto.

Et protegebant arcam,& vectes eius deſuper. Id eſt operiebant arcam: protegere enim licèt accipiatur à quibuſdam pro defendere, tamen proprium ſignificatum eius eſt pro operire, ſic patet Exodi 33. cùm dixit Deus, cumque tranſibit gloria mea,ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec tranſeam,id eſt, operiam vultum tuum manu

A mea dextra, & patet ex ſequenti, ſcilicet, tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris, & ſic quando protegebat eum manu ſua, operiebat oculos eius. Dicitur autem quòd protegebant arcam, & vectes, ſcilicet quia aliæ eorum pendebant ſuper arcam de plano, & non de acuto, & quia erant amplæ alæ poterant obumbrare arcam, & vectes. Dicuntur autem vectes duo ligna longa infixa laterib⁹ duobus arcæ per annulos, & portabatur arca ſuper humeros hominum per illa ligna. De his patet Exod.25.

Cumq; eminerent vectes, & apparerent ſummitates eorum foris ſanctuarium non apparebant vltra extrinſecus. Iſta litera videtur difficilis, ſcilicet vt aſſignetur, quòd ſummitates vectium apparerent extra ſanctuarium.

Dicendum autem, quòd accipitur hic Sanctuariũ pro ſancto Sanctorũ, & non pro domo exteriori, quia tũc eſſet ſenſus, quòd apparebant vectes arcæ extra totũ templum, & ſic apparerent à longè, ſcil. pluſquàm à 40. cubitis: nã longitudo domus exterioris erat 40. cubitorũ, vt patet ſ 6. ſed accipitur ſanctuarium pro ſancto Sanctorum, & extra illud apparebãt vectes quamquàm intus eſſent, & apparebant ſolùm in ſanctuario exteriori, in quod ſoliſacerdotes introibant: vnde ſi quis introiret interius accedẽs circa parietem ſancti ſanctorum, videbat quaſdam partes illorum vectium: ſi autem recederet aliqualiter à pariete ſancti ſanctorum verſus portam templi, licèt eſſet in templo non videbat vectes, & hoc ſignificat litera, cùm dicit, non apparebant vltra extrinſecùs, ſcilicet recedendo modicum à pariete ſancti ſanctorum.

Sed adhuc manet dubium, quomodo accedens apud ſancta ſanctorum videbat ſummitates vectium, & cùm modicũ receſſiſſet non videbat vectes.

Rabbi Sal. dicit, quod fiebat hoc modo, ſcil. qa ante ſancta ſanctorum in parte interiori erat poſitum quoddam velum pendens à ſuprà vſq; ad terram, de quo dicitur. Mat.27. velum templi ſciſſum eſt. Vectes autem accedebant vſque ad iſtud velum in porta ſancti ſanctorum, & impellebãt velum aliqualiter ad partem exteriorem, & videbantur extremitates vectium latentes ſub velo, ſicut duæ mamillæ mulieris latentes ſub veſte ſua, & de hoc exponit id, quod habetur Cant.1. ſcilicet Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur, id eſt, quòd Deus morabat ſuper arcam inter duo vbera, quæ faciebãt vectes in velo, & ſic extremitates vectium in ſeipſis nõ poterant videri, ſed ſub velo, ſicut videntur manus hominis ſub chirotecis. Sed iſte modus non tenetur à doctoribus noſtris.

Dicunt autem, quòd alio modo erant taliter diſpoſiti vectes, quòd exiſtentibus propè ſanctum ſanctorum poterant videri: longè autem poſitis non videbantur.

Et dicendum, quòd iſta poſitio non ſtat, quia tunc ſequeretur, quòd ſanctum ſanctorum non eſſet clauſum, quia ſi clauſum eſſet, non poſſent extremitates vectium impellere velum ad partem exteriorem, eo quòd ianua lignea reſiſteret, habebat tamen ſanctum ſanctorum oſtiola de lignis oliuarum operta auro, vt patet ſuprà 6. ergo videtur, quòd clauderetur, & non poſſent ſic videri vectes. Itẽ ad hoc, quòd vectes impellerent velum ad partem exteriorem, quòd pendebat in pariete ſancti ſanctorum, oportebat quòd ipſi prominerent vltra portam, & ſic nũquàm poſſet eſſe clauſa porta ſancti ſanctorum, quod eſt inconueniens. Item ſi iſto modo vectes impellerent velum ad partem exteriorem in directo portæ, & propinqui viderent mamillas vectium, etiam ipſi qui eſſent procul videre poſſent eas, quia directè eis obijciebantur.

Dicendum igitur aliter, quòd vectes iſti apparebant non directè per ianuam, ſed inter clauſuram ianuæ, & parietum, quia vectes erant longi, & accedebant iuxta parietem orientalem ſancti ſanctorum, ideo ſi quis accederet propè ipſum parietem ex tranſuerſo per rimulam, quæ erat inter parietem, & ianuam poterant videri extremitates vectium, & tamen ſi quis modicum recederet à pariete non poterat videre per rimulam inter parietem, & oſtium ſancti ſanctorum. Et hoc eſt, quod dicit litera, ſcilicet quòd non apparebant vltra extrinſecùs: ipſum autem corpus arcæ non poterat videri ab exiſtentibus extra ſancta ſanctorum, ſiue eſſent propè, ſiue longè, & hoc quia arca erat magis intra ſancta ſanctorum, & non poterat patere per rimulam paruam trãſuerſalem, quæ erat inter parietem, & oſtium ſancti ſanctorum: iſtud colligitur magis, 2. Paralip. 6. vbi eſt litera clarior, & dicitur: Vectes autem arcæ, quia paulò longiores erant, apparebant ante oraculum. Si verò quis paululùm fuiſſet extrinſecùs, eos videre non poterat.

Qui & fuerunt ibi vſq; in præſentem diem, ſcilicet vectes cum ipſa arca manſerunt ibi, ſcilicet in ſancto ſanctorum vſque ad præſentem diem, id eſt vſque ad diem, quo ſcriptus fuit liber iſte, ex quo apparet, quòd liber iſte fuit magno tempore ſcriptus, poſtquàm facta ſunt hæc, alioquin non diceretur vſque in præſentem diem, quia non ſignificaret aliquid: fuit tamen ſcriptus liber iſte per Ieremiam, qui fuit magno tempore poſt fabricationem templi, ſcilicet tempore captiuitatis Babylonicæ, ideo poterat dicere iſtud. Et eſt ſenſus, quòd nunquàm fuit mota arca de loco ſanctuarij vſquequò Ieremias ſcripſit librum iſtum, & tamen mutata fuit viuente Ieremia, quia vel ipſe duxit eam in ſepulchrum Moyſi, ſicut habetur 2. Machab. 2. cap. vel ſaltem combuſto templo per Chaldæos perijt: quia totum templum exuſtum eſt, & dirutũ fuit vſque ad ſolum, & tunc viuebat Ieremias, quia ipſe fuit in Ieruſalem quando capta eſt, & deſcendit poſteà in Ægyptum cum illis Iudæis, qui manſerunt in terra Iudææ, vt patet Ierem. 39. vſq; ad 43.

In arca autem non eſt aliud, niſi duæ tabulæ lapideæ. Hic dicitur quid continebat illa arca, quæ erat in ſancto ſanctorum: Iſtæ tabulæ erant, in quibus erant ſcripta decem præcepta: in vna præcepta pertinentia ad Deum, & in alia præcepta pertinẽtia ad proximum.

Quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, ſcilicet in monte Sinai fuerunt poſitæ tabulæ iſtæ in arca, vt patet Exod.25. vocatur autem Horeb mons Sinai, quia idem ſunt.

Quando pepigit fœdus Dominus cum filijs Iſrael. Fœdus enim eſt quædam pactio mutua, qua quis obligat ſe alteri, & ille obligat ſe ei, ſic enim fuit in Deo, & Iſraëlitis, quia Iſraëlitæ promiſerunt Deo, quòd ſeruarent legem eius, & Deus promiſit, quòd benefaceret eis, & acciperet eos ſpecialiter in populum Exod.19. ſcilicet, ſi audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Iniebatur autem fœdus occidendo quædam animalia, & ipſi qui faciebant pactum, tranſibant inter illa, vt patet in pacto, quod Deus fecit cum Abraham: Gen.15. Aliter etiam fiebat interdũ, ſcilicet, quòd aſpergeretur ſanguis animalium occiſorum ſuper ipſos inientes pactum, ſic factum fuit hic: nam ad confirmationem legis occiſa ſunt animalia multa, & ſanguis aſperſus eſt ſuper populum, & quia Deus erat vnus de inientibus pactum, & non poterat ſuper ipſum fundi ſanguis, fuſus eſt ſuper altare, & ſuper librum legis loco Dei, vt patet Exodi 24. & magis ad Hebr.9. De iſto modo iniendi fœdus inter Deum & Iſraëlitas declaratum fuit ſatis Ioſue vlt.

Cùm egrederẽtur de terra Ægypti. ſcilicet iſtud fœdus fuit factum quando Iſraëlitæ exierunt de Ægypto, ſcilicet diebus ferè 50. poſt exitum de Ægypto. Nam exierunt de Ægypto die 15. menſis primi, vt patet Exod.12. & Nume.33. venerunt autem in montem Sinai prima die menſis tertij. Exod. 19. & poſt tres dies data eſt lex, vt patet ibidem, & ſic fuerunt quaſi 50. dies.

Quomodo dicitur hic, quòd in arca nihil erat, niſi duæ tabulæ lapideæ, cùm etiam Apoſtolus ponat vrnam auream, & manna, & virgam Aaron.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR quomodo dicitur hic, quod in arca nihil aliud erat, niſi duæ tabulæ lapideæ: nam ad Hebræ.9. Dicit Apoſtolus, quòd erant ibi tabulæ, & vrna aurea continens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat. De his etiam ſatis apparet; nam de tabulis habetur Exod.25. Cùm dicitur, quòd teſtimoniũ poneretur in arca, id eſt duæ tabulæ, quæ erant in teſtimonium legis datæ: de vrna mannæ patet Exo.16. De virga Aarõ patet Num.17. Erat etiã ibi Deutero-

nomium,

A

nomium, quod ſcripſerat Moyſes. Nam videntibus Iſraelitis poſitum eſt in arca. De hoc Deut.31. Scilicet, Tollite librum iſtum,& ponite illum in latere arcæ. Reſpondendum ſecundùm quoſdam, quòd in arca erant omnia iſta, quæ dicta ſunt,& tamẽ principaliter erant ibi tabulæ legis, eo quòd arca fuit facta principaliter, vt ponerentur ibi tabulæ, vt patet Exo.25. Quia cùm iuſſit Deus Moyſi fabricare arcã, dixit ei, Ponite in arca teſtimoniũ, quod dabo tibi, id eſt, tabulas. Et ad hoc fuit mẽtio facta ſolùm de tabulis. Aliter poteſt dici,& meliùs, quòd in arca ſolùm erant tabulæ: habebat tamẽ ipſa quãdam diuiſionem, quæ vocabatur latus arcæ: & in iſta erat virga Aaron,& vrna aurea cum manna, & Deuteronomium:& hoc ſatis patet Deutero.31. Scilicet, Tollite librum iſtum,& ponite illum in latere arcæ: illud autem latus non vocabatur arca. Apoſtolus autem accepit arcam largiùs, ideo dixit, quòd erant in ea tabulæ,& vrna,& virga Aaron. *Factum eſt autem.* Hic ponitur ſecundum, ſcilicet diuinæ præſentiæ inſignis apparitio: nam venit nebula, quæ oſtendebat Deum præſentem eſſe completis cæremonijs introductionis arcæ. *Factum eſt autem cùm exiſſent ſacerdotes de Sanctuario.* Introiuerant enim ſacerdotes in templum, vt ponerent arcam in ſancta Sanctorum, & tunc non erat aliqua nebula in templo: cũ verò exierunt impletũ eſt nube. *Nebula impleuit domum Domini.* Id eſt, Impleuit totũ templum, & etiam partes coniunctas in porticu,& atrio ſacerdotum. Fuit autem iſta nebula ad oſtendendum diuinam præſentiam: quia cùm ante hoc nulla nebula eſſet in templo, & ſubitò repletum eſſet nubibus, apparuit quòd Dei opere factum eſſet, quia non erat locus generationis nubium, aut nebulæ intra templum. Sic etiam factum eſt, quando conſummatum fuit tabernaculum Moyſi: nam nubes impleuit illud intus, & extra, ita vt non poſſet Moyſes ingredi tectum fœderis. Exod.40. Sic etiam erat ſuper arcam: nam ad oſtendẽdum gloriam Dei ſuper arcam in Sancta ſanctorum, apparebat ibi nubes. Leuit.16. Scilicet, In nube apparebo ſuper oraculum.

Apparitio inſignis præſentiæ Dei.

B

Quare impletum eſt templum nebula.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR quare Deus impleuit templum nunc nebula. Reſpondẽdum, quòd Salomon fecerat templum, in quo ſemper maneret arca Dei, & exhiberentur Deo cæremoniæ cultus, & quia Iſraelitæ neſciebant, an placeret Deo iſtud templum, & ipſi erant nimis Infideles, niſi viderent aliqua miracula: iuxta illud 1.ad Corinth.1. Scilicet, Iudæi ſigna petunt,& Græci ſapientiam quærunt: voluit Deus vt ſatisfaceret eis oſtendere, quòd ſibi placebat templũ iſtud: & ad hoc oſtendit ſignum acceptationis ſuæ per præſentiam ſuam in oſtenſione nebulæ iſtius ſupernaturaliter. Iſtum modum tenebat Deus ſemper cũ Iſraelitis, quia quando aliqd nouum faciebant, quod ad ipſum pertineret, oſtẽdebat illud ſibi placere. Sic patet de ſacerdotibus, quos conſecrari fecit, ſcilicet de Aaron,& filij eius: nam die primo, quo miniſtrauerunt venit ignis de cœlo, & conſumpſit ſacrificia eorum in ſignum, quòd Deus acceptabat illa. Leuit.9. Etiam quando conſummatum eſt tabernaculum Moyſi, in quo cultus Deo exhibendus erat, oſtendit ſe acceptare illud implendo nube intus, & extra, pendebatque ſemper per diem nubes ſuper tabernaculum, & per noctem pendebat ignis. Exod.40. Decuit igitur, quod nunc oſtenderet ſe acceptare templum iſtud, ædificatum ad honorem ſuum in aliquo ſigno ſenſibili.

C

Quare Deus apparuit in nube, & oſtendit ibi gloriam ſuam, potiùs quàm in aliquo alio ſigno. Et quòd diuerſimode apparuit Deus in Veteri, & Nouo Teſtamento.

QVÆSTIO VIII.

VLTERIVS quęretur quare Deus potiùs oſtendit gloriam ſuam in nube, quàm in aliquo alio. Reſpondendum, quòd iſtud fuit ad declarandum conditionem Veteris Teſtamenti, cuius erant cæremoniæ illæ, quæ fieri debebant in templo Salomonis. Nam Deus taliter ſe ſolet habere ad homines, quales ipſi ſunt. Fuit autem habitudo diuinæ præſentiæ, & manifeſtationis in Veteri Teſtamẽto duplex, ſcilicet, obſcura, & terribilis. In Nouo autem Teſtamento fuit manifeſta, & benigna, ſiue tractabilis. Ideo fuerũt neceſſariæ diuerſæ manifeſtationes, quantum ad modum in Nouo, & in Veteri Teſtamento: nam in Veteri apparebat Deus in nube, vel in igne. In nube quidem, vt eſſet apparitio occulta, quia nubes velat id, quod intus eſt. In igne autem, vt eſſet apparitio terribilis. Sciendum tamen, quòd quando Deus apparebat in igne in Veteri Teſtamento, non apparebat in igne claro, ſed in igne fumoſo, & operto caligine nubium, vt ex parte ignis eſſet apparitio terribilis, & ex conditione nubium eſſet obſcura, vt per hoc nihil cognoſcerẽt, & magis timerent. De primo patet: nam Deus apparuit in nebula facto tabernaculo Moyſi: & etiam conſummato templo Salomonis. Etiam apparebat in nebula ſuper arcam, de quibus dictum fuit ſuprà. Aliquando autem apparebat gloria Domini in aliquibus nubibus pulchris, groſſis tamen, vt nõ poſſet videri quid latebat, ſic fuit Exod.24. Scilicet, Viderunt Dominum, & ſub pedibus eius quaſi opus lapidis ſaphirini,& quaſi cœlum cùm ſerenum eſt. De ſecundo patet, nam in datione legis apparuit mons Sinai totus ardens, & opertus caligine, ita vt totus populus timeret, & etiam ipſe Moyſes. Exod.19.& Deuteron.4.& 5. Et vt nihil cognoſcerent Hebræi de eo, quod erat intra nubem, fuit ibi fumus groſſus,& caligo nimia. In Nouo autem Teſtamento præſentia Dei fuit tractabilis,& benigna, ſiue manifeſta. Et patet hoc de legiſlatione, nam fuit data lex Iudæis cũ tonitruis, & fulguribus, atq; lapidibus. Exod.19. Lex autem Euangelica fuit data in magna benignitate: nam Chriſtus aſcẽdit cum diſcipulis ſuis in monte, & aperiens os ſuum docebat eos de Regno Dei. Matt.5. Et ibi fuit principium dationis legis Euangelicæ. Etiam fuit iſta manifeſta, quia Apoſtoli viderunt Chriſtum, qui eis legem ferebat, ipſi autem Iudæi ſolam vocem loquentis audiebant,& nullam figuram viderunt. Deuteron.4. Scilicet, Cuſtodite ſolicitè animas veſtras, non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt Domin⁹ in Horeb de medio ignis. Fuit etiam manifeſta apparitio diuinæ præſentiæ in confirmatione legis Euangelicæ: nam Spiritus ſanctus apparuit in linguis igneis, ſeditq; ſuper Apoſtolos,& omnes alios, qui præſentes erant. Act.2. Et non erat ille ignis terribilis, ſed placidus, gaudebantque Apoſtoli videndo illum. Sic etiam fuit in transfiguratione Chriſti, vbi apparuit gloria maieſtatis Chriſti: nam ibi clarè viſus eſt Chriſtus,& Moyſes, & Elias loquentes cum Chriſto. Matth.17.& Marc.9. Et non conturbabantur diſcipuli videntes Chriſtum transfiguratum, ſicut timuit totus Iſrael, quando dabatur lex audita voce tubæ. Exodi vigeſimo. Et Deuteronom.5. Sed tantùm gauiſi ſunt, vt Petrus diceret ad Chriſtum: Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula. Matth.17. Iſtam differentiam timoris,& benignitatis inter legem Moyſi, & Euangelij oſtendit Apoſtolus ad Hebræ.12.dicens: Non enim acceſſiſtis ad tractabilem, & acceſſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam,& tubæ ſonum: & vocem verborum quam qui audiuerunt excuſauerunt ſe, ne eis fieret verbum: & ita terribile erat, quòd videbatur quòd Moyſes dixit exterritus ſum, & tremebundus. Hæc de lege veteri: & ſequitur immediatè de lege Chriſti, ſcilicet, ſed acceſſiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cœleſtem. Differentiam etiam occultationis, & manifeſtationis inter veterem, & nouam legem, quantum ad manifeſtationem, in noua, & occultationem in veteri demonſtrat Apoſtolus, 2.ad Corinthios 3. cùm dicit: Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, vt non intenderent filij Iſrael in faciem eius, ſed obtuſi ſunt ſenſus eorum: vſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non reuelatum, quod in Chriſto euacuatur: ſed vſque in hodiernum diem, cùm legitur Moyſes velamen eſt poſitum ſuper cor eorum: cùm autem conuerſus fuerit ad Dominum, auferetur velamen: nos verò reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformamur. Ad ſignificandum ergo ſtatum veteris Teſtamenti, quem iſti tunc habebant, debuit Deus potiùs apparere in nube, quàm in aliqua clara viſione. Nõ debuit aũt apparere in igne, quia ignis

D

E

Differentia ſimulgationis legis noua, & veteris

F

erat,

A erat, vt fieret vilio terribilis, & decuit ista apparitio in datione legis, vt Israelitæ timentes Deum terribiliter apparẽtem, non auderent facere contra legem. Quòd autem fieret ad hunc finem, patet Exod. 20. scilicet, Loquere tu nobis, & audiemus: nõ loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, & ait Moyses ad populum: Nolite timere, vt enim probaret vos Deus venit, & vt terror illius esset in vobis, & nõ peccaretis. Nunc autem non dabantur aliqua præcepta, ad quorum obseruationem necessarius esset timor, sed solùm ostendebat Deus se acceptare templum illud ad cultum suum; ideo debebat ostendere hoc in aliqua specie, quæ nullius timoris esset: sic enim fuit nubes. Ideo tam hic quàm in tabernaculo Moysi completo apparuit diuina acceptatio in nube, vt dictum est. Considerandum vlteriùs, quòd apparitio in nube aliquando fiebat ad occultandum aliquid specialiter, quod intra nubem latebat, aliquando autem solùm ad significandum statum illorum, quibus fiebat apparitio. De primo patet in datione legis: nam apparuit Deus in nube densissima, & fumo, & igne obscuro: & hoc, quia Angeli loquebantur ad populum dando legem, & non ipse Deus cùm non posset loqui, & quia illi assumebant corpora ad loquendum, quæ viderentur ab Israelitis, nisi velarentur nube oportuit, quòd esset ibi caligo magna, vt nõ viderentur qa si viderent Israelitæ coluissent eos, vt Deos. Quod aũt propter hoc non visi fuerint: patet Deute. 4. scil. Cauete solicitè, & custodite animas vestras: non enim vidistis aliquam similitudinem in
B die, qua locutus est Dominus in Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem. Sic etiam erat intra sancta Sanctorum super arcam: nam ibi apparebat Angelus loquens in assumpto corpore de aëre, vt declaratum est Exod. 25. & Leuit. 16. Et ne sacerdos magnus, videret illam effigiem intrans in sancta Sãctorum apparebat nubes super propitiatorium: & etiam sacerdos ferebat secum thymiama ardens, vt exhalante grosso vapore nihil videre posset super propitiatorium. Leuit. 16. Aliquando autem fiebat apparitio in nube non ad occultandum aliquid, quòd intra lateret, sed solùm ad signandum statum illorum, quibus fiebat apparitio esse obscurum: & sic fuit in apparitione ista, & etiam in completione Sanctuarij Moysi, vt suprà dictum est. *Et non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam.* Istud potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd nõ poterant sacerdotes stare intra templum, & ministrare ibi propter nebulam, quæ impleuerat totum templum: & tunc ministratio sacerdotum erit illa, quæ fit in templo: ista autem erat duplex solùm, scilicet, incendere thymiama in aurora, & vespere super altare thymiamatum: & disponere lucernas in candelabris, vt patet Exod. 30. Cæteræ autem ministrationes fiebant extra templum in atrio sacerdotum. Alio modo potest intelligi, quòd sacerdotes non possent stare in atrio suo ministrando, eo quòd nebula non solùm impleuerat domum templi, sed etiam porticum eius, &
C atrium sacerdotum, & omnia, quæ in circuitu erãt pertinentia ad ministrationem sacram, & tunc intelligetur quòd sacerdotes offerebant sacrificia in atrio, nec poterant illa complere propter nebulam. Iste sensus est verior quàm primus. Quod patet, quia suprà dicitur, quòd cùm sacerdotes egrederentur de Sanctuario, nebula impleuit domum Domini: ergo nunc quando ministrabant, non erant intra templum. Secundò patet, qa dicitur, quòd non poterãt sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam: & tamen intra templum vnicus sacerdos ministrabat, quia ibi solùm cremabatur thymiama, & parabãtur lucernæ, quæ vnicus sacerdos faciebat, vt patet Exo. 30. scilicet, Adolebit incensum super eo Aaron, quando cõponet lucernas incendet illud: & quãdo collocat eas ad vesperum. Etiam patet, quia Zacharias pater B. Ioannis introiuit solus in templum ad cremandum thymiama, quando apparuit ei Angelus, & factus est mutus, vt colligitur Luc. 1. Erant ergo sacerdotes isti in atrio facientes sacrificia, vbi omnes sacerdotes simul erant, & multi ministrabant. *Impleuerat enim gloria Domini domũ Domini.* Vocatur gloria Domini ipsa nubes, vel nebula, quæ ostendebat præsentiam Dei: nam non poterat aliter apparere illa nebula subitò in templo, cũ in nullo alio loco esset, nisi ex operatione Dei: & vocatur gloria, id est, maiestas, vel apparatus: quia in omni loco Deus est: tamen non vbique ostendit similem imaginem præsentiæ suæ. Aliqui dicunt, quòd ista nebula apparens erat nimis lucida, sicut fuit illa nubes, quæ apparuit, quando Christus transfiguratus est. Matth. 17. Et ob hoc volunt, quòd tanta erat magnitudo lucis huius, quòd non poterant sacerdotes aliquid videre, eo quòd magna lux retundit intuitum. Sed hoc non stat, quia ista nubes vocatur caligo, vt patet 2. Paralip. 5. scilicet, Nec possent sacerdotes stare, & ministrare propter caliginem. Item patet ex dictione Hebraica, quæ ponitur hic, quæ significat caliginem. Sed aliqui dicunt, quòd erat ista nubes ex vna parte lucida, & ex alia tenebrosa, sicut fuit illa nubes, quæ fuit inter Israelitas, & Ægyptios: nam erat obscura, & illuminans noctem, scilicet, ex parte Israelitarum illuminabat, & ex parte Ægyptiorum offuscabat. Exod. 14. Sed hoc non oportet poni, cùm tam litera nostra, quàm Hebræa vocet istam nebulam caliginem, & non est aliqua necessitas ponendi eam fuisse lucidam. *Tunc ait Salomon: Dominus dixit, vt habitaret in nebula.* Id est, Dominus promisit, quòd habitaret in obscuritate: vbi autem Deus hoc dixerit, non apparet: ideo quidam dicunt, quòd Deus non dixit hoc verbo, sed opere: & erit sensus: Deus dixit, vt habitaret in caligine, id est, Deus disposuit ostendere præsentiam suam per caliginem. Alij autem dicunt, quòd hoc dictum est Leuit. 6. Cùm dictum fuit ad Moysen: in nube apparebo super oraculum. Sed non stat, quia ibi solùm intelligitur de nubecula quadam, quæ apparebat intra sancta Sanctorum super propitiatorium, vt colligitur ibidem ex litera. Dicendum igitur, quòd licèt Deus hoc dixerit, tamen non apparet, vbi dixerit, sicut multa alia referuntur in scriptura fuisse dicta, & tamen non apparet locus, vbi originariè dicta fuerint. *Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum firmissimum, & solium tuum in sempiternum.* Ista omnia sunt verba Dei ad Salomonem: & fortè dicta fuerunt ista Salomoni à Deo, quando apparuit ei cùm ædificaretur templum, suprà 6. Vbi dixit, quòd si ambularet in vijs eius, habitaret Deus in medio Israelitarum, & tunc fortè dixit de habitatione in nebula, quanquàm scriptura ibi non expressit, & dicit: Ædificaui tibi domum in habitaculum firmissimum, id est, dedi tibi progeniem firmissimam, scilicet, vt filij tui firmiter regnent post te, nec amoueatur posteritas tua de regno, sicut amota fuit posteritas Saulis. Hoc promisit Deus præcedenti libro, cap. 7. Et dicitur solium tuum in sempiternum, scilicet, si tu, & filij tui non peccaueritis, suprà 6. Vel fit promissio absoluta: quia dato, quòd peccarent Salomon, & posteri sui, non erat auferendum regnum omninò de posteritate Salomonis, vt declaratum est eodem cap. *Conuertitq; Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel.* Scilicet, Ante hoc erat conuersus Rex ad templum orando, & nunc conuertit vultum suum ad populum, qui erat post ipsum, & benedixit toti Ecclesiæ, id est, toti multitudini. Benedicere enim est bona imprecari, vtpotè si Salomon diceret: Deus det vobis talia, & talia bona. *Omnis enim Ecclesia Israel stabat.* Id est, Totus populus stabat ante templum attendens, quid loqueretur Salomon. *Et ait Salomon benedictus Dominus Deus Israel.* Scilicet, Laudetur nomen eius, quia fecit bona quæ sequuntur. *Qui locutus est ore suo ad Dauid patrem meum.* Ista locutio est de promissione, quam Deus fecit Dauid, quòd regnarent posteri eius post eum, & quòd filius eius ædificaret templum, præcedenti libro, cap. 7. & 1. Paralipomenon 22. Et dicitur ore suo locutus est ad Dauid, id est, per Prophetas suos: nam per Nathan Prophetam reuelata fuit Dauid ista promissio, vt patet præcedenti libro, cap. 7. Sed dicitur ore suo, quia ita est verum, quod Deus per Prophetas loquitur, sicut si per seipsum loqueretur: ipse tamen per se loqui non potest. *Et in manibus eius perfecit.* Id est, Deus perfecit per manus Dauid id, quòd promisit ei. Et in hoc laudat Deum, tanquàm sit verax in promissis, quia sicut promisit ita compleuit: & intelligitur de ista ædificatione templi, quia Deus promisit, quòd filius nasciturus de Dauid ædificaret templum: & nunc completum erat. *Dicens, à die qua eduxi populum meum Israel de Ægypto.* Ponitur ista dies, quia ista fuit principium populi Israel. Nam ante hoc non erat populus, sed serui Ægyptiorum, serui tamen nec per se faciunt populum, nec sunt pars populi, vt declaratum est suprà 6. *Non elegi ciuitatem de vniuersis tribubus Israel, vt ædificaretur domus, & esset nomen meum ibi.* Scilicet, Nullam aliam

Gloria Domini vocabatur nubes.

D E F

vrbem

A vrbem elegi, nisi nunc Ierusalem: istud subticetur hic, & exprimitur, 2. Paralipomenon 6. Scilicet, Elegi Ierusalem, vt sit nomen meum in ea. Sed obijcietur, quòd elegerit Deus alias vrbes: quia Moyses dixerat Deutero. 12. Quòd Israelitæ non offerrent sacrificium in omni loco, quem viderent, sed in eo, quem elegerit Dominus in vna tribuum tuarum: Israelitæ tamen locauerant tabernaculum in multis locis, scilicet in Silo, Nobe, Gabaon, & non peccauerant in hoc: cùm totus Israel faceret istud, & Prophetæ consentient, ergo Deus elegerat ante hoc aliquas vrbes. Respondẽdum, quòd Deus elegerat aliqua loca, in quibus celebraretur cultus suus, & esset ibi tabernaculum, sed non elegerat aliquam vrbem ad hoc, vt ædificaretur ei ibi templum, sicut fuit nunc ædificatum in Ierusalem, & hoc signat litera, dicens: Non elegi ciuitatem, vt ædificaretur ibi mihi domus. *Sed elegi Dauid, vt esset super populum meum Israel.* Dupliciter potest intelligi. Vno modo elegi Dauid, id est, non solùm ipsum elegi in Regem, sed etiam elegerat prius Saulem: sed intelligitur quod elegit eum in Regem, & vt esset pater eius, qui ædificaturus erat templum. Secundo modo intelligitur, quòd Deus elegit Dauid in Regem, scilicet, quòd ante eum nullum elegerat: nam licèt fuerit Saul Rex, tamen Deus non elegit eum, vt esset Rex: quia non elegit eum, vt maneret posteritas eius: ipsum autem Dauid elegit, vt maneret posteritas eius semper in Regno. Hoc significauit Dauid loquens ad Michol, præcedenti lib. cap. 6. Scilicet, Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum, & omnem domum eius, & tamen Deus acceperat Saulem in Regem, sed non permanenter: ideo dicebatur non electus. *Voluitq; Dauid pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel.* Istud voluit Dauid in principio Regni sui, super B Israel: & consuluit super hoc Nathan Prophetam, sed Deus dicit, quòd non ædificaret, præcedenti libro, cap. 7. *Et ait Dominus ad Dauid patrem meum.* Scilicet, Per Nathan Prophetam, vbi suprà. *Quod cogitasti in corde tuo ædificare domum nomini meo, benè fecisti ipsum mente pertractans.* Ista fuerunt verba Dei ad Dauid per Nathan, & non exprimuntur præcedenti libro, cap. 7.

Nõ elegit Deꝰ aliquã vrbem nisi Ierusalẽ, in qua ædificaretur tẽplum

Quomodo Dauid poterat mereri volendo contrarium eius, quod Deus volebat. Et in quo sit meritum.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quomodo poterat Dauid benè facere volendo contra id, quod Deus volebat: Deus tamen dicit, quod meruit. Respondendum, quòd mereri consistit in volendo facere aliquod bonum propter Deum, & ex charitate: ista tria sunt semper necessaria in ratione meriti. Dauid autem voluit facere bonum, scilicet, ædificare templum, quod bonum erat, etiam ad bonum finem, scilicet, ad augmentandum cultum Dei: etiam ex charitate hoc voluit, quia erat tunc vir valdè deicola, ideo meruit. Quòd autem Deus vellet illud, vel non, per accidens est, & ignotum nobis, ideo nihil minus meretur qui bonum vult, quod est contra voluntatem Dei, quàm qui vult bonum, quod C Deus vult. Item non solùm volens bonum contra voluntatem Dei, quam ignorat meretur: sed etiam qui vult bonum contra voluntatem Dei, quam scit: nam non tenemur velle omnia, quæ Deus vult, quia Deus vult quædam, quæ si nos vellemus, contra charitatem ageremus, ideo non tenemur conformari ei in volito, sed in modo volendi, vt sunt exempla vulgaria. De Dauid autem dicendum, quòd non solùm meruit volendo ædificare templum, antequàm sciret voluntatem Dei esse contrariam, sed etiam postquàm reuelatum est, merebatur desiderando idipsum, & dolendo aliqualiter, quòd Deus prohiberet eum ædificare: licèt non debebat Dauid iam aggredi ædificationem templi, quia licèt desideranda esset, quia bona erat; tamen non erat iam agenda, quia vetita erat. Dicitur quòd Dauid benè egit cogitans ædificare templum, id est, deliberans, quia in sola cogitatione non est meritum, cùm adhuc sit inuestigatio incerta. Hoc significatur clariùs, 2. Paralipomenon 6. Scilicet, Quia hæc fuit voluntas tua, vt ædificares domum nomini meo, benè quidem fecisti, habens huiusmodi voluntatem. *Veruntamen tu non ædificabis mihi domum.* Non repulit Deus Dauid ab ædificatione, tanquàm indignum: quia valdè dignior erat Salomone, sed quia erat occupatus bellis, & non poterat vacare ædificationi. Causa autem verissima declarata est suprà 5. Salomon autem iussus est ædificare, eo quòd in tempore suo erat futura pax continua. *Sed filius tuus, qui egredietur de renibus tuis.* Dicitur filius egredi de renibus, id est, de lumbis, quia vasa seminaria sunt alligata lumbis, ex quibus defluit materiale omnis generationis. Ex hoc patet, quòd Absalom, Adonias, Ammon, & alij filij Dauid non poterant ædificare domum Domino, quia hic dicitur: Qui egredietur de renibus tuis: & tamẽ illi iam egressi fuerant, quando dicta sunt ista verba. Quod patet, quia de generatione eorum habetur præcedenti libro, cap. 3. Et geniti sunt dum Dauid regnaret super Iudam: verba autem hæc dicta sunt ad eum, dum regnaret super totum Israel, eodem lib. cap. 7. *Ipse ædificabit domum nomini meo.* Scilicet, Faciet templum. D

An si quis post Salomonem tentasset ædificare templum, peccasset.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, si aliquis alius conatus fuisset ædificare templum Domino, an peccaret. Respondẽdum, quòd aut vellet ædificare: postquàm Salomon ædificasset, aut prius. Si posteà, dicendum, quòd peccaret dupliciter. Primò, quia constituebat diuersa loca cultus Domini, & tamen Deus iusserat in vnico altari offerri sacrificia. Leuit. 17. Et patet magis Iosue 22. Vbi dicitur, quòd nefas erat facere aliud altare ad immolandum, quàm illud, quod erat in Sanctuario Domini: si tamen essent duo templa, essent duo altaria: esset igitur pugnandum modo hostili contra istum, qui conaretur ædificare aliud templum, sicut nouem tribus, & dimidia voluerunt pugnare contra duas, & dimidiam, cùm fecissent altare: putantes, quòd fecissent ad immolandum. Iosue 22. Secundò peccaret, quia agebat contra voluntatem Dei determinatam. Nam Deus dixerat, quòd Salomon ædificaret templum, & postquàm ædificatum est, approbauit illud præsentia sua in nebula, vt patet suprà. Ideo faciens contra hoc esset manifestus hostis Dei. Si autem facere conaretur ante ædificationem templi Salomonis: aut hoc esset, antequàm reuelaretur, quòd Salomon ædificaturus erat templum mandato Dei, vel postquàm reuelatum est: si primo modo, non peccaret, licèt in hoc distinguendum est, quia aut iste, qui conaretur ædificare esset persona priuata, aut publica, sicut Rex, vel Princeps totius Israel. Primo modo peccatũ erat, quia non erant in Israel futura multa templa, sicut inter nos sunt multæ Ecclesiæ, sed vnicum: & istud debebat fieri auctoritate totius populi; ideo si persona priuata vellet ædificare templum modo priuato, peccaret. Secùs autem si fortè ipse, tanquàm dines vellet ministrare loco totius populi expensas pro ædificatione Sanctuarij. Si autem esset persona publica, vt Rex; quia ille videbatur gerere vicem totius populi, non peccaret volendo ædificare, sed potiùs mereretur: & sic fuit de Dauid, qui antequàm Deus aliquid determinaret de ædificatione eius, deliberauerat ædificare, & Deus dixit, quòd merebatur. Si autem conaretur aliquis ædificare templum, postquàm erat promulgatum, quòd Deus iussisset hoc fieri per Salomonem, peccaret: quia ageret expressè contra mandatum Dei: & ob hoc Dauid non ædificauit, quamquàm proposuisset: quia Deus reseruauerat hoc pro Salomone. E F

Salomon si non ædificasset templum, peccasset.

QVÆSTIO XI.

VLTERIVS quæretur, an Salomon peccaret, si non ædificaret templum. Respondendum, quòd verba dicta ad Dauid de ædificatione futura per Salomonem, non solùm erant prophetia, sed etiam præceptum; ideo tenebatur Salomon ad illa: & quia erat istud præceptũ affirmatiuum tenebatur pro loco, & tempore, scilicet, quàm citiùs

A haberet opportunitatem inciperet ędificare. Item patet, quia tenebatur Salomon obedire prȩceptis honestis patris sui: pater tamen iussit ei, & hortatus est valdè, quòd ædificaret templum, & parauit ei ad hoc omnes expensas, vt patet 1. Paralipomenon 22. & 28. Ideo tenebatur ædificare. Sed dicetur quomodo tanto tempore, quo Israelitæ steterant in terra promissionis nullus conatus fuerat ædificare templum Domini: cùm tamen essent multi viri boni temporibus his. Respondendum, quòd nullus hoc fecit, eo quòd Deus nulli dixerat, quòd ædificaret ei templum, vt patet præcedenti libro, cap. 7. Scilicet, Nunquid loquens locutus sum ad vnam de tribubus Israel, cui præcepi, vt pasceret populum meum, dicens: quare non ædificasti mihi domum cedrinam? Israelitæ autem expectabant diuinam iussionem ad hoc: ideo nullus conabatur ædificare templũ. Deus autẽ mouit Dauid ad volendum hoc; non quidem, vt ipse ædificaret, sed quòd cùm prohiberetur ei ædificatio, prædiceretur de filio suo, quòd ædificaturus esset, & sic incitaretur Dauid ad parandum expẽsas pro ædificatione, vt faciliùs ædificaret Salomõ, & sic fecit: nam omnes impensas parauit, vt patet 1. Paralipomenon 22. *Et confirmauit Dominus sermonem suum quem locutus est.* Istud intelligitur, quantum ad successionem in Regno, & ædificationem templi, quia vtrumque prædixerat Deus de Salomone, & vtrumq; compleuerat, ideo erat verbũ suũ confirmatum. *Stetiq; pro Dauid patre meo.* Hic exprimitur particulariter cõfirmatio verbi Dei, scilicet, steti pro patre meo, id est, fui successor eius in Regno. *Et sedi super thronum Israel.* Id est, Factus sum Rex totius Israel. *Sicut locutus est Dominus.* Scilicet, Præcedenti libro, cap. 7. *Et ædificaui domum nomini Domini Dei Israel.* Scilicet, Ædificaui templum non pro Deo: quia ipse non potest morari in eo, sed pro nomine Dei, scilicet, vt inuocetur ibi nomen Domini, dicẽdo, ista est domus Dei. Etiam vt de ipso loco fundantur orationes ad Dominum. *Et constitui ibi locum arcæ.* Scilicet, Sanctum sanctorum, quod erat quædam domus quadrata viginti cubitorum in longitudine, & totidem in latitudine, & totidem in altitudine: de cuius fabricatione patet suprà 6. & vocatur locus arcæ: quia intra domum illam nihil erat, nisi arca, & duo magni Cherubim de lignis Oliuarum obumbrantes eam alis suis. *In qua fœdus est Domini.* Id est, In arca sunt duæ tabulæ legis, quæ vocantur fœdus Domini, de quo suprà in litera declaratum est. *Quod percussit cum patribus nostris.* Scilicet, Cum prædecessoribus, qui erant apud montem Sinai, quando data est lex. *Quando egressi sunt de terra Ægypti.* Scilicet, Ferè 50. diebus factum est istud fœdus post exitũ de Ægypto, vt suprà dictũ fuit. *Stetit autem.* Hic ponitur tertiũ huius cap. scilicet, Salomonis oratio: & diuiditur in septem partes, secundum quod continet septem petitiones. Secunda ibi. *Si peccauerit.* Tertia ibi. *Si fugerit.* Quarta ibi. *Si clausum fuerit.* Quinta ibi. *Fames si oborta.* Sexta ibi. *Insuper, & alienigena.* Septima ibi. *Si ingressus fuerit.* Prima in tres, primò ponitur Salomonis deuota dispositio: secundò gratiarum actio ibi. *Domine Deus Israel.* Tertiò de futuris petitio ibi. *Nunc igitur Domine.* Circa primũ dicitur. *Stetit autem Salomon ante altare Domini.* Intelligitur de altari holocaustorum, quod erat extra templum in atrio sacerdotum. Etiam non est intelligendum, quòd Salomon esset intra atrium circa altare, quia cùm esset Salomon laicus non licebat ei introire in atrium sacerdotum, sed stabat in atrio laicorum, quod erat coniunctum atrio sacerdotum; & ex ipso loco respiciebat directè altare holocaustorum: & sic orabat contra Occidentem. Quòd autem esset Salomon in atrio laicorum, patet 2. Paralipomenon 6. Cùm dicitur, siquidem fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio basilicæ, stetitque super eam: basilica tamen erat atrium laicorum distinctum ab atrio sacerdotum, vt patet eodem lib. cap. 4. scilicet, Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem, id est, atrium laicorum. Sciendum autem, quòd Salomon volẽs loqui audiente toto populo fecit basim æneam ad modum cathedræ, vel lapidis alti habentem quinque cubitos longitudinis, & totidem latitudinis, & tres altitudinis, & flexis genibus stetit super eam, 2. Paralipomen. 6. *In conspectu Ecclesiæ Israel.* Id est, Coram toto populo. *Et expandit manus suas in cœlum.* Iste modus orandi est valdè approbatus: nam Salomon nunc orauit extendens manus in cœlum. Apostolus etiam 1. ad Timoth. 2. Introducit istum modum, dicens: Volo ergo viros orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, & disceptatione. Conuenit autem iste modus valdè orationi, quia oratio est assensio mentis in Deum in vocem prorumpens. Ideo sic ad exprimendum illam assensionem mentis conuenit esse vocem: ita etiam conuenit manus eleuari ad Deum, vt signetur totam spem nostram, & desiderium ad Deum esse. *Et ait: Domine Deus Israel.* Hic ponitur secundum, scilicet, gratiarum actio, & laudatur Deus in his. *Non est similis tui Deus in cœlo desuper, nec in terra deorsum.* Scilicet, Nullus Deus est præter te, ideo nullus est tibi similis. Vel aliter, quia gentes putabant esse plures Deos, dicit Salomon, quod de illis, qui putabantur Dii à Gentilibus, nullus erat Deo æqualis. Nam quidam putabant Solem esse Deum, aut gyrum stellarum, alij ignem, alij aërem, & similia. Sapien. 13. Et tamen nullus istorum Deo similis erat in potentia. Et dicitur in cœlo sursum, aut in terra deorsum, quia Gentiles partim ponebant Deos in cœlo, & partim in terra vocantes Deos cœlestes selectos, id est, valdè electos, de quibus constituebant plurima astra. Alij autem erant Dij in terra, qui vocantur à Poëtis Satyri, & Fauni, & rustica numina, & nymphæ, vt ponit Ouidius primo Metamorph. De quibus erant Dij montium, & Dij vallium, & segetum, & camporum, vt dicitur infrà vigesimo. Cùm dixerunt Syri de Deo Israel: Dij montium sunt Dij eorum, & ibi declarabitur de istis. Ad excludendum ergo omnes istos dixit tam in cœlo, quàm in terra. *Qui custodis pactum, & misericordiam seruis tuis.* Pactum quod Deus fecit cum Israelitis erat, quòd acciperet eos in populum peculiarem de cunctis gentibus, & benefaceret eis, plusquàm alijs hominibus, si ipsi custodirent præcepta eius. Exodi 19. Et hoc custodiebat semper Deus, quia quando Israelitæ erant boni, conferebat eis Deus bona multa, & non permittebat noceri eis ab aliqua gente. Dicitur Deus custodire misericordiam, quia vltra bona, quæ promittit, confert multa diligentibus se, & ista sunt ex misericordia, & non ex pacto. *Qui ambulant coram te in toto corde.* Scilicet, Si quis sequatur Deum ex toto corde suo, seruat Deus pactum benefaciendo illi, alioquin infligit mala multa, de quibus Leuitici vigesimosexto, & Deuteronomij vigesimo octauo, dicitur ambulare aliquis in toto corde, quando non sequitur Deum ex parte, & idola ex parte: sicut faciebant Samaritani, sequenti libro, capit. decimoseptimo, Scilicet, Fuerunt gentes istæ timentes quidem Dominum, sed nihilominùs idolis suis seruientes, hoc euitare volebat Elias, dicens: Quousque claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum. Non potest autem aliquis dignè Deum colere, si partim idola colit: sic dixit Samuel ad Israel, suprà primo libro, capitu. septimo. Scilicet, Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri Baalim, & Astaroth, & præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli. Vel dicitur ex toto corde, id est, ex totis viribus, & desiderio: ita vt nihil ex negligentia amittatur de cultu Dei, & sic dicitur Psalmo primo: De viro beato: In lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. *Qui custodisti seruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei.* Scilicet, Promisit quòd de filijs suis futurus esset Rex: & quòd ille ædificaret templum, & istud completum erat. *Ore locutus es.* Scilicet, Per Prophetas tuos. Nam per Nathan dicta sunt hæc, præcedenti libro, capit. septimo. *Et manibus perfecisti.* Scilicet, Compleuisti dictum tuum. Et dicitur manibus perfecisti, non quòd Deus manus habeat, sed ad similitudinem nostram, cùm sit manus organum, maximè operatiuum, dicitur omne quod fit manibus fieri. *Vt & hac dies probat.* Id est, Hodiè apparet veritas promissi tui, quia iam ego factus sum Rex, & templum ædificatum est. *Nunc igitur Domine.* Hic ponitur tertium, scilicet, de futuris petitio. *Conserua famulo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei.* Deus enim promiserat Dauid tria. Primum, quòd de filijs suis esset Rex. Secundum, quòd ille, qui succederet ei, ædificaret templum. Tertium, quòd nunquàm deficerent Reges de domo Dauid, vt patet præcedenti libro, capit. septimo. Duo istorum compleuerat Deus. Et de his dicitur suprà: Qui custodisti seruo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei. Tertium supererat complendum,

B

C

Salomonis oratio.

D

E

F

scili-

A

scilicet, quòd nunquàm deficeret regnum de domo Dauid: & pro ista orauit nunc Salomon, & dixit: Conserua famulo tuo Dauid patri meo: & non dixit, conserua mihi propter duo. Primum, quia promissio facta fuerat Dauid, & non Salomoni: Ideo non poterat Salomon petere, quòd Deus conseruaret ei, quæ promiserat sibi. Secundum est, quia Dauid erat sanctior Salomone: ideo credidit, quòd propter eum compleret Deus promissa, potiùs quàm propter Salomonem. Sic enim orabant antiqui viri sancti, per merita aliorum Sanctorum, qui præcesserant, sicut orauit Moyses per merita Abrahæ, Isaac, & Iacobi. Exod.32. Licèt ipse Moyses esset vir sanctus.

Dicens non auferetur vir de te. Id est, De stirpe tua. *Coram me, qui sedeat super thronum Israel.* Id est, Semper erit aliquis de stirpe tua, qui sedeat in throno regali. *Ita tamen si custodierint filij tui viam suam, vt ambulent coram me.* Id est, Ista promissio fuit cum conditione, scilicet, quòd filij Dauid sequerẽtur legem Dei, & ita nunc orabat Salomon cum ista conditione impleri promissionem Dei.

Sed obijcietur, quòd non fuerit aliqua conditio, quia præcedenti libro, capitulo septimo, dicitur, quòd etiamsi filij Dauid derelinquerent legem Dei, non auferret ab eis misericordiam suam, id est, regnum, sicut abstulit à Saule. Respondendum, quòd circa firmitatem regni posterorum Dauid erant duo. Primum erat, quòd nunquàm auferretur regnum filijs Dauid vsque ad magnum tempus, sed semper essent Reges de eis, siue magni, siue parui. Secundum erat, quòd filij Dauid semper regnarent super totum Israel, & non susciperent aliquam aduersitatem. Primum istorum erat sine conditione: ideo etiam si peccarẽt filij Dauid, non auferretur eis regnum in totum: & de hoc intelligitur, quod habetur præcedenti lib. cap. 7. Secundum erat cum conditione, & quia filij Dauid non tenuerunt conditionem, non mansit regnum super totum Israel in posteris Dauid: sed fuit diuisum mortuo Salomone, infrà 12. De isto autem secundo loquitur hic Salomon: quod patet, quia dicitur, Non auferetur vir de te, qui sedeat super thronum Israel, id est, sit Rex super totum Israel. Et dicitur, Si custodierint filij tui viam suam, id est, si custodierint operationes suas à peccato: quia operatio hominis vocatur via eius. *Sicut tu ambulasti in conspectu meo.* In hoc Deus laudabat ipsum Dauid. Sed dicetur quomodo dictum fuit hoc Dauid, quia ipse peccauit grauiter in morte Vriæ, & adulterio Bethsabe? præcedenti libro, cap. 11. Peccauit etiam numerando populum, eodem lib. cap. vltimo. Respondendum, quòd quando Deus ista dixit de Dauid nondum peccauerat, quia ista dicta sunt, præcedenti libro, cap. 7. Peccata autem Dauid fuerunt postea, eodem libro, cap. 11. & vltimo. *Et nunc Domine Deus firmentur verba tua.* Scilicet, Quòd filij sui sedeant super thronum totius Israel in æternum. Et orabat hoc Salomon sub conditione illa: quia fortè poterat esse, quòd etiamsi filij Dauid non peccarẽt, Deus non daret eis tanta bona. Vel fortè orat Salomon, vt Deus det spiritum omnibus filijs Dauid custodiendi præceptum Domini. *Ergo ne putãdum est, quòd verè Deus habitet super terram.* Hic Salomon tollit falsam opinionem quorundam, qui putabant, factum fuisse templum, vt Deus habitaret in eo: ipse autem dicit, quòd non fecit ad hoc, quia non est credibile, quòd Deus habitet super terram; ideo stultum esset facere ei mansionem. Sed obijcietur, quia Deus vbique est, ideo in terra habitat, & etiam in templo Salomonis cùm esset quædam pars terræ. Respondendum dupliciter: primò, quòd Deus non potest habitare in terra, nec in aliquo loco, quia habitare est in aliquo loco manere ad conseruationem manentis ab incommodis, & sic habitatio introducta est propter necessitatem, iuxta illud: Initium vitæ hominis, panis & aqua, & domus. Eccles. 29. Deus autem est aliquid incorporeum non potens locari. Etiam non potest pati aliquid nociuum, sicut res corporales: ideo non potest propriè habitare in domo, sed largissimè. Ideo dicitur hic: ergo ne putandum est, quòd Deus verè habitet super terram? quasi dicat, largè sumendo super terram habitat. Secundò dicendum, quòd aliquid dicitur habitare in loco illo, in quo clauditur: & ob hoc domus vndiq; clausa est. Isto modo non poterat fieri Deo habitatio, quia Deus non capi potest in tota terra, ergo à fortiori nõ poterit capi in vna domo. Istam solutionem secundam tenet Salomon in litera, dicens; si cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minùs domus hæc, quam ædificaui? non tamen ex hoc negandum est Deum habitare super terram, quia in tota terra est cùm nullus sit locus, cui desit diuina præsentia. *Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc quam ædificaui?* Satis concludit ratio, quia terra respectu cœli obtinet vicem puncti, vt satis demonstratum est ab omnibus Astrologis: & probat illud Ptolomæus in 1. parte Almagesti: ideo si cœlum quod est quasi immensæ quantitatis non potest capere Deum, à fortiori terra nõ capiet eum. Et propriè dicitur te capere non possunt: quia licèt nihil est quòd Deũ capiat quantumcunq; sit magnũ, nihil erit in quo Deus non sit quantumcunq; sit paruum. Ratio diuersitatis est, q a Deus non est ens corporeum, occupans aliquam magnitudinem: ideo in quantumcunq; re parua poterit capi: immò in puncto, qui indiuisibilis est capitur. Nam Deus magis propriè indiuisibilis, quàm punctus: quia res est diuisibilis, secũdùm quod est magnitudo: est autem indiuisibilis, inquantum recedit à natura magnitudinis; quod ergo magis recedit à conditionibus magnitudinis, est magis propriè indiuisibile. Sic est de Deo, & puncto: nam punctus licèt secundùm substantiam non sit magnitudo, tamen habet quandam conditionem magnitudinis, inquantũ punctus nũquàm est sine magnitudine, & habet positionem in illa: Deus autem nec secũdùm substãtiam est magnitudo: nec etiam habet aliquam colligationem ad magnitudinem, sed omninò est absolutus: ideo in quocunq; puncto assignato Deus totus est; immò, si possibile esset, fore mille Deos vel infinitos, omnes caperentur in puncto, scilicet quòd substantia eorum tota ibi esset. Secunda pars est, quòd omnia simul sumpta non capiunt Deum: nam si omnia simul Deum caperent, si adderetur aliqua pars vniuerso, iam Deus non posset esse in illa, eo quòd non poterat se extendere extra suam naturalem magnitudinem. Quòd autem Deus in omnibus sit, non est accipiendum ex sua extensione, sicut magnitudines extenduntur, sed ex sua illuminatione, quia esse hic, & non esse ibi prouenit ex aliqua limitatione essendi: Deus autem omninò est illuminatus propter infinitatem essentiæ; ergo vel in nulla re est, vel erit in omnibus simul, & etiam extra omnia. Declaratur hoc, quia in magnitudinibus limitatur locus rei per terminos quantitatis suæ, scilicet, per terminos exteriores: & quantum ad hoc necesse esse corpus quodcũq; est hic, & nõ alibi: nisi fortè sit infinitum in quantitate, cuius nullus sit terminus claudens. Isto modo Deus, vel quæcunq; res spirituales nõ possunt locari in vno loco, vel in multis, eo quòd non habent terminos magnitudinis, per quos sint hic, & nõ ibi, nec habent infinitam magnitudinem, per quam omnia occupent. In rebus autem spiritualibus non potest accipi esse hic, vel ibi modo prædicto: sed accipitur secundum limitationem essentiæ, & virtutis. Nam sicut magnitudo per suos terminos coaptatur huic loco, & non maiori, nec minori; ita substantia spiritualis per diffusionem virtutis suæ coaptatur toti illi spacio, in quo operatur: & sic dicimus animam esse in toto corpore, quia in toto operatur, licèt non sit coextensa corpori. Dicimus etiam esse Angelum in toto illo spacio; in quo operatur, vel operari potest: & quia anima sic operatur in corpore, & non extra, dicimus animam esse solùm in corpore: & quia Angelus propter limitationem virtutis suæ potest extendere eam ad istam magnitudinem spacij, & non ad maiorem, dicetur aliquis Angelus esse hic, & non alibi. Deus autem non est limitatus, quantum ad virtutem, quia est infinita potestas eius: ideo sicut est hic, ita etiam est alibi: ex hoc autem sequitur, quòd Deus non possit comprehendi in omnib⁹ rebus simul sumptis, ideo quòd sit in omnibus, & extra omnia; quia omnia, quæ sunt, finita sunt: virtus aũt Dei infinita est; ideo nõ solùm potest applicari his rebus, sed etiam quibuscũq; alijs, si crearẽtur vsq; ad infinitam magnitudinem. Ex hac autem illimitatione Dei in essendo, sequitur illimitatio eius in tempore. Nam quælibet alia res est limitata in essendo, eo quòd non est totum esse, sed quædam portio ipsius esse, ideo ponitur in genere, & specie, quæ dicunt limitatas portiones essendi: Deus autem est totum esse, eo quòd est purum esse, ideo impossibile est eum esse in aliquo genere, vel specie, quia tunc Deus non esset totum esse,

B

C

Deus non habitat in terra.

D

Nihil esse, q Deũ capiat, quantũcunq; magnũ & nihil est, in quo Deus non sit, quantũcunq; parum.

E

F

A esse,eo quòd quodlibet genus, vel species limitat sibi certam portionem essendi.In tempore quoq; non poterit esse Deus: quia cùm ipse habeat totum esse, & partes temporis dicant diuersa esse,necesse est quòdDeus simul habeat id,quòd partes temporis important per successionem, alioquin non erit totum esse. Ideo sicut Deus non limitat sibi mensuram aliquam durationis, sed simul habet totam durationem, ita nõ limitabit sibi aliquam partem rerum, vel aliqua loca,in quibus sit, sed simul erit in omnibus. *Sed respice ad orationem serui tui.* Ista sententia est incompleta, quia dixerat Salomon, quòd Deus non habitabat super terram, ideo quòd non faciebat domum ad hoc,quòd habitaret in ea,& debebat subiungere,quòd faciebat eam solùm ad hoc quòd inuocaretur ibi nomen Domini. Sic patet 2.Paralipom.6. Scilicet, Si cœlum,& cœli cœlorum te non capiunt, quanto minus domus ista,quam ædificaui? sed ad hoc tantùm facta est,vt respicias orationem serui tui. Hoc autem debet hic suppleri, & dicitur:sed respice ad orationem serui tui, id est nolo, quòd ista domus sit ad habitationem tuam, cùm sit impossibile,sed respice orationem,id est solùm sit,vt respicias orationem, quã ego facio in ea,& quam facient omnes post me. *Et ad preces eius,Domine Deus meus.* Replicatio sententiæ est; quia idem est oratio,& preces : licèt oratio potest accipi pro toto ipso coniuncto ex pluribus petitionibus: preces autem vocantur ipsæ petitiones contentæ in oratione. *Audi hymnum,& orationem,quam seruus tuus orat coram te hodie.*Idem est hymnus,& oratio,sed propriè hymnus significat cãticum: ista autem oratio aliquo modo potest dici canticum. *Vt sint oculi tui aperti super domum hanc die,ac nocte.* Dicitur hoc secundùm modum loquendi humanum, quia Deus non habet oculos, & ideo non potest eos habere apertos, nec clausos ; sed sicut homo, qui solicitè aliquid attendit, habet oculos apertos,ne perdat illud : ita Deus debebat habere attentionem magnam circa domum istam. Et intelligitur hoc quantum ad custodiam, scilicet,quòd non traderet eam in manus hostium: vel intelligitur quantum ad exauditionem orationum, scilicet,quòd omnes orationes ibi factæ, siue à Iudæis, siue à Gentilibus exaudirentur à Deo:sicut patet ex petitionibus, quæ infrà habentur. *Super domum,de qua dixisti:erit nomen meum ibi.* Scilicet,Deus dixit,quòd nomẽ suum inuocaretur super domũ illam,ideo debebat exaudire omnes inuocantes nomen Domini in ea, alioquin non prodesset inuocari nomen Dei in illa. *Vt exaudias orationem, quam seruus tuus orat ad te in loco isto.* Id est,Exaudi orationem,quam ego oro nũc,& orabo quandocunque fuero hic. *Vt exaudias deprecationem serui tui, & populi tui Israel.*Id est, Non solùm audi orationem meam,sed etiam audi orationem totius populi tui Israel, quandocunq; orauerit hic. *Quodcunq; orauerit in isto loco.* Intelligitur de orationibus iustis,quia nefas esset, quòd aliquis iniustum à Deo oret sciens:aut velit quòd oratio sua,etiamsi sit iniusta,exaudiatur. Est autem peccatum istud duplex. Primum,quia qui vult orationem suam iniustam à Deo audiri, vult iniustum: cùm ipse iniustum petat : petere tamen scienter iniusta,peccatum est. Secundò peccat,quia vult,quòd Deus iniquitati assentiat : istud verò est grauissimum,quia Deus iniquitatem non vult,sed potiùs odit omnes operantes iniquitatẽ,Psal.5. *Et exaudies in loco habitaculi tui in cœlo.* Dixerat suprà, quòd Deum non capiebat cœlũ, nec cœli cœlorum:hic autem dicitur quòd habitaculum Dei est in cœlo. Dicendum,quòd Deus nõ propriè habitat in cœlo, nec in terra, quia non potest capi in omnibus his ; habitator tamen clauditur in habitaculo suo;sed dicitur Deus habitare in cœlo,id est esse ibi,& hoc modo etiam habitat in terra, quia nihil est,vbi Deus nõ sit. Dicitur tamen potiùs Deus habitare in cœlo, quàm in terra:eo quòd cœlum locus nobilior est,quàm terra. Etiam quia Deus in cœlis dat gloriam animabus beatis, in terra autem non. *Et cùm exaudieris propitius eris.* Hic accipitur exaudire largè : nam exaudire est consentire petitioni eorum,qui orant : & tunc cùm Deus exaudierit, nõ oportet quòd propitietur, quia iam propitiatus est, cùm propitiari sit condescendere precibus orantium : & sic est differentia inter audire,& exaudire : quia audire significat solam auditionem sine condescensione, exaudire autem est audire, & condescendere: sed hic solùm accipitur pro audire. *Si peccauerit homo in proximum suum.* Ista est secunda petitio, quæ concernit statum hominis ad proximum suum, & est sensus, quòd Israelitæ in communicationibus habebant interdum litigia, quæ iuramento dirimenda erant, & quia aliqui iurabant falsè,petiuit Salomon, quòd quicunque iuraret in templo, si falsè iuraret puniretur à Deo. Et dicitur si peccauerit homo in proximum suum, id est,si præsumitur peccasse, vel litigatur super peccato, quia non præsupponitur hic, quòd certè peccauerit: nam tunc non oportebat esse iuramentum aliquod,si constaret de peccato : cùm iuramentum sit introductum ad dirimendum litigia,vt patet ad Hebræ.6.scilicet, Homines per maiorem suũ iurant, & omnis lõtrouersiæ eorũ finis est iuramentum.Idem extra de iureiur.cap.& si Christus.*Et habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur astrictus.* Non est intelligendũ, quòd iste iam iurasset, & posteà iret in templum,sicut videtur litera significare,quia tũc non apparet,ad quid illuc iret, sed quòd erat litigiũ super aliqua re,& aliqua pars cogebatur iurare, siue ex delatione iudicis,vel partis, & veniebatur ad templum, vt ibi fieret iuramentum cum maiori solennitate: si quis tale iuramentum non curans falsum diceret, orat Salomon, vt Deus puniret illum. Patet istud 2.Paralipomenon 6. Scilicet,Si peccauerit quispiam in proximum suum, & iurare contra eum paratus venerit, seque maledicto constrinxerit coram altari in domo ista. Et dicitur : Et habuerit aliquod iuramentum, quo teneatur astrictus, id est, obligetur ad faciendum aliquod iuramentum. *Et venerit propter iuramentum coram altari tuo.* Id est,Venerit ad iurandum coram altari, scilicet, quia iudex iubet, aut pars petit, quòd iuramentum fiat coram altari. Non est intelligendum, quòd isti iurantes introirent ad altare, quia illud erat intra atrium sacerdotũ, in quod nullus laicus intrabat,sed fiebat iuramentũ in atrio magno laicorum in directo altaris:ita vt iurans videret altare Domini, sicut dictũ fuit suprà in litera de Salomone,quod stetit ante altare,& tamen ipse erat in atrio laicorum,vt declaratum est. *In aeternum tuam.* Vocatur domus Dei largè templũ,& omnia atria coniuncta templo, quæ erant ad orationem, vel ministrationes sacras. *Tu exaudies in cœlo.*Id est, Tu audies quid isti iurant.Dicit hoc Salomon, vt Deus attendat ad iuramenta, quæ ibi fiunt,scilicet,in alijs locis,cùm homines iurant falsum,Deus non punit illos tanquàm si non audiret, vel non aduerteret. In templo autem non debebat esse sic, sed quòd quicunque falsum iuraret illicò à Deo puniretur, vt pateret reuerentia magna templi,& virtus Dei specialis in illo. *Et facies.* Scilicet, Quod iustum est retribuendo benè iuranti bonum, & deieranti inferendo pœnam. *Et iudicabis seruos tuos.* Iudicare est ius reddere,& istud erat inter partes, quia per iuramẽta,quæ ibi fiebant Deus retribuebat cuiq; partium suum, scilicet si quis verũ iuraret, Deus absoluebat eum ab impetitione partis : & si alia pars malitiosè induceret aliquem ad iurandum, cùm alias verum sciret,Deus puniebat ipsum compellentem alium ad iurandum. *Condemnans impium.*Id est,Iudicans eum dignum condemnatione,vel ferens sententiam contra eum. *Et reddens viam suam super caput eius.* Intelligitur tam de falsum iurante, quàm de compellente aliũ malitiosè ad iurandum, quòd Deus redderet viam suam super caput eius, id est, puniret eum,sicut merebatur malitia eius. *Iustificansq; iustum* Id est, Ferens sententiam absolutoriam pro iusto. *Et retribuens ei secundùm iustitiam suam.* Scilicet, Dans bonũ pro bono opere. Et intelligitur tam de iurante, quàm de compellente ad iurandum, quia si quis compulsus iurare hic verum iuraret,non solùm Deus non puniebat eum, sed etiam conferebat ei aliquod speciale beneficiũ, sicut si ageret aliquod opus meritorium. Simile patet Nume.5.Vbi dicitur de muliere, contra quam erat suspicio, & biberet aquas amarissimas, si non erat polluta cum alio viro, Deus dabat ei liberos. Vnde dato, quòd priùs non haberet filios, tunc Deus ei dabat:si autem esset rea rumpebatur femur eius ; sed hic est talis probatio,sicut ibi per aquas amarissimas ; quia iste qui iurat si deieraret Deus inflicturus erat ei pœnam. Eodem modo intelligitur de illo,qui compellebat alium ad iurandũ; dùm tamen non ageret malitiosè, cognoscens innocentiam iurantis, si moreretur iurans, non peccabat qui compulerat eum iurare, quia bono animo egerat, eo quòd nesciebat innocentiam illius,& prosequebatur ius suum, hoc patet Numer.5. Vbi dicitur de viro,qui cogebat vxorem suam subire

B

C

Cur Deus esse in cœlo dicatur.

Inter audire & exaudire qd interfit.

D *Secũda petitio Salomonis.*

E

F

proba-

A probationem aquarum amariſſimarum, quia ſi illa morereꝰ, vir non erat reus criminis: cùm dicitur maritus abſq; culpa erit, & illa recipiet iniquitatem ſuam.

Ad quid introductum eſt, quòd fierent talia iuramenta, qualia dicit hic Salomon in Veteri Teſtamento.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR ad quid introductum eſt, quòd fierent talia iuramenta; quia ſine his poterant diffiniri dubia, ſcilicet, ex probatione actoris, alioquin abſolueretur reus. Reſpondendum, quòd conueniens erat fieri iſtam probationem per iuramentum coram altari: quia aliqui caſus erant, in quibus non poterat aliter fieri probatio, niſi per iuramentum partis. Sic patet Exod. 22. de depoſitario, & depoſitore: quia ſi quis deponeret pecuniam, vel ſimile apud aliũ, & furto ſubtraheretur, ita tamẽ quòd nõ poſſet probari furtum commiſſum fuiſſe, tenebatur depoſitarius iurare, quod non extenderat manum ſuam ad illud, & tunc abſoluebatur. Idem etiam ſi daretur ad cuſtodiam aſinus, vel bos, aut alia animalia, eodem cap. Præter hæc etiam in alijs caſibus dubijs, in quibus de iure poteſt & contingit iuramentum deferri litigatori à iudice, vel à parte: & tenetur ſubire illud, qa ſic etiã fit in iuribus humanis, vt patet extra de iureiurando, cap. iuramentum. Hoc dato conueniens fuit, quòd iuramẽta, quæ fierent coram altari eſſent nimis ſolennia, & timenda: ita quòd ille, qui iuraret falſum, puniretur à Deo in aliquo ſigno ſenſibili, ita vt omnes ſcirent quòd Deus inflixerat illam pœnam propter periurium: Iſtud autem erat valdè conueniens ad honorem templi, quia Deus voluit oſtendere iſtud templũ venerabile nimis: & ob hoc in dedicatione ſua impleuit illud nebula in ſignum præſentiæ ſuæ. Ita nunc cùm illi, qui falſum iurarent in Sanctuario, punirentur illicò à Deo, omnes pauerent à Sanctuario Dei, & hoc eſt quod Deus volebat. Ob hoc enim Deus fecerat arcam eſſe terribilem, ſcilicet, quòd quicunque videret illam nudam, moreretur. Numer. 4. Et ſic honorabant Bethſamitæ eam dicentes; Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius? ſuprà 1. lib. cap. 6. Et hoc dicebant, quia mortui fuerant de ipſis quinquaginta millia cùm vidiſſent arcam, ſic etiam volebat Deus, quòd templum ſuum eſſet terribile Iſraëlitis. Leuit. 26. Scilicet, Cuſtodite ſabbata mea, & pauete ad Sanctuarium meum. Fuit ergo conueniens iſtud eſſe in Sanctuario. Motiuum huius fuit, quia Iſraëlitæ ducebant aduerſarios ſuos ad Sanctuarium, vt iurarent ibi quaſi timore Dei, & loci ſacri non auderent falſum dicere. Si autem viderent quòd aliqui falſum iurabant, & tamen non puniebantur potiùs iurantes in Sanctuario, quàm extra Sanctuarium putarent illud eſſe contemptibile. Deus autem maximè attendebat, vt ceremoniæ legis veteris tenerentur in magno honore: ideo conueniens fuit iſtud fieri de iurãtibus in Sanctuario.

B *Conueniens fuit, q iurans falſum coram altari, puniretur.*

C

An inducens alium ad iurandum in Sanctuario, vbi poterat mori, ſi iuraret falſum, peccabat.

QVÆSTIO XIII.

VLTERIVS quæretur an erat licitum, quòd quis induceret alium ad iurandum in Sanctuario, vbi poterat mori ſi falſum iuraret. Reſpondendum, quòd non erat peccatum: nam Salomon orauit hic iſtud, & Deus conceſſit ei: ſi tamen eſſet illicitum, nec Salomon petiuiſſet, nec Deus conceſſiſſet: ideo licitum erat. Item ſimile eſt Numeri 5. De probatione, quæ fiebat per aquas amariſſimas. Nam ibi ſi mulier peccaſſet, rumpebantur femora eius, & inflabatur venter, & moriebatur. Dicitur tamen de viro, quòd abſque culpa eſſet, & illa reciperet iniquitatem ſuam: ergo etiam dato, quòd moreretur qui deierabat, non peccabat, qui eum iurare compulerat. Sed obijciet aliquis, quòd iſta eſt purgatio vulgaris, ſicut in ferro candenti, aut aqua nimis calida, aut nimis frigida, & omnes huiuſmodi ſunt prohibitę, vt patet in Decretis, 2. quæſt. 5. cap. conſuluit, & cap. Mennam, & cap. monomachiam. Reſpondendum, quòd licita erat iſta probatio in Veteri Teſtamento, quia licèt ſecundùm ſe aliqualiter eſſet inconueniens, tamẽ permittebatur, ſicut multa alia in Veteri Teſtamento, vt patet de vſuris, & de libello repudij, & ſimilibus: propter conditionem enim Iudæorum permittebantur. Item conueniens erat iſta permitti ad honorem templi, quia ſi iurantes falſum ibi non magis punirentur, quàm alibi, nullius honoris eſſet templum apud Hebræos, vt ſuprà dictum fuit. Item conueniebat ad honorem Dei, & ſedationem litigiorum: quia Iudæi erant valdè increduli, & in omnibus volebant miracula: ideo cùm non crederent proximis ſuis per ſimplicia iuramenta, decuit tale iuramentum induci, in quo pateret verum dicere ipſum iurantem, ſcilicet, quòd ſi falſum diceret Deus, oſtenderet vindictam, & ſi non puniretur, appareret eum verum dixiſſe, aliàs autem eſſent litigia inter Hebræos immortalia, cùm vnus non crederet alteri, & haberent ſemper occaſionẽ diſcordandi inter ſe.

D

An liceat nobis exigere iuramenta ab aliquibus in locis ſepulchrorum Sanctorum, & ſuper reliquias eorum, & in alijs locis, vbi falſum iurans creditur à Deo percutiendus, vel moriturus illicò.

QVÆSTIO XIV.

VLTERIVS quæretur, an liceat nobis ſimilia iuramenta exigere, vel præſtare. Pro quo ſciendum, quòd ſicut inter Hebræos iurantes falſum in templo, puniebantur à Deo, ita inter nos repertum eſt quaſdam Eccleſias eſſe, vbi ſunt corpora Sanctorum, ſuper quorum ſepulchra ſi quis falſum iurauerit, manifeſtam punitionem in breui ſentit. Aliquis dicet de iſtis, quòd illicitum ſit compellere ad iurandum in talibus locis, eo quòd illi, qui falſum iurant, moriuntur, & iſta eſt probatio vulgaris. In contrarium dicetur, quòd licita ſit, quia Salomon obtinuit ſimilem modum probationis à Deo. Reſpondendum eſt, quòd quando aliquis ſe purgat de aliquo crimine per iuramentum ſuum, licitũ eſt, quòd compellatur iurare ſuper aliquo altari, vel ſuper ſepulchra Sanctorum, ad hoc quòd maior reuerentia habeatur in iuramento. Idem etiã, quando iuramenta præſtantur alio modo ad ſatisfaciendum parti: nam ſicut iurantes compelluntur iurare ſuper Euangelijs, vt propter reuerentiã eorum verũ dicant, ita etiam licet adhiberi omnes alias cæremonias, per quas credantur cum maiori reuerentia iurare: ſic enim eſt quòd iurẽt in Eccleſia ſuper altare, vel quòd iurent ſuper ſepulchra Sãctorum. Vnde Papa compulit quoſdam iurare, purgando ſe ſuper ſepulchra beati Petri, 2. quæſt. 5. cap. Mennam. Quendam etiam alium compulit iurare ſuper ſepulchrum beati Apollinaris, vt patet ibidem, cap. quanto, & cap. qui de cauſa. Quòd tamen aliquis iuret coram altari illo, vel ſepulchro alicuius Sancti, in quo falſum iurans, certiſſimè creditur à Deo manifeſtè puniendus, illicitum eſt, & pertinet ad purgationem vulgarem. Sed aliquis dicet, quòd ſatis licet iuramentum præſtari in talibus ſuper talia corpora Sanctorum, ſicut Papa compulit quoſdam iurare ſuper corpora beati Petri, & beati Apollinaris. Dicendum, quod non eſt ſimile, quia ibi compulſi ſunt ad iurandum ſuper corpora illorũ Sanctorum, ad ſolam reuerentiam, & non credebantur morituri, dato quòd falſum iurarent. Et hoc modo compelluntur homines communiter iurare ſuper Euangelia, ad reuerentiam ipſorum; non tamen creditur, quòd falſum iurantes, punientur certiſſimè, cùm contrarium expertum ſit, ſecùs ergo erit vbi ſcitur falſa iurantes, certiſſimè puniendos, quia ibi eſt purgatio vulgaris. Sed aliquis dicet, quòd non ſit purgatio vulgaris, quia illa vocatur vulgaris, in qua non poteſt aliquis illam ſubiens euadere, niſi miraculum fiat, ſicut apparet in ferro candenti, & aqua frigidiſſima, vel calidiſſima: & ſic tam nocentes, quàm innocentes lædentur neceſſariò per has purgationes, niſi miraculolè liberentur. Hic autem non eſt ſic, quia innocentes nunquàm lædentur, ſed ſoli periuri. Dicendum, quòd iſta eſt purgatio vulgaris, quod patet, quia ſimile eſt, quòd fiebat ad probationem adulterij in muliere ſuſpecta, cùm biberet aquas amariſſimas: quia ſi innocens eſſet, non nocebant ei aquę, & erant tales, quæ de ſe non poterãt nocere, niſi

E *Iuramenta ſuper ſepulchrũ B. Petri, & Pauli Romæ ſi ſubitum iuret ipſa eamũ reuerentia compenſatur, & colligitur ex d. cap. Mennam, & quã vo-*

F

A Deus ex miraculo faceret, quòd nocerent. Si autem mulier peccaſſet, nocebant ei aquæ. Numeri 5. Iſta tamen erat probatio vulgaris, vt patet 2. quæſt. 5. cap. in libro Numerorũ: Et habetur ibi pro palea. Nã in tota illa quæſtione agitur de purgatione canonica, vel vulgari. Et ponitur iſte §. ad declarandum, quòd iſta ſit purgatio vulgaris, quæ fit per aquas amariſſimas, & tamen omninò eſt ſimilis probatio, quæ fit ſuper corpora Sanctorum in caſu dato; non eſt vulgaris. Pro quo ſciendum, quòd purgatio vulgaris habet tres gradus. Primus eſt, quando ſumitur talis modus probandi, in quo neceſſe eſt periclitari tam nocentem, quàm innocentem, niſi à Deo miraculosè liberetur: & iſta eſt purgatio, quæ fit in ferro candenti, & aqua calida, & frigida: & iſta eſt nimis illicita. De hac 2. quæſt. 5. cap. Mennam. & cap. conſuluit. & extra de purga. vulga. cap. dilecti filij. Secundus gradus eſt, quando probatio eſt talis, per quam non poteſt cognoſci quis reus aut innocens ſit: & tamen eſt talis, à qua poteſt tam nocẽs, quàm innocens liberari ſine miraculo: quia tamen non conſtat ex ea quis nocens, aut innocens ſit: & inſuper contingit innocentes mori, & nocentes ſuperare, reprobata eſt. Et ſic eſt purgatio per duellum, vel per ſimilem modum pugnandi. Sic patet 2. quæſt. 5. cap. monomachiam. & extra de purga. vulga. cap. cùm ſuſcepti, & cap. ſignificantibus. Et iſta licèt ſit mala, non eſt tam grauis vt prima. Tertius gradus eſt in purgatione illa, per quam inuenitur delictum ſufficienter: & tamen ad inueniendum tentatur Deus, vel ſaltem fit aliquid ad tentandum Deum, vt inueniatur delinquens, & ſic eſt purgatio per aquas amariſſimas. Numeri 5. Nam ibi innocentes non poterant lædi. Etiam purgatio erat manifeſtè probans, in qua nunquàm erraretur cùm eſſet à Deo introducta: aliquo modo tamen tentabatur Deus, quia volebant homines per huiuſmodi purgationem cognoſcere operationem Dei. Sic etiam erat in iurantibus in templo Salomonis, vt patet hic. Sic etiam in iurantibus ſuper altaria, vel corpora Sanctorum, ſuper quæ falsè iurantes creduntur puniendi, quia in his attenditur quid Deus facit de illis. Eccleſia tamen vetuit omnem purgationem, in qua Deus tentatur, vt patet extra de purgatione vulga. cap. dilecti filij: ideo non ſunt aliquæ iſtarum tolerandæ. Et non ſolùm iſtæ, ſed etiam aliæ minores, in quib⁹ Deus minùs tentari videtur, nõ permittuntur: ſicut antiquitùs conſtitutum erat, quòd ſi in monaſterijs furta fierent, omnes fratres illa die communicarent; & quando Abbas daret eis Euchariſtiam diceret corpus Domini ſit tibi ad probationem hodiè, vt patet 2. quæſt. 5. cap. ſæpè contingit. Sed ipſa purgatio, licèt olim ab Eccleſia introducta eſſet, vt patet ibi, poſteà auctoritate Eccleſiæ ipſa reprobatur, vt dicit ibidem Gloſſa. Et patet, quia homini ſuſpecto nunquàm eſt danda Euchariſtia, quanto minùs dari debet ad inueſtigandam veritatem ſuſpicionis, vt patet de conſecrat. diſtinct. 2. cap. tribus. Eſt igitur illicitum, quòd quis compellat alium ad iurandum coram talibus altaribus, vel corporib⁹ Sanctorum: & etiam nullus debet ſubire ſponte tale iuramentum: non quidem tanquàm ſit illicitum ipſi reo, ſed vt non conſentiat malitiæ petentis. Iſtæ autem purgationes vulgares qualeſcunq; ſint intantum ſunt reprobatæ, quòd ſententia lata per eas non tenet, ſed reſtituitur læſus. extra de purgat. vulg. cap. ſignificantibus. Dicendum ergo generaliter, quòd omnes illæ probationes, quæ vel incertæ ſunt, vel periculoſæ, vel expectant aliquid à Deo, pertinent ad purgationem vulgarem, quia Deus tentatur in talibus: & licèt Deus dederit Sanctis ſuis quibuſdam ad ſingularem honorem, quòd iurantes in Eccleſia ſua, vel in altaribus, aut ſuper ſepulchri falsè habeant aliquam punitionem, tamen homines non debent ſubire experimenta diuinæ virtutis. Cùm autem obijcitur, quòd Salomon impetrauit iſtud à Deo, ergo non eſt illicitum. Dicendum, quod impetratum fuit ad duritiem cordis Iudæorum, qui in omnibus volebant miracula, & tunc conueniens fuit, ſicut multa alia conceſſa ſunt nobis: tamen nihil illicitum permittitur in Nouo Teſtamento, nec in Eccleſiæ decretis. *Si fugerit.* Hic ponitur tertia petitio, quæ concernit ſtatum populi, quãtum ab bellum, ſcilicet, quòd Deus exaudiret Iſraëlitas fugientes de bello, ſi orarent in iſta domo: & dicitur. *Si fugerit populus tuus Iſrael inimicos ſuos.* Scilicet, Si fugerit de bello, vel antequàm bellum ſit, fugiat à facie hoſtium timens eos. *Quia peccaturus eſt tibi,* quaſi dicat, non poſſent hoſtes præualere, & fugare Iſraëlitas, niſi ipſi peccarent contra Deum, quia alias ipſi præualerent contra omnes hoſtes, & è contrario ſi peccarent, licèt hoſtes ſui pauci eſſent fugarent Iſraëlitas. De vtroque patet Leuit. 26. Scilicet, Perſequimini inimicos veſtros, & corruent coram vobis: perſequentur quinq; de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia. Cùm autem eſſent mali, dicitur ibidem: Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hoſtibus veſtris, & ſubijciemini his, qui oderunt vos, fugietisq; nemine perſequente: Ideo dixit Salomon, quia peccaturus eſt. Hoc tamen non dixit propheticè, tanquàm prænuncians peccata eorum, ſed loquens rationabiliter modo humano, cùm non ſit aliquis, qui nõ peccet, ſic dixit ipſe Salomon, infra quòd ſi peccauerint tibi: nõ eſt enim homo, qui non peccet. *Et agentes pœnitentiam.* Scilicet, Dolentes, quia peccauerunt: *Et confitentes nomini tuo.* Scilicet, Laudantes te, eſt ſenſus, quòd ipſi dicant ſe peccaſſe, & proueniſſe eis pœnas iuſtè: Deum autem nihil iniuſtè agere in his; & hoc eſt ſe culpare, & Deum laudare. Iſtum modum orandi pro peccatis tenebant omnes Sancti antiqui, vt patet Daniel. 7. Cùm orabat pro populo, dicens: Tibi Domine iuſtitia, nobis autem confuſio facici. *Venerint, & orauerint, & deprecati fuerint in domo hac.* Scilicet, Poſtquàm fugerint de bello, venerint ad orandum in domo iſta coram te. Iſta fuit conditio Iudæorum à principio: nam cùm fugiebant de bello veniebant ad tabernaculum Domini, & plorabant, atque ieiunabant coram Domino: ſic enim fuit, quando vndecim tribus pugnauerunt contra tribum Beniamin pro ſcelere virorum Gabaa. Nam bis victi fuerunt à Beniamitis, & veniebant vtraque vice in Silo in Sanctuarium, & lugebant ibi coram Domino quouſque Deus reſpondit, quòd in tertio bello vincerent. Iudic. 20. Et dicitur, deprecati fuerint, & orauerint, quod idem eſt: orare tamen poteſt accipi pro toto coniuncto ex verbis, quæ proferuntur. Deprecari autem pro ipſis petitionibus ſingulariter. *Exaudi in cœlo.* Iſtud dicitur quaſi Deus ſolùm eſſet in cœlo, ita tamen exaudit in terra, ſicut in cœlo, cùm vbique ſit: dicitur tamen de cœlo, quia ibi eſt præcipua ſedes eius. *Dimitte peccatum populi tui Iſrael.* Scilicet, Dimitte eis peccatum, propter quod ab hoſtibus fugati ſunt, & ſic iam non poterant hoſtes præualere contra eos. *Et reduces eos in terram, quam dediſti patribus eorum.* Non eſt, intelligendum, quòd ipſi eſſent extra terram ſuam, ſcilicet, ducti in captiuitatem, quia dicitur, quòd fugerint à facie hoſtium, & quòd venerint ad orandum in templum, ſed eſt ſenſus, quòd hoſtes fugantes Iſraëlitas, occupauerant aliquam terram eorum, & iam illam deſinebant poſſidere Iſraëlitæ; ideo oratur, vt Deus reducat Iſraëlitas ad poſſidendum illam terram, quam hoſtes occupauerant, & poſſint excludere hoſtes ſuos de illa. *Si clauſum.* Hic ponitur quarta petitio, in qua oratur pro bona habitudine terræ naſcentium. Conſiſtit autem abundantia terræ naſcentium ex duobus, ſcilicet, ex humore pluuiali ingroſſante, & fœcundante terram, & ex calore digerente. Pro calore autem nunquàm oratur, quia cùm calor cauſetur principaliter ex motu Solis ſuper terram, & quia Sol tenet curſum ſuum vniformem omni tempore, non deficit calor, niſi per accidens: ideo licèt calor digerens ſit cauſa præcipua terræ naſcentium, nunquàm oratur pro illo: aqua autem pluuialis interdum eſt multa, ita vt omnia alluuione pereant: Interdum autem nulla, ita vt omnia marceſcant; ideo pro hac principalis oratio fit, ſcilicet, vt veniat, vel ceſſet: & dicitur. *Si clauſum fuerit cœlum.* Propriè cœlum, nec clauditur, nec aperitur, eo quòd eſt ſubſtantia indiuiſibilis: ſed dicitur aperiri, vel claudi, quia imaginantur vulgares, quòd omnes pluuiæ ſint ſuper cœlum, ideo quando pluit aperitur cœlum, vt ſtillæ fluant: cùm autem cœlum clauſum eſt, nulla aqua ad nos pluuialis venire poteſt. Iſte modus loquendi habetur Deuteron. 28. Scilicet; Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cœlum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ tempore ſuo. *Et nõ pluerit propter peccata eorum.* Licèt enim aliquando naturaliter eueniat defectus pluuiarum: iſta tamen diuina diſpoſitione fiunt propter peccata noſtra: & ipſa cœleſtia corpora ſunt inſtrumenta diuinæ iuſtitiæ contra nos, iuxta illud Sapientiæ 5. Scilicet, Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Et impoſſibile eſt ordine naturali, vel per quem-

Purgatio vulgaris habet tres gradus

B

C *Illicitũ eſt iurare ſup ſepulchra Sãctorum.*

Tertia petitio Salomonis

D

E

F *Quarta petitio Salomonis*

Cœlũ aperiri vel claudi, quãdo dicatur.

cunque

A cunque alium nobis aliqua incommoda euenire, quin illa propter peccata noſtra eueniant, & à Deo iudicata ſint: alioquin aliquid eſſet, quod nõ caderet ſub prouidentia Dei. Per ipſas tamen naturales cauſas diſpenſatur prouidentia, vt ait Boëtius 4. de conſol. proſa 6. Ideo Deus in pœnam peccatorum tollit pluuias. Deuter. 11. Scilicet, Cauete ne recedatis à Domino, iratuſque claudat cœlum, & pluuiæ non deſcendant: & Deut. 28. dicitur, ſit cœlum, quod ſupra te eſt æneum, & terra, quam calcas ferrea: det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cœlo deſcendat cinis, donec conteraris. *Et orantes in loco iſto pœnitentiam egerint nomini tuo.* Id eſt, doluerint de peccatis, & dolendo laudauerint nomen tuum, ſicut dictum eſt in præcedenti petitione. *Et à peccatis ſuis conuerſi fuerint.* Scilicet, Non ſolùm corde dolentes, ſed etiam in opere ab illis recedentes. *Propter afflictionem ſuam.* Dupliciter intelligitur. Vno modo referendo ad verbum ſequens, ſcilicet, exaudi eos, & hoc propter afflictionem ſuam, id eſt, contritionem cordis: ſic enim dicitur aliquis affligere animam ſuam aliter referendo ad illud verbum conuerſi fuerint, ſcilicet, quòd dato, quod conuertantur ad Deum propter afflictionem, & nõ principaliter pro deteſtatione criminis Deus exaudiet illos. *Exaudi eos de cœlo.* Non magis de cœlo, quàm de terra exaudit, cùm vbique æqualiter ſit, ſed in cœlo putatur à vulgaribus ſolum thronus Dei. *Et dimitte peccata ſeruorum tuorum, & populi tui Iſraël.* Scilicet, Illa peccata, propter quæ non

B veniebat pluuia, ita vt veniat pluuia. *Et oſtende eis viam bonam per quam ambulent.* Id eſt, Da eis poſt hoc cor deuotum ad te, vt ambulent in via præceptorum tuorum, quæ eſt via bona, & non incidant in aliqua peccata, per quæ rurſus mereantur perdere abundantiam pluuiarum. Nam incipientibus peccatis Deus tollit pluuiam. Si autem peccata increuerint, reddit terram omninò inhabitabilem propter ſiccitatem. Sic patet Pſalm. 106. Scilicet, Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim: terram fructiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. *Et da pluuiam ſuper terram tuam, quam dediſti populo tuo in poſſeſſionem.* Scilicet, Dimiſſo peccato da pluuiam ſaltem, quia tu dediſti eis terram iſtã in poſſeſſionem. *Fames ſi oborta.* Iſta eſt quinta petitio, in qua oratur contra diuerſa mala, tam famis, quàm ægritudinum: & maximè in terræ naſcentibus, in quibus ſunt multi modi ad pereundum, & dicitur: *Fames ſi oborta fuerit in terra.* Ex quacunque cauſa oriatur, nam multis modis fames venit: & erat fames propter peccata, quæ interdum tantùm creſcebat, vt comederent homines filios ſuos, & mulieres comederent illuuiem ſecundinarum fluentium de ventre. Deuteronom. 28. Et aliquando accidit hoc inter Iſraëlitas, ſcilicet, in obſidione Samariæ. ſequenti libro, cap. 7. *Aut peſtilentia.* Iſta eſt ægritudo, qua faciliter omnes infecti moriuntur, & eſt morbus contagioſus. *Aut corruptus aër.* Iſte eſt, qui inducit peſtes: nam cùm ipſe corruptus fuerit ex aliqua putrefactione terræ, vel ex cor

C pore cœleſti influente, & attractus fuerit per inſpirationem, & reſpirationem, inficiuntur præcordia, & faciliter homines pereunt. Eſt etiam interdum quidam modus corrupti aëris nocentis principaliter terræ naſcentibus, ſicut eſt ventus vrens, qui terræ naſcentia tenera exurit. Et hoc accipitur hic, & non pro peſte, vt patet 2. Paralipomenon 6. vbi ponitur aurugo, id eſt, aëris rubigo, vbi nos dicimus hic aër corruptus. Et dicitur aurugo, quando aër nocens facit terræ naſcentia marcere, vel putrefieri degenerando à naturali colore. *Aut erugo.* Vocatur ærugo quidam vermis, qui naſcitur in foliis arborum, & omnia deſiccat, & exurit velut ignis. *Locuſta.* Animal cognitum eſt, quod à principio alas non habet: & cùm creuerit habet alas, & omnia terræ naſcentia deuorat. *Rubigo.* Iſta eſt quædam infectio cauſata in ſegetibus, ita vt declinent à colore naturali, & putreſcant. Aliquando tamen rubigo accipitur pro animali: ſic patet 2. Paralipomenon 6. Vbi ponitur brucus, vbi dicitur hic ærugo. *Et afflixerit eum inimicus eius portas obſidens.* Iſtud eſt aliud malum, ſcilicet, quod ab hoſtibus infligitur: & in iſto etiam Deus exaudiebat orantes de templo. *Omnis plaga.* Iſta eſt percuſſio, quæ à Deo infligitur, ſicut peſtis, & ſimilia. *Vniuerſa infirmitas.* Iſtæ ſunt ægritudines, quæ naturaliter eueniunt. *Cuncta deuoratio.* Iſta deuoratio eſt, quæ fit à locuſtis, vel alijs animalibus, aut illa quæ fit ab hoſtibus deuaſtantibus terrã. *Et increpatio, q̃ acciderit omni homini de populo Iſraël.* Aliquæ literæ habent hic increpatio: & vocatur increpatio pœna quæcunque, & eſt modus frequentatus in Scriptura, vt patet Pſalm. 104. Scilicet, Et non permiſit quemquam nocere eis, & increpuit pro eis Reges, id eſt, puniuit: ſic etiam dicitur, increpuit mare rubrum, id eſt, puniuit, vel percuſſit: & eſt ſenſus, quòd à quacunque pœna inflicta liberarentur Iſraëlitæ per orationem factam in templo. Alia litera habet imprecatio, & dicitur imprecatio quãdo quis orat aliqua mala euenire ſuper ſe, vel ſuper alium, & ſi illa mala venerint, per orationem in templo liberabitur. *Si quis cognouerit plagam cordis ſui.* Id eſt, Si quis cognouerit in corde ſuo iſtam plagã euenire à Deo propter peccata ſua, ſic patet 2. Paralipomen. 6. Scilicet, Si quis de populo tuo fuerit deprecatus cognoſcens plagam, & infirmitatem ſuam. *Et expanderit manus ſuas in domo hac.* Scilicet, Orauerit extendendo manus ad te, quia iſte eſt modus orandi, vt patet 1. ad Timoth. 2. *Tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ.* Vbique Deus habitat, vel in nullo loco. Vocatur tamen cœlum habitatio Dei; quia eſt locus excellentior. *Et repropitiaberis.* Id eſt, Miſereberis condeſcendendo precibus. *Et facies, vt des vnicuique ſecundùm omnes vias ſuas.* Id eſt, dabis bonis bona, & malis mala. Et non eſt ſenſus, quòd Salomon oret cuilibet peccatori malum reddi, ſed quòd conuerſis ad Deum, licèt peccauerint, miſereatur: quia iam iſti habent viam bonam, & manentibus in peccato contumaciter, mala reddantur. Et hoc, vt cognoſcatur Deus, & timeatur. *Sicut videris cor eius.*

E Id eſt, Sic da ei, ſicut habet in corde. Ex hoc apparet, quòd via hominis ex corde eius conſideratur: nam dixerat, & des vnicuique ſecundùm omnes vias ſuas, & mox ſubiunxit, ſicut videris cor eius, quaſi in corde ſit tota via hominis. Et ratio eſt, quia aliquorum exterior via bona videtur; & tamen corda eorum iniqua ſunt, iuxta illud: Eſt qui nequiter ſe humiliat, interiora autem eius plena ſunt dolo: vnde Chriſtus ſolum iudicauit immunditiam eſſe in corde, & ex corde prodire omne malum, Matth. 15. Deus quoque non iudicat ſecundùm ea, quæ extra apparent, ſed intuetur cor, ſupra 1. lib. cap. 16. *Quia tu noſti ſolus cor omnium filiorum.* Id eſt, Cognitio certiſſima de via hominis eſt per ea, quæ in corde ſunt: ideò ſi homines poſſent cognoſcere interiora, non egerent teſtibus, nec alijs probationibus: quia tamen illa incognita ſunt, iudicant per exteriora. Deus autem nouit corda, ideo per illa iudicat: nam non eſt recurrendum ad probationem minus ſufficientem, niſi in defectu neceſſariæ probationis. Iſta differentia patet ſupra 1. lib. cap. 16. Scilicet, Nec enim iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea, quæ apparent; Dominus autem intuetur cor. *Vt timeant te cunctis diebus, quibus viuunt ſuper faciem terræ.* Scilicet, Videndo, quòd tu reddis vnicuique iuxta opera ſua, quæ ſunt in ſecreto cordis ſui cognoſcent, quòd tu es Deus magnus, videns interiora hominis, & pro peccato puniens, & ſic timebunt te omni tẽpore. *Inſuper, & alienigena.* Iſta eſt petitio ſexta, in qua oratur, vt non ſolùm Iſraëlitæ audiantur orantes in templo iſto, ſed etiam alienigenæ, & dicitur: *Inſuper, & alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſraël.* Id eſt, Non ſolùm exaudias Iſraëlitas, ſed etiam alienigenas. Vocantur alienigenæ Gentiles, quia non erant de ſtirpe Iſraëlitarum. *Cùm venerit de terra longinqua propter nomen tuum.* Non intelligitur ſolùm de venientibus de terra longinqua, ſed etiam de propinqua, dum tamen deuotè venirent: erat enim rationabile, quòd omnes, qui ad Deum Iſraël confugerent credentes eum eſſe verum Deum, & ad honorem eius venirent in templum ſuum, reciperent ab eo remedium in aduerſitatibus ſuis. *Audietur enim nomen tuum magnũ.* Iſtud eſt redditiuũ cauſæ ſuperioris dicti, quia aliquis diceret; ad quid Salomon orabat, quòd exaudirentur Gentiles orantes in templo, quia non eſt veriſimile, quòd Gentiles venirent ad orandum, cùm colerent idola? Reſpondet Salomon, quòd audiretur fama magna Dei apud omnes Gentes, propter mirabilia eius, & venirent ad orandum in templo. *Et manus tua fortis, & brachium tuum extentum vbique.* Id eſt, Audietur vbique magna potentia tua. Dicitur autem manus fortis, & brachium extentum ad modum viri bellatoris; quia bellatores in fortitudine manus, & brachij operantur. Deus autem dicitur vir bellator, Exod. 15. *Cùm venerit ergo & orauerit in loco hoc.* Scilicet, ductus deuotione, & fide de potentia tua. *Tu exaudies in cœlo in firmamento habitaculi tui.* Vocatur cœlum firmiſſimum habitaculum, eo quòd cœlum eſt

D *Modus orandi*

F *Sexta petitio Salomonis.*

Quinta petitio Salomonis.

A

ſubſtantia firma non potens diſſolui, ſicut diſſoluuntur habitationes noſtræ terrenæ. *Facies omnia, pro quibus inuocauerit te alienigena.* Intelligitur de petitionibus iuſtis, quia in iniuſtis non orabat Salomon, quòd exaudiretur aliquis, ſiue Iudæus, ſiue Gentilis. *Vt diſcant vniuerſi populi terrarum nomen tuum timere, ſicut populus tuus Iſraël,* ſcilicet, Cùm viderint Gentiles, quòd orantes in templo tuo exaudiuntur, cognoſcent te eſſe Deum potentiſſimum inter omnes Deos, & timebunt te, atque adorabunt, ſicut populus tuus timet te, & hoc proderit ad gloriam magnam nominis tui. *Et probent, quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper domum hanc.* Id eſt, Probent per experientiã quòd nomẽ tuum inuocatum eſt ſuper domum iſtam, id eſt, quòd tu volueris iſtam domum eſſe cõſecratam nomini tuo, ita quòd tu volueris domum iſtam eſſe pro te, & quòd hic operaris mirabilia magna.

Quomodo Gentiles veniſſent adorare Dominum in templo Salomonis, cùm ipſi colerent idola.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR quomodo Gentiles venire volebant ad adorandum Dominum in templo Salomonis, cùm ipſi colerent idola? Reſpondendum, quòd Gentiles errabant circa inueniendam Deitatem: omnes enim extimabant Deum eſſe, & tamen errabant, quia putabant eſſe multos Deos, & neſciebant quis illorum verus eſſet Deus: & ob hoc quælibet gens colebat varios Deos, ſecundùm quod diuerſæ prouinciæ diuerſa opinantur. Et quia omnes homines concipiunt Deum eſſe id, quo nihil melius eſt, oportebat, vt quando viderent, quòd vnus, qui putabatur Deus, operaretur fortiora, quàm alius extimatus Deus, crederent iſtum magis accedere ad naturam veræ deitatis. Et quia Deus Hebræorum, cùm eſſet verus Deus, faciebat mirabilia, quæ nullus de Dijs Gentium faciebat, credebant eum eſſe Deum potentiorem. Siue ergo eum ſolum crederent Deum, ſicut aliqui nimis vigentes in ratione, vel ſaltem crederent eum eſſe potentiorem omnibus Dijs, accedebant ad eum vt orarent. Et hoc ſatis apparet, quia Gentiles timebant valde Deum Hebræorum, ſicut patet de Philiſthinis, quia quando venit arca in caſtra, pugnantibus Iſraëlitis contra Philiſthinos, doluerunt nimis Philiſthini timentes, & dixerunt: Væ nobis, non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiuſtertius, væ nobis: quis nos ſeruabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga, ſupra primo libro, capite quarto. Ob hoc ergo omnes Gentes audientes magnalia Dei timebant Deum Iſraël. Vnde Nabuchodonoſor dedit legem, ne quis malediceret Deo Iſraël ſub pœna mortis, Daniel. tertio capite. Aliqui quoque Reges de Gentilibus honorabant Deum Iſraël, & templum eius: ſic fuit

C

de Rege Cyro, vt patet 1. Eſdræ, capite primo. Rex quoque Artaxerxes iuſſit dari pro templo Domini omnes expenſas ferè ad ſacrificia, vt patet 1. Eſdræ, capite ſeptimo. Rex quoque Seleucus, qui regnabat in Aſia, de redditibus ſuis præſtabat omnes expenſas ad ſacrificia Domini; & omnes reges honorabant templum illud. 2. Machabæorum 3. Scilicet, Fiebat, vt ipſi Reges, & Principes locum ſummo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illuſtrarent, ita vt Seleucus Aſiæ Rex de redditibus ſuis præſtaret omnes ſumptus ad miniſteria ſacrificiorum pertinentes. Ob hoc autem multi de Gentilibus ob honorem Dei veniebant ad templum. Sic patet de Eunucho Reginæ Candacis de Æthiopia, Act. 8. Sic etiam dicitur Ioan. 12. Scilicet, Erant autem Gentiles quidam ex his qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto, ſcilicet, in die azymorum. Salomon autem præuidit iſtam adorationem futuram Gentilium in templo: non quidem vt Propheta, ſed rationabiliter iudicans, quòd Gentiles audientes famam Dei Iſraël, venirent ad templum eius.

An peccauit Salomon orando Gentiles exaudiri.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo Salomon orauit, vt exaudirentur Gentiles in templo Domini: & an peccaret orando iſta? Reſpondendum, quòd non peccabat, quia Deus Iſraël, licèt ſpecialiter pertineret ad Iſraëlitas, tamen etiam pertinebat ad omnes Gentes, ideo ſicut exaudire debebat Deus orationem Iſraëlitarum, ita etiam orationem Gentilium.

D

Item Salomon licitè agebat, quia orabat hic ad gloriam nominis Dei: nam quòd venirent Gentiles, & exaudirentur in templo, erat motiuum ad hoc, vt gloria Dei dilataretur per omnes Gentes. Hoc patet in litera, cùm dicitur: Vniuerſi populi terrarum nomen tuum timeant, ſicut populus tuus Iſraël, & probent, quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper domum hanc.

Item Deus non eſt acceptator perſonarum, ſed in omni gente, qui facit iuſtitiam, acceptus eſt illi, Actuum 10. Ergo ſi aliquis Gentilis veniret deuotè ad Deum Iſraël in templum, iuſtum erat, vt exaudiretur: nõ ergo peccauit Salomon petendo hæc.

Quomodo Deus volebat exaudire Gentiles, cùm non colerent eum, ſed idola, & peccatores non exaudiantur: & quando veniebant ad templum, quomodo ſe habebant ad Iudæos.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo Deus exaudire volebat Gentiles, cùm non colerent eum?

B

E

Reſpondendum, quòd non erat incõueniens, quia apud Deum non eſt diſtinctio Iudæi & Gentilis. Sed obijcietur, qa nunc non exaudirentur orationes Iudæorum, & Sarracenorum: ergo nec tunc exaudiebantur orationes Gẽtilium. Item orationes peccatorum non exaudit Deus, Ioan. 9. Gentiles erant peccatores, cùm colerent idola, ergo non exaudirentur. Reſpondendum, quòd nunc Iudæi, Sarraceni, & quicunque Pagani non exaudiuntur orantes, eo quòd neceſſe eſt illos eſſe in peccato mortali: quia lex Euangelica obligat omnem hominem ad obſeruationem ſuam, vt patet Marc. vltim. & Matth. vltim. ſcilicet, Ite per vniuerſum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturę, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui autem non crediderit, condemnabitur: ſed orationes peccatorum non exaudiuntur, ergo non poſſunt exaudiri, qui non ſunt Chriſtiani. De Gentilibus autem reſpectu Iudæorum ſecus erat, quia non obligabat lex Moſaica omnem hominem, ſed ſolos Iſraëlitas: nam cum eis ſolis pepigit Deus fœdus, & accepit illum in populum peculiarem. Gentilibus autem non fuit lex illa data, nec prædicatum eſt, vt illam obſeruarent, ideo non obligabantur: lex autem Euangelica, quia omnes homines obligatura erat, iuſſit Deus, vt omnibus prædicaretur, Marc. vltim. Ideo Iſraëlitæ, & Gentiles apud Deum accepti erant: & ſolum differebant, quia Iſraëlitæ erant valde familiares Deo, & benefaciebat eis

F

ſpecialiter, plus quàm alijs Gentibus: cæteræ autem Gentes ad Deum pertinebant, ſed quodam modo magis generali. Iſtud patet Exod. 19. Scilicet, Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta. Exaudiebat ergo Deus Gentiles rectè & deuotè orantes; quia tamen Iſraëlitæ magis colebant eum, quàm Gentiles, conferebat maiora beneficia Iudæis, quàm Gentilibus. Ad ſecundum cùm dicitur, quòd Gentiles erant peccatores: dicendum, quòd iſtud fuit ſemper generale, tam apud Iudæos, quàm apud nos, ſcilicet, quòd exiſtens in peccato mortali non audiatur: cùm tamen dicitur, quòd Gentiles erant tunc peccatores: dicendũ, quòd non erant omnes Gentiles peccatores: nam ex hoc, quòd non obſeruabant legem Moyſi, non peccabant, vt dictum eſt, ſed peccatum ſuum erat, ſi colerent idola, vel facerent alia, quæ ſecundùm ius naturale, etiam ſine aliqua lege data mala erant: ſicut patet ad Roman. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt: ſed inter Gentiles multi erant, qui non colebant idola, quamquã non ſeruarent cęremonias legis Moſaicę, ideo poterant exaudiri: qui autem idola colebant, non veniebant ad orandum in templo Salomonis, & ſi orarent non exaudirentur, quia claudicabãt in duas partes, qui autẽ Deo adhærere debet, oportet, vt toto

corde ei adhæreat: alioquin non liberabit eum à periculis, ſupra 1. libro, cap. 7. Et ſic dicendum eſt, quòd quando aliqui Gentiles veniebant ad orandum in templo, & conſequebantur à Deo aliqua beneficia, non conuertebantur poſtea ad idola: ſic patet ſequenti libro, cap. 5. de Naaman Syro, qui ſanatus eſt ab Eliſeo de lepra ſua, & orauit vt concederet ei ferre onus duorum mulorum terræ de terra Iſraël, vt poneret in templo Dei Syrorum, vt quando introiret cum Rege ex neceſſitate non adoraret idolum, nec ſederet in terra templi eius, & petiuit ab Eliſeo, vt oraret Dominum, ne imputaret ei ad peccatum: tales autem Gentiles non erant peccatores, ideo poterant exaudiri orationes eorum.

Quomodo Iudæi poterant ſe habere ad Gentiles, quando veniebant in templum ad orationem.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quando veniebant iſti Gentiles ad orandum in templo, quomodo ſe habebant ad Iudæos? Reſpondendum, quòd Iudæi poterant communicare illis in verbo, & non peccabant, ſed potius merebantur dulciter tractando eos, vt conuerterentur ad Deum Iſraël: in cibis autem poterant communicare, niſi fortè Gentiles aliquid comederent, quod Iudæis immundum eſſet: multa nãque apud Iudæos reputabantur immunda ex lege, quæ non reputabantur immunda apud alias gentes, vt patet Leuit. 11. & Deuteron. 14. Et ob hoc generaliter ſe abſtinebant Iudæi à manducando cum Gentilibus: ſic patet Galat. 2. Nam beatus Petrus mãducabat cum Gentilibus, & cùm veniſſent ad eum quidam Iudæi, abſtraxit ſe à manducatione cum Gentilibus, ne ipſi Iudæi ſcandalizarentur. Et ſic videtur, quòd Iudæi generaliter non mandacabant cum Gentilibus. Alia cauſa erat, quare vetita eſſet manducatio ſimultanea Iudæorum, & Gentilium, ſcilicet, ne Gentiles inuitantes Hebræos, apponerent eis aliquando cibos conſecratos dæmonibus, Exodi 34. Iſta tamen cauſa ſublata erat in illis, qui veniebant ad orandum in templo, quia illi non colebant idola, vt ſupra dictum eſt: & dato, quod colerent, non poterant ipſi aliquos cibos conſecrare dæmonibus in terra Iſraël, cùm ibi non eſſent idola, nec templa eorum, nec altaria: ſed propter primam cauſam ſaltem non manducabant Iudæi cum Gentilibus. Item iſti Gentiles licèt venirent ad orandum, nõ permittebantur intrare in templum, & in hoc non erat ſpeciale in eis, quia etiã alijs Iſraëlitis non licebat introire in illud, niſi eſſent ſacerdotes. Item non licebat iſtis Gentilibus introire in atrium Iſraëlitarum, in quo orabant viri mundi, ideo Deus increpabat quoſdam Iſraëlitas, eo quòd introducebant quoſdam Gentiles in templum, vt patet Ezechiel. 44. Scilicet, Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſraël, eo quòd inducitis filios alienos incircunciſos corde, & incircunciſos carne, vt ſint in Sanctuario meo, & polluant domum meam. Item Paulus, quando purificatus eſt, introiuit in atrium virorum mundorum, ſicut cæteri Iſraëlitæ introibant: & quia ibant cum eo quidam, quos Iſraëlitæ putauerunt eſſe Gentiles, voluerunt lapidare Paulum, dicendo quod introduxiſſet Gentiles in templum. Act. 21. Item ſciendum, quòd iſti, quando orare debebant, erant ſeparati ab Iſraëlitis, in quodam atrio, quod vocabatur atrium immundorum, & Gentilium: & erat quartum inter atria, de quo dictum fuit ſupra 6. Item ſciendum in oblationibus, quòd ſi iſti Gentiles vellent offerre aliqua animalia in ſacrificium, quæ ducerent de terra ſua, vel panes, vinum, aut oleum, & ſimilia, quæ in altari cremabantur, vel vellent illa emere in Ieruſalem, & offerre, non ſuſcipiebatur aliquid de manu eorum, etiam ſi valde deuotè darent, vt patet Leuit. 22. ſcilicet, De manu alienigenæ non offeretis panes Deo veſtro, & quidquid aliud dare voluerit, quia corrupta, & maculata ſunt omnia, non ſuſcipietis ea. Illud autem intelligendum erat, quantum ad illa, quæ offerebantur, & cremabantur in altari: ſecus autem de pecunijs: quia dare poterant pecunias ſacerdotibus, vt inde emerentur animalia pro ſacrificijs: ſic enim Artaxerxes Rex dabat de tributis ſuis partem pro ſacrificijs, quæ fiebant in templo Domini. 1. Eſdræ 7. Seleucus quoque Rex Syriæ dabat de redditibus ſuis omnes expenſas pro ſacrificijs. 2. Machabæorum 3. *Si egreſſus fuerit.* Iſta eſt ſeptima petitio, in qua ponitur de proſperitate, & aduerſitate belli, & dicitur: *Si egreſſus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos ſuos.* Hoc intelligitur, ſiue eſſent iſti inimici de habitoribus terræ Chanaan, ſiue de alijs gentibus, quamquam diuerſas conditiones belli in occidendo, & capiendo habebant Iſraëlitæ contra Chananæos, & alias gentes, vt patet Deuteronomij 20. *Per viam quocunque miſeris eos.* Iſtud eſt differens à præcedentibus, quia in omnibus ſupradictis orabatur in templo: nunc autem orabatur per viam, quia euntes ad bellum non poterant venire ad templum ad orandum: & dicitur quocunque miſeris eos, ſcilicet, quia per præceptum Dei ibant ad pugnam. Nam Iſraëlitæ, quando pugnaturi erant, conſulebant Dominum per ſacerdotem magnum in Rationali, & Ephod, vel per Prophetas, an pugnare deberent, & quomodo. *Orabunt te contra viam ciuitatis, quàm elegiſti.* ſcilicet, Quòd conuerterent Iſraëlitæ vultus ſuos contra illam plagam terræ, in qua eſſet Ieruſalem, & orarent. Erat autem Ieruſalem ciuitas electa: quia 2. Paralipomenon 6. dicitur: Elegi Ieruſalem, vt ſit nomen meum in ea. *Et contra domum, quam ædificaui nomini tuo.* Id eſt, Contra templum quod ædificaui ad inuocandum nomen tuum ibi. Et idem eſt orare contra Ieruſalem, & contra templum, cùm eſſet templum intra Ieruſalem: ſed ponitur Ieruſalem propter templum, quia non orabatur contra Ieruſalem, niſi quia erat ibi templum. *Exaudias in cœlo orationem eorum, & preces eorum.* Id eſt, Exaudies quidquid orauerint. *Et facies iudicium eorum.* Id eſt, Vindicabis eos de hoſtibus, iudicans inter eos, & hoſtes ſuos, & reddens eis victoriam pro iuſto bello, & hoſtibus confuſionem pro iniquitate: ſic patet 2. Paralipomenon 6. ſcilicet, Exaudias de cælo preces eorum, & vlciſcaris. *Quòd ſi peccauerint tibi.* Hic agitur de aduerſitate belli, ſcilicet, quando Iſraëlitæ pro peccatis ſuis tradebantur in manus hoſtium. *Non eſt enim homo, qui non peccet.* Iſtud dicitur, vt redditiuum cauſæ ſuperioris dicti, ſcilicet, quòd ſatis veriſimile erat, quòd Iſraëlitæ traderentur aliquando in manus hoſtium; quia ſi peccarent traderentur illis: & tamen nullus homo eſt, qui non peccet: ideo facilè eſt, quòd Iſraëlitæ traderentur hoſtibus. Iſtud dictum moderatè ſumendum eſt, quia alioquin concluderetur de Chriſto, & de beata Virgine, quòd peccauiſſent, & non ſolùm venialiter, vel originaliter, ſed etiam mortaliter, & actualiter, quia iſta litera intelligitur de peccato mortali actuali. Quod patet, quia dicitur, quòd traderentur Iſraëlitæ in manus hoſtium propter peccata; & tamen manifeſtum eſt, quòd nemo punitur temporaliter à Deo, niſi pro peccato mortali: ſed intelligendum eſt, quòd dicatur quaſi communiter, ſcilicet, quòd rari homines ſunt, qui non peccent aliquando mortaliter. *Et tratus tradideris eos inimicis ſuis.* Id eſt, Feceris, quòd capiatur ab hoſtibus ſuis, faciendo hoſtes ſuos ſuperiores eis: vel incutiendo timorem eis, vt fugiant: quia iſta ſæpè Deus facit. Leuit. 26. *Et captiui ducti fuerint in terram inimicorum longè, vel propè.* Salomon credebat, quòd aliquando Iſraëlitæ ducerentur in captiuitatem, eo quòd Deus dixerat, quòd propter peccata ducerentur ad alias gẽtes, & maneret terra eorum deſerta, Leuit. 26. & Deuteronomij 28. *Et egerint pœnitentiam in corde ſuo.* Id eſt, Doluerint de peccatis, quia vexatione agẽte redibant ad cor ſuum. Sic patet Leuit. 26. Quia cùm eſſent in terra hoſtili erubeſceret incircunciſa mens eorum, & orarent pro peccatis: & Deus recordaretur fœderis ſui. *Et conuerſi deprecati fuerint in captiuitate ſua.* Id eſt, Conuerſi ad te ex fide, & deuotione credentes, quòd tu miſereberis animo humiliato. *Dicentes peccauimus, iniquè egimus, impiè geſſimus.* Iſta eſt multiplicatio verborum: quia omnia iſta idem ſignant, ſcilicet, quod peccauerunt. Conuenit autem iſta exaggeratio ſermonis hominibus paſſionatis ad exprimendum affectus ſuos: ſic eſt in orantibus pro remiſſione peccati, qui ex contritione cordis verba multiplicant. Vel poteſt dici, quòd hic ponuntur iſta tria ad deſignandum tres modos peccati: nam peccat aliquis in ſe, peccat in proximum, peccat in Deum. Pro primo dicitur peccauimus, ſcilicet, in nobis ipſis. De ſecundo dicitur iniquè egimus, ſcilicet, in proximos, quia iniquitas dicit inæqualitatem: inæqualitas autem eſt iniuſtitia, quæ attenditur in communicatione hominis ad hominem. De tertio dicitur impiè geſſimus, ſcilicet, in Deum. Impietas enim eſt irreligioſitas, vel indeuotio, quia pietas eſt id, quod cultus Dei,

D Septima petitio Salomõis.

E

F

vel

A vel latria, ideo qui circa cultum Dei male se habent, vocantur propriè impij. *Et reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & in tota anima sua.* Istud ponitur ad designandum magnitudinem contritionis, quia si ex magna contritione cordis orarent, Deus exaudiret eos, & reduceret de terra hostili, vt patet Leuit. 26. *In terra inimicorum suorum, ad quam captiui ducti fuerint.* Id est, Dato, quòd non sint orantes in templo tuo, sed de terra inimicorum orent contra templum, exaudies eos, sicut si orarent in templo. *Et orauerint te contra viam terræ suæ, quam dedisti patribus eorum.* Id est, Orauerint contra terram Chanaan, quę data fuit patribus eorum à te in possessionem. Sic enim Daniel existens in Babylone orabat contra Ierusalem tribus temporibus in die, flexis genibus. Dan. 6. *Et ciuitatis, quam elegisti, & templi, quod ædificaui nomini tuo.* Pro eodem ponuntur ista, quia orare contra templum erat orare contra Ierusalem, & orare contra Ierusalem erat orare contra terram Chanaan. Vel aliquis dicet, quòd ponuntur ista, vt si aliquis nesciret determinatè, contra quam partem erat templum, & Ierusalem, saltem oraret contra terram Chanaan; quia de illa non poterat sic ignorare. *Exaudies in cœlo in firmamento habitaculi tui* Id est, Ita exaudias in cęlo, quòd ipsi orant extra templum, sicut si orarent in templo. Dicitur cęlum firmum solium, vel habitaculum Dei: quia cœlum non est substantia dissolubilis. *Et facies iudicium eorum.* Id est, Iudicabis eis iustè condescẽdendo precibus eorum, quia iustum est, quòd

B illi, qui humiliantur, exaudiantur. *Et propitiaberis populo tuo, qui peccauit tibi.* Id est, Misereberis populo tuo, quanquàm peccauerit. *Et omnibus iniquitatibus eorum.* Id est, Remittes omnia peccata. *Quibus prævaricati sunt in te.* Scilicet, per quamlibet iniquitatem, quam homo agit, prævaricatur in Deum: quia ipse iustissimus est, & optimus. quodlibet autem malum repugnat optimo, ideo quælibet iniquitas à Deo prohibita est, sic dicitur Psalm. 5. Scilicet, Odisti omnes qui operantur iniquitatem. *Et dabis misericordiam coram eis, qui eos captiuos habuerint, vt misereantur eis.* Id est, Quando orauerint ad te, concede eis reditum in terram suam, & quandiu non concedis, sed oportet eos manere in terra hostium, saltem da illis inuenire misericordiam coram dñis suis vt nõ tractẽt eos, sicut seruos, sed sicut amicos, & ciues. *Populus enim tuus est, & hæreditas tua.* Ista est suasio ad hoc, quòd Deus Israëlitis semper misereatur, scilicet, non sunt sicut hostes tui, sed sunt populus tuus; ideo licèt peccent contra te, non debes delere eos, sed misereri tanquam filijs. Dicitur & hæreditas tua, id est, aliquid tibi proprium, quia sicut hæreditas manet immobiliter apud hæredẽ, quia Dominus est, ita & populus iste immobiliter est obligatus tibi propter beneficia ei collata. *Quos eduxisti de terra Ægypti.* Id est, Quia pro eis multa fecisti mirabilia educendo de Ægypto, non debes delere illos, quia tunc omnia tua præterita ad nihil proficerent. *De medio fornacis ferreæ.* Id est, In Ægypto erant Israëlitæ in fornace ferrea. Istud ponitur ad

C signandum durissimam seruitutem Ægypti, quia erat sicut fornax, quantum ad ardorem, & sicut ferrum, quantum ad duritiẽ. Vocatur etiam aliqñ ergastulum, Exodi 6. Qui eduxi vos de ergastulo Ægypti. Et aliquando vocatur catena ceruicum, Leuit. 26. Eduxi vos de terra Ægyptiorum, ne seruiretis eis, & confregi catenas ceruicum vestrarum, vt incederetis erecti. *Vt sint oculi tui aperti ad deprecationem serui tui.* Id est, Ad orationem meam, qui sum seruus tuus: & dicitur, quòd sint oculi aperti, non quòd Deus oculos habeat, sed ad signandum attentionem magnam: sicut homines circa ea, quæ custodiunt, oculos aperiunt. *Exaudies eos in vniuersis, pro quibus inuocauerint te.* Scilicet, Orando in templo isto, vel conuertendo se contra illud. *Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de vniuersis populis terræ.* Istud intelligitur à principio populi Israëlitici, scilicet, quòd Deus elegit Abraham, & semen suum: & postea Israëlitas in Ægypto existentes elegit faciens pro eis mirabilia, quousque eduxit illos de Ægypto, deditque illis legem, quam nullis alijs gentibus dedit, ideo de cæteris populis terræ istum sibi elegit solum. *Sicut locutus es per Moysen seruum tuum.* Istud fuit in datione legis, quando dixit Deus Israëlitis, vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptijs, & quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi: si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra, & vos eritis in regnum sacerdotale, & gens sancta, Exodi 19. *Quando eduxisti patres nostros de Ægypto.* Ista verba, per quæ Deus accepit Israëlitas in populum specialem, fuerunt verba fœderis Dei cum Israël, quæ dicta sunt, & fuerunt dicta quasi quadraginta quinque diebus ab exitu de Ægypto. Quod patet, quia Israëlitæ exierunt die quintadecima mensis primi, Exod. 12. ista autem verba dicta sunt prima die mensis tertij in die, qua venerunt Israëlitæ in montem Sinai, Exodi 19. *Factum est.* Hic ponitur quartum huius capituli, scilicet, populi benedictio, & licentiatio, & dicitur: *Factum est cùm complesset Salomon, orans Deum omnem orationem, & deprecationem hanc.* Scilicet, Salomon orauit hucusque, quamquàm aliqua alia ponuntur 2. Paralipomenon 6. Quæ non ponuntur hic: & dicitur oratio deprecatio pro eodem, vel oratio inquantum continet relationem verborum: deprecatio autem inquãtum continet petitionẽ verborum. *Et surrexit de conspectu altaris Domini.* Scilicet, Erat Salomon in atrio laicorum, & tamen erat conuersus ad altare holocaustorum, sed non erat in atrio sacerdotum, vbi erat altare, vt supra declaratum est. *Vtrumque enim genu in terram fixerat.* Scilicet, Quando orabat, habebat genua fixa, sed non erat super terram, sed super quandam basem æneam, altitudinis cubitorum trium, & latitudinis cubitorum quinque, & totidem in longitudine. 2. Paralipomenon 6. *Et manus expanderat ad cœlum.* Ista est conueniens habitudo orantis, scilicet, quòd manus eleuet in cœlum, & genua figat in terra, quia fixio genuum cordis humiliationem notat: manuum verò eleuatio indicat totum desiderium, & spem ad Deum dirigi: quæ si sic se habeant, necesse est orantem exaudiri. *Stetit ergo, & benedixit omni Ecclesiæ voce magna.* Id est, Finita oratione benedixit populo imprecando eis bona, & hæc dixit voce magna, vt totus populus audiret, dicens: *Benedictus Dominus qui dedit requiem populo suo Israël.* Scilicet, Fecit eum quiescere ab hostibus: nam in toto tempore præterito fuerant aliqui hostes; nunc autem tempore Salomonis nullus erat, sicut ipse dixit supra 5. Scilicet, Nunc autem requiem dedit mihi Dominus per circuitum, nec est satan, nec occursus malus. *Iuxta omnia, quæ locutus est.* Ipse enim promisit per Nathan Prophetam ipsi Dauid, quòd tempore Salomonis daret pacem, præcedenti libro, cap. 7. Scilicet, Et ponam locum populo meo Israël, & plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius: nec addent filij iniquitatis, vt affligant eum sicut prius ex die, qua constitui iudices super Israël. *Non cecidit nec vnus quidem sermo de omnibus bonis, quæ locutus est per Moysen seruum suum.* Id est, Non fuit falsus aliquis sermo in verbis Moysi. Dicitur enim cadere sermo, quando deficit à veritate: & iste modus est vulgatus in Scriptura; sic patet supra 1. libro, c. 3. Scilicet, Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Sermones autem Moysi, qui dicuntur hic, sunt illi, quos de benedictionibus obseruantium legem, & de maledictionibus non obseruantium legem, dixit, de quibus Leuit. 26. & Deuter. 28. Hæc autem omnia completa fuerant ante tempus Salomonis: maximè quantum ad benedictiones, eo quòd tunc Israëlitæ colebant Dominum. *Sit Dominus Deus noster nobiscum.* scilicet, benefaciendo nobis. *Sicut fuit cum patribus nostris.* scilicet, Benefaciendo illis. *Non derelinquens nos nec proijciens.* Ista idem sunt: dicitur tamen aliquis derelinquere alium, quando recedit ab eo ipso manente, dicitur autem proijcere, quando non recedit, sed alium deijcit: & ponuntur isti tanquam duo modi inæquales. Primus est, quòd Deus desereret Israëlitas, non curando de eis, sicut de alijs gentibus non habebat curam specialem: & tamen non faceret eis aliud malum. Secundus modus est, quòd non solùm non faceret eis bonum, sed etiam infligeret mala, tradendo in manus hostium, vel infligendo alias plagas. Primum est deserere. Secundum est deijcere, vel proijcere; & contra vtrumque orabat Salomon, ne fieret. *Si inclinet corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis vijs eius.* Ad hoc enim, quòd quis Deum diligat, vel bonum faciat, aut velit: oportet, quòd Deus eum moueat, alioquid est impossibile, quòd aliquid agat boni, sic patet Ioannis 15. scilicet, Sine me nihil potestis facere, id est, non potestis aliquid mereri, nisi ego vos mouero ad operandum. *Et custodiamus mandata eius.* scilicet, Moralia, sicut sunt ea quæ habentur in decalogo. *Et cæremonias.* Ista sunt præcepta cæremonialia de ritu colendi Deum, de quibus maximè in Leuitico, & Deute-

D

Populi benedictio, & licentiatio.

E

F

A ronomio. *Et iudicia quæcunque mandauit patribus nostris.* Ista sunt præcepta iudicialia pertinentia ad causas forales, de quibus Exod. 21. & vsque ad 24. & sæpè in Deuteronomio. *Et sint sermones mei isti, quibus deprecatus sum coram Domino: appropinquantes Domino Deo nostro die, ac nocte.* Id est, Omnes sermones isti, quos ego nunc protuli in oratione mea, sint appropinquantes ad Dominum, id est, teneat eos Deus memoriter, nec obliuiscatur illorum, vt faciat eos. *Vt faciat iudicium seruo suo, & populo suo Israël per singulos dies.* scilicet, Deus misereatur mihi seruo suo, & populo suo faciens iudicium, id est, ex iustitia miseratus: intendebat enim Salomon, quòd de cætero ipse & totus populus Israël colerent Deum: & tunc iustũ erat, quòd benefaceret eis, ideo dicit, quòd per singulos dies faciat eis iudicium, id est, retribuat bona secũdùm iustitiam: nã ipse promisit colentibus eum benefacere, Leuit. 26. & Deut. 28. *Et scient omnes populi terræ, quòd Dominus ipse est Deus, & non est vltra absque eo.* Id est, si Deus benefecerit nobis specialiter, sicut promisit, omnes gentes scient quòd ipse est Deus: quia confert nobis talia bona, quia conferre non possunt alij Dij gentium cultoribus suis. Etiam scient, quòd non est vltra absque eo, id est, quòd nullus alius Deus est præter ipsum. Istud enim scirent gentes, quando Deus ita benefaceret Israëlitis, quòd traderet alias gentes in manus eorum, cùm esset pugna, vel faceret alia mirabilia contra Deos aliarum gentium: sicut fecit contra Deos Philistinorum confringens illos, supra 1. lib. cap. 6. Et contra Deos Ægyptiorum, in quibus exercuit iudicia, scilicet, comminuendo eos in puluerem die, qua exierunt Israëlitæ de Ægypto, Num. 33. *Sit quoq; cor nostrum cum Domino Deo nostro.* Dicitur esse cor perfectum cum Deo, quando totaliter fertur in Deum, & non partim ad idola, sicut dixit Samuel: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri Baalim, & Astaroth, supra 1. lib. cap. 7. *Vt ambulemus in decretis eius, & custodiamus mandata eius.* Mandata, & decreta idem sunt, sed accipiuntur hic pro diuersis generibus præceptorum, cùm essent tria genera, vt supra dictum est. *Sicut & hodie.* Id est, sicut hodie obseruamus. Ex hoc apparet, quòd tempore ædificationis templi omnes Israëlitæ colebant Dominum, & sic orabat Salomon, vt sicut nunc colebant Dominum, ita semper colerent. *Igitur Rex & omnis Israël cum eo immolabant victimas coram Domino.* Ista immolatio non fuit solùm prima die dedicationis templi, in qua Salomon fecit orationem præcedentem, sed etiam in omnibus septem diebus, quibus durauit dedicatio. Sciendum autem, quòd sicut Deus ad ostendendum se acceptare istud tẽplum, impleuit illud nebula mox, vt sacerdotes exierunt, locata ibi arca: ita ad ostendendum se acceptare sacrificia, quæ futura erant super altare holocaustorum, misit ignem de cœlo prima die dedicationis ad cremandum sacrificia. 2. Paralipom. 7. *Mactauitq; Salomon hostias pacificas, quas immolauit Domino.* Hic ponitur numerus animalium, quæ obtulit Salomon in dedicatione templi præter animalia, quæ populus immolauit. *Boum viginti duo millia: & ouium centum viginti millia.* Omnia ista animalia oblata sunt in hostias pacificas, & nullum eorum in holocaustum, nec pro peccato. Causa huius videtur esse, quia de sacrificio holocausti nihil offerenti, aut sacerdoti prouenit, sed totum crematur, Leuit. 1. De hostia autem pro peccato prouenit aliquid sacerdotibus, sed nihil offerentibus, Leuit. 4. & 6. De hostia verò pacifica prouenit maxima pars offerenti, scilicet, omnes carnes præter pectusculum, & armum dextrum, & adipes, qui cremantur coram Deo, Leuit. 3. & 7. Salomon autem volebat nunc totum populum pascere, quia venerat ad dedicationem templi: ideo offerebat ista sacrificia pacifica, vt maxima pars carnium ei proueniret, de quibus populũ pasceret. Præter hæc autẽ animalia obtulit aliqua Salomon in holocaustum licèt pauca, quia infra dicitur, fecit quippe ibi holocaustum, & sacrificium. *Et dedicauerunt templum Domini Rex, & omnes filij Israël.* scilicet, Obtulerunt ibi sacrificia, & per hoc dedicabatur ad faciendum ibi similes cæremonias de cætero. Dum autem fierent ista sacrificia Leuitæ canebant in organis, quæ fecerat Dauid ad laudandum Dominum. 2. Paralipomenon 7. *In die illa sanctificauit Rex medium atrij, quod erat ante domum Domini.* Istud est atrium sacerdotum, quod erat ante domum Domini, id est ante templum: nam ad portam Orientalem templi erat porticus, & apud porticum ad Orientem erat atrium sacerdotum: istud nunc sanctificatum est, id est, dedicatum fuit, ad offerendum ibi sacrificia. Et est sensus, quòd Rex obtulit sacrificia valde multa, & totus populus die prima dedicationis templi: ita quòd non poterant capi in altari holocaustorum, ideo Rex fecit, quòd in pauimento atrij cremarentur sacrificia, scilicet, quòd ponerentur ligna multa in pauimento atrij, & super illa ponerentur sacrificia, & cremarentur ibi, sicut in altari. Hoc autem licitum fuit, quia licèt prohibitum esset offerri sacrificia alibi, quàm in altari holocaustorum, quod erat in atrio sacerdotum, tamen nunc ex necessitate licuit, cùm non possent capi sacrificia super altare. Etiam non videbatur agi contra legem, quia nunc cremabantur sacrificia in atrio sacerdotum apud ipsum altare, & simul in altari: & sic videbatur totum atrium sacerdotum esse nunc tanquam vnum altare. Intentio autem legis erat, quòd non offerrentur sacrificia in diuersis locis ad euitandum idololatriam. Sciendum etiam, quòd istud factum est ex dispensatione summi sacerdotis, qui tunc erat, scilicet, Sadoc, vt patet supra 4. Nam ad eum pertinebat prouidere in omnibus, quæ pertinebant ad Dei cultum, & ipse debebat dubia determinare: quia tamen ex mandato Regis factum est, dicitur Rex sanctificasse atrium. Sciendum etiam, quòd istud non fuit pro semper, ita vt quocunque tempore liceret offerri sacrificia in medio atrij in pauimento, sed solùm fuit dispensatio facta pro tempore dedicationis septem diebus, eo quòd tunc sacrificia non poterant capi super altare præ multitudine: alijs autem temporibus non erant tot sacrificia, sed poterant capi super altare; ideo stabatur iuri communi, scilicet, quòd offerretur solùm super altare: *Fecit quippè ibi holocaustum, & sacrificium, & adipem pacificorum.* Id est, Obtulit, vel combussit ibi holocausta, & sacrificia pro peccato, & hostias pacificas. Hic ponuntur tria genera sacrificiorum, & præcipuum erat holocaustum: de istis tamen pauca facta sunt. Secundum erat sacrificium pro peccato, quod vocatur sacrificium absolutè: & etiam de istis fuerunt pauca. Tertium fuit sacrificium pacificum: & de isto dicitur, quod obtulit adipem pacificorum: & dicitur adipem pacificorum, quia de sacrificijs pacificis nihil cremabatur in altari, nisi adeps, vt patet Leuit. 3. Nisi offerrentes oues vel arietes in hostias pacificas: quia de eis offerebatur ad cremandum adipes, & renes, Leuit. 3. Aliter potest intelligi, quòd solùm hic duo genera sacrificiorum, scilicet, holocaustum, & hostia pacifica, & cùm dicitur sacrificium, quòd intelligantur libamenta, quæ offerebantur cum holocaustis, & hostijs pacificis, scilicet, farina, vinum, oleum, thus, & sal: ista enim vocantur sacrificia, vt patet Leuit. 2. Etiam si offeratur sola farina, vocabitur sacrificium, sicut erat in sacrificio zelotypiæ, in quo sola farina hordeacea offerebatur, Numerorum 5. Et iste sensus est melior, quia 2. Paralipomenon 7. ponuntur solùm holocausta, & adipes. Postea autem dicit de sacrificijs, tanquàm illa sint libamenta holocaustorum, & pacificorum. *Quia altare æneum, quod erat coram Domino minus erat, & capere non poterat sacrificium, & holocaustum, & adipem pacificorum.* Ista est causa, quare sacrificia facta sunt in pauimento atrij: nam si fuisset locus capax sacrificiorum in altari, illicitũ esset extra fieri sacrificia. Dicitur autem, quòd erat minus, id est, sufficiens ad capiendum sacrificia. Aliqui intelligunt istud esse altare Moysi, quod erat minus, scilicet, quàm altare Salomonis; quia altare Salomonis habebat in longitudine cubitos viginti, & totidem in latitudine: in altitudine autem cubitos decem. 2. Paralipomenon 4. Altare autem Moysi habebat quinque cubitos in latitudine, & totidem in longitudine, & tres in altitudine. Exod. 27. Sed istud non stat, quia 2. Paralipomenon 7. dicitur, quòd sanctificauit Salomon medium atrij, quia altare æneum, quod fecerat non poterat sustinere holocausta. Ergo non intelligitur de altare Moysi, sed Salomonis: illud tamẽ erat adhuc paruum ad capiendum sacrificia. *Fecit ergo Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem.* Ista fuit festiuitas quatuordecim dierum, quæ fuit celebris in duratione, & etiam in solennitate cæremoniarum, scil. quia multa sacrificia tunc oblata sunt, & totus populus interfuit illi. *Et omnis Israël cum eo multitudo magna.* scilicet, Omnes viri de Israël, quia non debebat manere aliquis masculus in toto Israël, qui non ascenderet ad solennitatem istam, quia dato quòd non ascenderent propter dedicationem templi, tamen saltem ascendere debebant ad festum tabernaculorum,

Tria genera sacrificiorũ sacta dedicatione templi.

quod

A quod tunc erant, in quo tenebantur omnes Israëlitæ venire ad locum Sanctuarij, Exod. 23. & 34. & Deuteronom. 16. *Ab introitu Emath vsque ad riuum Ægypti.* Isti sunt termini terræ Chanaan à Meridie, & Aquilone. Nam Emath est quædam ciuitas, quæ alio nomine vocatur Reblata, & ista est in latere Aquilonari terræ Israël. Numer. 34. Et ista vocata fuit postea Antiochia, in qua beatus Petrus præfuit annis septem, & sic fuit prius sedes Apostolica, & Papatus in Antiochia, quàm in vrbe Romæ: & propter honorem sedis Apostolicæ quæ ibi fuit, facta est sedes Patriarchalis. Vnde nunc vnus de Patriarchis vocatur Patriarcha Antiochenus. Riuus Ægypti est quidam dictus Rinocorula, qui exiens de desertis Arabicis transit per latus Meridianum terræ Chanaan: & sic multoties ponitur iste riuus pro termino terræ Chanaan, vt patet Genes. 15. scilicet, Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Ægypti, vsque ad flumen magnum Euphratem. Sciendum autem, quòd termini terræ Chanaan diuersimodè nominantur, maximè latus Meridianum, & Aquilonare. Nam latus Orientale interdum ponitur mare rubrum: sic patet Exod. 23. scilicet, Ponam terminos vestros à mari rubro vsque ad mare Palæstinorum: aliquando dicitur terminus Orientalis Aroer, vel Arnon. quod patet, quia terra duarum tribuum, & dimidiæ est terra Orientalis, respectu reliquæ terræ Chanaan, & tamen ista dicitur pro Oriente habere Arnon, vel Aroer. Deuter. 2. & Iosue 13. Est autem ista terra Orientalis reliquæ terrę Chanaan. Numer. 32. & Iosue 2. Latus tamen istud Orientale, siue dicatur mare rubrum, siue Arnon, siue Aroer, quia ista sunt coniuncta: latus autem Occidentale est mare magnum. Numer. 34. Et aliquando vocatur mare Palæstinorum. Exod. 13. Latus autem Meridianum vocatur aliquando Bersabee, sicut cùm dicitur à Dan vsq; Bersabee, supra 4. & præcedenti libro, capite decimoseptimo, & vltimo. Aliquando dicitur à fluuio Ægypti, vt patet hic, & Gen. 15. Aliquando dicitur à fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum, Iosue 13. Aliquando dicitur Asior Ægypti, 1. Paralipomenon 13. vbi dicitur Asior vsq; Emath: & tamen ibi ponuntur terminus Meridianus, & Aquilonaris: Aliquando dicitur desertum, Exodi 13. scilicet, Ponam terminos tuos à mari rubro vsque ad mare Palæstinorum: & à deserto vsque ad fluuium. Et est ibi desertum pro desertis Arabicis, quæ sunt in latere Meridiano terræ Chanaan. Idem patet Deuterono. 11. & Iosue 1. Latus istud etiam vocatur interdum Cadesbarne, Num. 13. cùm dicitur, quòd exploratores introierunt à Cadesbarne vsque Roob, quæ est in terra Emath. Latus autem Aquilonare etiam vocatur multis nominibus, quia aliquando vocatur Dan: sicut cùm dicitur: A Dan vsque Bersabee: & tamen Bersabee est in Meridie, & Dan in Aquilone: aliquando ponitur Emath, vt patet hic, & 1. Paralipomenon 14. & Numer. 34. Aliquando ponitur fluuius Euphrates, Genes. 15. Aliquando autem fluuius absolutè, Exod. 23. & Psalm. 72. scilicet, A flumine vsque ad terminos orbis terræ, aliquando ponitur Libanus, Deut. 11. & Iosue 1. Aliquando ponitur Roob, Numer. 13. Omnia tamen ista, quamquam varia sint, significant eosdem terminos, cùm sint loca inter se coniuncta, & aliquando sunt plura nomina, & vna res signata. *Coram Domino Deo nostro.* Id est, In atrio laicorum, & sacerdotum, qui erant coram Domino, id est, corã altari holocaustorum, in quo Deus specialiter esse dicitur, quia ibi fiebant ei sacrificia. Vel coram Domino, id est, corã templo, in quo erat arca fœderis, & gloria Domini inter Cherubim. *Septem diebus, & septem diebus, id est, quatuordecim diebus.* Durauit enim ista solennitas quatuordecim diebus, qui distincti erant per septem, & septem, eo quòd ista solennitas durabat per istos quatuordecim dies: tamen duæ festiuitates erant, quia prima erat ad dedicationem templi. Secundi autem septem dies erant ad festum tabernaculorum. *Et in die octaua dimisit populos.* Ista erat dies quintadecima solennitatis continuæ: sed vocatur dies octauus, respectu secundæ solennitatis, scilicet, tabernaculorum: & ista vocatur dies cœtus, & collectæ, scilicet, quia congregabatur populus, & colligebatur pecunia per singulos ad sacrificiorum expensas: & nunc Salomon in isto octauo die fecit collectam, vt patet 2. Paralipomenon 7. scilicet, Fecitque die octauo collectam, eo quòd dedicasset altare septem diebus: in ista autem octaua die recessit populus, licèt Nicolaus dicat, quòd in ista die accepit populus licentiam recedendi, sed non recessit vsque ad sequentẽ diem. Sed dicendum, quod non stat, quia iste dies octauus cœtus, & collectæ non habuit aliquid specialius nunc, quàm in alijs festis tabernaculorum: sed in alijs non dabatur licentia in ista die, quia iam statutum erat à lege, quando recedere possent à loco Sanctuarij, ideo non oportebat, quod acciperent licentiam in isto die pro sequenti ad recedendum; quia iam cognitum erat, quando recedere deberent: ergo non acceperunt licentiam in isto die, sed recesserunt. Item dies octauus non erat de festiuitate tabernaculorum; quia solùm ponuntur septem dies eius, Leuit. 23. & Deuter. 16. Sed dies octauus dicebatur cœtus, & collectæ, eo quòd finita festiuitate colligebantur pecuniæ: nihil ergo impediebat illa die recedere facta collecta. *Qui benedicentes Regi, profecti sunt in tabernacula sua.* scilicet, Imprecati sunt multa bona Salomoni, qui tale templum construxerat, & eos magnificè pauerat in illa solennitate. *Lætantes, & alacri corde.* scilicet, Ibant valde gaudentes de Sanctuario. *Super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid seruo suo, & Israël populo suo.* Id est, Gaudebant, quia Deus fecerat multa bona Dauid, scilicet, dando ei filium tam sapientem, qui ædificaret domum Domino, & exaltaret gloriam Regni Israël. Et dicebatur istud bonum factum Dauid, quia meritis eius fiebant omnia hæc Salomoni. Etiam populo suo Deus benefecit dando eis Regem sapientem, & dando templum glorioſum, in quo orarent, & pacem cum hostibus, & omnia prospera: nam tempore Salomonis cùm ædificatum est templum fuit Israël in maiori gloria, quã fuerit præteritis sæculis, & quàm postea vnquàm fuerit: sed 2. Paralipomenon 7. dicitur: Super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Dauid, & Salomoni, & Israël. Hebræi autem exponunt aliter hoc, scilicet, quòd Israëlitæ gaudebant de quodam miraculo speciali, quod fecerat Deus nunc Dauid. Dicunt enim, quòd quando sacerdotes portabãt arcam fœderis, vt introducerent in templum, portæ templi diuinitùs clausæ sunt, quasi videretur Deus nolle recipere arcam interius: tunc Sacerdotes, & Leuitæ inceperunt orare, vt Deus aperiret templum, & cantauerunt Psalmum 131. scilicet, Memento Domine Dauid. Et cùm accesserunt ad illum versum, scilicet, Propter Dauid seruum tuum nõ auertas faciem Christi tui, id est, Nõ auertas faciem Salomonis, qui est Christus tuus, id est, vnctus à te in Regem, scilicet, non confundas faciem eius non aperiendo templum, & tunc portę templi diuinitùs reseratæ sunt: & sic apparuit, quòd propter merita Dauid Deus faciebat ista mirabilia: in quo Deus valde benefaciebat ei ostendendo mirabilia propter eum solum. Istud potest habere aliquem colorem, ex eo quod habetur 2. Paral. 6. cùm dixit Salomon: Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu, & arca fortitudinis tuæ: sacerdotes tui Domine induantur salutem, & sancti tui lætentur in bonis: Dñe Deus ne auertas faciẽ Christi tui: memẽto misericordiarum Dauid serui tui. Dicendum tamen, quòd siue hoc acciderit, siue non, apparere non potest; satis tamen videtur dicẽdum, quod non fuerit, quia si tale miraculum accidisset, tangeretur hic, vel saltem in Paralipomenon, vbi supplẽtur, quæ omissa fuerunt in libris istis. Sed adhuc dato, quòd accidisset istud miraculum, litera non potest intelligi de hoc, sicut volunt Hebræi, quia dicitur super omnib⁹ bonis, quæ fecit Dominus Dauid seruo suo, sed multa alia fecit, ideo non intelligitur de hoc. Item dicitur super omnibus bonis, quæ fecit populo suo, & tamen istud non fuit factum propter populum, sed propter Dauid, vt ipsi dicunt, ergo non potest intelligi de hoc. Sed dicendum, quod intelligitur de bonis, quæ fecit toti Israël, id est, de prosperitatibus, quæ nunc erant, vt supra declaratum est.

De hoc latius vide Dom. Abulẽ. Iosue 2. cap.

B

C

D

E

F

An porta templi fuerint de se aperta.

Caput IX.

FACTVM est autem cùm perfecisset Salomon ædificium domus Domini, & ædificium Regis, & omne, quod optauerat, & voluerat facere, apparuit ei Dominus secundò, sicut apparuerat ei in Gabaon.

De pœni. dist. 2. c. si enim.

Descripta in præcedentibus templi ædificatione: hic agitur de ædificantium remuneratione: & diuiditur in tria,

quia

quia primò ponitur remuneratio Salomonis, qui fuit principalis in ædificando. Secundò remuneratio Hiram Regis Tyri, qui Salomonem adiuuit ei ligna cedrina, & abiegna ministrando ibi. *Explebis autem.* Tertiò de remuneratione totius populi, qui cooperatus est Salomoni in laboribus, & expensis adiuuando, ibi. *Hæc est summa.*

An ordo rectus sit, & immediatus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ista quæ habentur hic fuerint immediate facta post præcedentia, & an sit rectus ordo. Respondendum, quòd hic est rectus ordo, quia supra dicebatur de ædificatione, & dedicatione templi: hic autem dicitur de muneratione ædificantium. Quòd autem istud fuerit pauco tempore post præcedentia, apparet; quia infra dicitur, quòd Salomō dedit viginti oppida in terra Galileæ ipsi Hiram completis viginti annis, scil. à principio ædificationis: & tamen viginti annis solū durauit ædificatio templi, & domus Salomonis: ideo illud, quod dicitur infra de Hiram, fuit pauco tempore post ea, quæ habentur supra, scilicet, annis tredecim: nam templū immediatè fuit dedicatum, vt consummatū est: immo antequā consummarentur omnia, quæ erant in templo, vt declaratū est supra in litera, sed templū finitū est in septem annis, vt patet supra 6. Ergo manebant tredecim anni vsq; ad complectionem anni vigesimi in quo Salomon dedit oppida Hiram. Alia tamen sunt hic, quæ fuerunt facta immediatius post præcedentia, scilicet, quòd apparuerit Dominus Salomoni, & dixerit ista, quę habentur hic paruo tempore: tamen ante fuit, quia ista apparitio fuit completo ædificio domus Domini, & domus Regis, ideo potest dici, quòd ferè omnia, quę habentur hic, fuerunt facta tredecim annis post præcedētia, vt patet hic in litera; quia tamē nō cōtinetur hic vnica historia, sed multæ res, quæ fuerunt prius, & aliquæ posterius. *Factum est autem, cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini, & ædificium Regis.* Scilicet, Istud, q̄ dicitur hic de apparatione Dei facta Salomoni fuit, cōpleto ædificio domus Dei, & domus Regis: & sic fuit annis tredecim post præcedentia, quia templo finito, incepta est domus Regis, & durauit tredecim annis, supra 7. Et tamē dedicatio, de qua habetur præcedenti cap. fuit immediatè post completionē. Sciendum tamen, quòd ista limitatio temporis solū refertur hic ad apparitionē Dei factam Salomoni, de qua immediatè dicitur, quia alia fuerunt alijs temporibus. *Et omne, quod optauerat, & voluerat facere.* Id est, Postquàm cōpleuit omne, quòd desiderauit facere. Istud intelligitur de aliquibus ædificijs particularibus, quæ faciebat, dum ædificaret domum Domini, & domum Regis: & tamen ista non fuerunt extra viginti annos, in quibus ædificata est domus Dei, & domus Regis. *Apparuit ei Dominus secundò.* Scilicet, Cum iam nihil ædificaret Salomon, apparuit ei Deus.

Deus quomodo apparuit Salomoni; & quot modis Deus hominibus aliqua reuelat.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR quomodo apparuit hic Deus Salomoni. Respondendum, quòd multi modi sunt, quibus Deus apparet hominibus. Vnus est, quòd veniat aliquis Angelus Dei, sumpta figura humana, & videatur, atque loquatur, sic apparuit Gedeoni. Iud. 6. Sic etiam apparuit Manue, & vxori eius. Iud. 13. Secundo modo apparet in sola voce cum ad vigilantem hominem aliqua vox mittitur, & non videt aliquam effigiem: sic fuit de Israelitis, quibus Deus locutus est dando legem, scilicet, Angelus Dei. Exod. 20. & Deuteronom. 5. Et tamen nullam effigiem viderunt Deuteronom. 4. Sic etiam Moyses audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio. Num. 7. Et nullam videbat effigiem: sic etiam apparuit Samueli cum ter vocauit eum Deus, & putabat se vocari ab Heli, supra 1. lib. cap. 3. Tertio modo apparet Deus hominibus per somnia, Sic patet Nume. 12. Scilicet, Siquis Propheta Domini est inter vos, aut in visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad illum. Et sic debet intelligi de omnibus, de quibus dicitur, quòd apparuit eis Deus per noctem: sic patet de Daniele, Dan. 7. Sic etiam de Abimelech Rege Geraræ. Genes. 20. Et de Iacob eunte in Ægyptum. Genes. 46. Et de Ioseph viro Mariæ. Matth. 2. Quartus modus est per immutationem intellectus, scilicet, quòd Deus eleuet intellectum alicuius ad intelligendum aliquid supernaturaliter, quòd aliter intelligere non poterat. Et istud fit dupliciter aliquando cum ecstasi, vel raptu, sicut fuit in Beato Paulo. 2. ad Corinth. 12. Aliquando sine ecstasi: & sic fuit in Eliseo. sequenti libro, capit. 3. Et sic de multis alijs Prophetis. Nunc autem dicendum, quòd Salomoni quilibet istorum modorum conuenire poterat, & tamen tertius modus fuit, per quem Deus ei apparuit, scilicet, in somnijs. Quod patet, quia dicitur hic, quòd apparuit ei secundò, sicut apparuerat in Gabaon: manifestum est tamen, quòd in Gabaon apparuit Deus in somnijs, scilicet, quando dedit ei sapientiam, vt patet vt supra 3. & 2. Paralipom. 1. Ideo etiam apparuit ei nunc in somnis.

Quare Deus apparuit Salomoni. Et quòd ter Dominus locutus est Salomoni.

QVÆSTIO III.

VLTERIVS quęretur, ad quid apparuit Deus nunc Salomoni. Respondendum, quòd Salomon laborauerat fideliter ædificando domum Domini, scilicet, quia totò desiderio institerat circa eam, plusquàm circa domum suam, pro quo præmiandus erat, & Deus voluit eum remunerare: & sic apparuit ei ad promittendum bona. Pro quo sciendū, quòd Deus ter legitur locutus Salomoni, & omnes istę locutiones fuerunt ordinatæ ad templi ędificationem. Prima fuit quando apparuit ei in Gabaon dando sapientiam, quia tunc disposuit eum ad ædificandum templum complendo omni sapientia, per quam poterat excogitare quidquid erat necessarium, vel conueniens ædificationi. De hoc supra 3. Secunda locutio fuit, quando ædificabatur templum, tunc enim conueniens erat, quòd Deus ei appareret ad confortandum eum in ædificatione, quia fortè præmagnitudine operis pigritaret, ideo decebat, vt Deus appareret ei ad confortandum ipsum promittendo aliqua bona, & sic fieret ardentior in opere. Tertiò autem apparuit ei post completionem operis, & tunc etiam decebat, quòd appareret; quia laborauerat fideliter Salomon ædificando templum, pro quo merebatur à Deo aliquid recipere, & ad hoc apparuit sibi Deus promittens bona. De apparitione, vel locutione secunda patet supra 3. De tertia patet hic.

An ista apparitio fuerit tertia, vel secunda.

QVÆSTIO IIII.

VLTERIVS quæretur, quomodo dicitur, quòd apparuit nūc Deus secundò Salomoni. Nam videtur, quòd ad minus ista sit tertia apparitio, quia apparuit ei semel in Gabaon, supra 3. Et iterum cum ædificaret templum, supr. 6. Et iterum apparuit nunc ædificato templo. Aliquis dicet, quòd quanquam fuerint tres apparitiones, tamen ista non fuit tertia, licet ponatur tertio loco, eo quòd est aliqua anticipatio, vel recapitulatio, scilicet, quòd deberet ista poni in secundo loco. Sed dicendum, quòd non stat; quia necesse est esse hic ordinē continuatū: nam si ista est secunda, oportet, quòd præcesserit ad aliquam de illis duabus, quæ supra habentur: sed nō potest præcedere ad aliquam earum. De prima patet, quia illa fuit facta in Gabaon, vt patet supra 3. Et nunc nondum erat factum templum Salomonis: nam dicitur ibi, quòd ob hoc Israelitæ sacrificabant in excelsis, quia nondum ædificatum fuerat templum Domino vsq; in diem illum: ista autem, de qua hic, fuit post ædificationem templi, & domus Regis, ergo fuit post illam. De alia patet, quia illa fuit, dum ædificaretur ipsum templum Salomonis, vt patet supra 6. cum dicitur: Domus hæc, quam ædificas: & ista fuit post ædificationem templi, & domus Regis, ergo fuit ista post illam plusquàm tredecim annis: & sic fuit ista tertia in ordine, nec est aliqua anticipatio, vel recapitulatio. Sed

A dicendum, quòd iſta apparitio poteſt vocari ſecunda dupliciter. Vno modo dicendo, quòd quanquã fuerunt tres locutiones factæ Salomoni ex parte Dei; tamen nõ fuerunt tres apparitiones, ſed duæ tantum, ſcil. iſta, de qua habetur hic, & illa quæ habetur ſupra 3. Illa autem, de qua ſupra 6. non fuit apparitio, ſed locutio ſolum ſcilicet, quia fortè Deus miſit per Prophetam ad dicendum Salomoni ea, quæ habentur ibi: & non apparuit ei: quòd colligitur, quia in prima, & in tertia dicitur, quòd apparuit Dominus Salomoni: in ſecũda autẽ nõ dicitur, ꝙ apparuit, ſed quòd factꝰ eſt ſermo Domini ad Salomonẽ, & iſte ſermo poterat fieri per Prophetã, vel per Angelum loquentẽ loco Dei. Aliter dici poteſt, quòd iſtę tres fuerunt apparitiones, & ſic erat iſta tertia: vocatur tamen ſecunda, quantũ ad modũ, ſcil. quia iſta cõcordauit primæ: ſecunda autem non: vtpote quia iſta facta eſt in ſomnijs, & prima etiã. ſecunda autẽ non fuit in ſomnijs, ſed apparente Angelo, vel aliàs. Et iſta ſolutio videtur colligi ex litera, quia dicitur, Apparuit Dominus Salomoni ſecundò, ſicut apparuerat ei in Gabaon: & de illa, quæ habetur ſupra 6. Non dicitur, quòd fuit talis, ſicut illa, quæ fuit in Gabaon. Ideo iſta fuit ſecunda in modo: ſi autem fuiſſent omnes tres ſimiles, diceretur iſta tertia, ſed adhuc præcedens ſolutio rationabilior eſt. *Sicut apparuerat ei in Gabaon.* Scilicet, Quando iuit illuc ad offerendum, & obtulit mille hoſtias. Nam tunc

B Deus apparuit ſibi in ſomnis, & dedit ei ſapientiam, ſupra 3. *Dixitque Dominus ad eum.* Id eſt, Angelus loco Dei: quia Deus non loquitur. *Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam.* Intelligitur de oratione, quam fecit in dedicatione templi. præce. cap. Et ſic Salomon orauerat ad Dominum: & tamen nondũ ſciebat, an Deus exaudiſſet orationem, & poſt annos tredecim conſummata domo ſua, & omnibus ædificijs eius apparuit ei Deus, & certificauit de exauditione. *Quam deprecatus coram me.* Id eſt, Coram altari meo, quia in altari Deus ſpecialiter eſſe dicitur. Vel corã me, id eſt, corã templo meo, in quo erat, arca, & Deus ibi dicebatur eſſe ſpecialiter. *Sanctificaui domum hanc, quam ædificaſti.* Id eſt, Applicaui ad cultum meum, ſcilicet, acceptans, quòd hic fiant cæremoniæ cultus mei. Nam ſanctificare nihil aliud eſt, niſi Deo aliquid applicare, & ſic quando quis vouet aliquid Deo, dicitur ſanctificare illud, vt patet Leuit. 27. Et ſic Deus aliquid ſanctificat, quando acceptat illud, quòd ſibi homines applicant: & ſic fuit hic, quia Salomon applicauerat iſtam domum ad cultũ Dei: neſciebat tamen an Deus acceptaret, & hic Deus certificauit, quòd acceptaſſet illud clarius, patet 2. Paralipomen. 7. Cum dicitur, Elegi enim, & ſanctificaui locum iſtum. *Vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum.* Id eſt, Vt inuocetur nomen meum in domo iſta ſemper, & vocetur domus mea, & ego exaudiam orantes in illa *Et erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Id eſt, Ego accedam ſemper ad iſtam domũ.

C Dicit hoc, quia Salomon orauerat, præced. capitu. Quòd oculi Domini eſſent aperti die, ac nocte ſuper domũ iſtam: & iſtud erat, quòd ſemper attenderet, ne quis de hoſtibus poſſet ei nocere, quòd patet, quia infra, cum ponitur contrariũ, dicitur quòd domus iſta erit in exemplum, & in opprobrium. Etiam intelligitur, quòd attenderet ſuper domũ iſtam ad exaudiendum omnes orationes, quæ ibi fierent.

Quomodo Deus dixit, quòd poneret nomen ſuum in æternum in templo Salomonis, cum omnia deberent ceſſare veniente lege noua, etiam ſi non peccarent Iudæi.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR quomodo dixit Deus, quòd poneret nomen ſuum in ſempiternum in domo iſta, quia hoc non ſtat nam lex noua aliquando futura erat, & tunc ceſſarent omnes cæremoniæ Veteris Teſtamenti, & conſequenter cæremoniæ, quæ fiebant in domo hac. Aliquis dicet, quòd Deus Dixit iſtud conditionaliter, ſcilicet, ſi Iſraelitæ colerent ſemper Deum, quia tamen non coluerunt, ceſſauit eſſe nomen Domini in domo illa, & omnes cæremoniæ, quæ ibi fiebant: ſic patet infra, quia dicitur, quòd ſi Iſraelitæ colerent idola, domus iſta eſſet in fabulam, & exemplum omnibus populis. Reſpondendum, quòd etiam hoc non ſtat, quia dato, quòd Iſraelitæ nunquam coluiſſent idola, nec infringerent legem, adhuc daretur lex noua aliquando, quia lex vetus non fuit inſtituta, vt ſemper maneret, ſed vt aliquo tempore eſſet, quouſque homines, qui adhuc valde rudes erant, & tanquam paruuli erudirentur aliqualiter ad ſuſtinendum legem, vt ſic efficerentur diſpoſiti ad ſeruandum legem perfectionis, quando daretur. Nam ſi immediatè fuiſſet data hominibus rudibus non præexiſtente aliqua diſpoſitione, non poſſent obſeruare illam, quia eſſet eis valde diſconueniens: & ſic dato, quòd ſemper colerent Deum, quando iam eſſent perfectè aſſueti ad ſuſcipiendum legem perfectionis, tunc daretur. Iſtud manifeſtè declarat Apoſtolus ad Galatas 3. Scilicet, Lex itaque pędagogus noſter fuit in Chriſto, id eſt, fuit lex Moyſi, tanquam pędagogus reſpectu pueri; quia per timorem erudit eum ad ſuſcipiendum conuenientem diſciplinam, quouſque venerit ætas perfecta, in qua ex ſeipſo ratione ducente aſſequatur rectitudinem morum: & fuit pædagogus in Chriſto, id eſt, pædagogus quouſque veniret Chriſtus. Patet etiam ad Galatas 4. Vbi dicitur, quòd in Veteri Teſtamento erant homines, ſicut paruuli relicti à patribus in hæredes, qui tamen non videntur habere aliquod dominium rerum, ſed videntur eſſe ſerui ſub tutoribus, & auctoribus vſque ad tempus præfinitum à patre & tunc incipiunt eſſe tanquam veri domini, & ita ſubditur ibi de Veteri Teſtamento: Itaque, & nos cum eſſemus paruuli, ſub elementis mundi eramus ſeruientes: at vbi

E venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, & cætera. Neceſſe ergo erat, quòd aliquando homines acciperent aliam legem, cum lex vetus eſſet, ſicut rudimentum quoddam, id eſt, doctrina rudium vel puerorum. Item patet, quia Ieremiæ 31. dicitur: ecce dies venient, & feriam domui Iſrael, & domui Iuda fœdus nouum non ſecundum pactum, quòd pepigi cum patribus veſtris die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de Ægypto: ergo neceſſe erat illud pactum aliquando iniri, & tunc ſaltem ceſſarent cæremoniæ, quæ fiebant in hoc templo. Item manifeſtum eſt, quòd non introducta fuit lex noua ob hoc, quòd Iſraelitæ colerent idola, quia tempore, quo Chriſtus venit, & data eſt lex Euangelica, erant Iudæi obſeruantiſſimi legis ſuæ, ſcilicet, quòd nullo modo colebant idola, nec fuit aliquod tempus, in quo tam exterminata eſſet idololatria de Iſrael, ſicut cũ Chriſtus venit, & aliquanto tempore ante. Nam multi de Iudæis mortui ſunt, vt colerent quandam aquilam æneam, quæ erat inſigne Romanorum, & poſita fuerat ſuper portam templi. Multa quoque alia fecerunt contra Herodem propter imagines, quas inducebat in vrbe ad ludos, vt patet per Ioſephũ in libris de bello Iudaico, & in libris Antiquitatum. Ergo dato, quòd nunquàm peccauiſſent contra legem Iudæi introducta fuiſſet lex Euangelica. Et de hoc non eſt dubium, & conſequenter ceſſarent omnes cæremoniæ, quæ fiebant

F in templo. Et tunc dicendum, quòd oculi Domini eſſent ſuper domum iſtam in ſempiternum, id eſt, vſque ad magnum tempus, quia duraret toto tempore, quo duraret lex vetus, & poſtea ceſſaret: & iſtud vocatur ſempiternum, ſicut multa alia vocantur ſempiterna in lege, quæ tamen pauco tempore duratura erant, ſcilicet, non quinquaginta annis: ſicut eſt de ſeruis, qui erant ſerui vſque ad iobelæum. Nam dicitur, quòd erant ſerui in æternum. Exod. 21. & Deuteronom. 15. Aliter etiam poteſt dici, quòd iſta domus duraret pro ſemper, ſcilicet, tam exiſtente lege veteri quam non, quia ſi Iſraelitæ nunquam offendiſſent Deum, non induxiſſet hoſtes ſuper eos, qui cremarent templum, ideo data lege noua, adhuc maneret: ſed non manerent cæremoniæ illæ, quæ fiebant in eo, cum euacuaretur lex vetus: ſed fierent ſolum orationes in templo, & exaudiret Deus illas, ſicut promiſerat præcedenti cap. Vel etiam fieret templum illud eccleſia, & fortè eſſet caput eccleſiarum omnium: eſſetque ibi ſedes Apoſtolica, ſicut eſt Romæ: quia tamen peccauerunt, combuſta eſt domus iſta, & alia, quam poſtea fecerunt. *Tu quoque, ſi ambulaueris coram me, ſicut ambulauit pater tuus.* Hic promittuntur bona Salomoni, quæ pertinebant ſpecialiter ad ipſum, & ad progeniem ſuam: & ponuntur cum conditione, ſcilicet, ſi ſeruaret legem Dei, ſicut Dauid. *In ſimplicitate cordis, & in æquitate.* Iſta duo requiruntur ad hoc, quòd via alicuius acceptetur à Deo, ſcilicet, ſimplicitas cordis, ita quòd non inclinetur cor in diuerſa, & opponitur ſimplicitas

duplicitati:

A duplicitati: quia aliqui duplici corde ad Deum mouentur, ſcilicet, partim propter Deum, & partim propter idola, vt patet de Samaritanis, qui Deum timebant, & idola colebant, ſequenti libro, cap. 17. Vel qui partim mouetur propter Deum, & partim ex affectione temporalium bonorum: & iſta Deus nō acceptat, ſed debet homo moueri ſimplici corde, obſeruando legem Dei, ſcilicet, quòd propter eum ſolū ſeruet: æquitas autem dicitur eſſe rectitudo in opere, cum quis agit, quòd ſecundum ſe iuſtum, & bonum eſt ad proximum: & ſic eſt vna rectitudo in corde, ſcilicet, ſimplicitas, & alia in opere, ſcilicet, æquitas. *Et feceris omnia, quæ præcepi tibi.* Poteſt intelligi de aliquibus præceptis ſpecialibus, quæ fortè Deus dedit Salomoni, vel poteſt dici, quòd intelligatur de lege tota, quia licet illa eſſet communis, tamen ad quemlibet hominē dirigebatur, & ſic illa impoſita fuerat Salomoni, ſicut cuilibet alteri. *Et iudicia mea, & legitima mea ſeruaueris.* Vocantur iudicia ipſa præcepta, quæ pertinent ad cauſas forales iudicandas, & cōmunicandum cum proximis, & iſta maximè pertinebant ad Salomonē cum eſſet Rex, & deberet iudicare ſecundum illa. legitima vocantur generaliter omnia quę ſecundum legem ſunt: hic tamen vocantur legitima, id eſt, pure legalia, ſcilicet, cæremonialia, quæ dicuntur legalia, quia magis pendent ex voluntate legiſlatoris, quam ex aliqua ratione. *Ponam thronum Regni tui ſuper Iſrael in ſempiternum.* Id eſt, Faciam, quòd de genere tuo ſemper ſint
B Reges ſuper totum Iſrael. Iſtud ſimpliciter eſt accipiendum, & ſine aliqua limitatione, quia ſi poſteri Salomonis nunquàm peccaſſent, nec etiam ipſe Salomon, dato quòd veniret lex noua, nō ceſſaret regnum de progenie Salomonis, & eſſent ipſi Iudæi cōuerſi ad Chriſtum, & tenentes legem nouam ſicut Gentiles eſſetq; vnus populus: maneret tamen regnum poſteritatis Salomonis ſuper Iſraelitas ſolum iam conuerſos ad Chriſtum: & eſſet ille populus adhuc ſpecialiter dilectus à Deo, inter cæteros conuerſos ad Chriſtum, licet non eſſet tanta ſpecialitas, ſicut erat durante Veteri Teſtamento. Iſtum principatum oſtendit Chriſtus ex verbis ſuis, Matth. 15. dicens: Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Et etiam diſcipulis ſuis prædicaturis dixit: In viam Gentium ne abieritis, & in caſtella Samaritanorum ne introieritis: ſed ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael. Ipſi tamen Iudæi peccauerunt nimis non recipientes Chriſtum, & occidentes eum. Ideo poſt reſurrectionem ſuam Chriſtus non ſolum dixit prædicandum eſſe Iudæis, ſed etiam Gentilibus, ſcilicet, Ite per vniuerſum orbem, & prædicate Euangelium omni creaturæ, Marc. vlt. Et iterum: Docete omnes Gentes baptizantes eas. Matth. vlti. Item poſt ipſam Chriſti reſurrectionem Apoſtoli ſeruauerunt quandam præeminentiam Iudæis ſuper Gentiles. Nam prius prædicauerunt eis, & cum nollent ſuſcipere verbū Dei, dixerunt Apoſtoli: Vobis quidē primū oportebat loqui de Regno Dei, ſed quia repuliſtis illud, & indignos vos feciſtis verbo vitæ: ecce conuertimur ad gentes, vt patet Actor. 13. De
C quo declaratū eſt ſupra 2. *Sicut locutus ſum patri tuo.* Iſta locutio fuit præc. li. c. 7. *Non auferetur de genere tuo, vir de ſolio Iſrael.* Id eſt, Nunquā ceſſabunt eſſe Reges in Iſrael de ſtirpe tua: & hoc ſuper totum Regnū Iſrael: nam niſi peccaſſet Salomon, & filij ſui nunquā fuiſſet diuisū regnū Iſrael, vt patet Infr. 11.

An Deus dixit hæc Salomoni ad confirmationem eorum, quæ dicta fuerant Dauid.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, ad quid Deus nunc apparuit Salomoni ad dicendum iſta, quia iam dicta erant, vt patet hic. Reſpondendū, ꝙ dicta ſunt Salomoni nunc ad confirmationē, quia ea, quæ dicuntur à Deo cōminatoriè, vel promiſſoriè ſunt mutabilia ſecundū mutationē illorū, & quos fit ſermo, & quia iſta dicta fuerant Dauid poterat Salomon ſuſpicari, ꝙ fortè ipſe aliquid egiſſet, propter quod Deus nollet in eo compleri promiſſionē factam Dauid, ideo ad certificandum eum fuit conueniens iſta apparitio, vel locutio. Aliter dici poteſt, quòd iſta locutio fuerat facta Dauid, & non Salomoni: ideo vt Salomon intelligeret hoc etiam ad ſe pertinere, apparuit ei Deus, & dixit hoc. Aliter poteſt dici, quòd iſta fuerunt dicta hic non principaliter propter ſe, ſed vt adderentur alia, quæ Deus volebat addere, ſcilicet, de templo, & ad exprimendum illa oportebat iſta exprimi, ſcilicet, quòd ſi Salomon, & filij ſui cuſtodirent legem Dei, templum maneret in æternum: alioquin poneretur in fabulam, & exemplum. Et quia ſi Salomon ſeruaret legem Dei, & poſteri ſui, non ſolum templum maneret ſemper, ſed etiam regnū ſuum ſuper totum Iſrael, ideo appoſuit iſtud. Iſta tamen non erant neceſſaria per ſe exprimi. Dicendum tamen, quòd prima ſolutio melior eſt, ſcil. quòd dicta ſunt iſta ad cōfirmationem, quia neſciebat Salomon, an confirmata eſſent in ſe, quanquā dicta fuiſſent patri ſuo, quod patet, quia præced. cap. Salomon petiuit, dicens: Nunc igitur Domine Deus conſerua famulo tuo Dauid patri meo, quæ locutus es ei, dicens: Non auferetur vir de te, qui ſedeat ſuper thronū Iſrael. Nunc autem Deus certificauit Salomonem iſtud eſſe confirmatum: ideo ſicut Salomon dubitabat de omnibus alijs petitionibus ſuis, quæ habentur præceden. cap. An confirmatæ eſſent, & Deus dixit hic exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, ita etiam certificare debuit de illo, quòd pertinebat ſpecialiter ad Salomonē, ſcilicet, an de filijs ſuis futuri eſſent ſemper Reges in Iſrael. *Si autem auerſione auerſi fueritis vos, & filij veſtri.* Iſtud non refertur ad immediata, ſcil. quòd Deus conſeruaret Regnum Iſrael in poſteritate Salomonis; ſed ad templum, ſcilicet, quòd illud periret, ſi Iſraelitæ non colerent Deum. Et dicitur: Vos, & filii veſtri: quia ſi ſolum E peccaret aliquis de regibus Iſrael, & non peccarent filij ſui, non traderetur propter hoc templum in manus hoſtium. Vel etiam ſi peccarent multi Reges Iſrael: dum tamen non peccarent populares, non traderetur templum hoſtibus nec Iſraelitæ ducerentur captiui. Ideo non dicitur: Si peccaueris tu, & filij tui, ita quòd intelligatur de Salomone, & alijs Regibus; ſed dicitur ſi peccaueritis vos, & filij veſtri, ſcilicet, totus populus, qui nunc eſt, & filij veſtri, id eſt, ſucceſſores. Nam pro his templum hoſtibus traderetur, & ſic factum eſt: quia cum totus Iſrael peccaſſet grauiter, & iam peccata ſua eſſent intoleranda, Deus permiſit illos duci captiuos in Babylonem, & comburi templum. De Regno autem Salomonis ſecus erat, quia ad hoc quòd filij ſui nō regnarent ſuper totum Iſrael non oportebat, quòd peccarent omnes Reges ſucceſſores Salomonis: ſed ſatis erat quòd peccaret Salomon; & ſic factum eſt: nam cum ipſe peccauit prænunciatum eſt, quòd Regnum diuideretur, infra 11. Et mox in filio Salomonis, ſcilicet, in Roboam diuiſum eſt, infra 12. *Non ſequentes me, nec cuſtodientes mandata mea, & cæremonias, quas propoſui vobis.* Dicitur aliquis non ſequi Dominum, quando cor eius deuiat ab illo: & ſi Iſraelitæ non haberent cor ad Dominum, ſed inclinarentur ad idola traderet eos Deus in manus hoſtium. Vocantur hic mandata ipſa præcepta tam moralia, quàm iudicialia: cæremoniæ autem vocantur ipſi ritus colendi Deum: & omnia iſta erant neceſſaria ad ſequendū Deum: quia qui offendit in vno præcepto legis, prouocat Deum ad iracundiam, ſicut ſi offenderet in omnibus, licet Deus non inferat tam grauem pœnam pro vno delicto, ſicut pro multis. *Sed abieritis, & colueritis Deos alienos, & adoraueritis eos.* Id eſt, Receſſeritis à me elongando cor veſtrum à mandatis meis. Et colueritis Deos alienos, ſcilicet, faciendo eis ſacrificia, & alias cæremonias cultus. Et adoraueritis eos, ſcilicet, inclinando vos coram illis, exhibendo reuerentiam tanquàm Dijs. *Auferam Iſrael de ſuperficie terræ, quam dedi eis.* Scilicet, Faciam eos duci captiuos in gentes extraneas: ſic enim factum eſt. Nam decem tribus captiuatæ ſunt per Aſſyrios, & duæ tribus per Babylonios. ſequenti lib. cap. 17. & 25. *Et templum quod ſanctificaui nomini meo.* Scilicet, Auferam de ſuperficie terræ; quia faciam illud cremari, & quòd non relinquetur ibi lapis ſuper lapidem, ſicut poſtea factum eſt: quia Nabuzardam cremauit templum, & diruit illud. ſequenti lib. cap. 25. *Eritque Iſrael in prouerbium, & in fabulam cunctis populis.* Scilicet, Si peccaueritis tanta mala inferam ſuper vos, quòd omnes gentes habeant vos in prouerbium, & in fabulam, ſcilicet, quòd omnes ſtupeſcerent, & enarrarent deſtructionē Iſraelitarum, & loquerentur communiter de illa dicentes faciat tibi Deus, ſicut fecit Iſraelitis. Vocatur autem prouerbium locutio vniuerſalis, quæ ab omnibus inducitur: & ſic eſſet de Iſraelitis, quia omnes gentes

Non ſequi Dominū quando dicatur. F

A loquerentur de eis. Vocatur autem fabula narratio non vera, ſicut ſunt narrationes poeticæ: & dicit Nicolaus, quòd eſſent in fabulam, id eſt, quia fierent de eis narrationes, & tanta apponerentur, quòd multa eſſent falſa, ſicut in poeticis narrationibus. Sed dicendum quòd vocatur hic fabula, id eſt, de quo omnes fabulantur, quia Iudæi eſſent in fabulam communem omnibus gentibus. *Et domus hæc erit in exemplum.* Id eſt, Erit in exemplum maledictionis: ita quòd omnes maledicentes, dicant: faciat Deus loco iſti, ſicut fecit templo Iudæorum. *Omnis qui tranſierit per eam ſtupebit.* Scilicet, Quomodo potuit induci tanta deſolatio in domo, quæ erat inclyta in omnibus regnis terræ. *Et ſibilabit.* Scilicet, Irridendo, vel inſultando, quòd ſic ceciderit domus illa à gloria ſua. *Et dicet: quare fecit Dominus ſic terræ huic, & domui huic.* Iſtud dicent illi, qui tranſierint per terram, & neſcierint cauſam deſolationis templi, & terræ Iſrael. *Et Reſpondebunt.* Scilicet, Illi qui ſint in locis vicinis, & nouerunt cauſam deſtructionis huius. *Quia dereliquerunt Dominum Deum ſuum, qui eduxit patres eorum de terra Ægypti.* Scilicet, Deus ſuus iratus propter iſtud tradidit eos hoſtibus. *Et ſecuti ſunt Deos alienos.* Scilicet, Adhærendo eis in corde ſuo. *Et adorauerunt eos.* Scilicet, Inclinando ſe coram eis ad exhibendum reuerentiam, tanquam Dijs. *Et coluerunt.* Scilicet, Sacrificando eis, & impendendo alias cæremonias cultus. *Iccirco*
B *induxit Dominus ſuper eos omne malum hoc.* Scilicet, Rationabile fuit, quòd cum Deus ſuus impendiſſet eis tanta beneficia, & ipſi dereliquiſſent eum, quòd induceret ſuper eos iſta mala.

Quomodo Gentiles poterant dicere, quòd Deus Iſrael deſtruxerat templum propter peccatum Iudæorum: cum ipſi non crederent de Deo ea, quæ credenda erant. Et quòd multi Gentiles licet non conuerterentur ad ritum Iudaicum, credebant tamen in Deum Iſrael.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR quomodo Gentiles poterant iſtud dicere: nam cum ipſi colerent idola non credebant de Deo Iſrael ea, quæ credenda erant, ſcilicet, quòd eſſet ſolus verus Deus, potens facere hæc. Reſpondendum, quòd aliqui Gentiles erant, qui quanquam non conuerterentur ad ritum Iudaicum, tamen credebant Deum Iſrael eſſe verum Deum, ideo veniebant multi ad adorandum illum in Ieruſalem in templo, vt declararum eſt, præcedenti cap. Et iſti poterant dicere, quòd Deus Iſrael eduxiſſet Iſraelitas de Ægypto: & quia non ſeruauerunt legem eius, tradiderat eos hoſtibus. Item dicendum, quòd omnes Gentiles, qui erant in circuitu terræ Iſrael, quanquam non colerent Deum Iſrael, tamen credebant ipſum eſſe potentiorem omnibus Dijs, & quòd ipſe eduxiſſet Iſraelitas de Ægypto, & percuſſiſſet Ægyptios, ac Deos eorum, & quòd ſi vellet pugnare contra aliquam gentem, quòd poſſet delere eam, & Deos eius, & non poſſent liberare gentem illam Dij ſui: ſic confeſſi ſunt Philiſthini, ſupra primo libro, capitulo quarto. Scilicet, Ingemuerunt Philiſtini, dicentes: Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudiuſtertius, væ nobis; quis nos ſeruabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto. Patet hoc etiam ex confeſſione Achor, qui erat Dux filiorum Ammon: nam ipſe veniebat cum Holopherne ad pugnandum contra Iudæos: & dixit Deum Iſrael eſſe Deum cœli, & quòd ſi Iſraelitæ non offenderant Deum, impoſſibile erat, quòd aliqua gens præualeret contra eos. Ideo dixit ad Holophernem, quòd perquireret an Iſraelitæ peccauiſſent contra Deum ſuum: & ſic pugnaret ſecurus de victoria. Si autem nulla eſſet iniquitas in eis, non pugnaret contra eos, quia non poſſet præualere, & multa alia de laude Dei dixit: vt patet Iudith 5. Omnes ergo gentes, quæ erant in circuitu Iſrael, ſic opinabantur de Deo Iſrael. Ideo putabant, quòd ſi ille vellet punire eos, poſſet: ſic patet de ſacerdotibus, & diuinis Philiſthinorum, qui dixerunt: Quare grauatis corda veſtra, ſicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor ſuum: nonne poſtquàm percuſſus eſt tunc dimiſit eos, ſupra 1. lib. cap. 6. Et ſic dixerunt, quòd Philiſthini offerrent munera
C Deo, vt alleuiaret ab eis manum ſuam. Sciebant autem Gentiles potentiam Dei per experientiam, quia videbant mirabilia eius, ſicut Philiſthini viderunt, quòd Dagon Deus ſuus iacuit coram arca confractis manibus, & capite: & cum arca duceretur de vna ciuitate in aliam in terra Philiſtinorum fiebat plaga magna in qualibet, ad quam introibat. Vndè cum Acharonitæ vidiſſent arcam ad ſe ferri, dixerunt clamantes: Adduxerunt ad nos arcam Dei Iſrael, vt interficiat nos, & populum noſtrum, ſupra 1. lib. cap. 5. In exitu quoque de Ægypto, & diuiſione maris rubri omnes Gentiles, ad quos peruenit fama iſta, extimuerunt putantes Deum Iſrael eſſe potentiſſimum Deorum: ſic patet Exod. 15. Scilicet, Aſcenderunt populi, & irati ſunt, dolores obtinuerunt habitatores Philiſthijm. Tunc turbati ſunt Principes Edom, & robuſtos Moab obtinuit tremor, & obriguerũt omnes habitatores Chanaan. Omnes ergo Gentiles, potiſſimè, qui erant in circuitu terræ Iſrael cognoſcẽtes potentiã Dei Iſrael poterant dicere, quòd Deus duxerat Iſraelitas de Ægypto: & quia dereliquerant eum tradidit eos hoſtibus. *Expletis autem.* Hic ponitur ſecundũ huius cap. ſcilicet, remuneratio Hiram: & iſta fuit, cũ dedit ei Salomon viginti oppida, & dicitur *Expletis autem annis viginti.* Iſti anni computantur à principio fundationis templi, & quia ex tunc cœperat communicare Hiram cum Salomone facto fœdere, vt patet ſupra 5. Et tranſierant viginti anni; quia ſeptem annis durauit ædificatio templi, ſupra 6. & tredecim annis durauit ædificatio domus Regis, ſupra 7. Qui ſunt viginti anni, quibus completis, cũ iam Salomon non egeret lignis cedrinis, & abiegnis, quæ ei præſtabat Hiram, voluit mercedem ſuam retribuere illi dando viginti oppido. *Poſtquàm ædificauerat Salomon duas domos, id eſt, domum Domini, & domum Regis.* Scilicet, Iſti anni viginti completi ſunt poſt ædificationem iſtarum duarum domorum: non quidem intelligendo, quòd incæperint iſti viginti anni poſt ædificationem, ſed quòd completi ſunt poſt ædificationem, quia ſimul cum ædificatione iſtarum domorum completi ſunt viginti anni, de quibus hic. *Hiram Rege Tyri præbente Regi Salomoni ligna codrina, & abiegna.* Scilicet, Pro iſtis duabus domibus dedit Hiram ligna, quia in terra ſua cædebantur, & poliebantur, & ducebantur per mare vſq; Ioppen, ſupra 5. & 2. Paralipomenon 2. *Et aurum iuxta quod opus habuerat.* Id eſt, Tam in lignis, quàm in auro dabat ei ad abundantiam. Nam licet Dauid reliquiſſet omnes expenſas neceſſarias pro domo Domini. 1. Paral. 22. Tamen Salomon ædificauit etiam ſibi tres domos, ſcil. domum ſaltus Libani, & domum ſuam, & domum filiæ Pharaonis, ſupra 7. Et pro his egebat maioribus expenſis: iſtas autem miniſtrauit ſibi Hiram Rex Tyri: *Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ.* Iſta oppida dedit ipſi Hiram in ſatisfactionẽ expenſarũ, quas ſibi dederat in auro, & lignis cedrinis, & abiegnis, & ſunt in Galilæa inferiori. Nam duplex eſt Galilæa. Vna eſt ad partem Orientalem apud mare Genezareth. Alia autem eſt ad partem Occidentalem iuxta Tyrum verſus mare Mediterraneum: in iſta Galilæa inferiori dedit Salomon oppida Hiram, quia erant iuxta Tyrum, vt videretur continuatũ territoriũ illorum viginti oppidorũ territorio Hiram Regis: & ſic ampliaretur Regnũ ſuum, & ob hoc vocata eſt terra Galilæa gentium, Eſaiæ 9. & Marci 3. Non quidẽ quòd fuerit de terra Gentilium, ſed quia fuit tradita Regi Gentili.

D

Remuneratio Hiram.

E

F

Galilæa duplex.

An licuit Salomoni dare Hiram Regi Tyri viginti oppida de Regno ſuo: & quomodo illa dedit.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, an Salomon licitè potuit dare terram iſtam Hiram Regi. Reſpondendum eſt, quòd non poterat eam dare ſimpliciter, ita quòd deſineret eſſe de terra Iſrael, & inciperet eſſe de terra Gentilium. Quod patet, quia Iſraelitæ, qui poſſidebant ipſam terram per partes, non poterant eam vendere, nec aliquatenus alienare ad omne tempus, ſed redibat quælibet poſſeſſio in anno iubilæi ad poſſeſſores priſtinos. Leuit. 25. Si tamen daretur iſta terra Regi Hiram ſimpliciter maneret apud eum, & poſteros ſuos in æternum, nunquam reditura ad Iſraelitas: ergo non poterat ſic alienari. Item maior alienatio erat, quòd terra Iſraelitarum

A

transiret ad Gentiles, quàm si transiret de vna tribu, vel familia in aliam, & tamen prohibetur transitus possessionum de vna tribu, vel familia in aliam, Num. 36. Ergo à fortiori prohiberetur transire ad Gentiles. si tamen simpliciter traderetur ista terra Regi Hiram maneret semper apud eum, & posteros suos; quia lex de reditu possessionũ in iubilæo solũ habebat locum inter Iudæos, quia eis solis data erat, & non poterant se iuuare Israelitæ ex ea contra Gentiles. Item nemo potest alienare simpliciter illud, quod non est totaliter suum, vel quantum ad dominium, vel quantum ad administrationem: terra verò Israel non erat totaliter Israelitarum. Leuit. 25. Ergo non poterat alienare illam ad omne tempus. Item colonus alicuius fundi nõ potest alienare eum, quia solum habet quòd colat illũ, & percipiat inde fructus, & reddat partem illorum domino fundi; Israelitæ autem erant coloni, ergo non poterant alienare terram. Omnia hæc patent, Leuit. 25. Scilicet, Terra quoq; non vendetur in perpetuum; quia mea est, & vos aduenæ, & coloni mei estis. Item Deus statuit terminos terræ Israel, Numer. 34. Si autem Salomon daret ista oppida simpliciter Regi Hiram mutaret terminos terræ Israel, ergo peccaret. Item Israelitæ obligabantur pugnare contra Chananæos ad excludendum eos de terra, vt illam sibi retinerent, & non poterant facere aliquod pactum cum eis ad hoc, quòd manerent in terra: sed tenebantur occidere eos, & possidere terram. Deuter. 20. Ergo à fortiori,

B

postquàm possiderent terram, non poterant illam tradere licitè Gentilibus. Confirmatur hoc, quia Israelitæ peccabant, quando dimittebant aliquos Gentiles in terra, vt essent tributarij sui. Numer. 33. & magis Iudicum 2. Ergo à fortiori peccarent, qui terrã de manu hostium obtentam traderent Gentilibus possidendam. Dicendum igitur, quòd Salomon non traderet isto modo loca terræ suæ Regi Hiram. Item, quòd Israelitæ non consentirent, dato quòd vellet Salomon, quòd ipsi efficerentur subditi viro Gentili. Item loca ista pertinebant ad coronam Regni, ideo non poterat Rex ea alienare. Item non est credendum, quòd Salomon ea alienaret simpliciter, quia ipse dabat ea in mercedem Regi Hiram pro lignis cedrinis, & abiegnis, quæ receperat ab eo, & pro auro, scil. pro centum, & viginti talentis; quia ista loca tradita ad semper excedebant in immensum valorem lignorum, & auri. Item Rex Hiram videns illa loca, non approbauit ea: nam non placuerunt ei, quasi esset maius pretium, quòd ipse dederat, si tamen loca darentur ei simpliciter esset valde maius pretium locorum, quàm auri, & lignorum, quæ dederat Hiram ipsi Salomoni: ergo videtur, quòd non data sunt sibi simpliciter, sed ad aliquod tempus tenenda, vel fortè ad totam vitam suam, & quod postea redirent ad regnum Israël: & interim non esset dominus directus, sed vtilis, vel saltem vsufructuarius recipiens omnia iurã in illis locis, quę recipere cõsueuerat Salomon: & recipiendo redditus illius

C

temporis poterat sibi satisfieri de expensis, quas dederat Salomoni: & sic credendũ est, q̃ dederit. *Egressusque est Hiram de Tyro.* Id est, De Regno Tyri, quia caput Regni sui erat ciuitas Tyri: dominabatur tamen alijs ciuitatibus, scilicet, Sidoni, & quibusdam alijs: vnde serui Hiram vocabantur Sidonij, vt patet supra 5. *Vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon.* Ista oppida erant coniuncta Regno suo. *Et non placuerunt ei.* Scilicet, Voluerat accipere loca maiora, & opulentiora: fortè autem Salomon assignauit ei loca parua, ideo non placuerunt ei; quia non essent sufficientia ad satisfaciendũ pro expensis ab eo collatis Salomoni. *Et ait hæcine sunt ciuitates, quas dedisti mihi, frater?* Istud dixit Hiram Salomoni, quasi irridendo, & subsannando: quia dederat ei loca pauci valoris, scilicet, hæcine, id est, nunquid hæ. Est enim hic adiectio syllabica, scilicet, quando sunt duæ dictiones, & facimus vnam interponendo aliquã literam, quæ syllabicet cum vtraque, vt cum dicimus hæcine, sicubi, nuncubi, cum deberemus dicere, hæc ne, si vbi, num vbi: & sunt istæ dictiones interrogatiuæ, & ex modo loquendi antiquo Grammaticorũ, sit syllabica adiectio in istis interrogationibus. *Et appellauit eas terram Chabul.* Scilicet, Hiram appellauit omnes illas ciuitates terram Chabul, id est, terram displicentiæ, quia non placuerant oculis eius. Nam Chabul in lingua Phœnica signat displicentiam: vel secundum Rabbi Sa. Chabul in Hebræo signat tenacitatem, eo quòd terra illa est nimis lutosa,

Rex nõ potest alienare loca, quæ pertinebant ad coronam Regni.

& adhærentes pedibus: sed primum est verum, quia istud nomen ponitur hic ad vituperandum terram, ideo vocatur terra Chabul, id est, displicentiæ. *Vsque in diem hanc,* Id est, Durauit nomen illud vsque ad diem hanc: Istud interposuit scriptor libri, scilicet, Ieremias. Nam tempore suo vocabatur etiam ista terra Chabul: & ista fuit causa, quare poneretur, quòd non placuerunt ciuitates istæ Hiram, scilicet, vt sciretur, quòd propter hoc vocata est terra illa Chabul. *Misit quoque Hiram ad Regem centum viginti talenta auri.* Non est intelligendum, quòd miserit ista talenta postquam assignauit ei Salomon ciuitates viginti, quia tunc Salomon non indigebat auro isto, eo quòd iam cessauerat ab ędificationibus: sed misit talenta ista dum ædificabat Salomon domum suam: maximè quia dicitur infra, quòd ista fuit summa expensarum, quas obtulit Salomon, & istud fuit, quia Salomon indigebat multo auro pro domo sua, cum Dauid non reliquisset aurum, nisi pro domo Domini. *Hæc est summa.* Hic ponitur tertium huius cap. Scilicet, remuneratio populi, qui Salomonem laboribus, & expensis adiuuit, & diuiditur in duo, scilicet, in partem incidentalem, & principalem. pars incidentalis ponitur ibi. *Filia autem Pharaonis.* Erat autem remuneratio populi in tribus, scilicet, in bona munitione fortalitiorum: secundò in subiectione aduersariorum ibi. *Vniuersum populum.* Tertiò in libertate ciuium ibi. *De filijs autem Israel.* Circa primum dicitur: *Hæc est summa expensarum.* Est sensus, quòd ista, quæ dedit Hiram Regi Salomoni sunt summa expensarum, quas fecit Salomon in ædificando domum Dei, & domum suam, & vrbes, quæ hic ponuntur. Et potest referri ad talenta auri centum viginti, quæ dedit Hiram Salomoni: & non est sensus, quòd ista talenta suffecerint ad omnem ædificationem, quàm fecit Salomon. Etiam quia Dauid reliquerat omnes expensas pro templo Domini in auro, & argento; ære, & lignis. 1. Paralipomenon 22. Sed intelligitur, quòd supra illas expensas, quas Salomon paratas habebat à Dauid summa necessaria fuit centum viginti talentorum auri. Hebræi habent aliter istam literam, scilicet. *Hic est census, quem leuauit Salomon.* Et dicunt, quòd non refertur ad talenta suprapositа, sed ad ea, quæ infra sequuntur, scilicet, quòd fecerit Salomon omnes Chananęos tributarios & ab illis accepit expensas ad ædificationem templi, & domus suæ, & ciuitatum harum. Sed non stat iste sensus, quia necesse est, quòd istud pronomen hæc demonstret aliquid immediatum, eo quòd demonstrat ad oculum: ideo necesse est referri ad aliquid immediatum præcedens, vel subsequens: sed non est aliquid subsequens, quòd demonstret, cùm agatur immediatè de ædificationibus vrbium, & de bello contra Gazer: ideo demonstrat immediatum præcedens, scilicet, centum viginti talenta auri. Item cùm dicitur hæc est summa expensarum designatur aliquid certum: & tamen si referatur ad subiectionem Gentilium in tributarios, non ponitur ibi aliqua certitudo pecuniæ: ideo non potest dici, hæc est summa: & sic necesse est referri ad talenta auri. *Quam obtulit Rex Salomon ad ædificandum domum Domini.* Istud ponitur ad signandum Salomonis deuotionem, quia non solum obtulit labores proprios, scilicet, deuotionem circa ædificationem domus Domini: sed etiam obtulit pecuniam, & dicitur: hæc est summa expensarum, id est, pecuniarum, quam obtulit Salomon, id est, istam ipse obtulit à seipso sine illa summa, quam dedit Dauid. Etiam intelligendum est vltra triticum, & oleum, quòd quolibet anno præstabat Hiram, & seruis suis, supra 5. & 2. Paral. 2. Quia cum illud non esset in pecuniam nõ computatur hic in summa expensarũ. *Et domum suam.* Id est, etiam fuit quędam quantitas istorum talentorum pro ędificatione domus suæ, id est, trium domorum, vt dictum est præced. cap. *Et Mello.* Mello est nomen Hebræum, & aliquando signat quandam vrbem sic vocatam, vt patet Iudicum 9. scilicet, Egrediatur ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello. Aliquando autẽ signat voraginẽ, vt quidã volunt & sic accipitur præce. lib. cap. 5. scil. Et ædificauit per gyrum à Mello, & trinsecus, sed infra 11. Videtur, quòd non consonet, quia dicitur Salomon ędificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid: & sic Mello, & vorago distinguuntur ibi: & sic potest accipi cõuenientius pro aliquo alio spatio terræ: & erit Mello nomen proprium. Hebræi enim

D E F

A dicunt, quòd Mello erat quædã platea magna apud templũ, quam dimiſi Dauid apertam, & ſine ædificijs, vt Hebræi venientes de longè in ſolennitate azymorum, & alijs feſtiuitatibus manerẽt ibi, cum nõ haberent hoſpitia, & eſſent apud templũ deuotionis cauſa. Salomon autem clauſit voraginem coærquando eam, & plateam illam vallo circundedit, & fecit in ea tabernacula pro famulis filiæ Pharaonis; quia illa platea erat apud domũ filiæ Pharaonis, & circa templũ, & dicunt, quòd in hoc peccauit nobis tamen nõ conſtat, Salomonẽ in hoc peccaſſe, quia peccata ſua exprimũtur infra. 11. ſcilicet, quòd amore ardentiſſimo copulatus mulieribus alienigenis, & quòd propter illas idola coluit. De hoc tamen non exprimitur, an peccauerit. *Et murum Ieruſalem.* De iſto muro dicitur ſupra 3. Et ſciendum, q̃ Salomon vallauit Ieruſalem triplici muro, ita vt in primo ambitu eſſet templũ Domini, & manſiones pro Sacerdotibus, & Leuitis, qui ſecundũ ſortes ſuas miniſtrabant in domo Domini, erat quoque ibi domus regia cum manſionibus domeſticorũ ſuorũ: erat etiam ibi domus filiæ Pharaonis, & domus ſaltus Libani: in ſecundo ambitu habitabant Prophetæ, & viri potentes: vnde in iſta ſecunda clauſura legitur, q̃ habitaret Holda Prophetiſſa: vt patet ſequenti lib. ca. 22. Scilicet, Ierunt ad Holdam propheten vxorẽ Sellum cuſtodis veſtium, qui habitabat in Ieruſalem in ſecunda clauſura. In tertio muro erant opifices, &

B alij viri plebei: ante Salomonem autẽ non erat facta iſta diſtinctio. *Et Heſer.* Quædam ciuitas erat in terra Iſrael, quæ tenebatur adhuc à Chananæis. *Et Mageddo.* Iſta erat ciuitas in ſorte Manaſſe, Ioſue. 17. Contra cuius habitatores non præualuerunt Manaſſitæ à principio, & manebant illi in ciuitate: poſtea autem confortati Manaſſitæ ſubiecerunt ſibi iſtos Chananæos, ſed noluerunt occidere illos, facientes eos ibi tributarios: Ioſue 17. & Iudicum 1. Iſta eſt ciuitas apud quam mortuus eſt Rex Ioſias pugnans contra Pharaonem Regem Ægypti. ſequen. lib. cap. 23. *Et Gazer.* Iſta eſt ciuitas in ſorte Ephraim, & noluerunt Ephraitæ occidere habitatores Gazer, ſed fecerunt ſibi tributarios Ioſue 16. Iſta ciuitas fuit data ſacerdotibus in poſſeſſionem, Ioſue 21. *Pharao Rex Ægypti aſcendit, & cæpit Gazer.* Sciendum autem, quòd Gazer à principio potuerat capi ab Ephratis, ſed ipſi noluerunt, vt facerent eos ibi tributarios Ioſue 16. Poſtea autem cum Iſraelitæ pugnarent contra iſtam vrbẽ fortè non potuerunt præualere, & manſit ciuitas ſemper in poſſeſſione Chananæorũ.

Quomodo Pharao venit ad capiendum vrbem iſtam Gazer, cum eſſet in terra Iſrael, & quomodo in tanta tempore non capta fuerat à Iudæis.

Qvæstio IX.

C Qværetvr quomodo Pharao Rex Ægypti venit ad capiendum iſtam vrbem, cum eſſet in terra Iſrael, & quomodo in tanto tempore non capta fuerat ab Iſraelitis. Reſpondendum, quòd à principio potuerant Ephraitæ capere vrbem, ſed nõ ceperunt, vt haberent tributarios: poſtea autem non præualuerunt. De Dauid autẽ dicendum, quòd fortè non curauit pugnare contra Gazer, cum haberet Gazeritas in tributarios, ſicut contra multas alias gentes non pugnabat de Chananæis: ſed ſubiecit eos ſibi in tributarios, nam omnes, qui tẽpore Salomonis tributarij erant ſubiecti fuerant tempore Dauid, cum Salomon nullam gentem ſibi ſubieciſſet, eo quòd non egit bella, vel fortè aliqua pacta fuerant interpoſita aliquando inter Iſraelitas, & Gazeritas, propter quæ non licebat pugnari contra eos, ſed ſolum exigere tributum. Cum autẽ dicitur, quomodo Pharao pugnauit contra iſtam vrbem. Dicendum, quòd non egit auctoritate ſua, quia pugna pertinebat ad Iſraelitas, ſed erat Pharao ſocer Salomonis cum haberet Salomon filiam eius in vxorẽ infra in litera. & ſupra 3. Ideo erat pax inter Salomonem, & Pharaonem. Aſcendit autem Pharao pacificè in terram Iſrael ad videndum fortè filiam ſuam, vel ad gaudendum cum Salomone: & tunc ex licentia Salomonis pugnauit contra Gazer, & cepit eam. Vel fortè dici poteſt, quòd ideo Pharao pugnauit contra Gazer, quòd Iſraelitæ propter aliqua pacta inita cum Gazeritis non poterant pugnare contra illos, & Pharaoni, quia erat Ægyptius, licebat pugnare, & ſic indirecte cedebat Gazer Iſraelitis. *Et cepit Gazer ſuccenditque eam igni.* Fortè ſuccendit, quia aliqui Gazeritę latebant intra domos defendentes ſe ibi: & quia ſerui Pharaonis non poterant ſemper per vrbem incedere, cremauerunt eam, & ſimul multos Gazeritas exuſſerunt. *Et Chananæum qui habitabat in ciuitate, interfecit.* Scilicet, priuſquàm exuſſerunt vrbem, occidit Chananæum, vel fortè cremando vrbem, cremauit ſimul habitatores eius. *Et dedit eam in dotem filiæ ſuæ vxori Salomonis.* Fortè erat indotata; & quia ipſe acquirebat nunc iſtam ciuitatem de manu hoſtium, poterat eam dare filiæ ſuæ in dotem.

D

Gazer an fuerit verè data in dotem filiæ Pharaonis.

Qvæstio X.

Qværetvr, an pròpriè eſſet data in dotem iſta ciuitas filiæ Pharaonis. Aliquis dicet, quòd ſic, quia iſta ciuitas erat Pharaonis, eo quòd abſtulit eam de manu hoſtiũ, quòd autem ſuum erat poterat filiæ ſuæ dare in dotem. Reſpondendum, quòd non erat propriè dos, quia dominium, & proprietas dotis pertinet ad mulierem, adminiſtratio autem, & vſusfructus eius pertinet ad virum ad ſuportanda onera matrimonij. Ideo ſi diuortium fiat, mulier redit cum dote ſua; & ſic ſi Salomon repudiaret filiam Pharaonis, quòd poterat facere ſecundum legem. Deuteron. 24. Haberet ipſa dotem ſuam, ſi eſſet propriè dos: non tamen eſt credendum, quòd redeunte filia Pharaonis in terram ſuam, quòd maneret Gazer in poteſtate eius, quia tunc ſemper pertineret ad Ægyptios. Iſtud tamen erat magnum prę̃iudicium viris de tribu Ephraim, ſcilicet, quòd ciuitas de tribu ſua traderetur alteri genti. Item eſſet præiudicium omnibus Iſraelitis, ſcilicet, quòd ciuitas de terra Iſrael, quæ ex Dei mandato pertinebat ad poſſeſſionem ſuam traderetur alienigenis. Item Salomon non poterat hoc facere ex eiſdem rationibus, quibus probauimus ſupra, quòd non poterat dare in perpetuum Regi Hiram viginti oppida in terra Galilææ. Sed credendum eſt, quòd Salomon permiſerit Pharaoni, quòd acquireret Gazer de manu Chananæorum, & daret eam in dotem filiæ ſuæ, eo quòd fortè habebat iam filium ex ea, & ſciebat, quòd illa dos pertinebat ad filium ſuccedentem matri: & ſic non poterat deuolui dominium vrbis Gazer ad Ægyptios: & ſi fuiſſet caſus dubius, fortè Salomon non permiſiſſet tradi in dotem ciuitatem iſtam filiæ Pharaonis. Aliter dicendum videtur, & melius, ſcilicet, quòd Pharao tenebatur dare filiam ſuam dando ei aliquid in pecunijs, & Salomon conuenit cum eo, quòd pugnaret contra Gazer, & acciperet eam, maneretq̃ dominium penes Salomonem: ſed ipſe labor acquirendi acciperetur à Salomone loco dotis: & tunc ſiue filia Pharaonis decederet ſine liberis, ſiue facto diuortio recederet à Salomone, manebat ſemper Gazer in poteſtate Pharaonis. *Ædificauit ergo Salomon Gazer.* Scilicet, Poſtquàm Pharao acquiſiuit eam, ædificauit illam Salomon, ſcilicet, reparando illam, quia Rex Ægypti combuſſit eam, & diruit aliquam partem eius ad capiendum eam, & iſta omnia reparauit Salomon. *Et Bethoron inferiorem.* Duplex ciuitas erat, quæ vocabatur Bethoron: vna vocabatur Bethoron ſuperior, & alia Bethoron inferior: & iſtæ duæ ciuitates fuerunt in ſorte Ephraim, & Manaſſe. Ioſue 16. & 17. Vtramque autem harum ædificauit Salomon, id eſt, reparauit: vt patet 2. Paralipomenon 8. Licet hic ſolum dicatur de Bethoron inferiori. *Et Baalath.* Iſta eſt alia ciuitas, quæ diſſipata erat, & extruxit eam Salomon: eſt autem iſta ciuitas in ſorte Simeon, vt colligitur Ioſue 15. & 19. *Et Palmiram in terra ſolitudinis.* Iſta eſt quædam ciuitas, quæ erat in deſerto ad Aquilonem terræ Chanaan, & pertinebat ad Syros de terra Emath: Salomon autem obtinuit eam, & ædificauit, vt patet 2. Paralipomenon 8. Scilicet, Abijt quoque in Emath Soba, & obtinuit eam, & ædificauit Palmiram in deſerto. *Et omnes vicos, qui ad ſe pertinebant, & erant abſq; muro, muniuit.* Fuit Salomon valde magnus ædificator, quia fuit tempore pacis, eratq̃ diriſſimus: ideo ædificabat omnia quæcunque ædificanda, vel reædificanda videbat: & quia erant multæ vrbes in terra ſua nõ muratæ, muniuit eas. Non eſt autem intelligendum generaliter iſtud de omnibus vicis, qui in terra Iſrael erant;

E

F

Reparauit Salomon multas ciuitates.

A erant; nam etiam post Salomonem fuerunt viculi non murati in terra Israel: sed intelligitur de illis vicis, qui magni erant, ita vt propriè possent vocari vrbes, si haberent muros. Vel intelligitur de ciuitatibus, quæ olim habuerant muros, & iam omnino corruerant, & non vocabantur vrbes, sed viculi pro defectu murorum. Vel potest intelligi de quibusdã ciuitatibus, quas Salomon ædificauit in deserto Syriæ apud Palmiram, quam cepit, de quibus dicitur 2. Paralipomenon. 8. Scilicet, Abijt quoque in Emath Soba, & obtinuit eam, & ædificauit Palmiram in deserto, & alias ciuitates munitissimas ædificauit in Emath. De ædificijs autem Palmiræ dicit Iosephus 8. Antiquitatum. Pergens Salomon in desertum superioris Syriæ ciuitatem constituit duorum dierum itinere à superiori Syria distantem, ab Euphrate verò vnius, & à maxima Babylone sex mansionibus, procul extantem. Hæc ciuitas à partibus habitabilibus Syriæ destitit. Causa est, quia in inferiori terra aqua nunquàm inueniatur, in illo autem loco fontes, & putei nimis abundant. Hanc muris eminentibus Salomon circumcingens Thamur appellauit, quam
Cap. 3. Græci Palmiram vocant. De Pharaone socero Salomonis ait Iosephus 8. Antiquitatum. Reges Ægypti à Mineo, qui Memphim ædificauit, cœperunt, qui fuit ante Abraham per multos annos: nam ab eo vsque ad Salomonem mille, & triginta anni fuerunt. Pharaonis nomen secundum Ægyptios
B signat Regem. Reor ab infantia eos quidem alijs nominibus appellari: venientes autem ad regnum hoc, quòd lingua patria significaret imperium eos fuisse participatos. Puto siquidem, & Herodotum Alicarnasseum propterea post Mineum, qui Memphim ædificauit, dixisse trecentos & triginta fuisse Reges Ægyptiorum, & nequaquàm eorum nomina declarasse: quia Pharao omnes communiter vocabantur: nam post horum obitum regnantis mulieris vocabulum posuit nomine Nichaulam eam vocitatam fuisse declarans. *Et ciuitates curruum, & ciuitates equitum.* Id est, Ædificauit ciuitates, vbi essent currus, & equi pro curribus: & ciuitates, vbi essent equites, & equi eorum: nam Salomon habuit equorum quadraginta millia præsepia, & duodecim millia equestrium. Diuiserat autem Salomon istos equos per diuersas ciuitates, vt essent ibi ad voluntatem Regis: alij autem multi erant in vrbe, in qua Salomon erat, vt posset ipse quotidie equitare, & viri sui in equis cum eo: nam consuetus erat ire quotidie ad quendam locum irriguũ, & amænum extra Ierusalem, qui vocabatur Eden, vt ait Iosephus 8. Antiquitatum: de quo supra 7. diximus. *Et quodcunque ei placuit, vt ædificaret in Ierusalem, & in Libano.* Id est, Etiam fecit quæcunque alia ædificia voluit in Ierusalem: ibi enim multa egit, quia morabatur semper ibi, voluitque ob hoc exornare eam nimis: in Libano quoque aliqua ædificia fecit: & aliqui putant, quòd ista fuerit domus saltus Libani, de
C qua dicitur supra 7. Et quòd ideo vocetur domus saltus Libani, quia in Libano ædificata erat: sed istud non stat, sicut declaratum fuit supra 7. Erat enim domus saltus Libani in Ierusalem: sed fecit Salomon aliqua ædificia in Libano, quia fortè aliquando volebat illuc ire ad recreandum in venationibus, & ob hoc cõstruxerat sibi aliqua ædificia ibi in quibus maneret. *Et in omni terra potestatis suæ.* Id est, Ædificauit quidquid voluit in tota terra sibi subiecta. Sicut enim Dauid exaltauerat regnum Israel multiplicibus victorijs, & acquirendo ciuitates multas de manu hostium: ita Salomon exornauit illud multiplicibus ædificijs. Nullus quippe in Regibus Israel, & Iuda in ædificando tam clarus fuit. Vnde cum Iosephus 15. Antiquitatum: In laudem Herodis de ædificijs suis loqueretur, dixit, quòd post Salomonem nullus fuerat in ædificijs abundantior ipso Herode. *Vniuersum populum.* Hic ponitur secundum huius partis, scilicet, subiectio aduersariorum, ex qua populus prosperatus est. Et dicitur. *Vniuersum populum, qui remansit de Amorrhæis, & Hethæis, & Pherezæis, & Heuæis, & Iebusæis.* Scilicet, Subiecit sibi Salomon omnem populum alienigenarum existentium in terra Israel de istis gentibus, quæ ponuntur hic. Sciendum autem, quòd septem erant gentes in terra Chanaan, quas Deus expulsurus erat ante faciem Israelitarum, scilicet, istæ quinque, quę ponuntur hic, & duæ aliæ, scilicet, Chananæi, & Gergesei. Deuter. 7. & Iosue 3. Hic autem ponuntur solum quinque, quia fortè de alijs duabus gentibus nulli erant residui in terra Israel, sed omnes deleti fuerant tempore præcedenti. De his autem quinque gentibus mansérant aliqui superstites; vel potest dici, quòd de omnibus septem gentibus mansérant aliqui de alienigenæ tempore Salomonis: ponuntur tamen hic istæ quinque gentes solum, & subintelliguntur aliæ, sicut sæpe in libris Moysi Deus volens dicere, quòd excludet de terra Israel omnes gentes, ponit quinque, vel sex rarissimè autem ponit septimam gentem, scilicet, Gergesæorum, & ita potest esse hic; sed prima solutio videtur adhuc melior, eo quòd istæ solæ gentes, quæ ponũtur hic, ponuntur etiam 2. Paralipomen. 8. *Qui non sunt de filijs Israel.* Id est, Istæ gentes non erant de stirpe Israelitarum, sed habitabant in terra antequàm introirent in eam Israelitæ. *Horum filios, qui remansérant in terra.* Scilicet, Ex principio introitus Israelitarum in terram Chanaan mansérant multi de filijs istarum quinque gentium. *Quos scilicet non potuerant filij Israel exterminare.* Intelligendum est de temporibus ante Dauid, scilicet, tempore Iosue, Iudicum, & Saulis: nam tunc Israelitæ pugnabant contra Chananæos, & non prævalebant contra illos: Dauid autem poterat delere omnes istos Chananæos, sed non deleuit. *Fecit Salomon tributarios vsque ad diem hanc.* Non est intelligendum, quòd Salomon subiecerit sibi nouiter Chananæos omnes in tributarios, quia Salomon non egit bella per quæ subiecerit sibi gentes istas. Sed intelligendum, quòd Dauid subiecerit eas omnes sibi, quia fuit vir bellator, & subiecit sibi gentes multas in tributarias tam de habitantibus in terra Israel, scilicet, de Chananæis, quàm de habitantibus extra terram Israel: nam subiecit sibi Moabitas, & Idumæos, & Syros, & Ammonitas, præcedenti lib. cap. 8. & 12. Omnes tamen isti habitabant extra terram Israel: subiecit etiam sibi Philisthinos, qui erant de stirpe Chananæorum: & isti erant potentissimi hostes Israelitarum, præcedenti libro, cap. 8. Ita igitur de omnibus alijs Hethæis, Amorrhæis, & cæteris gentibus intelligendum est, quòd ipse subiugauerit eas, & non Salomon: dicitur tamen, quòd Salomon subiecit eas sibi, id est, habuit subiectas, quia sic pater suus reliquerat illas. Aliter potest dici, quòd Salomõ subiecit sibi istas gentes non quidem pugnando, sed fortè volebat facere bellum contra illas, & ipsæ timentes potentiam magnam Salomonis tradiderunt se ei in tributarias. Primus tamen sensus melior est, quia non est satis verisimile, quòd illę gentes vnanimiter se tradẽt Salomoni nullo facto bello. Dicitur vsque in diem hanc, id est, vsque ad tempus, quo scriptus est liber iste à Ieremia parum ante captiuitatem Babylonicam. Postquàm enim istæ gentes subiectæ fuerunt Israelitis semper mansérunt tributariæ eorum: vnde non leguntur ob hoc aliqua bella post hoc facta cum Philisthinis, vel alijs Chananæis, sicut antè hoc tempore Iudicum, & Saulis, & Dauid legebantur: nam maxima, & frequentissima bella Israelitarum erant contra Philisthinos. *De filijs autẽ Israel.* Hic ponitur tertium huius partis, scilicet, libertas ciuium. Nam Israelitæ erant liberi ab omnibus seruitutibus, & dicitur. *De filijs autem Israel non constituit Salomon seruire quenquam.* Id est, Nullus de Israelitis seruiebat tempore Salomonis, sed soli isti alienigenæ, qui subiecti erant in tributarios.

D E F

Quomodo dicitur, quòd Salomon nullum de Israelitis seruire constituit cum infra dicatur, quòd præmebat Iudæos magnis tributis.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR quomodo est verum, quòd non constituit quenquam de Israelitis seruire, quia infra 12. dicitur, quòd Salomõ imponebat grauia onera, & tributa Israelitis: vnde mortuo illo, venerunt Israelitæ ad Roboã filium eius, dicẽtes: pater tuus durissimũ iugum imposuit nobis: tu itaq; nũc imminue paululũ de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, ꝙ imposuit nobis, & seruiemus tibi. Aliquis respondebit, quòd Salomon, sicut à principio Regni fuit vir bene se habens ad Deum, & in senectute sua deprauatũ est cor eius, infra 11. Ita se habuit ad populum, quòd in principio Regni nõ exigebat aliqua tributa ab eis permittẽs omnes in libertate: sed deueniens ad senectutẽ

A effectus est auarus, & extorquebat à populo tributa grauissima: istud autem quòd dicitur hic intelligetur de principio Regni Salomonis, & quod dicitur infra 12. intelligetur de fine Regni eius. Dicendum tamẽ, quòd licet istud aliqualiter sit verum, scilicet, quòd Salomon à principio Regni bene se haberet ad Deum, & ad populum, & in fine Regni male se haberet: tamen non est verum, quòd Salomon omnino liberaret Israelitas à tributo: nam Salomon etiam in principio Regni sui non fuit melior, quàm Dauid: ipse tamen Dauid recipiebat tributa ab Israelitis: nam constituerat Aduram super tributa, præcedenti libro, cap. 20. Ergo etiam Salomon imponeret tributa. Item tributa erant ordinaria à principio Regni Saulis; sic patet supra 1. libro, cap. 17. Cum quæsiuit Dauid, quid daretur viro, qui percuteret Goliath Philisthæũ responsum est ei, quòd Rex faceret domum patris sui liberam à tributo: non est ergo verisimile, quòd Salomon tolleret tributa Israelitarum, quæ consueta erant solui à tanto tempore. Sed dicendum, quòd intelligitur ista libertas non à tributis, sed à seruitijs, quæ fiebant in operibus Regis, scilicet, quòd in ædificatione templi, & domorum Regis, & aliorum ædificiorum non cogebat Salomon aliquem de Israelitis laborare manibus suis: & hoc maximè in ædificatione domorum suarum. Nam in ædificatione templi Israelitæ sponte volebant operari: ideo multi eorum manibus suis operabantur: in ædificatione tamen, quæ pertinebat ad Re-
B gem, non coegit quenquã Israelitarum seruire, sed fecit eos perfectos operum, ita vt ipsi præessent laborantibus, & hoc patet ex litera ista, quia non dicitur de filijs autem Israel non constituit Salomon quenquam tributarium, sed dicitur non constituit seruire quenquam, scilicet, in laboribus manualibus. Hoc patet clarius 2. Paralipomenon 8. cum dicitur: Porrò de filijs Israel non posuit, vt seruirent operibus Regis, ipsi enim erant viri bellatores: & tamen isti non seruientes in operibus soluebant tributa. Dicendum est tamen, sicut prius dicebatur, quòd Salomon à principio Regni non imposuerit tam grauia tributa, sicut postea in senectute: nam tunc deprauatum est cor eius contra Deus, & contra populum. *Sed erant viri bellatores.* Id est, Non seruiebant manualiter Israelitæ, sicut Chananæi; sed erant viri bellatores, id est, assignati in viros bellatores. *Et ministri eius.* Id est, Aliqui de Israelitis erant ministri Salomonis: istud intelligitur de ministris, qui seruiebant ei in domo sua ad famulatum Regium, qui famulatus erat honorabilis: non tamen ad aliquas ædificationes, vel culturam agrorum, aut alia opera manualia. *Et Principes, & Duces, & Præfecti curruũ, & equorum.* Vocantur Principes illi, quibus cõmissa erat aliqua terra regenda à Salomone: vel erant Principes famulorum Salomonis, vel fortè erant Principes operantium: sicut dicitur infra, scilicet, erant autem Principes super omnia opera Sa-
C lomonis: Duces vocantur illi, qui erant super exercitum: nam sicut erant assignati viri bellatores, ita erant assignati Duces eorum: Præfecti curruum, & equorum possunt vocari illi duodecim Præfecti Salomonis, qui prouidebant domui eius de cibo, & omnibus necessarijs per duodecim menses anni. Isti enim habebant curam ferendi paleas, & hordeum, pro equis ad ciuitates illas, vbi erant, vel vbi Rex constituebat. Et isti duodecim erant distincti per duodecim Prouincias terræ Israel, de quibus supra 4. Aliter possunt vocari Præfecti curruum, & equorum, id est, Præfecti illorum, qui vtebantur equis, & qui vtebantur curribus: nam Salomon constituerat viros bellicos, & super eos posuerat Duces, vt patet in litera. Fecit autem diuersos modos bellatorum, quia quosdam fecit pedites alios equites, & alios in curribus pugnantes: ideo sicut statuit Principes super totum bellum, & super pedites specialiter: ita statuit super equites quosdam Duces, & alios super viros equitantes in curribus, & isti vocabantur Præfecti curruum, & equorum.

Quare Salomon si non faceret bella habebat tamen viros bellatores pro militia assignatos.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR quomodo dicitur, quòd Salomon habebat viros bellatores, & Duces: quòd filij Israel non seruiebant in aliquo opere, eo quòd erant viri bellatores cum Salomon non fecisset aliqua bella, sed fuit totum tempus suum pacificum. Respondendum, quòd non habebat Salomon viros bellatores, qui actualiter bellarent, sed habebat multos viros ascriptos militiæ: nam licet Salomon non haberet bella, quia tamen poterat illa aliquando habere habebat viros assignatos pro militia. Etiam ne gentes vicinæ videntes Salomonem esse omnino rusticum Regem inuaderent eum, tanquàm non potentem resistere ob defectum apparatus bellici ideo quanquam Salomon minus vacasset bellis, quàm omnes Reges prædecessores, & successores sui: tamen nullus Rex fuit in Israel ante, vel post, qui tantum belli apparatum haberet, scilicet, in equis, curribus, & armis. Nam quadraginta millia præsepia equorum currilium habuit, & duodecim millia equestrium, quos nullus Rex in Israel legitur habuisse, supra 4. Et sicut habebat viros militiæ ascriptos, ita etiam habebat Duces eorum, ita vt esset bellum ordinatissimum in apparatu suo si pugnare opus esset. Et ob hoc isti Israelitæ ascripti militiæ non cogebantur ad aliqua opera seruilia manualia, sed alienigenæ tributarij faciebant illa. *Erant autem Principes super omnia opera Salomonis.* De Israelitis non erant aliqui operantes manualiter, sed erant Principes operantium, scilicet, vt viderent quid fieri deberet, & considerarent diligenter, ne opera fierent negligenter, & inordinatè. Et isti erant Principes operum Salomonis, scilicet, quando ædificabat domos suas, & faciebat omnia alia opera ędificationum, isti Principes præerant operibus. *Quingenti quinquaginta.* Scilicet, erant isti Principes: sed dicetur quòd 2. Paralipomenon 8. ponuntur pauciores Principes, scilicet, ducenti quinquaginta. Aliquis dicet, quòd ibi positus est numeros minor, & omissa est maior pars, sicut sæpe fit in scriptura, quando idem numerus ponitur in diuersis locis, quia raro ponitur æqualis. Sed dicendum, quòd nõ stat, quia ibi dicitur: Omnes Principes erant ducenti quinquaginta, ergo non erant plures. Respondendum, quòd Salomon habebat duplices Principes, scilicet, quosdam, vt præessent exercitui tam equitibus, quàm curribus & peditibus, alios autem Principes, qui præerant operibus Regis in fabricationibus: illi, qui præerant exercitui, erant ducenti quinquaginta, & qui præerant operibus erant trecenti & omnes simul erant quingẽti quinquaginta. Istud patet, quia 2. Paralipomenon 8. dicitur: Omnes autem Principes exercitus Regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui erudiebant populũ. De trecentis autem Principibus operum patet supra 5. Scilicet, Fuerunt itaque Salomoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant absque præpositis, qui præerant singulis operibus numero trium millium trecentorũ, & trecenti de illis erant præpositi maiores, qui propriè vocantur præpositi: hic autem vocantur quingenti quinquaginta, quia ponũtur principes tam exercitus, quàm operum, quod patet ex litera: nam dicitur immediate. *Qui habebant subiectum populum, & statutis operibus imperabant.* Id est, Quædam pars istorum habebat populum subiectum, scilicet, imperabat ea, quæ facere deberent Israelitæ: alia autem pars præerat statutis operibus, & sic erant ducenti quinquaginta Principes super exercitum, & trecenti super opera Regis.

D

E

Tollitur contradictio inter hũc locum, & 2. Paral. 8.

F

An Salomon peccauerit subijciendo Chananæos in tributarios, & non occidendo eos.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR an Salomon peccauit subijciendo sibi Chananæos in tributarios, & non occidendo illos Aliquis dicet quòd sic quia lex iubebat, quòd Israelitæ non facerent aliquod pactum cum Chananæis ad permittendum eos viuere, sed occiderent in ore gladij. Deuteron. 20. Et si Israelitæ vellent dimittere viuentes Chananæos in terra, Deus comminabatur mala eis. Nume. 33. Scilicet, Si autem nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduersabuntur vobis in terra habitationis vestræ: & quidquid cogitaueram illis facere, vobis faciam. Simile Iudicum 2. Respondendum, quòd non potest constare manifestè, an

peccauerit

A peccauerit Salomon: dicit enim Nicolaus, & Hebræi, quòd si Salomon egit hoc ex cubiditare tributorum, peccauit dupliciter. Primò per auaritiam, quia desiderabat immensam pecuniam, & ob hoc inclinabatur ad agendum contra legem. Secundò per inobientiam, quia lex iubebat Chananæos occidi, & ex nullo pacto eis parci. Si autem egit hoc Salomon ad liberandum Israelitas ab operibus manuum, & propter deuotionem, vt isti magis laborarent in operibus, quàm ipsi Israelitæ, non peccauit: & dicunt simile esse, quia Iosue, & alij Israelitæ, subiecerunt Gabaonitas in cultum altaris Domini ad cædenda ligna, & comportandaa aquas Iosue 9. Sed dicendum, quòd istud exemplum non applicatur, quia Israelitæ non subiecerunt sponte Gabaonitas ad seruiendum altari: quia nesciebant, an essent Chananæi, sed fefellerunt Gabaonitæ Israelitas dicentes se esse de terra longinqua, & non de terra Chanaan: sic inierunt pactum simul præstito iuramento ab Israelitis, quòd non nocerent eis. Postea autem comperto, quòd essent Chananæi Israelitæ volebant occidere eos, sed timentes periurium non occiderunt illos, & in pœnam subiecerunt eos seruituti altaris: si tamen sciuissent illos esse Chananæos, nunquàm dimisissent eos viuere, vt seruirent altari, vel toti populo. Hic autem Salomon sciens, & volens subijciebat sibi in tributarios ipsos Chananæos, ideo non erat similis casus. Hoc autem non

B obstante dicendum videtur, quòd peccauerit Salomon in hoc, quia non ponitur inter peccata sua: nam scriptura solum increpat eum de adoratione idolorum, & quòd ardenter amauit mulieres alienigenas infr 11. Ergo videtur, quòd in hoc non peccauit. Item Ecclesiastici 47. Ponuntur laudes Salomonis, & peccata sua: & tamen non ponitur, nisi de mulieribus, & de idolis per hoc, quòd dicitur ibi dedisti maculam in gloria tua. Item Salomon erat adhuc nimis deuotus Deo, intantum quòd noluit, quòd maneret vxor sua in domo Dauid, eo quòd aliquando fuerat ibi arca, vt patet in litera, & 2. Paralipomenon 8. Ideo si subijcere gentes istas in tributarias esset contra legem, nullo modo subiecisset eas sibi Salomon. Item ista quæstio non videtur militare contra Salomonem, sed contra Dauid: nam fuit, qui subiecit istas gentes in tributarias, & non Salomon cum nulla bella egerit, vt supra declaratum est, ideo Dauid peccaret; sed de Dauid non est credendum, quòd peccauerit in hoc, cum esset vir valde deicola, potentissimè, quia scriptura ponit peccata eius, & non enumerat istud cum illis, ideo credendum est, quòd ex dispensatione aliqua factum fuerit, quòd Dauid posset sibi subijcere has gentes in tributarias. Item dato, quòd Salomon subiecerit sibi istas gentes post mortem Dauid; tamen non peccaret, quia Deus ageret hoc ex dispensatione, eo quòd ipse volebat quòd Salomon esset pacificus, vt posset ædificare templum, sicut ipse prædixerat, quòd daret ei pacem ab omnibus hostibus, præcedenti lib. cap. 7. &

C 1. Paralipomenon 22. Ideo concederet, quòd illæ gentes subijcerentur ei in tributarias: quia si deberet pugnare contra illas, efficeretur vir bellator, & effusor sanguinis, sicut pater suus, & non vacaret ei tempus ad ædificandum templum. Istud innuitur Ecclesiastici 47. Scilicet, Salomon imperauit in diebus pacis, cui subiecit Deus omnes hostes, vt conderet domũ in nomine suo, sed subiectio, quæ à Deo fit, sine peccato est: & ista non fuit alia, nisi quòd subijceret ei gentes in tributum; ideo non peccauit Salomon faciendo istas gentes tributarias, sine ipse subijceret eas, siue Dauid prius eas in tributum subiecerit. Motiuum autem huius est duplex. Primum est, quia siue Dauid, siue Salomon subiecerit sibi istas gentes in tributarias videtur fecisse ex quadam Dei dispensatione, vt supra declaratum est. Secundum motiuum est, quia lex illa, quæ prohibebat permitti viuere ipsos Chananæos non extendebatur ad hoc tempus: intelligebatur enim, quando pauci de Chananæis essent subiecti Israelitis, quòd reliqui non permitterentur viuere sub aliqua conditione pacis tributi, vel seruitutis: postquàm autem maior pars Chananæorum esset deleta, ita quòd reliqui non audirent, nec possent resistere Israelitis, poterant Israelitæ subijcere sibi illos Chananæos in tributarios. Sic autem erat nunc, quia de Chananæis fuerat maior pars deleta: ideo reliqui poterant subdi tributo. Aliter etiam dici potest, quòd prohibitio de permittendo Chananæos viuere intelligitur, quando Israelitæ non haberent locum sufficientem D ad habitandum: nunc autem erant spacioſa loca habitationis pro toto Israel: & si occiderentur omnes Chananæi, scilicet, istæ quinque gentes, quæ habentur hic, Israelitæ non possent occupare terram, & repleretur illa serpentibus, & bestijs, qui consumerent Israelitas: ideo ne sequeretur istud inconueniens, fuit licitum subijci Chananæos in tributarios & relinqui eis terram habitandam. Quòd autem esset ista causa rationabilis ad dimittendum eos, patet, quia istam causam allegauit Deus excusando se, quòd non daret terram Chanaan Israelitis immediatè, vt introirent in illam, Exod. 23. Scilicet, Non eijciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra de bestiæ: paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram. nunc autem Israelitæ venerant ad maximam multitudinem suam, & non videbantur posse habitare occupando maiorem terram, quàm nunc occupabant; ideo non decebat, quòd occiderent omnes Chananæos, quia tunc impleretur terra bestijs. Ad rationẽ autem in contrariũ ex auctoritatibus probantibus non esse permittendos Chananæos viuere. Dicendum est, sicut fuit supra responsum tribus modis. *Filia autem.* Hic ponitur pars incidentalis: & ponuntur quatuor incidentia. Primum est filiæ Pharaonis in domum suam translatio. Secundum est Mello ædificatio ibi. *Tunc ædificauit.* Tertium sacrificiorum oblatio ibi. *Offerebat quoque.* Quartum seruorum Salomonis, & Hiram nauigatio ibi. *Classem quoque.* Circa primum dicitur. *Filia autem Pharaonis ascendit de ciuitate Dauid in domum suam, quam ei ædificauerat Salomon.* Salomon enim tres domos fecerat, scilicet, suam, & domum saltus Libani, & domũ filiæ Pharaonis, supra 7. Cum autem nondum esset ędificata domus illa, manebat filia Pharaonis in domo, in qua prius morabatur Dauid, supra 3. Scilicet, Accepit namque filiam Pharaonis, & adduxit in ciuitatẽ Dauid, donec compleret ædificans domum suam, & domum Domini. Nunc verò completa illa domo transtulit Salomon filiam Pharaonis illuc, vt non esset in domo Dauid. Sciendum autem, quòd Salomon habuit multas tam vxores, quàm concubinas, vt patet infra 11. Et tamen nulli earum ædificauit domum, nisi filiæ Pharaonis, eo quòd ipsam diligebat super omnes, & erat ipsa, tanquàm domina; cæteræ autem licet essent vxores, tamen magis reputabantur vt concubinæ; ideo omnes prædicabant ipsam beatissimam: vnde Salomon dicebat de illa. Canti. 6, Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus: vna est columba mea, & perfecta mea, viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ laudauerunt. Et intelliguntur ista quantum ad literam de filia Pharaonis: ideo huic soli ædificauit Salomon domum. Cæteræ autem, vel manebant cum F ipsa in domo illa, vt minores, vel erant in domo Regis, vel erant in alijs domibus minus famosis, de quibus scriptura non facit mentionem.

Quomodo Salomon transtulit filiam Pharaonis de ciuitate Dauid.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR quare Salomon transtulit filiam Pharaonis de ciuitate Dauid. Respondendum, quòd non debet intelligi, quòd filia Pharaonis prius esset in ciuitate Dauid, & nunc de ea recederet, quia nunc iuit in domum suam: & tamen domus sua erat intra ciuitatem Dauid. Pro quo sciendum, quòd ciuitas Dauid vocatur arx montis Sion, vbi prius habitabant Iebusæi, & Dauid capiens illud castrum vocauit ipsum ciuitatem suam, præceden. lib. cap. 5. Ibi autem ædificata fuit domus pro Dauid ab artificibus Hiram, eod. cap. & 1. Paralipemon. 14. Et illa dicebatur esse intra ciuitatem Dauid: nunc autem Salomon ædificauerat domũ suam, & templum Domini intra ciuitatẽ Dauid in cacumine montis, & ad radices atriorum templi erat domus filiæ Pharaonis, vt declaratum est supra 7. Et colligitur ibi ex litera: ideo erat intra ciuitatem Dauid: sed dicitur, quòd filia Pharaonis ascendit de ciuitate Dauid in domum suam, id est, ascendit de domo Dauid in domũ suam. Et tunc stat quæstio, scil.

quare ascendit de domo Dauid ad domum suam. Respondendum, quòd fecit hoc Salomon, quia arca Dei fuerat in domo Dauid: & nolebat, quod ibi esset vxor sua, vt patet 2. Paralipomenon. 8. Scilicet, Dixit enim Rex non habitabit vxor mea in domo Dauid, eo quòd sanctificata sit, quia ingressa est in eam arca Domini.

An propter ingressum arcæ in domum Dauid esset illicitum habitare ibi filiam Pharaonis, vel aliam fœminam.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR vlterius an propter ingressionem arcæ in domum Dauid esset illicitum habitare ibi vxorem Salomonis. Aliquis dicet quòd sic, nam Salomon dixit, quòd erat sanctificata domus per ingressum arcæ, & ob hoc non deberet ibi habitare vxor sua, ergo videtur, quòd erat illicitum. Item ista domus erat sanctificata, sicut templũ propter ingressum arcæ; sed in templo non liceret habitare alicui laico, ideo nec in illa domo liceret habitare vxori Salomonis. Respondendum, quòd non erat illicitũ habitare ibi vxorem Salomonis: quia ante hoc habitabat ibi, vt patet supra 3. Scilicet, Accepit namquè filiam Pharaonis, & adduxit eam in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans domum suam: si tamen esset illicitum morari ibi vxorem Salomonis non tenuisset eam ibi, nec per vnum diem: ideo videtur, quòd non erat illicitum manere ibi. Item Dauid erat vir sanctus, & cauebat nimis offendere Deum; si igitur esset illicitum morari ibi, ipse non mansisset ibi, & tamen manebat ibi cum familia sua: nam intra domum suam parauit locum arcæ Domini. præcedenti libro, cap. 6. & 1. Paralipomenon 15. & 16. Ergo non erat illicitum Salomoni manere ibi cum vxore sua. Item dato, quòd ista domus sancta esset, quando erat ibi arca, tamen postquàm recessit inde arca, non erat sancta; ideo poterat transire ad quoscunque vsus humanos. Sic patet de tabernaculo Moysi, quod figebatur per desertũ: nam dum esset fixum non licebat alicui laico introire intra ambitum illius: & tamen postquàm tabernaculum motum erat, licebat cuique laico stare in loco, vbi fuerat prius tabernaculum, & etiam Sancta sanctorum: quia iam non manebat aliqua sanctificatio loci. Nunc autem erat arca in templo, ideo poterat manere vxor Salomonis in domo Dauid. Item Dauid manebat in domo illa, manente arca ibi, ergo à fortiori posset filia Pharaonis manere ibi, postquàm recesserat arca. Item ipsamet filia Pharaonis mansit ibi, dum esset arca ibidem, antequàm duceretur in templum, ergo à fortiori posset nunc manere ducta arca in templum. Patet antecedens, quia Salomon accipiens filiam Pharaonis in vxorem, duxit eam in domum Dauid, supra 3. Et tamen tunc erat arca ibi, eo quòd nondum translata fuerat ad templum, eo quòd non erat factum templum, nec domus Regis, vt patet ibidem. Salomon putabat se licitè habitare in domo illa, quia non dixit non habitabo ego in domo Dauid, sed, non habitabit vxor mea: ergo etiam ipsa poterat licitè habitare ibi, quia mulier non magis prohibebatur accedere ad res sacras, quàm vir laicus, sed Salomon erat laicus, cum esset de tribu Iuda, ergo si licebat ei manere in domo Dauid, liceret etiam vxori suæ. Dicendum igitur, quòd in domo Dauid erant duæ diuisiones, siue duo habitacula separata, & in vno illorum habitabat Dauid, & in alio erat arca Domini: & intantum differebant ista duo habitacula, quòd quanquam Dauid, vel aliqui de domo sua essent polluti immunditijs legalibus, non polluebant locum arcæ. Vnde licet aliquando morerentur aliqui in domo Dauid & esset polluta ipsa domus, & omnes habitantes in ea. Numer. 19. Non polluebatur locus arcæ. Quod patet, quia quando mortuus est paruulus in domo Dauid ipse lauit se, & introiuit in domum, vbi erat arca, præcedenti libro, cap. 12. Si tamen pollueretur locus arcæ non ingressus fuisset illuc Dauid: nec etiã vellet, quòd maneret ibi arca Dei, quia magna irreuerentia irrogaretur ei in hoc. In illa autem domo, in qua erat arca dum manebat ibi non morabatur Dauid, nec aliquis hominum, sed introibant illuc ad orandum: mortuo etiam Dauid, cum Salomon haberet vxorem suam in domo Dauid, non introibat in locum arcæ ad habitandum, sed ad orandum interdum. Postquàm vero arca ducta fuit in templum, non solum licebat Salomon, & vxori suæ habitare intra domum primam, in qua morabatur Dauid, sed etiam in domo illa, in qua erat arca prius, cum iam non esset locus ille sacer post recessum arcæ: & ob hoc Dauid putauit licitum sibi esse manere in domo illa, in qua non erat arca. Salomon etiam cum vxore sua putauit licitè manere in eadem domo, & mansit vsquequo facto templo ducta est illuc arca: & postea adhuc mansit filia Pharaonis in domo Dauid, quousque domus sua ædificata est. Licuisset ergo semper ibi habitare: Salomon tamen ex abundanti deuotione ad signandam magnam sanctitatem, quæ fuerat in domo illa manente ibi arca, tanquàm nunc manerent reliquiæ illius sanctitatis, voluit, quòd non maneret ibi vxor sua. Sciendum tamẽ, quòd istud non erat principaliter, nisi ad euitandum coitum coniugalem fieri in domo illa, quia laca sacra iudicantur nimis polluta effusione sanguinis, vel seminis: & ob hoc voluit, quòd vxor sua esset in alia domo, vt ibi esset thorus coniugalis, & non in domo Dauid, quo facto ipse Salomon mansit in domo Dauid, quia recedente inde vxore, non erat occasio polluendi domum seminis effusione. & tamen adhuc coitus coniugalis licitus erat in domo illa: nam ibi tenuit Salomon multo tempore vxorem suam: sed quia tunc nondum fecerat domum pro vxore sua, tenebat eam in domo Dauid, & non obseruabat istam reuerentiam, quæ erat supererogationis. Si autem esset reuerentia necessitatis, etiam si Salomon nondum ædificasset domum, non tenuisset ibi vxorem suam. Nunc autem facta domo voluit obseruare reuerentiam supererogationis. Ad primam rationem dicendum, quòd domus, in qua erat arca, erat sanctificata dum ibi manebat: & postquàm recessit, non erat sancta: alia autem pars domus nunquàm fuit sancta propriè loquẽdo, siue existente arca in domo Dauid, siue non: sed Salomon vocauit eam sanctificatã largissimè quantũ ad quandam reuerentiã supererogationis. Sciendum tamen, quòd Salomon non loquitur de parte domus, in qua erat arca, quia in ista nũquàm habitauerat vxor sua, eo quòd ipse acceperat vxorem, dum maneret arca in domo Dauid, scilicet, nondum ædificato templo, supra 3. Et tamen hic dicitur, quòd ascendit filia Pharaonis de ciuitate Dauid, & 2. Paralipomenon. 8. dicitur: Non habitabit vxor mea in domo Dauid: ergo necessario intelligitur de domo, in qua prius erat ista filia Pharaonis, & in illa non erat arca. Ad secundam rationem dicendum, quòd illa pars domus Dauid, in qua erat arca, erat sanctificata, sicut templum eo tempore, quo erat ibi arca: post recessum autem eius non erat sancta, nisi largè, vt dictã est. Alia autem pars domus nunquàm fuit sancta, nec existente ibi arca, nec recedente; ideo semper licuit ibi quibuscunq; habitare. *Tunc ædificauit mello.* Istud est secundum de ædificatione Mello: quid autem sit Mello supra declaratum est. Dauid enim non ædificauerat Mello, nec coæquauerat voraginem, sed incæpit ædificare ex ipsa Mello, præcedenti libro, capitulo quinto. Scilicet, Et ædificauit per gyrum à Mello, & intrinsecus. Dicunt autem, quòd in ista Mello, siue platea magna fecit Salomon tabernacula, pro seruis filiæ Pharaonis. Motiuum autem est, quia postquàm dicitur de transitu filiæ Pharaonis in domum suam: mox dicitur de ædificatione Mello. *Offerebat quoque.* Istud est tertium, scilicet, Salomonis oblatio, & ponitur de oblatione ista, quia erat valde famosa, scilicet, quia offerebat victimas multas, quòd colligitur sequenti cap. cùm dicitur, Quòd Regina Saba mirata est videns holocausta, quæ offerebat Salomon in domo Domini. *Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos singulos.* Id est, Iubebat pro se offerri, vel dabat animalia ad offerendum; nam ipse Salomon per se non immolabat, quia cum esset laicus non licebat ei hoc facere.

In domo Dauid erant duæ diuisiones

De ædificatione Melli.

Quibus vicibus Salomon offerebat ordinariè.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, quæ erant istæ tres vices, quibus Salomõ offerebat per singulos annos. Respondendum, quòd hic ponuntur sacrificia ordinaria Salomonis: interdum

tamen

tamen propter aliquas cauſas emergentes Salomon ſacrificabat: ſed illa non erant ſacrificia famoſa, ſicut iſta ordinaria, ideo cum magna eſſent, credendum eſt, quòd fierent in aliquibus magnis feſtiuitatibus. Inter Hebræos autem erant duplices feſtiuitates, ſcilicet, quædam, quæ replicabantur ſæpe per annum, & aliæ, quæ ſemel in anno erant. Primæ erant duæ, ſcilicet, ſabbatum, quòd in qualibet hebdomada erat, & feſtum Kalendarum, quòd erant prima die cuiuſlibet menſis, Numer. 28. & 29. Solennitates autem, quæ non replicabantur per annum erant quinque, ſcilicet, feſtum azymorum, & Penthecoſtes, & clangoris, & propitiationis, & tabernaculorum, Leuit. 23. & Numer. 28. & 29. Inter iſtas autem ſolennitates illæ, quæ non replicabantur erant excellentiores, ideo in illis dicendum eſt, quòd Salomon immolaret: quia tamen erant quinque, dubium eſt, quæ erant tres illarum, in quibus Salomon immolabat: & dicendum rationabiliter, quòd erant tres ſolenniores iſtarũ quinque, & iſtæ ſunt feſtum Azymorum, & Penthecoſtes, & Tabernaculorum: iſtæ enim erant cæteris ſolenniores, quia in his iubebatur omnes Iſraelitæ venire in locum Sanctuarij. Exod. 23. & 34. & Deuteronom. 16. Et tunc, aduenientе toto populo, Rex faciebat ſacrificia mirabilia, ſcilicet, offerens animalia multa.

An tantum ter in anno Salomon offerret.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dicitur, quòd ſolum in tribus feſtiuitatibus Rex immolabat: nam videtur, quòd pluries deberet immolare, cum quotidie fierent ſacrificia. Reſpondendum, quòd ſacrificia fiebant quotidie in Sanctuario, & differenter, quia non fiebant talia in die feſto, ſicut in diebus profeſtis: ſed erant maiora: & ſecundum differentiam feſtorum erat differentia oblationum. De quo patet Num. 28. & 29. Ita, quòd nulla dies ſine ſacrificio maneret: iſta tamen ſacrificia erant ordinaria, & fiebant de expenſis Sanctuarij: ipſi tamen laici non compellabantur ad faciendum aliqua ſacrificia, ſed quando gratis offerrent, acceptabantur. Iſtud autem erat verum, ſemel in anno, ſcilicet, in die Phaſe: nam tunc omnes de Iſrael cogebantur offerre agnum anniculum immaculatum per ſingulas domos, vt in qualibet domo comederetur, ſi domus ſufficiens erat ad comedendum vnum agnum. Exod. 12. Eſt iſte agnus immolabatur in loco Sanctuarij, ſicut cætera ſacrificia, Deuteron. 16. Siquis verò nollet offerre iſtud ſacrificium ſemel in anno occidendus erat, Numer. 9. Iſtud autem Salomon offerrebat celebrans Phaſe in domo ſua, ſicut celebratur in omnibus alijs domibus Iſraelitarũ: & iſtud non computatur quaſi vnũ de iſtis tribus ſacrificijs, eo quòd largè vocatur ſacrificium: ſed in feſto Azymorum offerebat multa animalia tam in holocauſtum, quàm in hoſtias pacificas. Idem in Penthecoſte, & idem in feſto Tabernaculorum: ad nullam tamen iſtarum oblationum obligabatur, ſed ſponte agebat: & nullus laicus vel ſacerdos obligabatur aliquando de ſumptibus ſuis facere ſacrificiũ, niſi incideret in aliqua peccata, propter quæ lex imponebat ſacrificium pro peccato, vt patet Leuitic. 4. & 5. & Numeror. 5. De redditibus autem Sanctuarij ſacrificia quotidie facienda erant, vt dictum eſt. *Holocauſta, & pacificas victimas.* Scilicet, in qualibet vice iſtarum trium offerebat iſta duo genera ſacrificiorum, de quorum ceremonijs patet Leuitici 1. & 3. Aliud autem genus ſacrificij erat pro peccato; & iſtud non erat tam ſpontaneum, ſicut holocauſtum, & hoſtia pacifica: quia regulariter imponebatur pro aliquibus panis, ideo Salomon non offerebat illud. *Super altare quod ædificauerat Domino.* Id eſt, Super altare, quòd fecerat Salomon, quòd erat in altitudine cubitorum decem, & viginti longitudine, & totidem latitudine. 2. Paralipomenon. 4. Et iſtud erat coram Domino, id eſt, in atrio ſacerdotum: & in illo offerebatur. Aliud autem fecerat Moyſes, ſed in illo iam non offerebatur. *Et adolebat thymiama coram Domino.* Id eſt, Dabat ſacerdotibus thymiama ad hoc, quòd adolerent, id eſt, cremarent illud coram Domino, ſcilicet, in altari thymiamatum intra templum: ipſe enim per ſe non adolebat illud, cum non eſſet ſacerdos. *Perfectumque eſt templum.* Iſtud ponitur hic incidenter, quia dicebatur de operibus Salomonis, & de ſacrificijs eius quæ fiebant in templo: ideo dicitur, quòd templum iam perfectum erat. *Claſſem quoque.* Hic ponitur quartum, ſcilicet, ſeruorum Salomonis cum ſeruis Hiram nauigatio, & dicitur. *Claſſem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber.* Eſt Aſiongaber quidam portus maris rubri, & eſt in parte Orientali terræ Chanaan. Vnde Exo. 23. dicitur: Ponam terminos tuos à mari rubro vſq; ad mare Palæſtinorum: & tamen mare rubrum ponitur ibi pro Oriente: & eſt iſta ciuitas Aſiongaber in terra Idumææ, quia in mari illo in termino Orientali coniunguntur terra Chanaan, ſcilicet, duarum tribuum, & dimidiæ, & terra Idumæorum. Iſta ciuitas Aſiongaber fuit olim famoſa valde, & portus accommodus valde nauibus, ſed Alexander Magnus ædificia vrbis, & portus terræ coæquauit. Et dicitur, quòd fecit claſſem, id eſt, multitudinem nauium. Habebat autem Salomon mare magnum, ſcilicet, Mediterraneum ab Occidente, quòd vocatur mare Palæſtinorum, in quo poterat claſſem facere, ſed non legitur, quòd ibi fecerit, ſed ſolum in mari rubro in ſinu Arabico: eo quòd ipſe volebat mittere ad terram Indorum, ſcilicet, in Ophir, & in alias partes Indiæ, vbi erant res precioſæ, vt inde deferrentur: ſed per mare Palæſtinorum non poterat illuc nauigari, ideo fecerat claſſem in mari rubro. *Quæ eſt iuxta Ailath.* Iſta eſt quædam ciuitas famoſa in terra Idumæorum quæ aliquando vocatur Elath, vt patet Deuteronom. 2. Apud iſtas duas ciuitates tranſierunt Iſraelitæ venientes per deſerta Arabica de Ægypto in terrã Chanaan; nam coacti ſunt circuire terrã Idumæorũ, & deinde in parte Orientali eius tranſire per iſta duo loca: vnde Deut. 2. dicitur, Circuimus montem Seir longo tempore, id eſt, terram Idumæorũ & poſtea ſequitur: Cumq: tranſiſſemus fratres noſtros filios Eſau, qui habitant in Seir per viam campeſtrem de Elath, & de Aſiongaber venimus ad iter, ꝙ ducit ad deſertum Moab. Iſta ciuitas vocatur nunc ciuitas Elana mutato nomine parum ab Hebræ. *In littore maris rubri.* Mare rubrum habet duos ſinus, ſcilicet, Perſicum, & Arabicum: nam incipiens à parte Indorum extenditur vna pars eius verſus Perſidem, & vocatur ſinus Perſicus: alia pars extenditur magis verſus Meridiem, & tangit Ægyptum fluitq; per deſerta Arabica: ideo vocatur ſinus Arabicus: neuter tamen iſtorum ſinuũ fluit in mare magnum, vel mare Mediterraneum, ſed ſunt coarcti limitibus terrarum, ſicut magni lacus. Ideo iſte ſinus Arabicus ex parte tangit Ægyptum, & tamen ſecat eam ab Oriente vſque in Occidentem, eo quòd in Ægypto deſinit, & non procedit vſque ad mare Mediterraneum, quod eſt in parte Occidentali Ægypti: ideo ſic ſoluitur difficultas illorum, qui dicunt quomodo poterant Iſraelitæ exire de Ægypto per viam terræ Philiſthinorum non tranſeundo mare rubrum: & per viam deſerti non poterant tranſire, quin intrarent in mare rubrum: ſcilicet, quia ſi Iſraelitæ iuiſſent per terram Philiſthinorum deſcenderent à mari rubro deuiantes ab illo, quia non pertingit vſque ad partem Occidentalem Ægypti: ſi autem irent verſus Orientem, appropinquarent mari rubro: ſic autem factum eſt, De hoc patet Exod. 13. Quanquam ibi ſecundum aliorum poſitionem aliter fuit aſſignatus tranſitus maris rubri. Erat autem iſte ſinus maris rubri Arabicus, in quo Salomon claſſem fecit. *In terra Idumææ.* Scilicet, Aſiongaber eſt portus terræ Idumææ: nam licet terra Iſrael peruenerit vſq; ad mare rubrũ ex parte Orientali, tamen portus Aſiongaber non eſt parte terræ Iſrael, ſed in parte Idumæorum vbi eſt etiam principium terræ Moabitarum, vt colligitur Deuterom. 2. Poterat autem Salomon facere claſſem in Aſiongaber, quia Rex Idumeæ erat ſibi ſubiectus: cum Dauid ſubieciſſet ſibi Idumæos in tributarios, & poſuiſſet præſidium in Idumæa. præcedenti libro, cap. 8. *Miſitque Hiram in claſſe illa ſeruos ſuos.* Iſtud fuit, vt illi erudirent ſeruos Salomonis: nam ſerui Salomonis non erant viri nautici, ſerui autem Hiram erant periti in arte nautica, vt dicitur in litera. Sic etiam ſerui Salomonis non erant periti in cædendo ligna, ideo Salomon petiuit, vt eſſent ſerui Hiram cum ſeruis Salomonis inſtruendo eos in arte cæſoria, & dixit: ſcis enim quoniam in populo meo non eſt vir, qui ſciat ligna cædere, ſicut Sidonij; ideo ſint ſerui mei cum ſeruis tuis, ſupra 5. *Viros nauticos, & gnaros maris.* Scilicet,

Aſiongaber vbi.

Mare rubrũ duos habet ſinus.

Vide D. Abulen. Exo. 13 q 7 & 9. & 14. c. q 7. & 9.

A Viri Hiram erant nautici, id est, scientes artem nauticam: etiam erant gnari maris, scilicet, scientes loca maris per diuersos tractus terrarum: & hoc opus erat ad eundum in Ophir, quia per longos terræ circuitus ibatur illuc ex Asiongaber. Causa autem quare serui Hiram erant nautici, erat quia habitabant in litore maris, scilicet, in Tyro, & Sidone. Fuit autem ciuitas famosissima antiquitus in rebus nauticis: conueniebant enim ad eam mercatores de omnibus partibus orbis, de cuius gloria describit latè Ezechiel. ca. 27. Hebræi autem non erant tantum dediti occupationibus maris: ideo nõ nouerant artem nauticam. *Qui cum venissent in Ophir.* Ophir est quædã insula in terra Indiæ, qui vocata est Ophir à quodam de filijs Heber. in hac leones, & sæuissimæ bestiæ habitant: hæc enim terra habet montes aureos: nam superficies eius videtur tota quasi aurum: non est tamen facultas hominibus introeundi, & manendi in montibus illis aureis propter sæuissimas bestias: sed cum sint illi montes in littore maris nautæ appellentes nauem & portum, cum vident abesse bestias ex impetu introeunt in extremitates illorũ montium, & laminas aureas vnguibus, & pedibus bestiarum erutas accipiunt, & in nauem redeunt: postea autem decoquunt terram illam, vt depuretur aurum: sic enim acceperunt serui Salomonis, ita vt ducerent inde valde magnam massam auri. In terra ista sunt aues, & animalia diuersi generis, & varii lapides pretiosi: vnde simiæ, pauones, & psittaci aues inde feruntur, Chrysopassus quoque lapides, & magnetes multi ibi sunt, vt refert Plinius, & Rabanus. *Sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad Regem Salomonem.* Scilicet, Acceperunt inde terram auream, quæ non erat purum aurum: sed sicut ferrum est in terra, vel alia metalla in minerijs, quæ postea debent depurari igne: est tamen in terra ista aurum purius, & pretiosius, quàm in alijs terris, & sic quando ducebant terram illam erat magnæ quantitatis, sed postea cum depurata est fuit talentorum quadringentorum, & viginti. Post Salomonem autem aliqui alij de regibus Iuda, & Israel mittebant in Ophir pro auro. Sic patet de Iosaphat Rege Iuda, infra vlti. scilicet, Rex verò Iosaphat fecerat classes in mari, quæ nauigarent in Ophir propter aurum, & ire non potuerunt, quia confractæ sunt in Asiongaber. De ista missione in Ophir dicit Iosephus 8. Antiquitatum: Fecit Rex Salomon multas naues in sinu Ægyptiaco maris rubri in loco, qui appellatur Asiongaber non procul à ciuitate Elana, quæ nunc Beronica appellatur: misit autem in Ophir, vbi nunc terra aurea nuncupatur: est autem in India, vt aurum inde deferrent, & colligentes quadringenta viginti talenta reuersi sunt: non enim emebatur aurum, vel argentum, aut vendebatur, sed multæ fuêre naues, quas Rex in mari Tharsico constituerat, vt interiora gentium penetrarent, & omnia compararent: comparatum autem aurum, & argentum Regi deferrent, nec non elephantos Æthiopas, & simias: nauigium verò euntes, & redeuntes tribus annis complebant. Sciendum autem, quòd insula Ophir in India est apud fluuium terræ Heuilath, qui est Phison, & iste circuit terram Ophir; & tamen in fluuio isto sunt lapides pretiosi, & in terra, quam circuit, scilicet, in terra Ophir est aurum optimum. Sic patet Genes. 2. Scilicet, Nomen vni Phison; ipse est, qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum: & aurum terræ illius optimum est; & intelligitur istud de Ophir, quia ibi nascitur aurum.

Ophir insula Indiæ habens montes aureos.

B

C

Ophir insula vbi sit.

Cap. 3.

Caput X.

Ed & Regina Saba audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus. Et ingressa Ierusalem cum multo comitatu, & diuitijs, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas, venit ad Regem Salomonem, & locuta est ei vniuersa, quæ habebat in corde suo.

2. Par. 9. Mat. 12. Luc. 11

S. 7. 1. c. vereor.

Descripta in præcedentibus gloria Salomonis in ædificijs & familia hic describitur eius gloria in magna opulentia, & diuiditur in tria: primò ponitur opulentia ex amplitudine sumptuum; secundò ex multitudine prouentuum ibi. *Erat autem pondus.* Tertiò ex magnitudine effectuũ ibi. *Fecit quoque Rex.*

D

An iste ordo sit continuus.

Quæstio I.

Quæretur circa primum an ea, quæ habentur hic fuerint facta post præcedentia, vel sit aliquis ordo mutatus, & an fuerint facta ista immediate post præcedentia. Ad primum dicendum, quòd non apparet, an ea, quæ habentur hic sint facta post præcedentia, quia ista non est aliqua historia continuata cum præcedentibus, vel subsequentibus, sed est quoddam accidens per se descriptum, scilicet, quòd venerit ista Regina ad audiendam sapientiam Salomonis: nam supra 4. dicitur, quòd de omnibus populis veniebant ad audiendum sapientiam Salomonis: & sic potuit esse, quòd veniret ante istud vel post. Dicendum tamen, quòd venerit post ea, quæ habentur supra, quia nunquam recedendum est ab ordine literæ, nisi appareat manifesta causa: hic autem non apparet aliqua: ideo credendum est, quòd talis fuit ordo qualis ponitur hic in litera. Item patet quia præceden. cap. dicitur de consummatione ædificiorum Salomonis, scilicet, quòd facta domo Domini, & domo sua dedit mercedem Hiram Regi Tyri, quando tamen venit Regina Saba ad Salomonem, erat factum templum Domini, & domus Regiæ erant completæ, & domus seruorum suorum: nam ipsa Regina videns domum, quam ædificauerat Salomon, & cibos mensæ eius, & habitacula seruorum, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habuit vltra spiritum, infra in litera: erat igitur iste aduentus post omnia præcedentia. Ad secundum dicendum, quòd non potest patere an modico tempore, vel multo post præcedentia facta fuerint quæ habentur hic: constat tamen, quòd de Regno Salomonis ad minus transierant anni plusquam vigintiquatuor, quia Salomon regnauerat ferè quatuor annis ante fundationem templi, supra 6. Deinde ædificatio templi, & domorum Salomonis durauit annis viginti, præcedenti cap. Quia templum ædificatum est annis septem, supra 7. Et domus Salomonis annis tredecim, supra 7. Et sic sunt anni vigintiquatuor à principio Regni Salomonis vsque ad finem ædificationis domorum suarum: & tamen Regina Saba venit ad Salomonem ædificato iam templo, & domibus suis, vt patet hic in litera, & supra declaratum fuit. Post istos autẽ vigintiquatuor annos quanto tempore venerit Regina Saba non apparet.

E

Quo tempore Regina Saba venit ad Salomonem.

Quæ erat ista Regina Saba, quæ venit ad Salomonem: & quomodo dicitur, quòd venit in nomine Domini. Et Saba quæ sit, regione, an ciuitas, & vbi.

Quæstio II.

Quæretur de ista Regina Saba, quæ erat. Respondendum, quòd ad hoc oportet sciri, quid sit Saba: & dicendum, quòd Saba aliquando accipitur pro ciuitate quadam Æthiopiæ: aliquando autem pro quadam prouincia, quæ vocatur Saba, vel Sabea: apud nos enim non differunt, nomina ista: sed apud Hebræos differunt quia aliquando scribitur per literam Sin, & aliquando per literam Samech. Saba autem, vt est regio, dicit quandam partem terræ Arabicæ, quæ à Ierusalẽ longè distat versus Orientem, & denominata fuit à quodam de filijs Cham, qui vocatus est Saba. Genes. 10. Ista terra habet ab Oriente mare rubrum, scilicet, sinum Persicum; ab Aquilone autem habet terram Chaldæorum, & Babyloniorum; à Meridie verò habet terrã Æthiopiæ, ab Occidente verò habet terram Ægypti. Ista terra abundat nimis in arboribus myrrhæ, & thuris, & in alijs aromaticis lignis. Ibi etiam nascitur auis phœnix, quæ vnica semper est. De his habetur de proprietatibus rerum, lib. 15. Ista Regina, secundum quòd vult Herodotus, & alij historiographi erat Regina totius Aphricæ, & Æthiopiæ, & Ægypti: & cum esset potentissima venit ad Salomonem. Iosephus autem 8. Antiquitatum putat, quòd ista Regina

F

Saba quid.

Cap. 3.

fuerit

A fuerit Regina Ægypti, quæ vocata est Nichaula, quæ etiam fuit Regina Æthiopiæ: nam secundùm quod refert Herodotus Alicarnasseus à Mineo, qui Memphin condidit, fuerunt Reges Ægypti semper dicti Pharaones, & fuerunt trecenti triginta, quibus successit Nichaula Regina Ægypti, & Æthiopiæ. Sed dicendum, quòd non est Regina Saba illa Nichaula Regina Ægypti, quia tempore Salomonis, scilicet, paulo antequàm veniret Regina Saba ad Salomonem, venerat ad eum Rex Ægypti, præcedenti cap. Et ille erat socer Salomonis, vt patet ibidem, & supra 3. Ergo Regina Saba non erat Nichaula Regina Ægypti, quia illa per se successit in Regnum, & cùm ipsa erat Regina, nullus erat Rex Ægypti: alioquin non diceretur ipsa successisse omnibus Pharaonibus. Item non potest dici, quòd ipsa fuerit vxor Pharaonis Regis Ægypti, scilicet, soceri Salomonis: quia tunc non veniret ipsa cum tanta admiratione ad Salomonem, cùm haberet filiam suam in vxorem: haberet enim maiorem familiaritatem cum illo: Scriptura tamen significat illam tanquam alienam. Si quis autem velit tenere cum Iosepho, quòd ista fuerit Nichaula Regina Ægypti, debet dicere, quòd illa fuerit immediatè post Pharaonem socerum Salomonis: & quòd nõ successerit in Regno aliquis vir socero Salomonis. Sed istud non satis conuenit, quia tunc ipsa veniisset de Ægypto ad Salomonem; dicitur tamen hic, quòd venit de finibus terræ: sic etiam dicitur Matthæi 12. Quòd Regina Austri, id est, Saba
B venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: Ægyptus tamen est satis prope terram Chanaan: nam de terra Chanaan ibant illuc filij Iacob pro cibarijs tempore famis, Genesis 42. & 43. Ideo non venit de Ægypto, sed de alia terra. Dicendum ergo videtur, quòd ista fuerit Regina Æthiopiæ, & quòd accipiatur hic Saba pro ciuitate quadam Æthiopiæ, & non pro terra, quæ vocatur Saba: eo quòd ista terra est Orientalis ad terram Chanaan, & non Meridiana cùm sit apud Chaldæam, vt supra dictum est: Saba tamen, de qua hic dicitur, est ciuitas Meridiana respectu terræ Chanaan: ideo vocatur Regina Austri, id est partis Australis, vel Meridianę, Matthæi 12. Et quia terra Æthiopiæ, vbi est Saba, est nimis distans à terra Israël, dicitur venisse ista Regina à finibus terræ. *Sed & Regina Saba.* Accipitur Saba pro ciuitate Æthiopiæ, & vocatur Regina Saba, non quòd illius loci solius esset Regina, sed quia ciuitas illa erat sedes Regni sui: sic enim Sehon dicitur regnare in Hesebon: & hic dicitur regnare in Astaroth, quia istæ ciuitates erant Metropoles Regnorum, Deuteronomij 2. & 3. & Iosue 12. & 13. *Audita fama Salomonis.* Scilicet, Audiuit eum sapientissimum esse super omnes homines, ideo voluit venire ad videndum eum, & ad interrogandum ipsum in multis dubijs. Nam multi Reges terræ veniebant ad Salomonem, vel mittebant ad eum viros, vt discerent ab eo solutiones dubiorum, & de omnibus populis veniebant ad eum, supra 4. *In nomine Domini.* Id est, Regina ista venit in no-
C mine Domini, scilicet, non solùm venit propter famam Salomonis, sed etiam propter nomen Domini.

Regina Saba quomodo venit ad Salomonem propter nomen Domini.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR quomodo venit propter nomen Domini? Respondendum, quòd fortè Regina Saba audierat famam Dei Israël, quòd faceret mirabilia plusquàm omnes Dij Gentium, ideo mota deuotione venit non solùm ad audiendum sapientiam Salomonis, sed etiam ad adorandum Dominum.

Deuotio autem istius Reginæ ad Deum Israël apparet ex verbis suis infra in litera, scilicet, Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israël, eo quòd dilexerit Dominus Israël in sempiternum: & constituit te vt faceres iudicium, & iustitiam. Item apparet, quòd ista Regina aliqualiter meruerit, cùm venit ad Salomonem, quia Matth. 12. dicitur: Regina Austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: & tamen ipsa non mereretur si solum veniret ad audiendum sapientiam Salomonis; ideo videtur, quòd etiam venerit ad adorandum Dominum, & quantum ad hoc meruit. Istud autem est valde rationabile, nam non solùm ista Regina Æthiopiæ venit nunc in Ierusalem, & adorauit Dominum, sed etiam aliæ Reginæ Æthiopiæ veniebant postea in Ierusalem, vel mittebant per nuncios suos pecunias offerri in templum: sic enim fuit. Nam post Christi mortem vir quidam Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes Gazas eius venit adorare in Ierusalem, & sic ille ferret pecuniam Reginæ ad offerendum in templo: & ob hoc dicitur, quod erat super omnes Gazas eius; Actuum 8. Vel potest dici, quod venit in nomine Domini, id est, audita fama de Deo, quòd dedisset sapientiam Salomoni: & hoc potest colligi ex verbis eius, infra, scilicet, Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, scilicet, quia placuisti ei, dedit tibi sapientiam. *Venit à finibus terræ.* Dicitur à finibus terræ, id est, de terra longinqua, scilicet, de Æthiopia, quæ est nimis Meridiana versus lineam æquinoctialem: aliæ tamen terræ sunt distantiores à Ierusalem versus Meridiem, quàm terra huius Reginę. Vocatur autem ob hoc Regina Austri, Matth. 12. Id est, Regina terræ nimis Australis. *Tentare eum in ænigmatibus.* Scilicet, Venit ad tentandum, an Salomon esset tam sapiens vt dicebatur: & ad hoc proposuit ei ænigmata, id est, quæstiones valde obscuras, vt sic cognosceret profundum sapientiæ eius. *Et ingressa in Ierusalem cum multo comitatu.* Salomon morabatur semper in Ierusalem, quia ibi erat sedes Regni eius, ideo illuc venit Regina Saba; & cùm esset potentissima, venit in magno apparatu Regali, scilicet, cum comitatu multo. *Et diuitijs.* scilicet, Ad magnitudinem expensarum, quia veniebat de terra longinqua, & cum magno apparatu. *Camelis portantibus aromata.* scilicet, Ferebat camelos multos, in quibus aromata multa erant; & ista erant ad dandum Salomoni, quia cùm Regina ab eo vellet audire solutiones dubiorum, volebat ei offerre munera magna. Et ista fuerunt pretiosissima aromata, qualia nunquam allata sunt in terram Israël, vt infra dicitur. Abundant autem Æthiopes camelis, ideo in camelis ferebant onera sua præsertim, quia ista animalia sunt ad ferendum magna onera & sunt magni laboris ad iter agendum. In Æthiopia autem abundant aromata, & omnia aromatica propter caliditatem terræ. In terris autem frigidis nulla aromata sunt: in terris autem temperatis, qualis erat terra Chanaan, quæ est partim in quarto climate, & partim in tertio, etiam non sunt aromata, ideo Regina Saba sciens hoc, tulit aromata multa, quia illa pretiosa essent in terra Israël. *Et aurum infinitum nimis.* Modus loquendi hyperbolicus est, quia aurum non poterat esse infinitum, sed dicitur infinitum, id est, multum. Et maximè patet hoc, quia dicitur infinitum nimis: & tamen nimis augmẽtat, sed super infinitum non est augmentum, ideo accipitur infinitum nimis, id est, multum nimis, quod patet 2. Paralipomenon 9. scilicet, Portabant cameli aromata, & auri plurimum. *Et gemmas pretiosas.* De multis generibus lapidum ferebat: & omnia hæc erant partim ad ostentandas diuitias suas: & partim ad dandum Salomoni munera magna de illis: nam infra dicitur, quòd dedit Regina Salomoni centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretiosas. *Venit ad Salomonem, & locuta est ei vniuersa, quæ habebat in corde suo.* Id est, proposuit omnia dubia, quæ habebat in corde, super quibus interrogatura venerat. *Et docuit eam Salomon omnia verba, quæ proposuerat.* Id est, Declarauit ei veritates occultas illarum quæstionum, de quibus dubitabat, quia non erat aliquid nimis difficile Salomoni. *Non fuit sermo, qui Regem latere posset, & non responderet ei.* Id est, non fuit aliqua quæstio, cuius solutio posset latere Regem; quia ipse erat instructissimus in omnibus naturalibus, & in omni alio genere sciendi, vt declaratum est, supra 3. *Videns autem Regina Saba omnem sapientiam Salomonis.* scilicet, Quia respondit ei ad omnia, in quibus ipsa dubitabat, & perspicuè intellexit veritatem, declarauitque ei Salomon alia maiora, de quibus ipsa non quęsierat, ideo obstupuit in sapientia eius. *Et domum, quam ædificauerat.* Intelligitur istud de domo Salomonis, scilicet, de tribus domibus, quas fecerat, quæ vocantur quasi vna domus. Iosephus dicit octauo Antiquitatum, quòd Regina Saba admirata est de omnibus, quæ vidit apud Salomonem: sed principaliter de tribus, scilicet, de domo saltus Libani, & de fabrica templi cum ordine ministrantium, & de ordine, & di-

D E F

cap. 3.

A & distinctione seruientium Salomoni. *Et cibos mensæ eius.* Ipsa Regina Saba comedit cum Salomone, & vidit cibos, qui quotidie ferebantur ei, qui præ multitudine, & varietate, & pretiositate stupendi erant. Vidit etiam cibos familiæ eius, vnde, & isti tanquàm admirabiles expressi fuerunt in Scriptura, supra 4. Erat etiam varietas in vasis mensæ Salomonis pro cibis, & potibus supra extimationem. *Et habitacula seruorum.* Ista erant etiam miro ordine composita, & magna pulchritudine præclara, secundùm differentiam ministrorum: istæ autem domus erant intra domum Regis, vel prope, & propter pulchritudinem considerauit illas Regina Saba. Aliqui autem putant, quòd fuerint ista habitacula facta in platea, quæ dicebatur Mello, quam Dauid patentem dimiserat sine ædificijs. De Salomone autem dicitur præcedenti capite, & sequenti, quòd ædificauit Mello. *Et ordinem ministrantium.* scilicet, Vidit varietatem ministrorum Salomonis tam in mensa, quàm in alijs officijs, & ista varietas erat ordinatissima, quia nihil excedebat modum, & tempus, & conditionem ministerij. *Vestesq; eorum.* Id est, Considerauit differentiam vestium, quia cùm essent ministri multi, omnes tamen vtebantur vestibus pretiosissimis: & quod maius erat, colores, & figuræ vestium distinguebantur per officia ministrorum, ita vt facilè cognosci posset quis esset, & quo genere ministerij. Iste autem ordo tam diligenter obseruatus ostendebat magnam sapientiam Salomonis: nam sapientis est ordinare. *Et pincernas.* Isti erant, qui seruiebant de vino, & varijs potibus in mensa Salomonis. Ordo istorum, & varietas fuit admiranda: ideo Salomon inter cætera magnalia, quæ se fecisse dicit, refert de istis ministerijs, Ecclesiastes 2. scilicet, Feci mihi cantores, & cantatrices, & delitias filiorum hominum, scyphos, & vrceolos in ministerio ad vina fundẽda. *Et holocausta, quæ offerebat in domo Domini.* Id est, Etiam vidit, quæ holocausta offerret Salomon. Ista enim erant sacrificia, quæ faciebat Salomon ter in anno in tribus festiuitatibus, vt declaratum est præcedenti cap. Et erant valde multa, & ob hoc mirata est Regina Saba. Sic enim fuit in dedicatione templi: nam obtulit viginti duo millia boum, & centum viginti millia ouium, supra 8. In Hebræo habetur: *Ascensum per quem ascendebat in domo Domini.* Id est, Fecerat Salomon de domo sua vsque ad templum quoddam deambulatorium, vel ascensum de lignis thyinis, quæ ducebantur de Ophir, & illa ligna, & artificiosum ascensum mirata est Regina. Sed litera nostra conuenientior est: nam æquiuocatione Hebraica potest accipi ascensus pro deambulatorio ad ascendendum. Vel ascensus, id est, sacrificium, quia sacrificia sunt quædam ascensiones, vel eleuationes factę coram Domino. *Non habuit vltra spiritum.* Id est, Non potuit sufficienter admirari de magnitudine prudentiæ, & sapientiæ Salomonis, & rerum eius: & conuenit hoc ad admirantes valde, quia quandiu aliquis habet intellectum sufficienter capacem ad intelligendum ea, quæ videt, vel audit, non admiratur nimis: cùm verò spiritus suus non potest intelligere quæ videt, admiratur: & tunc dicitur non habere spiritum. Dixitq; ad Regem. *Verus est sermo, quem audiui in terra mea.* Id est, Vera est fama, quam audiui de te, dum essem in terra mea: tanta enim erat sapientia Salomonis, quòd per totum orbem diuulgabatur nomen suum, & multi non credebant, quia referebãtur de eo incredibilia: scilicet, quæ præteritis temporibus nunquàm fuerant de aliquo homine audita. *Super sermonibus tuis.* Id est, super rebus de te narratis. Interdum enim accipitur sermo pro ipsa re, sicut patet prędcedenti libro, capite primo, scilicet, Quod est verbum, quod factum est in castris, id est, quæ res accidit in castris. *Et sapientia tua.* Id est, Vera est fama de sapientia tua. *Et non credebam narrantibus mihi.* scilicet, Referebantur de te aliqua, quæ erant incredibilia apud omnes homines, eo quòd nunquàm talia de aliquo homine in præteritis sæculis dicta, vel audita fuerant: sic etiam multi alij de Regibus terræ non credebant quousque experiebantur. *Donec ipsa veni, & vidi oculis meis.* scilicet, Iam credere cogor, quia vidi. Et dicitur, vidi oculis meis, scilicet, magnitudinem operum tuorum, & ordinem familiæ tuæ, & alia quæ videri poterant, ostendentia magnitudinem sapientiæ tuæ: nam ipsa sapientia videri non poterat. *Et probaui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit.* Id est, Per experientiam inueni, quòd non fuerit mihi nunciata medietas sapientiæ tuæ, vel operum tuorum.

B

C *Admiratio Reginæ de sapientia Salomonis.*

Istud dicebat Regina, quia Salomon docuit eã circa alia maiora, quàm essent illa, de quibus ipsa dubitabat.

D

Maior est sapientia tua, quam rumor, quem audiui. Id est, Maior est sapientia tua, quàm fama tua: istud enim accidit excellentibus viris, quia interdum tanta est eorum excellentia, quòd fama non potest pertingere ad enarrandum magnitudinem illius: potissimè quando ista fama est de magnitudine ingenij: quia illi, per quos dilatari debet fama alicuius, non solùm non intelligunt id, quod ille intelligit, sed etiam intelligere nequeunt quanta est magnitudo ingenij illius: sic etiam est circa quasdam alias perfectiones magnas in quocunque genere, quia vulgus non sufficit ad intelligendum illas: ideo qui excellentissimi sunt, æqualem virtutibus tuis laudem habere nequeunt, 2. Paralipomenon 9. dicitur: Vicisti famam virtutibus tuis. Vocatur virtus quælibet perfectio, scilicet, maiores sunt perfectiones tuæ tam in sapientia, quàm in alijs, quàm fama tua. *Beati viri tui.* Attonita Regina Saba præ magnitudine sapientiæ Salomonis putauit magnum gaudium esse manere coram eo ad audiendum, ideo dixit, beati viri tui, id est, subditi tui, vel domestici. *Et beati serui tui.* scilicet, Illi qui ministrant tibi. *Hi qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* scilicet, Illi, qui non veniunt ad præsentiam tuam, nec audiunt verba sapientiæ tuæ, nullam partem felicitatis assequuntur: qui autem sunt coram te, & audiunt ea, quę dicis, sunt beati, eo quòd in audiendo sapientiam tuam est summum gaudium: rectè enim de humana felicitate iudicauit Regina Saba: nam summum bonum hominis est in intellectu, vt declarat Arist. 10. Ethicor. Et quia sapientia est maxima perfectio intellectus, erunt homines fœlices per hoc quòd sapientes sunt: hic tamen non contingit homini viuenti assequi fęlicitatem propter duo. Primò, quia sapientia illa, quam homines hic consequuntur, imperfecta nimis est cum paucis veritatibus, & obscurè cognitis multarum rerum, & magnarum nos ignorantia confundit. Secundum est, quia, & si aliquod gaudium in speculando sit, corporis corruptibilis conditio facit actum illum non esse delectabilem, vel non diu durare in sincera delectatione. Sic patet Sapientiæ 9. scilicet, Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem. Soluta autem anima à corpore, cùm, aut vera fœlicitas, aut summa miseria est, in sapientia consistit ipsa summa beatitudo: sic patet Ioan. 17. scilicet, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, id est, totum bonum vitæ æternæ est in cognoscẽdo te: & ista est cognitio speculatiua quamquam sit intuitiua per præsentiam obiecti, & non abstractiua per formam abstractam repræsentantem. Dum autem viuitur perfectũ nullum bonum homini contingit: inter ipsa tamen bona diminuta, quæ nobis eueniunt, sapientia imperfecta, quæ hic habetur maximum bonum, & maximè iocundum est. Vnde ipse Arist. qui de futura animarũ conditione nihil disputat pro eo tempore, quo hic viuitur, dicit hominem secundùm sapientiam fœlicitari, & quòd ipse mortalis existens per sapientiam, & intellectum conetur ad immortalitatem. 10. Ethic. Nunc autem sic erat, quia maximè sapientia, quæ erat in terra, & quæ in aliquo homine vnquam fuit, erat in Salomone, beati erant illi, qui poterant participare aliquid de sapientia illa, & isti erant, qui astabant semper Salomoni. Vnde isti scribebant plurima de eis, quæ loquebatur Salomon: & per hoc ipsi sapientes efficiebantur. Sic patet Prouerb. 25. scilicet, Hæ quoque Parabolæ Salomonis, quas trãstulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda. *Sit Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti.* Laudat hic Regina Saba Deum Israël, quia credebat, quòd Salomon ab eo acceperat istam sapientiam, quia inter homines nihil tale repertum est, scilicet, quòd aliquis sine magisterio, & labore inuestigandi in tenera ætate subitò sapientissimus effectus fuerit. Et dicitur cui cõplacuisti, scil. vita tua, vel mores, placuit Deo: ideo dedit tibi sapiẽtiam, & regnũ, quia si nõ dilexisset te specialiter, non accepisses tale donum. *Et posuit te super thronum Israël.* scil. Deus dilexit te, & ob hoc fecit te Regem Israël. In hoc enim concedebat Regina Saba prouidentiam Dei, scil. quòd negocia humana per eum disponantur, & ipse exaltet quos voluerit in regnum: & quos voluerit humiliet, iuxta illud Dan. 4. Donec cognoscant viuentes, quòd dominatur excelsus in regno hominum, & cuicunq; voluerit dabit illud. *Et quod dilexerit Dominus Israël in sempiternum.* Id

E

Homo viuens non potest assequi felicitatem.

F

est, Quia

A

est, Quia Deus diligebat Israël, & volebat, quod maneret in æternum, fecit, vt tu esses Rex: sic patet 2. Paralip. 9. scil. Quia diligit Deus Israël, & vult seruare eum in æternum, iccircò posuit te in Regem super eum. q. d. quando Deus diligit aliquem populum, & vult conseruationem illius, dat ei Rectorem bonum: cùm verò Deus odit populum propter peccata sua, constituit, vel permittit constitui Regem malum per cuius gubernationem populus pereat, vel sentiat magna mala, iuxta illud Iob 34. scilicet, Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. *Constitui te Regem, vt faceres iudicium, & iustitiam.* Id est, Quia diligebat Israël, dedit te in Regem sapientem, vt scires facere iudicium, & iustitiam. Aliter potest dici, quia dicitur hic, & constituit. Erunt istæ diuersæ sententiæ, & referentur ad illud principium, scilicet, sit Dominus benedictus, quia posuit te super thronum Israël, & sit benedictus, quia dilexit Israël, & quia constituit te ad faciendum iudicium, & iustitiam: & tamen 2. Paralip. 9. Est tota vna sententia, scil. benedictus Dominus, qui constituit te in Regem, quia diligebat Israël. *Dedit ergo Regina centum viginti talenta auri.* scilicet, Regina informata in dubijs suis à Rege obtulit ei ista talenta auri: & ad hoc dicitur supra, quòd ferebat infinitum aurum nimis. *Et aromata multa nimis.* Ista fuerunt specialia: nam Salomon habebat aurum, sicut Regina Saba; & tamen aromata non habebat, quia in terra Chanaan cùm sit medio modo temperata, cùm sit in quarto climate non sunt

B

ibi res aromaticæ, quæ causantur ex magnitudine caloris digerentis, & sic aromatica sunt in secundo, & tertio climate, & partim in primo. De his aromatibus dedit Regina multa Salomoni, vt patet infra. *Et gemmas pretiosas.* Etiam gemmæ, vt communiter causantur magis in terra calida, quàm in temperata, vel frigida: ideo terra Indiæ versus Meridiem, cùm sit nimis calida habet multos lapides pretiosos: sic etiam est de Æthiopia, in qua erat Regina Saba; quia illa est nimis calida; ideo communiter reperiuntur ibi plures lapides pretiosi quã apud nos, & in terra Chanaan. *Et sunt allata vltra aromata, tam multa, quàm ea, quæ dedit Regina Saba Regi Salomoni.* scil. A tempore, quo fuerunt Reges Israël, vsquequo Ieremias scripsit librum istum circa captiuitatem Babylonis, non fuerunt allata tam multa aromata in terram Israël, sicut attulit Regina Saba Salomoni: nam dicitur supra, quòd tulit camelos onustos aromatibus. Etiam sicut ista aromata fuerunt multa, ita erant pretiosa valde. vt patet 2. Paralipom. 9. scilicet, Non fuerunt aromata talia, vt hæc, quę dedit Regina Saba Regi Salomoni. *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir.* Ista est classis Salomonis, in qua erant serui Salomonis cum seruis Regis Hiram, & vocatur classis Hiram, eo quòd serui sui erãt principales nautæ in illa, & ista erat destinata ad hoc, quòd iret, & rediret semper in Ophir, & portaret inde aurum, & quidquid pretiosum reperiretur ibi. Sic etiam erat alia classis Salomonis in mari Tharsico, & ibat in Tharsis vna vice in

C

tribus annis, & ducebat inde argentum & aurum, dentes elephantorum, & simias, & pauos, vt patet infra. *Attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis.* In insula illa sunt ista ligna pretiosissima, & sunt ligna alba ita solidissima, quòd postquàm sunt lęuigata, & perfectè dolata apparent in eis imagines, sicut in speculis; ideo sunt ista ligna pretiosissima inter omnia ligna: ideo serui Salomonis duxerunt naues onustas illis. *Et gemmas pretiosas.* In insula Ophir sunt multæ gemmæ, scilicet, chrysopassi, & magnetes, & multæ aliorum generum, vt ait Plinius. *Fecitq; Rex de lignis thyinis fulcra domus Domini, & domus Regiæ.* Ista ligna erant pulcherrima: ideo posita sunt in loco manifesto, quòd in eis imagines videbantur: ideo fecit fulcra, id est, sustentacula, vel gradus scalarum, sic patet 2. Paralipomen. 9. cùm dicitur: De quibus Rex fecit gradus in domo Domini, & in domo Regia.

Ligna thyina quid.

Aliqui autem intelligunt, quòd iste erat quidam ascensus de gradibus à domo Salomonis in templum Domini: & per hoc probant id, quod supra habetur in litera Hebraica, quæ dicebat ascensum, per quem ascendebat in domo Domini, vbi nos dicimus, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini.

Sed dicendum, quòd non erat vnus ascensus factus de domo Salomonis ad domum Dei, sed erãt in domo Salomonis factæ scalæ diuersæ, in quibus erant gradus de lignis thyinis. In domo quoque Domini fecit Salomon in aliquibus locis gradus de istis lignis, quod colligitur 2. Paralipom. 9. scilicet, De quibus fecit Rex gradus in domo Domini, ergo diuersi erant isti gradus, & non vnus ascensus continuus. *Non sunt allata huiusce modi ligna thyina, nec visa vsq; in præsentem diem.* scilicet, Nunquam post tempus Salomonis, nec ante ipsum allata sunt talia ligna in terram Israël, scilicet, quòd nulla de illa specie vnquam visa sunt ibi, nisi tunc: sic patet 2. Paralipomenon 9. scilicet, Nunquam visa sunt in terra Iuda ligna talia. *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo.* Regina Saba dederat Salomoni munera magna auri, & lapidum pretiosorum, & aromatum, vt patet supra, & post hæc ipsa petiuit aliqua à Salomone, quæ visa sunt ei grata, quæ fortè non erant in terra sua, & Salomon illa concessit. *Exceptis his, quæ vltro obtulerat ei munere regio.* scilicet, Præter illa, quæ petiuit Regina Salomon dedit ei alia, quæ non petiuerat, & hæc ex munere regio, id est, ex largitione regali, quia ad reges pertinet esse liberales nimis in erogando: vnde Salomon multa recipiens à Regina Saba multo plura reddidit ei, quàm receperat; vt patet 2. Paralipomenon 9. scilicet, Dedit Salomon Reginæ Saba cuncta, quę voluit, & postulauit multo plura, quàm attulerat ad eum. *Quæ reuersa est, & abyit in terram suam cum seruis suis.* scilicet, Susceptis responsionibus ad omnia dubia, & acceptis muneribus à Rege redijt in terram suam cum seruis suis: multum enim comitatum secum duxerat, vt patet supra. *Erat autem pondus.* Hic ponitur secundum huius capituli, scilicet, Gloria Salomonis in magnitudine

D

E

redditum, & dicitur: *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos sexcentorum sexaginta sex talentorum auri.* Ista erat summa reddituum Salomonis per singulos annos, & erat ordinaria præter alia quæ extraordinariè ei offerebantur.

Vnde habebat Salomon ista talenta. Et quòd accipiendo talentum medio modo, redditus Salomonis erant annualiter quatuor millioni, quingenta, & quinquaginta quinq; milliaria, & quadringenta quadraginta ducati, solum ex istis tributis absq; vectigalibus, & negotationibus, quæ erant incerta.

QVÆSTIO IIII.

DE istis talentis est dubium, vnde habebat illa? Aliquis dicet, quod habebat illa de insula Ophir, quia dicitur afferebatur Salomoni. Item non potest dici, quòd ista summa dabatur de tributis totius Israël, quia dicitur, quòd habebat Salomon ista talenta auri, excepto eo quòd offerebant viri, qui super vectigalia erant. In contrarium videtur, quia de insula Ophir non ferebatur quolibet anno æqualis summa auri, quia ferebat classis Salomonis, quantum habere poterat: contingebat autem, quòd interdum multum haberent, & interdum paucũ: hic tamen ponitur summa taxata pro quolibet anno, ergo non ducebatur istud aurum de Ophir. Sed

F

erant aliqui certi redditus Salomonis; isti autem non videntur esse nisi de tributis regni. Item non potest stare, quòd essent ista talenta de tributis, quæ præstabant, vel de muneribus, quæ dabant ipsi reges Arabiæ, vel alij vicini; quia in litera exprimitur, quòd præter illorum oblationes habebat Salomon ista talenta. Dicendum igitur, quòd Salomon habebat quolibet anno in redditibus suis de terra Israël istam pecuniam, & quolibet anno dabatur sibi ista summa non excedendo, nec minuendo. Cùm autem dicitur, quod ducebatur de Ophir, quia dicitur hic afferebatur. Dicendum, quod non sequitur, quia intelligitur afferebatur, scilicet, Salomoni dabatur à viris suis, qui erant super tributa, & colligebant istam summam. Cùm autem dicitur, quòd ista summa erat præter tributa, quia in litera dicitur excepto eo, quod offerebant viri, qui super vectigalia erant. Dicendum, quòd isti non erant illi, qui colligebant tributa Salomonis, sed solùm qui colligebant vectigalia, in quibus erat quædam pars redditum: & ista vectigalia erant incerta, quia aliquo anno erant maioris valoris, & alio anno minoris. Vel potest intelligi, quòd nõ dicantur hic vectigalia redditus habiti de impositionibus factis super transitu pontium, vel ciuitatum, aut aliorum locorum, sed vectigalia sint munera, quæ ferebant illi, qui veniebant ad Salomonem de diuersis terris: & hoc patet 2. Paral. 9.

Vectigal est reddit⁹ de trãsitu põtiũ, & locorũ.

A vbi sic habetur: Erat pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos sexcenta sexaginta sex talenta excepta summa, quam legati diuersarum gentium, & negociatores afferre consueuerant. Si tamen aliquis vellet dicere, quòd Salomon habebat ista sexcenta sexaginta sex talenta ex insula Ophir, dicet, quòd Salomon fecerat naues, quæ irent in Ophir, & dederat eas viris suis, & viris Hiram: & fortè dabat eis expensas, vt darent ei quolibet anno sexcenta sexaginta sex talenta de illo auro: & si aliquid superlucrarentur, quod esset illorum: & sic habebat summam certam quolibet anno ex insula Ophir. *Excepto eo, quod offerebant viri, qui super vectigalia erant.* Potest dupliciter intelligi: vno modo, quòd isti erant viri positi à Rege, vt reciperent redditus de impositione transeuntium, vel rerum, quæ transducebantur de loco ad locum, per aliquos pontes, vel vrbes. Et ista vocantur vectigalia, quia dantur de rebus, quæ vehuntur, id est, transportantur: & ista erat quædam pars reddituum Salomonis, præter tributa ordinaria. Aliter potest intelligi, quòd viri positi super vectigalia erant illi, qui recipiebant pecuniam, quam offerebant legati diuersarum prouinciarum, venientes ad Salomonem; & ista vocantur vectigalia, quia dabantur à venientibus ab extra. Et sic ponitur 2. Paralipomen. 9. Quòd legati diuersarum gentium afferre consueuerant munera: & ista erant præter illa talenta auri enumerata in litera. *Et negociatores.* Isti erãt mercatores magni, qui aliquid educebant de terra Salomonis,

B vel introducebant in illã ad vendendum, & lucrandum, quia de istis habebat Salomon aliquam partem reddituum. *Vniuersiq; scuta vendentes.* Isti soluebant aliquam impositionem de venditione scutorum. Et dicitur de vendentibus scuta, quia non erat tunc, sicut nunc est ferè in omnibus regnis, quòd de quacunque re, quæ venditur, habeatur certa pars reddituum pro domino, vel rege terræ: tempore autem Salomonis non erat facta impositio generalis super omnes res venales, sed solùm super ipsos negociatores, quorum officium erat emere, & vendere, vt sic ditarentur. De alijs autem, qui non emebant, vel vendebant ex officio, sed aliàs ex necessitate nõ recipiebatur aliqua pars pecuniæ, nisi essent vendentes scuta: quia istis imposuerat Salomon specialem solutionem rei venditæ. *Et omnes reges Arabiæ, ducesq; terræ.* Id est, Etiam illa summa erat præter id, quod offerebant Reges Arabiæ gratis, & omnes Duces aliarum terrarum: nam de omnibus gentibus ferebantur aliqua munera ad Salomonem, & illa non erant in certa summa annuatim, ideo non exprimuntur determinatè.

An isti Reges Arabiæ, qui afferebant munera, essent illi, qui erant tributarij Salomonis.

Qvæstio V.

C Intelligendvm est, quòd isti Reges Arabiæ non erant illi, qui erant tributarij Salomonis, de quibus dicitur præcedenti cap. Quia ibi solùm dicitur de gentibus Chananæorum: illi tamen habitabant extra terram Arabiæ: nam Arabia est quædam terra iacens inter Ægyptum, & terram Chanaan, & extenditur illa versus Orientem, plusquàm terra Chanaan: per hanc autem transierunt, & in ea manserunt ferè quadraginta annis Israëlitæ, quando exierunt de Ægypto, & in ea est mare rubrum, quantum ad partem illam, quæ vocatur sinus Arabicus; in hac autem terra erant multi Reges, scilicet, Ismahelitarum, Amalecitarum, Madianitarum, & aliæ gentes: omnes autem hi ferebant munera, non quidem ex tributo, & ex necessitate, sed gratis, eo quòd veniebant ad videndum vultum Salomonis, & audiendam sapientiam eius. Reges autem Chananæorum, qui manserunt tributarij in terra Israël, reddebant per singulos annos certa tributa, & tributum illorum cum tributo Israëlitarum proueniebat quolibet anno ad sexcenta sexaginta sex talenta auri, & ob hoc non fit mentio de Regibus Hethæorum, Iebusæorum, Amorrhæorum, Heuæorum, & Pherezæorum: eo quòd tributa istorum erant ordinaria, & includebantur in sexcentis sexaginta sex talentis.

Fecit quoq; Hic ponitur tertium, scilicet, de gloria Salomonis in magnitudine effectuum, quia faciebat aliqua ædificia, & res sumptuosas, quæ non reperiebantur apud Reges aliarum gentium. Et dicitur: *Fecit quoque Rex Salomon ducenta scuta de auro puro.* Ista scuta facta sunt non ad bellum, sed ad ostentationem gloriæ, & diuitiarum Regis. Et dicuntur de auro puro, id est, quòd non erant operta folio auri, sicut interdum deaurantur ligna, sed erant operta laminis grossis de auro puro, & interius erat lignum leue, & sic scuta erant pretiosissima. *Sexcentos auri siclos dedit in laminæ scuti vnius.* Omnia ista scuta erant æqualia in magnitudine: & etiam laminæ operientes ipsa scuta erant æqualis grossitiei, & magnitudinis. Vnde in quolibet scuto expendebantur sexcenta sicli de auro. Siclus enim interdum dicit pondus, & interdum monetam: vtrumque autem erat simul, quia siclus erat moneta aurea, vel argentea, sed istæ monetæ sunt semper in certis ponderibus propter hoc, quòd materia est pretiosa. *Et trecentas peltas ex auro probato.* Dicuntur peltæ à pellendo, quia ictus pellunt, & sunt peltæ scuta rotunda, & parua laminis ferreis, vel æneis circundata. Aliqui autem volunt quòd essent semicircularia ad modum corniculatæ Lunæ: etiam dicebantur istæ peltæ ex auro probato, eo quòd erant lamine aureæ extensæ super lignum ipsarum peltarum, ita vt totaliter viderentur aureæ. Et illud aurum erat probatum, id est, purum. *Trecentæ minæ auri vnam peltam vestiebant.* Id est, Quælibet pelta vestiebatur trecentis minis auri: est enim mina nomen ponderis.

D

E

Quot scuta fecerit Salomon.

Qvæstio VI.

Qværetvr quomodo dicitur hic, quòd Salomon fecit ducenta scuta de auro puro, & peltas trecentas, quia 2. Paralipomenon 9. dicitur, quod fecit ducentas hastas aureas, & trecenta scuta aurea.

Responderi potest dupliciter; vno modo, quòd ista litera omiserit aliquid, & illa etiam: & tamen quod ista omisit supplet illa, & quod illa omisit continet hęc: ideo quòd fuerint ducenta scuta de auro, & ducentæ lanceæ, & trecentæ peltæ: sed hic ponuntur scuta, & peltæ, ibi autem lanceæ, & peltæ. Istud autem est satis rationabiliter dictum, quia cùm faceret ducenta scuta de auro, & vsus scutorum sit cum lanceis, faceret quoque lanceas opertas laminis aureis. Aliter potest dici, quòd solùm fuerunt ducenta scuta, & trecentæ peltæ: tamen id quod vocatur hic scutũ, vocatur hasta 2. Paralip. 9. Et istud colligitur, quia idem pondus ponitur hic pro scutis, & ibi pro scutis: nam hic dicitur, quod quodlibet scutum habebat sexcentos siclos auri: ibi autem dicitur, quòd quælibet hasta habebat sexcentos aureos: si autem essent diuersa põdera, diceremus conuenienter quòd hastæ, quæ ponuntur ibi, non essent scuta, quæ ponuntur hic. Sed dicendum, quod vtrumq; tolerari potest. *Posuitq; eas Rex in domo saltus Libani.* scilicet, Peltas, & scuta posuit ibi. Ista domus saltus Libani erat ad conseruandum aromata in parte inferiori, quę erat frigida, & ad cõseruandum arma in parte superiori, quæ erat lignea, vt dictũ fuit supra 7. Et tamen præter hæc Salomon morabatur ibi aliquando, sicut patet 2. Paralip. 9. scilicet, Omnia quoque vasa conuiuij Regis erant aurea, & vasa domus saltus Libani ex auro purissimo. Idem patet infra in litera. Si tamen non habitaret ibi Salomon, non haberet aliqua vasa ad ministerium, sed solùm conseruarentur ibi arma. Vocatur autem ista domus saltus Libani, quia erat in circuitu consita arboribus, sicut saltus Libani, in quo erant multæ arbores. Patet hoc, quia 2. Paralipom. 9. dicitur, quòd posuit Salomon peltas, & hastas aureas in armamentario, quod erat consitum arboribus; & tamen hic dicitur, quòd posuit in domo saltus Libani, ergo illa domus erat consita arboribus, vel nemore. Aliquis fortè dicet, quòd erat ista domus in saltu Libani. Sed non stat, quia Salomon habebat ibi ista arma, quæ dicta sunt, & ipse morabatur in Ierusalem; ideo non haberet ista arma in Libano: potissimè, quia istis armis vtebatur quasi quotidie, vt postea dicetur. Item non stat, quia 2. Paralip. 9. dicitur, quòd istud armamentarium erat consitum nemore, id est, erant plantata ligna in circuitu: si tamen intelligeretur de saltu Libani, falsum esset, quia ibi non erant arbores consitæ, id est, plantatæ, sed ipsæ per se nascebantur: ideo dicendum quòd erat in Ierusalem ista domus, vt declaratum est supra 7.

F

Ad quid fecit Salomon scuta, & peltas de auro. Et vestis Salomonis qualis, & apparatus in equitando. Et quòd in domo saltus Libani lignum Crucis à Regina Saba cognitum fuit.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR ad quid Salomon fecit ista scuta, & peltas ie auro?

Respondendum, quòd non fecit ad pugnandum, quia ad bellum ferrum est aptius, quàm cætera metalla, quia ferrum omnia domat, Dan. 2. Verum est tamen, quòd interdum Reges gentium ob insignem gloriam ferebant scuta operta de auro. Sic patet 2. Machab. 6. scilicet, Refulsit Sol in clypeos aureos, & ab eis splenduerunt montes. Fecit tamen Salomon ista scuta, & peltas de auro ad ostendendam gloriam diuitiarum suarum: quia cùm viderentur talia scuta, & peltæ, putabatur, quòd apud omnes gentes non essent tantę diuitiæ: erat autem vsus istorum scutorum, & peltarum, vt portarẽtur coram Salomone, vt ait Iosephus 8. Antiquit. scilicet, Exornabantur ascensores equorum primum decora iuuentute florentes, habentesq; magnam proceritatem, & satis alios excedentes: longamq; diffundẽtes in equorum sessione cæsariem; ex purpura Tyria veste circumamicti, auriq; tincturam quotidie suis comis adijcientes, vt eorum capita percussa Sole auro radiante fulgerent. His circa eum armatis existentibus, arcusq; ferentibus, Rex vectus in curru, & alba veste circumamictus, solitus erat exire ad quendam locum, qui à Ierusalem duobus funiculis abest, vocaturq; Eden, hortis & aquarum rigationibus gratus, & locuples. Isti autem armati circa Regem ferebant aurea scuta, peltas, & lanceas, vt dicit historia Scholastica. Manserunt autem ista scuta, & peltæ aureæ in domo saltus Libani ad istum vsum toto tempore Salomonis. Proficiebant etiam ista scuta & peltæ aureæ pro custodibus Regis: nam ad portam Salomonis dormiebant per noctem custodes multi, & habebant ista scuta: vnde tempore filij sui Roboam, cùm Rex Ægypti tulisset omnia ista scuta aurea, & peltas de armamentario Salomonis fecit Roboam scuta ærea pro illis, & tradidit ea in manu scutariorum. Etiam coram Salomone ferebantur ista scuta, & peltæ aureæ, quando ibat ad templum, vel ad alium locum, vt patet infra 14. & 2. Paralipom. 12. scilicet, Pro quibus fecit Roboam scuta ærea, & tradidit in manu ducum scutariorum, qui excubabant ante ostium domus Regis: cumq; ingrederetur Rex in domum Domini portabant ea, qui præeundi habebant officium, & postea reportabant ad armamentarium scutariorum. Istud fiebat in scutis æreis viuente Roboam, sed ista scuta successerunt loco scutorum aureorum, vt patet infra 14. Ideo videtur, quod Salomon istam consuetudinem habuisset in scutis aureis, & ob hoc filius eius sic fecit in scutis æneis. Considerandum de ista domo saltus Libani, quòd sicut Scholastica historia ait, quidam tradunt, quòd dum Regina Saba esset in Ierusalem, & contemplaretur domum saltus Libani, & alia opera Salomonis, vidit in domo saltus Libani quoddam lignũ, de quo tunc admirata subticuit, nihilq; Salomoni tunc dixit. Cùm autem reuersa esset in terram suam, rescripsit ei se vidisse in domo saltus Libani lignum quoddam, in quo suspendendus erat quidam, pro cuius morte regnum Iudæorum periret, & illud certis indicijs persuasit: Salomon autem timens illud in profundissimis terrę visceribus occultauit, quod postea tempore Dominicę passionis in piscina probatica superenatauit, de quo Crux Dominica facta est. Sed istud apocriphum satis est, ideo eadem facilitate contemnitur, qua recipitur. *Fecit etiam Rex Salomon thronum de ebore.* Hic ponitur aliud opus magnificum Salomonis, scilicet, quòd fecit thronum, qualis nõ erat in tota terra, & ille erat de ebore, scilicet, de ossibus animalium, quæ vocantur ebur. sunt enim albissima, solida, & pretiosa. *Et vestiuit eum auro fuluo nimis.* scilicet, Per totum erat vestitus ille thronus auro, ita vt non appareret ebur. Erat autem iste thronus in quadam porticu apud domum saltus Libani, vt patet supra 7. Vocatur aurum fuluum nimis, id est, valde habẽs colorem naturalem auri. Est enim color fuluus, color propinquus viridi, & pallido, & mediat inter vtrumq;, & iste est color auri. Cùm autem aurum est purissimum, est valde fuluum, cùm verò non est tam purum, vel est sophisticatum, declinat in quendam alborem: & quia istud aurum erat nimis purum, dicitur nimis fuluum, sicut nunc apparet in differentia coloris monetarum aurearum antiquarum, & nouarum: nam antiquæ eo quòd erant de auro puriori, declinât magis ad colorem obscurum, qui vocatur fuluus: monetæ autem nouæ degenerant ad quendam alborem, vel claritatem, quæ fit ex impuritate auri. *Qui habebat sex gradus.* Iste thronus erat altus, quia dicitur supra, quod fecit thronum grandẽ, ideo dicitur, quod sex gradus fecit ad ascendendum illum. *Et summitas throni rotunda erat in parte posteriori.* Vocatur summitas throni pars illa vacua, in qua sedetur, & illa erat rotunda ad partem posteriorem, scilicet, vt quando Rex esset in throno posset se acclinare ad quamcunq; partem, quod conuenienter fit in forma rotunda, in alijs autem non: erat enim thronus altus ex omni parte, sicut fit in cathedris ad legendum, in quibus se potest sedens reclinare. *Et duæ manus hinc inde tenentes sedile.* Ista erant duo brachia eburnea deaurata surgentia ex aliquo loco apud thronum, & videbantur tenere thronum, sicut fieri consueuit, quando depinguntur insignia aliquorũ, quæ vulgariter vocantur arma: nam pinguntur duo Angeli altrinsecus manibus sustentantes illa. *Et duo leones stabant iuxta manus singulas.* Istud potest intelligi dupliciter: vno modo, qd̃ essent quatuor leones ad partem posteriorem throni, & quęlibet manus haberet apud se duos leones: & hoc videtur signare ista litera, quia dicit: Et duo leones stabant iuxta manus singulas. Alio modo potest intelligi, quòd essent solùm duo leones, & apud quamlibet manum esset vnus: & istud videtur innui 2. Paralipom. 9. scilicet, Et duo brachiola altrinsecus, & duos leones stantes iuxta brachiola. Videtur tamen magis dicendum, quòd essent quatuor leones duo circa quamlibet manum: cùm hic dicatur iuxta manus singulas. Sciendum autem, quòd sicut thronus iste per circuitum erat opertus laminis aureis, ita & scabellum pedum, scilicet, pars interior, in qua erant pedes sedentis, erat opertus laminis aureis, 2. Paralipom. 9. scilicet, Fecit scabellum aureum, & brachiola duo altrinsecus. *Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde.* Isti duodecim leunculi erant præter leones, qui erant apud brachiola, vt dictum est, & vocantur leunculi ad differentiam quatuor leonum existentium apud brachiola, quia illi erant magni. Isti autem erãt paruuli, cùm essent super gradus throni: erant enim sic dispositi isti leones, quod erant duo super quemlibet gradum. Erant enim sex gradus, qui erant lati, & in duabus extremitatibus cuiuslibet gradus erãt duo leunculi: & sic erant sex leunculi ad dextram partem ascensionis, & sex ad sinistrã, & inter illos erat ascensus medius. Ponebantur autem isti leones ad pulchritudinem, sicut ponebantur boues sub mari æneo, & boues, & leones, & aquilæ erant in basibus luterum, supra 7. Potest autem dici, quòd ponebantur isti leones ad significationem, scilicet, quòd sicut leo est dominus omnium animalium, & rex: ita regnum Iudæorum pro tunc inter omnia alia regna florebat. Vel ad signandum, quòd sicut leo est dominus, ita ille, qui sedebat in throno illo erat Dominus, & Rex omnium Iudæorum. Erant autem duodecim leunculi in gradibus ad signandum, quòd Salomon ascendebat, & dominabatur super duodecim tribus Israël, quia regnum nondum erat diuisum. *Non est factum tale opus in vniuersis regnis.* scilicet, Non erat tale solium in tota terra, nec fuerat ante hoc. Postea autem an fuerit non est admirandum, quia iunior ætas fecit alia magnificentiora, quàm fuerint in illo rudi sæculo, & veteri ætate: & fuerunt aliqui ditiores post Salomonem, licèt ante eum nullus Rex ditior fuerit.

Thronus Salomonis de ebore.

Quomodo sciuit scriptor, quòd non esset in vniuerso tale solium.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR quomodo sciebat scriptor libri, quòd non factum fuit tale solium in vniuersa terra. Aliquis dicet, quòd sciebatur hoc per famam, quia non erat fama in toto orbe esse, aut fuisse aliquod solium simile solio Salomonis. Sed dicendum, quòd non stat. Primò, quia non poterat venire fama de omnibus Regnis terræ ad Regnum Israël:

A nam quædam gentes ſunt, de quarum geſtis & moribus non ſolùm ad nos fama non peruenit, ſed etiam neſcimus, an illæ gentes ſint. Sic enim erat de vrbe Roma, quæ quando erat florentiſſima, adhuc quibuſdam gentibus Orientalibus incognita erat, an eſſet: ideo à fortiori poterat de alijs vrbibus minoribus fama non haberi. De hoc Boëtius de Conſolatione, libro 2. proſa 7. ſcilicet, Ætate denique Marci Tullij, ſicut ipſe in quodã loco ſignificat, nondum Caucaſum montem Romanæ Reipublicæ fama tranſcenderat, & erat tunc adulta. Parthis etiam cæterisque id locorum gentibus formidoloſa. Non ergo benè diceretur cognoſci per famam non fuiſſe aliquod ſolium tale, ſicut ſolium Salomonis in vniuerſa terra, cùm non poſſet omnium gentium illuc fama peruagari. Item dato, quòd poſſet haberi fama de omnibus regionibus, iſtud poterat eſſe quantum ad ſolia Regum, quæ nunc erant, ſed quantum ad ea, quæ fuerant ab antiquo, non erat fama nunc, ideo non benè diceretur, quod non fuit tale ſolium in vniuerſa terra. Item dato, quod intelligeretur de thronis Regum, quæ nunc erant ſolum adhuc non ſufficit, quia licèt fama de omnibus illis poſſet haberi, tamen fama eſt nuncius fallax, qui ergo ſoli famæ innititur, faciliter errare poteſt. Scriptura autem ſacra cùm ſit maximæ auctoritatis inter omnes ſcripturas, debet continere veritatem infallibilem, ideo nunquam debet inniti famæ, ſed alijs probationibus ſolidiſſimis. Dicendum igitur, quòd omnes,

B *Sacrarum literarũ ſcriptores ſpiritu prophetico ſcripſerunt.* qui ſcripſerunt aliquid de ſacra Scriptura habuerunt ſpiritũ propheticum, & per illum ſciebant omnia, quę ſcribebant: & quanquam interdum ſcribant hiſtorias, quibus ipſi interfuerunt, non ſcribunt illas, tanquam habentes firmitatem, ex eo quod ipſi viderunt, quia ſic non poſſent ſcribere aliquam hiſtoriam perfectè veram, quin in aliqua particula non errent, ſicut apparet in aſpicientibus agonem: nã cùm duo pugnant, & ſe percutiunt, multis circunſtantibus, licèt omnes viderint diſcordant, quibuſdam dicentibus, iſte percuſſit illum, alijs verò contraria aſſerentibus. Iſtud autem innaſcitur ex condi tione noſtra, quia impoſſibile eſt nos ſimul ad plura attentè aſpicere. Item ſi hiſtoriographus credat teſtimonio dicentiũ, eadem cauſa erroris erit, quæ in ſe ipſo, & facilior adhuc. Sacra tamen ſcriptura nullum omninò permittit mendacium, etiam ſi paruulum ſit, vt ait Auguſt. & habetur in Decretis, diſt. 9. c. ſi ad ſacras. Sed quilibet modus iſtorũ neceſſariò admittit aliquod mẽdacium. Ideo oportet, quod dicamus omnes ſcriptores ſacræ ſcripturæ propheticè ſcripſiſſe. Deus enim mouet Prophetam ad intelligẽdum ſupernaturaliter ea, quæ aliàs nõ intelligeret: ita in ſcribendo mouebat ipſos ſcriptores ſacræ ſcripturæ ad ſciendum ea, quæ aliàs non poterãt ſcire: & tunc ſolùm illa ſcribebant, quæ Deus eis dictabat, & ſic impoſſibile erat, quod errarẽt; ita fuit ſcriptus liber iſte per Ieremiam Prophetam ſpiritu prophetico, per quem ipſe ſcire potuit infallibiliter, an eſſet tunc, vel fuiſſet à principio in a-

C liqua terra ſolium tale, ſicut ſolium Salomonis. *Sed & omnia vaſa de quibus potabat Rex Salomon, erant aurea.* Non ſolùm eſt intelligendum de vaſis, in quibus bibebat, ſed etiam de illis, in quibus comedebat: ſic patet 2. Paralipo. 9. ſcilicet, Omnia quoq; vaſa conuiuij Regis erant aurea. *Et vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo.* In iſta domo morabatur Salomon aliquibus temporibus, & pro illa habebat omnem apparatum conuiuij de auro puriſſimo. Pro alia autem domo, quam fecerat ſibi, licèt haberet ſolennem apparatum in vaſis cõuiuij: tñ non erat tã ſolennis, ſicut apparatus domus ſaltus Libani, quia ſicut domus iſta erat pretioſior alijs, ita apparatus vaſorum aſcriptorum illi domui erat ſolẽnior. Accipitur

Supellex quo modo accipitur. hic ſupellex ſtrictè: nam ſumendo ſecundùm cõſuetudinem noſtram loquendi, ſupellex vocatur quidquid ad domeſticũ vſum pertinet: & ſic ſtramenta lectorum vocantur ſupellectilia, & quæcunq; vaſa domus. Sed manifeſtum eſt, quod nõ erant omnia iſta in domo ſaltus Libani de auro: potiſſimè qa interdum ſupellex accipitur pro veſte, Leuit. 13. ſcilicet, Iſta eſt lex leprę veſtimenti lanei, & linei ſtaminis, atq; ſubtegminis omniſq; ſupellectilis pellicęæ, quomodo mundari debeat. Ideo 2. Paralip. 9. non dicitur ſupellex, ſed vaſa, ſcilicet, & vaſa domus ſaltus Libani ex auro puriſſimo. Intelligitur enim de vaſis conuiuij, quæ vocantur ſupellectilia. *Non erat argentum, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.* Non eſt ſenſus, quòd non erat argẽtum in terra Iſraël tempore Salomonis: nam litera dicit immediatè, quòd claſſis Salomonis, & Hiram portabat aurum, & argentum de Tharſis: ſed intelligitur, quod non erat, id eſt, non erat in vaſis menſæ Salomonis, quia ibi omnia erant de auro. Vel non erat, id eſt, nõ erat alicuius pretij præ multitudine auri, & iſte eſt ſenſus literæ. Et dicitur, nec reputabatur alicuius pretij, non accipiendo abſolutè: quia ſi nõ reputaretur alicuius pretij, non iuberet Salomon illud duci de Tharſis, & tamen ducebatur, vt patet in litera. Sed intelligitur, quod non erat nunc alicuius pretij, ſcilicet, comparando ad alia tempora ante Salomonem, in quibus erat magni pretij propter raritatem: tempore autẽ Salomonis erat copia magna. Nam dicitur infra in litera, & 1. Paral. 9. Quòd fecit Salomon, quòd tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta lapidum, & cedrorũ præbuit multitudinem, quaſi ſycomoros. *Quia claſſis Regis per mare cũ claſſe Hiram.* Ponitur hic ratio ſuperioris dicti, ſcil. quomodo eſſ poterat, quòd tanta eſſet abundantia argenti, vt non reputaretur alicuius pretij, & dicitur, quod hoc erat, quia claſſis Regis Hiram cum claſſe Salomonis ibat ſemper per mare, & de diuerſis gentibus ducebant aurum, & argentum, & alia pretioſa. *Semel per tres annos.* ſcilicet, In quolibet triennio ibant ſemel tantùm iſtæ claſſes in Tharſis.

Quomodo argentum tẽpore Salom. nõ erat alicuius pretij.

Quare ſemel per tres annos ibant claſſes Salomonis in Tharſis, & an hoc eſſet propter diſtantiam itineris. Et quod ad extremitatem orbis poſſet quis nauigando ire in vno anno.

QVÆSTIO IX.

CAVSA autem videtur quibuſdam eſſe, quia Tharſis, ad quam ibant ſerui Salomonis, & Hiram erat diſtãtiſſima à Ieruſalem: Ideo tres annos expendebant eundo illuc. Sed iſtud nõ ſtat, quia Tharſis nõ nimis diſtabat à Ieruſalẽ. Dato tamen, quod eſſet in extremitate orbis poſſet illuc ire claſſis Salomonis, & redire minus, quàm in vno anno. Dicendum igitur, quòd erat, quia Salomon per ſingulos tres annos volebat ſolum ſemel illuc mittere: vel fortè, quia Salomon ad mittendum in Tharſis debebat onerare claſſem ſuam, & Hiram aliquibus rebus terræ ſuæ; & quia illæ non poterant haberi faciliter, non poterat claſſis facere vnam nauigationem, niſi ſemel in tribus annis. Vel fortè quia illa, quæ ducebat claſſis Salomonis de Tharſis non poterant haberi faciliter: & quia ſi claſſis iret ſæpius illuc, fortè non reperiret hic onera pro qualibet vice, ibat ſolùm in tribus annis ſemel. *Ibat in Tharſis.* Aliqui putant Tharſis eſſe ciuitatem quandam diſtantiſſimam à Ieruſalem in terra Indorum, & quòd illa ſit apud inſulam Ophir. Alij dicunt, quòd ſit ciuitas quædam in Æthiopia. Alijs autem placet, quòd eſſet ciuitas in terra Ciliciæ, quæ vocatur Tharſum: de qua fuit beatus Paulus oriundus, Actuum 21. ſcilicet, Ego homo ſum quidem Iudæus

F à Tharſo Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps. Videtur tamen dicendum, quòd iſta ciuitas eſſet potius in terra Indiæ, eo quod adducebatur inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum: & tamen iſta non gignuntur in magna quantitate in Tharſo Ciliciæ, quia nunquam gignuntur niſi in terra valde calida, cuiuſmodi eſt India, vel Æthiopia: Cilicia autem, in qua eſt Tharſum, eſt terra magis Aquilonaris, quàm Ieruſalem, ideo non poſſunt iſta ibi gigni, ſaltem in magna quantitate. *Deferens inde aurum, & argentum.* In terra illa gignitur aurum, & argentum multum, ſicut in terra Ophir: & tamen in Ophir nõ eſt locus emendi, vel vendendi, vel commutandi, ſed rapiendi, eo quòd ibi leones, & ſæuiſſimæ beſtiæ tenent montes aureos, de quibus nihil accipi poteſt, niſi clam tollendo abſentibus beſtijs: ſicut declaratum eſt, præce- *Inq. 17* denti cap. In Tharſis autem eſt locus cõmutationis, eo quòd erat terra habitata, & ducebant illuc ſerui Salomonis naues onuſtas aliquibus mercibus, & inde ferebant aurum, & argentum. Præter hæc tamen quæ vendendo, & emendo ducebantur, ipſi Reges Tharſis mittebant munera ad Salomonẽ, vt patet Pſal. 72. ſcilicet, Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent. Et ex hoc patet, quòd Tharſis non ſit ciuitas Ciliciæ, quæ vocatur Tharſum, ſed ſit quędam prouincia magna, vel inſula, in qua erant multi populi, & reges, cùm dicatur reges Tharſis. *Dentes elephantorum, & ſimias, & pauos.* Dentes elephantorũ, & maxillæ

ſunt

A

sunt magna ossa valdè: intantum quòd de eis cathedræ fieri possunt. Vnde thronus Salomonis erat factus de ebore, id est, de dentibus elephantorum, quia ebur significat ossa alba, & solida nimis, atque pretiosa, quæ sunt de dentibus, & maxillis elephantorum. Vnde 2. Paralipomenon 9. dicitur, Quòd ferebat classis Salomonis aurum, & ebur, vbi dicitur hic, quòd ferebat aurum, & dentes elephantorum. Ferebat etiam simias, quæ sunt animalia valdè humanam effigiem imitantia, & cautelas quasdam: & istæ simiæ sunt potissimè in Æthiopia. Paui vocantur animalia, quæ nos pauones appellamus. Ista enim ad pulchritudinem ostentandam ducebantur ad Salomonem. *Magnificatus est ergo Salomon super omnes reges terræ diuitijs, & sapientia.* Id est, Per modum istum fuit Salomon excellentior omnibus Regibus terræ in diuitijs, & sapientia. De sapientia apparet, quia Deus dedit ei subitò per somnium tantam sapientiam, quanta nunquàm fuerat in aliquo homine, nec futura erat aliquando suprà 3. De diuitijs autem dicendum, quòd fuit magnificatus ita, quòd tempore suo nullus Regum esset tam diues, nec etiam ante fuerit, suprà 3. Post Salomonem autem aliqui fortè fuerunt ditiores.

An Salomon sciuerit inuenire thesauros occultos in terra.

B

QVÆSTIO X.

ALIQVI enim putant, quòd Salomon cùm esset sapientissimus sciebat inuenire thesauros absconditos in terra, & per illos ditissimus factus est. Sed non stat hoc: quia litera vult, quòd magnitudo diuitiarum Salomonis fuerit ex magnis redditibus ordinarijs Salomonis, scilicet, quia quolibet anno afferebantur ei sexcenta sexaginta sex talenta auri, vt patet suprà, insuper classis sua ibat in Ophir, & ferebat inde aurum, & ligna. Etiam omnes Reges terræ offerebant ei vasa aurea, & argentea, vt patet infrà. Etiam quia ipse mittebat in Tharsis semel in quibuslibet tribus annis, & quia in omnibus prosperabatur, cùm Deus promisisset ei, quòd faceret sibi diuitias multas, subitò effectus est ditissimus. *Et vniuersa terra desiderabat vultum videre Salomonis.* Scilicet, Tanta erat fama Salomonis, quòd omnes homines desiderabant videre eum, tanquàm aliquid in toto sæculo admirādum, 2. Paralip. 9. dicitur: Omnesq; Reges terrarum desiderabāt faciem videre Salomonis. *Vt audiret sapientiam eius.* Scilicet, Non desiderabant videre Salomonem, quia pulcher erat, quia fortè non erat pulcher: sed solùm, vt audirent sapientiam eius: omnes enim homines, quos natura non fecit orbatos, vel rudes nimis, desiderant valdè intelligere: & gaudent nimis cùm audierint aliquid secretum, quòd pertineat ad magnam speculationem, vel secretas causas naturæ. Vnde Regina Saba dixit Salomoni: Beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. *Quam dederat Deus in corde eius.* Scilicet, Omnes gentes sciebant, quòd Deus dederat sapientiam Salomoni: & ob hoc magis desiderabant audire eum, quia sciebant, quòd verba sua essent certissima: eo quòd edoctus fuerat à Deo, qui erat causa, & veritas infallibilis. Sciebant autem hoc, quia Salomon subitò factus est sapiens, scilicet, quia vna die erat iuuenis pauca sciens, sicut cæteri coætanei, & sequenti die apparuit sapientissimus super omnes homines. *Et singuli deferebant ei munera.* Scilicet, Omnes Reges terræ, qui veniebant ad audiendum sapientiam eius, ferebant ei munera, sicut detulit Regina Saba suprà in litera. Et quando mittebant ad eum nuntios, vt quærerent de aliquibus dubijs mittebant munera per illos, quia videbatur inhonestum apparere coram illo sine munere. *Vasa argentea, & aurea, & vestes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos.* Scilicet, Quælibet gens ferebat munera, secundùm conditionem terræ suæ. Aliqui vasa aurea, alij argentea, alij enim vestes, scilicet, si in aliqua terra essent vestes pretiosissimæ, & artificiosè factæ ferebantur ad Salomonem. Etiam ferebantur arma bellica, quia cùm esset Rex potens indigebat illis. Alij autem aromata, scilicet, omnes modos pigmentorum, & vnguentorum redolētium, scilicet illi, qui erant in India, vel Æthiopia, vel ad partes nimis Australes: quia in illis generantur aromata. Alij verò ducebant equos pulchros, quia Salomon desiderabat valdè equos, & congregauit numerum magnum equorum. Nam fuerunt ei quadraginta millia præsepia equorum currilium, suprà 4. Alij autem ferebant mulos, quia isti necessarij valdè erant ad ferenda onera. *Per annos singulos.* Non est intelligendum, quòd isti essent redditus ordinarij, cùm dicatur, quòd dabantur per annos singulos, quia ista erant dona gratuitò data, & aliquando dabantur, & poterant dantes cessare, quando vellent à præstatione illorum. Sed dicitur per annos singulos, scilicet, quia cōtinuè dabantur, & sic non solùm quolibet anno, sed sæpiùs in anno. Quantitas tamen istorum munerum non erat taxata, sicut suprà dicitur, quod afferebatur Salomoni per singulos annos pondus sexcentorum sexaginta sex talentorum: nam illa erāt taxata, eo quòd erant de redditibus suis. *Congregauitq; Salomon currus, & equites.* Scilicet, Habuit solicitudinem in congregando currus, & equites: & ideo habuit multos quosdam emendo, & quosdam ex munere: Et non est sensus, quòd Salomon congregauerit equites, id est, homines armorum, qui pugnant in equis, sed congregauit equos pro equitibus, & congregando equos, dicebatur congregare equites. *Et facti sunt ei mille quadringenti currus.* Quilibet currus habebat quatuor equos, & sic mille, & quadringenti currus continebant equos quinq; millia, & sexcentos. *Et duodecim millia equitum.* Id est, Habuit duodecim millia virorum equitum.

C

Sed obijcietur, quia suprà 4. dicitur, quòd Salomon habuit quadraginta millia præsepia equorū currilium, & duodecim millia equestrium, & 2. Paralipomenon 9. dicitur, quòd habuit quadraginta millia equorum in stabulis, & curruum equitumque duodecim millia. Respondendum, quòd Salomon habuit quadraginta millia equorum currilium, id est, assignatorum curribus: & tamen solium habuit mille quadringentos currus, quibus sufficiebant quinque millia, & sexcenti equi: fuit tamen hoc, quia fortè licèt Salomon congregasset quadraginta millia equorum currilium, vt haberet decem millia curruum: tamen solùm habuit mille quadringentos currus, eo quod non potuit habere plures currus: nam illi ducebantur de Ægypto, & Coa. Aliter potest dici, quod Salomō habebat quadraginta millia equorum, & solùm mille quadringentos currus: eo quod volebat illos equos mutari, scilicet, nunc quosdam trahere currum, & postea alios. De hoc magis dictum est suprà 4. *Et disposuit eos per ciuitates munitas, & in Ierusalem.* Id est, Posuit istos equos in diuersis ciuitatibus, vt possent sine magno labore habere pabulum. Isti equi tenebantur à ministris Regis, & dabant eis pabula præfecti duodecim Regis: nam quilibet habebat sub dispositione sua certos equos, vt patet suprà 4. Erant etiam multi istorum in Ierusalem, eo quod erat ibi semper Rex, & erant necessarij multi equi, vt equitarent cum eo viri sui. Nam quotidiè egrediebatur Rex extra Ierusalem ad locum hortorum, qui vocatur Edem, vt declaratum est suprà, secundùm Iosephum 8. Antiquitatum, cap. 3.

D

E

Quot currus habuit Salomō

F

An Salomon peccauit congregando sibi tot equos, & currus. Et an peccent etiam Reges nostri.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR an Salomon peccauerit, congregando sibi tot equos, & currus. Aliquis dicet, quòd sic: quia Deus vetuerat istud Regibus. Deutero. 17. Scilicet, Cumque fuerit constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos. Respondendum, quòd Salomon non videbatur peccare in hoc, quia habere equos, vel quamcunque temporalem potentiam, aut prosperitatem secundùm se non est malum, sed solùm dependet ex voluntate, ideo interdum poterit esse meritorium, vt si Rex vellet habere equos multos ad resistendum hostibus Regni sui, qui volunt opprimere eum, & populum suum: potissimè si illi sint hostes fidei. Si autem equi, vel quæcunque alia potentia temporalis sit, & habeatur ad finem non conuenientem poterit esse iniusta. Sed differt, quia aut habentur ista ad ostentandum gloriam, & honorem magnum, aut ad opprimendum populum. Si primo modo est inanis gloria, quę interdū est leue peccatum:

A & potissimè in Regibus, quibus permittitur ostentatio potestatis propter statum Regum, quia Rex debet esse persona nimis reuerenda, ita vt ab omnibus timeatur, & metu eius mali refrænentur à peruersis actibus, & quia si non esset magna potentia Regis nullus timeret eum, licitum est, immò meritorium, vt Reges conentur habere magnam potentiam ad hoc solùm, quòd timeantur à malis, & propter timorem cessent à malis actibus. Etiam si Rex non ostentaret in magnitudine familiæ, & pretiositate vestium, & in sumptibus magnis, & generaliter in omnibus apparatibus aliquam magnitudinem, non videretur valdè reuerendus, vt decet Regem. Conueniens ergo est, vt Rex ad ostentationem potentiæ congreget equos, & alia pertinentia ad potentiam, dum tamen non acquirantur ista de illicito, vel etiam non superbiat aliquis intra cor suum: nam dato, quòd Rex non superbiat contra populum opprimendo illum, si intra se superbit præsumendo de seipso, & non dando gloriam Deo, peccabit nimis: sic patet de Nabuchodonosor, Daniel. 4. Qui ductus superbia dixit: Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum Regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei. Et sequitur, quòd cùm ista diceret sermo ad eum de cœlo ruit, scilicet, Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex regnum transibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum bestijs ferisque erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias, quòd dominetur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, dabit illud. Et sic factum est, quia eiectus fuit ab hominibus, eodem cap. Si autem multiplicaret equos ad opprimendum populum, peccabat: quia quicquid ad malum finem fit, malum est. Salomon autem licèt in fine deprauatus fuerit, à principio tamen erat nimis benignus erga populum: ideo non agebat ad opprimendum populum, etiam non agebat ad superbiendum, scilicet, vt gloriaretur in seipso contra Deum, sicut Nabuchodonosor, sed solùm ad ostendendum gloriam regni Israel, ideo non peccabat multiplicando equos. Ad rationem autem in contrarium cùm prohibetur, quòd Rex multiplicaret equos. Dicendum, quòd non prohibetur simpliciter, vel ad omnem modum multiplicare equos, sed solùm ne multiplicet equos ad subijciendum sibi populum per potestatem. Sic patet Deuteron. 17. cùm dicitur: Cùm constitutus fuerit Rex, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum equitatus numero subleuatus. Salomon autem non multiplicabat equos ad reducendum populum in Ægyptum, id est, in seruitutem, sicut erat in Ægypto, ideo nõ peccabat multiplicando equos.

An Salomon peccauit congregando sibi diuitias in tanta quantitate, vt nullus tam diues esset. Et quòd habere diuitias ex se non est peccatum, licèt per accidens potest. Ex quibus etiam quæstibus diuitias accumulauit.

C

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR vlteriùs, an Salomon peccauit multiplicando diuitias ad tantam quantitatem. Aliquis dicet, quòd sic, quia Deuteronom. 17. dicitur, quòd Rex non habebit auri, & argenti immensa pondera diuitiæ, tamen Salomonis erant immensæ eo modo quo accipimus immensum in rebus istis habentibus quantitatem determinatam, ergo peccabat. Respondendum, quòd pecuniæ secũdùm seipsas, nec bonæ, nec malæ sunt, sed sunt vtiles, ideo materia vitij, vel virtutis, secũdùm quòd nobis placuerit vti illis. Sicut ergo habere aliquas diuitias non est peccatum, ita habere illas in quacunque quantitate secundùm se non est peccatum. Potest autem esse peccatum per accidens, scilicet, si diuitiæ illæ acquirantur iniusto modo: vel etiam si postquàm possidentur, homo faciat aliquid illicitum, ne perdat illas: & ob hoc quanquàm diuitiæ secundùm se non sint malæ: tamen difficilè est hominem acquirere diuitias sine peccato, sic patet 1. ad Timoth. 6. Scilicet, Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. In administratione quoque diuitiarum difficultas est, quia rari possunt administrare illas sine peccato; ideo Gregorius, & alij Sancti ponunt aliqua, quæ sine peccato vix, aut nunquàm possunt fieri, & vnum illorum est administratio rei familiaris: & habetur in Decretis 25. distin. cap. qualisquisque. Ob hoc autem Christus dixit Matth. 19. Amen dico vobis, quia diues difficilè intrabit in regnum cœlorum: facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Alia autem difficultas est, scilicet, quia diuites sunt, dato quòd non acquirant illicitè, nec illicitè defendant pecuniam, tamen saltem inhærent ei ardentissimo amore, per quem per accidens distrahuntur ab amore Dei, & incipiunt magis diligere pecuniam, quàm Deum: & istud est peccatum mortale. Difficilè igitur est aliquem diuitem effici, & non peccare in acquirendo, vel possidendo: non tamen est impossibile, ideo quanquàm aliquem videamus diuitem, vel ditari volentem: non ideo concludendum est eum peccare mortaliter, nisi aliunde probetur. scilicet, quia iniustè acquirit, vel iniustè defendit. De Salomone autem dicendum, quòd ipse non peccauit acquirendo diuitias, quia Deus dixit, quòd faceret eum diuitem super omnes Reges terræ, qui fuerant ante ipsum, suprà 3. Et tamen illa, quæ à Deo veniunt, bona sunt: maximè, quia ipse promisit hoc Salomoni, tanquàm benefacturus ei: & tamen non erat beneficium Dei, quòd ipse promitteret aliquid Salomoni, ad cuius acquisitionem oporteret ipsum peccare. Etiam Salomon non acquisiuit pecuniam modo illicito, quia habebat illam de redditibus suis. B E Etiam habebat ex donationibus Regum, & prouinciarum, & ex negotiatione, quam exercebat per mare; sed omnes isti modi sunt liciti. In senectute autem dicendum est, quòd Salomon peccauit circa diuitiarum acquisitionem, & possessionem. De acquisitione patet, quia præ cupiditate magna pecuniarum grauauit subditos tributis irrationabilibus in tantum, quòd eo mortuo populus conquestus est filio suo Roboam, dicens: Minue nobis paululùm de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi. Peccauit etiam Salomon in possessione diuitiarum, quia ardenti auaritia pecuniam anhelabat, & retinebat. Nam sicut in senectute deprauatum est cor eius per mulieres, & recessit à Deo, sequenti cap. Ita deprauatum est per pecuniam, quia ardentissimo amore pecuniam tenuit, sicut mulieres ardentissimè amauit. In principio autem regni cùm Deum diligebat, non cupiebat nimis pecuniam, nec ardenter retinebat eam, sed liberaliter eam erogabat. De hoc dicitur suprà 4. Quod dedit Deus Salomoni latitudinem cordis, sicut arenam, quæ est in littore maris, scilicet, dedit ei magnam latitudinem cordis ad expendendum pecuniam, ita vt non anxiaretur in corde suo, quanquàm expenderet illam: qui tamen auari sunt, quia non habent latitudinem cordis, sed angustiam, anxiãtur, si expendũt: in senectute autem Salomon habuit cordis angustiam propter magnũ desiderium pecuniæ. *Fecitq; vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum.* Id est, Tantæ erant diuitiæ Salomonis, quòd fecit abundare argentum in Ierusalem, sicut lapides. Non est autem intelligendum, quòd sit similitudo omnimoda, quia lapides nullius valoris sunt; sed est locutio Hyperbolica ad signandam multitudinem diuitiarum Salomonis. Abundabat enim argentum in diebus illis plusquàm in omnibus temporibus prædecessorum suorum, intantùm quòd comparando multitudinem argenti, quæ erat tempore Salomonis ad paucitatem, & inopiam, quæ fuit tempore prædecessorum suorum, & etiam subsequentium Regum, videbatur se habere multitudo argenti, quæ erat tempore Salomonis ad inopiã, quæ erat tempore aliorũ regum, sicut se habet multitudo lapidum ad multitudinem argenti. Et ob hoc erat argentum tempore Salomonis in paruo pretio. Nam dicitur suprà, quòd non erat argentum, nec reputabatur alicuius pretij tempore Salomonis. Istud autem est, quia in omnibus rebus sola abundantia, vel raritas causat principaliter differentiam pretiorum. Vnde apud nos piper, quia rarum est æstimatur magno pretio: pulegium verò, quia in maxima copia est, nullius valoris est. Apud Indos aũt, quia pulegiũ rarum est, piper verò abũdat, pulegium pipere pretiosius est, vt ait Hieronym. Et habetur in Decretis 93. distin. cap. legimus. Et non solùm intelligendum est istud de argẽto, sed etiã de auro. Nam in tẽporibus Salomonis abun-

D

Administratio pecuniarum et rei familiaris vix sine peccato fieri potest.

F

Abundantia argẽti in Ierusalem, sicut lapidum.

Ad Euãdrũ Episc.

dabat

A dabat aurum ſuper tempora aliorum Regum, ideo etiam ipſum aurum erat parui valoris in comparatione ad tempora aliorum Regum. Sic patet 2. Paralip. 1. Scilicet, Præbuitq; Rex argentum, & aurum in Ieruſalem, quaſi lapides. *Et cedrorum præbuit multitudinem quaſi ficomoros, qui naſcuntur in campeſtribus.* Cedrus eſt arbor pretioſa valdè, & ob hoc tẽporibus præteritis, nũquàm fuerat in ædificijs Iſraëlitarum; tempore autem Salomonis erat tanta copia cedrorũ in Ieruſalem, quanta eſt ſycomorũ, quæ ſunt arbores nimis abundantes in quolibet loco, ideo dicitur: Quæ naſcuntur in campeſtribus, id eſt, in quocunque loco naſci poſſunt.

De natura, & præſtantia cedri,

QVÆSTIO XIII.

SCIENDVM quòd cedrus eſt arbor excellentiſſima inter omnes arbores, vnde non immeritò vocatur regina arborum, ſicut aquila auium, & leo quadrupedum: hoc ſignificatur, ſuprà 4. Cùm dicitur, quòd Salomon diſſeruit de omnibus arboribus à cedro, quæ eſt in Libano vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de pariete. Et ſic ponitur cedrus in ſummo gradu plantarum, & hyſſopus in infimo. Eſt autem cedrus pretioſiſſima arbor, quia lignum ſuum eſt ſolidum nimis, forte, & imputribile, nec à tinea, aut teredine, vel quacunque putredine vaſtatur; ideo propter imputribilitatem ponitur in laquearibus domorum regiarum. Eſt autem arbor iſta in raris locis, ſcilicet, in Africa, & in Syria, & maximè in monte Libano, qui eſt in terra Iſraëlitarum: ideo potuit Salomon habere tantam copiam cedrorum. Eſt enim iſta arbor aſpectu pulchra, & odore ſuauis, cuius odor omnia venenoſa procul pellit. Habet autem iſta arbor gummi quoddã, ſiue reſinam, quæ vocatur cedria, cuius vſus valdè neceſſarius eſt libris, quia libri vncti cedria, nunquã à muribus, aut tinea corroduntur, nec veteraſcunt ſemper nouitatis effigiem demonſtrantes. Habet quoque iſta arbor poma grata, quæ in colore citrina ſunt in figura verò oblonga: ſapor verò illorum triplex eſt, ſcilicet, in ſuperiori parte apud corticem eſt ſapor dulcis, in medio autem carnoſitatis eſt ſapor mixtus inter dulcem, & citrinum: interius verò apud grana, & in centro eſt ſapor totaliter quaſi acidus. Vtilitates verò huius arboris, & fructus in medicinalibus multæ ſunt. De his Rabanus ſuper locum iſtum, & ſuper 2. Paralipomenon, & de proprietate rerum, lib. 17. Sycomorus verò eſt arbor ſatis communis, cùm dicatur hic, quod naſcitur in campeſtribus ad ſignandam vulgaritatem ſuam. Iſta apud Latinos celſa vocatur: apud Græcos autem ſycomorus, & dicitur celſa, quia alijs ficulneis excelſior eſt. Vocatur etiam interdum caprificus apud vulgares, & eſt arbor producens ficus, quæ rarò ad maturitatem proueniunt: vocatur autem ſycomorus, quia eſt ſicut morus, ſcilicet, qui habet folia ſimilia arbori moro: in cæteris autem ficulneæ naturam habet. Vel vocatur ſycomorus à ſilen, quod eſt ſicut, & moros in Græco, quod eſt ficus, quaſi ſicut ficus, ſcilicet, quòd nõ habet omnimodè naturam ficus, ſed quantum ad aliquid. Poſuit autem ſcriptura exemplum de ſycomoro, eo quòd iſta arbor abiectiſſima eſt, cũ nullo cultu humano foueatur, ſed ipſa per ſe naſcitur in campeſtribus: cæteræ autem ficulneæ humano cultu egent. Etiam poſuit exemplum de ſycomoro, quia iſta arbor eſt nimis communis in terra Iſrael: nam vbicunque ſunt multæ ficulneæ, ſunt etiam multæ caprificus, vel ſycomori: & quia terra Iſrael abundabat in ficulneis, habebat etiam multas ſycomoros. Vnde quando Chriſtus prædicabat apud Hiericho, Zachæus qui erat ſtatura puſillus, & non poterat præ turba videre Chriſtum prædicantem aſcendit in arborem ſycomorum. Lucæ 19. *Et ducebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa.* Dictum fuerat ſuprà, quomodo Salomon congregauit equos multos, & currus, hic dicitur de modo congregandi, ſcilicet, emendo, quia licèt aliquos haberet ex dono, nam venientes ad eum offerebant equos, & mulos, vt patet ſuprà: plurimos tamen habebat per negotiationem: nam ducebantur de terra Ægypti, & de Coa: ſunt namque in Ægypto equi multi: ſunt etiam in inſula Coa. Eſt namque inſula Coa apud Græciam, de qua fuit Hippocras Medicorum princeps: ibi enim artificium veſtis laneæ exordium habuit. Habet autem inſula illa equos notabiles, ideo negotiatores Salomonis, qui diſcurrebant per mare ad multas partes orbis, ibant in inſula Coa, & ducebant inde equos. De hac inſula agitur de proprietatibus rerum, libro 15. *Negotiatores enim Regis emebant de Coa, & ſtatuto pretio perducebant.* Scilicet, Salomon habebat negotiatores, qui irẽt in Coa ad ducendum equos, & emebant ibi: deinde pro portatione cuiuſlibet equi in Ieruſalem dabat ſibi Rex certam pecuniã, & id quod cõſtiterat equus in Coa, & ſic habebat Rex equos pro minori valore, quàm alius habiturus eſſet. In Hebræo ponitur Coa, ſicut apud nos, & tamen eſt nomen æquiuocum, quia poteſt accipi, vt proprium pro illa inſula, vel vt commune, & tunc ſignificat multitudinem. Hebræi aũt accipiũt Coa pro multitudine, & dicitur ſic. *Multitudo mercatorũ congregauit multitudinem.* Scilicet, Equorum. Punctuant enim ipſi literam aliter quàm nos; quia nos dicimus ducebantur equi Salomoni de Ægypto, & de Coa: Hebræi autem dicunt ducebantur equi Salomoni de Ægypto, & tunc incipiunt aliam ſententiam in Coa: & quia bis ponitur hic Coa, dicunt ipſi ſic: multitudo negotiatorum Regis emebat multitudinem, vbi nos dicimus negotiatores Regis emebant de Coa: & ſic ipſi incipiunt ſententiam ibi de Coa. Sed iſte eſt error Iudæorum, qui neſcientes nomina locorum, & inſularum putauerunt Coa eſſe nomen commune pro multitudine, cùm ſit proprium inſulæ: etiam quia dicitur immediatè, & ſtatuto pretio perducebant. Ideo oportet, quòd referatur ad locum aliquem, de quo ducebantur equi, & iſtud erit ad inſulam Coa. Hebræi autem debent hoc referre ad Ægyptum, eo quòd nolunt Coa eſſe nomen proprium. Sed non dicitur ſatis rationabiliter, quia Ægyptus eſt valdè propinqua terræ Chanaan, cùm fluuius Ægypti ſit terminus terræ Chanaan â Meridie. Geneſ. 15. & Ioſue 13. Et non ibatur illuc per mare, ſed per terram Philiſthinorum. Ideo pauca eſſet differentia valoris equorũ in Ægypto, & in terra Chanaan, & ſic non fieret ſpecialis conuctio pro ductione equorum. Dicitur tamen, quòd portabantur ſtatuto pretio: ideo videtur, quòd referatur ad inſulam Coa, quæ cùm ſit propinqua Græciæ erat nimis diſtans à Ieruſalem, & ducebantur per mare, ideo ad hoc oportebat fieri expenſas magnas: & propter hoc Salomon ſtatuerat certum pretium productione cuiuſlibet equi de Coa. *Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto ſexcentis ſiclis argenti.* Id eſt, Quando emebantur equi in Ægypto conſtabat vna quadriga, id eſt, quatuor equi ſexcentis ſiclis. Poteſt autem accipi hic quadriga pro ipſo curru falcato, qui habebat enſes in lateribus rotarum, & fiebant iſti currus in Ægypto, conſtabatque quilibet ſexcentis ſiclis. Vel poteſt accipi quadriga pro quatuor equis, qui quadrigam faciunt: nam ipſe currus ſecundùm ſe non vocatur quadriga, ſed iſta nomina imponuntur ex numero equorum, & ideo quando ſunt duo equi vocatur biga; & quando tres, vocatur triga; & quando quatuor vocatur quadriga. Sic enim Gentiles Poëtæ, Soli dabant quadrigam, quia habebat quatuor equos, Scilicet, Eoum, Æthonem, Pyroum, Phlegonem. Luna autem habebat bigam, quia habebat duos equos. Sic patet in Tragœdia 4. Senecæ, cuius nomen eſt Hyppolytus, carmine 3. quod incipit,

Diua non miti generata Ponto.

Et iſtud videtur conuenientius. Nam non videtur omninò veriſimile, quòd vnus currus valeret ſexcentos ſiclos, ſcilicet tantum quantum quatuor equi boni. Item apparet hoc magis ex litera, quia dicitur immediatè. *Et equus centum quinquaginta.* Id eſt, Quilibet equus conſtabat centum quinquaginta ſiclis, ideo quatuor equi, qui dicuntur quadriga conſtarẽt ſexcentis ſiclis. *Atq; in hunc modum cuncti Reges Hethæorum, & Syriæ venundabant.* Id eſt, Sicut Salomon habebat ex Ægypto vnam quadrigam, id eſt, quatuor equos pro ſexcentis ſiclis, ita & omnes Reges Hethæorum, & Syriæ, qui volebant vendere equos, dabant Salomoni quatuor equos pro ſexcentis ſiclis. Vocantur Reges Hethæorum generaliter omnes Reges Chananæorum: nam relicti fuerant tributarij Salomonis Hethæi, Heuæi, Iebuſæi, Pherezæi, Amorrhæi, præcedenti cap. Et omnes iſti erant in terra Chanaan, & vendebant Salomoni equos.

Virtus cedri & libris.

Sycomorus arbor, quæ lingua Hiſpanica dicitur caprahigo.

Coa inſula de qua fuit Hippocras.

Expoſitio Hebr.

Hethæus, & Amorrhæi quot modis capiantur.

Qvæstio XIV.

ACCIPIVNTVR autem Hethæi pro omnibus istis Chananæis, licèt sit nomen speciale vnius de septem gentibus : sic enim Chananæus aliquando accipitur pro vno de septē populis illius terræ, & aliquando pro omnibus septem populis Chanaan. Sic etiam Amorrhæus, vt cōmuniter accipitur pro vno de istis septem populis: sic accipitur præcedenti cap. Aliquando accipitur Amorrhæus pro omnib⁹ septem populis: sic accipitur Genes. 15. scilicet, Nondum enim completa sunt peccata Amorrhæorum vsque ad præsens tempus. Et intelligitur de omnibus septem gentibus, quarum terram Deus daturus erat Israelitis. Sic etiam patet Amos 2. scilicet, Ego autem exterminaui à facie eorum Amorrhæum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius. Deus tamen non solùm exterminauit Amorrhæum à facie Israëlitarum, sed etiam omnes septem gentes: ideo accipitur ibi pro omnibus illis septem gentibus. Idem patet præcedenti lib. cap. 21. Vbi Gabaonitæ vocantur Amorrhæi, & tamen erant Heuæi, Iosue 11. Sic etiam est de Hethæis, quia aliquando accipitur Hethæus pro vno populo de septem, vt patet præcedenti cap. Aliquando autem pro omnibus septē, vt patet Iosue 1. Scilicet, Omnis terra Hethæorum vsque ad mare magnum contra Solis occasum erit terminus vester. Et tamen ibi necessariò intelligitur de omnibus septem populis, cùm ponantur termini terræ Chanaan ex omni parte ibi: sic etiam accipitur hic. Reges Syriæ vocantur, qui habitabant apud terram Chanaan in latere Aquilonari eius. Vnde Mesopotamia in Syria est, & vadit Syria à parte Orientali versus Chaldæam, & Babylonem; à parte autem Occidentali habet mare Mediterraneum, sicut terra Chanaan: à parte verò Meridiana habet terram Chanaan, vbi est mons Libanus. In ista Syria est ciuitas Damascus, quæ caput est Syriæ, vt patet Isaiæ 7. Contra Reges Syriæ pugnauit quondam Dauid, & accepit prædam magnam, & occidit multos, præcedenti libro, cap. 8. & 10. Isti autem Reges habebāt nūc pacem cum Salomone, & vendebant ei quadrigam equorum sexcentis siclis. Est autem siclus moneta aurea, licèt alij sicli sint argentei: & non est magni valoris. Nam duo sicli dabantur pro vno ariete mediocri. Leuit. 5. Et tamen terra illa est satis abundans in gregibus, potissimè tempore illo, quo istud dictum est: quia tunc erat magna abundantia gregum: tamen pro maiori parte Israëlitæ vacarent custodiæ gregum, sicut dixerunt filij Iacob ad Pharaonem. Viri pastores sumus serui tui ab infantia nostra vsque in præsens nos, & patres nostri. Genes. 46. Ex hoc ergo colligi potest aliqualiter quanti pretij esset siclus respectu monetæ terræ huius. In Hebræo dicitur. *In hunc modum cuncti Reges Hethæorum, & Syriæ per manus eorum equos venundabant.* Et volunt dicere Hebræi, quòd Salomon emebat equos à mercatoribus suis dando eis pretium statutum, quando ducebant illos de Coa: & si equi essent boni retinebat eos sibi Salomon: si autem non essent ita valentes, faciebat eos vendi Salomon Regibus Syriæ, & Hethæorum per manus negotiatorum suorum : & sic Salomon percipiebat duplex lucrum. Vnum, scilicet, quia accipiebat equos ductos de Coa pro paruo pretio. Secundum, quia equos non ita valentes faciebat rursus vendi per negotiatores suos Regibus Hethęorum, & Syrię, & suscipiebat maius pretium inde, quàm ipse dederat negotiatoribus pro equis ductis de Coa. Istud potest euenire in litera Hebraica ex diuersa habitudine terminorum, quia ibi non est distinctio casuum, sicut in Latino, & Græco; ideo potest aliquid intelligi, quòd sit in nominatiuo, vel quòd sit in datiuo, & sic causabuntur diuersæ sententiæ: ita est hic, nam secundùm sentētiam nostram ponitur in nominatiuo, scilicet, quòd Reges Hethæorum, & Syriæ venundabant, & secundū sententiam Hebræorum debet poni in datiuo, vt dicatur in hunc modum : Cunctis Regibus Hethæorum, & Syriæ per manus eorum, id est, mercatorum suorum venundabat Salomon. Sed iste sensus non stat, quia dicitur in hūc modum, id est, ad istud pretium: & tamen ipsi dicunt contrarium, scilicet, quòd pro maiori pretio vēdebat Salomon, quàm emeret. Si autem dicere velis secundùm literam, quòd Salomon vendebat pro æquali pretio pro quo accipiebat, nō stat, quia non est verisimile: nam vendere pro æquali perdere est, & stulta occupatio. Ideo dicendum, quòd necessariò stet sensus literæ nostræ, scilicet, quòd Salomon vendebat Regibus Hethæorum, & Syriæ in hunc modum, id est, pro æquali pretio, scilicet, pro sexcētis siclis, sicut emebat de Ægypto, & de Coa ducendo per mare.

Siclus, quæ moneta sit.

Caput XI.

REX autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas. Filiā quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, Idumæas, & Sidonias, & Cethæas, de gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israel; Nō ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad vestras : certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum. Eccles. 47.

Descripto in præcedentibus tempore quo regnum Israel sub Salomone floruit. Hic describitur tempus, quo sub eodē declinare cœpit: & diuiditur in quatuor. Primò ponitur Salomonis transgressio. Secundò pœnæ comminatio ibi. *Iratus igitur est Dominus.* Tertiò aduersariorum suscitatio ibi. *Suscitauit quoq;* Quartò Salomonis mors, & tumulatio ibi. *Reliquum autem verborum.*

An ordo sit continuus.

Qvæstio I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, fuerint post præcedentia, vel fuerit aliqua mutatio ordinis: & an fuerint immediatè post præcedentia, vel interiecto aliquanto tempore. Ad primum dicendum, quòd ista fuerunt post præcedentia, quia in omnibus superioribus dictum est de prosperitate Salomonis, hic autem de aduersitate, & infœlicitate eius. Item suprà dicitur de omnibus temporibus, quibus à principio Regni Salomon Deum coluit. Hic autem agitur de tempore, quo circa senectutem suam Deum dereliquit, ideo necesse est ista esse post illa. Ad secundum dicendum, quòd non constat quanto tempore Salomon declinauerit à Deo post ea, quæ habentur suprà. Nam dicitur infrà in litera, quòd circa senectutem suam declinauit ad idola, & in concupiscentiam mulierum: non tamen constat quanto tempore fuerit istud ante mortem suam. Aliqui dicunt, quòd fuit ad minus per sex annos, quia Salomon ędificauit templa idolis vxorum suarum, & immolabat illis: in hoc tamen transirent sex anni. Dicendum autem quod necesse est ad minus viginti quinque annos, aut plus Salomon egisse, quòd rectum erat, postquàm regnauit. Nam Salomon regnauit ferè quatuor annis antequàm ædificaret templum, suprà 6. Posteà verò fluxerunt septem anni in ædificatione templi, eodem cap. Et tredecim anni in ædificatione domus Regiæ, supra 7. Et sic consummatis omnibus ædificijs fluxerant viginti anni à principio eorū, quando dedit viginti oppida Regi Hiram, suprà 9. Ergo erant iam elapsi viginti quatuor anni à principio Regni. Post omnia hęc tamen apparuit Deus Salomoni, & dixit ei: Exaudiui orationem tuam, & deprecationem tuam, eodem cap. Ergo vsque tunc Salomon semper fuerat bonus. Et dixit ei Deus, tu quoq; si ambulaueris coram me, sicut ambulauit pater tuus, ponam thronū Regni tui super Israel in sempiternum. Ideo videtur, quòd adhuc aliquanto tempore post hoc Salomon secutus fuerit mandata Dei; & sic ad minus per viginti quinque annos Regni sui Salomon coluit Dominum. Manerent autem quindecim anni vsque ad finem Regni Salomonis; nam regnauit annis quadraginta infrà in litera. De istis autem quindecim non apparet quo tempore illorum declinauerit ad idola, & ad amorem mulierum. Satis autē potest dici, quòd per 7. vel 8. annos istud esset ad hoc, quòd possent fieri omnia, quæ habentur infrà in litera, & dicitur. *Rex autem*

A

Salomon amauit mulieres alienigenas. Scilicet, Accepit illas in vxores, & concubinas, & poſtquàm accepit, copulatus eſt illis ardentiſſimo honore.

An peccauit Salomon accipiendo mulieres alienigenas.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR an peccauerit Salomon, accipiendo vxores alienigenas. Reſpondendum, quòd ſic, quia litera culpat eum: & dicitur infrà: Super quibus dixit Dominus filijs Iſrael, non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum. Item patet, quia Iudicum 2. Deus increpuit nimis Iſraëlitas, quia acceperunt vxores de Chananæis, & ob hoc in pœnam dixit, quòd non deleret gentes illas de medio eorum, ſed haberent hoſtes, & Dij eorum eſſent in ruinam Iſraelitis. Item patet Iudicum 3. Quia cùm litera deſcribat ibi peccata Iſraëlitarum, propter quæ traditi ſunt in manus hoſtium, dicitur: Itaque filij Iſrael habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi, & duxerunt vxores filias eorum, ergo peccatum erat, quia alioquin non poneretur ibi, quòd acceperant vxores de illis, vt cauſa deſtructionis eorum. Item patet hoc Ioſue 23. Scilicet, Si Iſraëlitæ miſcerent connubia cum Chananæis, Deus auferret eos de

B

terra bona, quam ſibi dederat. Conſiderandum tamen, quòd differentia erat inter alienigenas: quia quidam erant alienigenæ, vel gentiles extra terram Chanaan. Alij autem erant in terra Chanaan. De primis licebat Iſraëlitis accipere vxores, dum tamen cõuerterent eas priùs ad Iudaiſmum, vt per eas non conuerterentur ad idola, vt declaratum eſt ſuprà 3. De Chananæis autem, id eſt, de ſeptem gentibus, quarum terram Iſraëlitæ accepturi erant in poſſeſſionem, nõ licebat eis accipere aliquam vxorem: quia de illis dixerat Deus, quòd certiſſimè peruerterent corda Iſraëlitarum: Salomon autem accepit vxorẽ tam de alienigenis primo modo, quàm ſecundo cum dicatur hic, quod accepit Sidonias, & Hætheas, quæ ſunt de terra Chanaan: ideo quantum ad hoc peccauit. Sed obijcietur, quòd poterat Salomon accipere vxores de Chananæis: quia Salomon princeps tribus Iuda accepit in vxorem Raab Ierichontinam, quæ erat Chananæa. Matth. 1. Et tamen nõ peccauit, quia cõſenſu Ioſue factum eſt hoc, cùm dicatur Ioſue 6. quod Ioſue fecit Raab eſſe in medio Iſrael. Reſpondendum, quòd ille fuit caſus ſpecialis, ſcilicet, quia cogebantur Iſraelitæ permittere Raab viuentem, eo quòd iurauerant ei Ioſue 2. Etiam ipſa benefecerat Iſraëlitis, liberando exploratores eorum à morte. Item ipſa effecta eſt cultrix Dei. Nam antequàm conuerteretur ad Iudaiſmum, laudabat Deum Iſrael, dicens non eſſe alium Deum, & ipſum eſſe potentem in cœlo, & in terra, Ioſue 2. Ideo rationabile erat, quòd iſta permitteretur viuere inter Iudæos, & poſſet accipere virum de Iſrael, cùm non eſſet alius, quem acciperet: quia de Chananæis non licebat ei accipere, cùm iam eſſet conuerſa ad Iudaiſmum: ergo debebat ei dari aliquis, quem poſſet accipere in virum, & non erant aliqui huiuſmodi, niſi Iudæi, cùm ipſa nõ poſſet ire ad terras longinquas ad accipiendum virum. In vxoribus autem, quas accipiebat Salomon de Chananæis non erat ſic, quia non obligabatur Salomon conſeruare eis vitam, ſicut obligabantur Iſraëlitæ conſeruare vitam ipſi Raab. Item non conuertebantur iſtæ vxores Salomonis ad Iudaiſmum, vt colerent Deum Iſrael, ſicut conuerſa fuit Raab: ſed potiùs ipſæ in terra Iſrael fecerunt ſibi fabricari templa pro idolis ſuis, & induxerunt Salomonem ad colendum idola. Item non ſtabat in iſtis neceſſitas, quæ erat in Raab, quia ſi illa non acciperet virum de Iſraëlitis, cogeretur omninò manere ſine viro. *Filiam quoque Pharaonis* Iſta litera non eſt

C

differens à præcedenti, ita quòd intelligatur copulatiuè, ſcilicet, accepit Salomon vxores alienigenas multas, & accepit filiam Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, & reliquas: quia tunc illæ mulieres alienigenæ non eſſent de iſtis, quæ exprimuntur hic. Sed dicendum, quòd ponitur iſtud tanquàm expoſitiuum præcedentis, & accipitur, quoque, pro id eſt: & eſt ſenſus, quòd accepit Salomon vxores multas alienigenas, ſcilicet, filiam Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas, & reliquas. Ponitur autem prius de filia Pharaonis, quia ipſa fuit prima vxor, quam accepit Salomon, ſuprà 3. Nam ante illud non fit mentio, quòd haberet aliquam vxorem. Etiam quia iſta erat excellentior cæteris, & ipſa erat tanquàm vxor, reliquæ verò vt concubinæ reſpectu eius. Vnde ei ſoli Salomon fabricauit domum, ſuprà 7. De cæteris autem vxoribus, & concubinis non dicitur, quòd eis domos fabricauerit, ſed erant ſub ipſa in domo ſua, vel erant in alijs domibus non famoſis, de quibus ſcriptura non meminit. *Et Moabitidas.* Id eſt, Mulieres de terra Moab. Erat enim Moab apud terram Iſrael ad latus Orientale eius: nam extremitas terræ Moab, ſcilicet, mons Phaſga extẽditur vſque ad Iordanem, vt colligitur Num. 33. & Deuteronom. 3. Iordanis tamen eſt terminus Orientalis terræ Chanaan. Nume. 34. Vnde, & vada Iordanis tranſmittunt in terram Moab, Iudic. 3. Moabitæ erant tributarij Dauid, præcedenti lib. cap. 8. Et ſic erant ſub Salomone, ideo accipiebat de illis vxores. *Et Ammonitidas.* Id eſt, Vxores de terra Ammon: eſt enim terra Ammon coniuncta terræ Moab: ſed eſt terra Ammon ad Septentrionem, & terra Moab ad Meridiem. Olim autem inter terram Moab, & Ammon nihil erat medium: Reges tamen Amorrhæorum, ſcilicet, Sehon, & Og pugnantes contra Moabitas, & Ammonitas acceperunt de extremitatibus vtriuſque Regni vrbes multas, vt patet Numer. 21. & Ioſue 13. Et ſic terra Sehon, & Og Regum

D

E

Amorrhæorum erat inter terram Moab, & Ammon, quia fuerat quondam pars illarum: & iſtam terram poſſederunt poſteà duæ tribus, & dimidia. Numeri 32. & Deuteronom. 3. & Ioſue 13. Ammonitæ autem erant ſubiecti Dauid ſub tributo, quia fecit contra illos bella fortia, & ad vltimum ſubiecit eos tributo, præcedenti lib. cap. 10. & 12. Sic enim erant ſubiecti tempore Salomonis, & accipiebat vxores de terra eorũ. *Et Idumæas.* Id eſt, De terra Idumææ, quæ vocat terra Edom, vel Seir, vel mons Eſau, aut Idumæa, vt declaratum eſt Numeri 20. Eſt enim terra Edom coniuncta terræ Iſrael partim ex Meridie, & partim ex Occidente. Nume. 34. Scilicet, Pars Meridiana incipit ſolitudine Sin, quæ eſt iuxta Edom. Erant autem Idumæi fratres Iſraëlitarum, quia erant filij Eſau fratris Iacob, cuius erant filij Iſraëlitæ. Iſti noluerunt concedere tranſitum Iſraëlitis per terram ſuam apud Cadeſbarne. Numeri 20. Ideo coacti ſunt Iſraëlitæ circuire montem Seir magno tempore, Numer. 21. & Deuteronom. 2. Iſti Idumæi erant tributarij Dauid, quia ipſe ſubiecit eos, & poſuit præſidium in Idumæa, præcedenti libr. cap. 8. Et ſic manſerunt iſti Reges, ſcilicet, Moabitarum, Ammonitarum, & Idumæorum ſubiecti Salomoni, & poſteà Regibus Iſrael. Nam tempore Ioſaphat Regis Iudæ, & Ioram Regis Iſrael cœpit recedere Rex Moab ab iſta ſubiectione, ſic patet ſequenti libro, in principio, ſcilicet, Præuaricatus eſt autem Moab in Iſrael, poſtquàm mortuus eſt Acab, Vnde poſteà Rex Iuda, & Rex Iſrael, & Rex Edom, qui erat

F

ſubiectus Iſrael, iuerunt ad pugnandum contra Regem Moab, ſequenti libro, cap. 3. *Et Sidonias.* Id eſt, Mulieres de terra Sidonis. Iſtæ erant de terra Regis Hiram: nam ipſe dominabatur in Tyro, & Sidone, vt declaratum eſt ſuprà 5. Terra autem Sidoniorum eſt in terra Chananæorum: ideo extendebatur prohibitio contractus matrimonij ad eas. *Et Hethæas.* Hethæus eſt vnus de ſeptem populis terræ Chanaan, vt patet ſuprà 9. Hic tamen accipitur generaliter pro omnibus ſeptem populis Chananæorum, ſicut declaratum eſt præcedenti cap.

An peccauit Salomon accipiendo vxores multas.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR an peccauit Salomon accipiendo multas vxores, ſicut accepit. Pro quo ſciendum, quòd Salomon accepit vxores alienigenas, & peccauit. Nam dato, quòd eſſet vnica vxor de Chananæis, peccabat accipiendo illam in vxorem. Sed ponatur, quòd Salomon non accepiſſet aliquam mulierem alienigenam, accepiſſet tamen de Iſraelitis tot vxores, quot accepit de alienigenis, ſcilicet, vt haberet trecentas concubinas, & ſeptingentas vxores, quaſi Reginas infrà in litera, an peccaret. Reſpondendum,

quòd

A quòd peccaret, quia Deus vetuerat multitudinem vxorum in Regibus, potiùs quàm in alijs hominibus. Deuteron. 17. Scilicet, Non habebit vxores plurimas, & loquitur ibi de rege, sed ista erat multitudo inordinata: quia non legitur de aliquo homine etiam in historijs gentium, quòd tot concubinas, vel vxores haberet: ideo peccauit Salomon habendo tot. Item peccauit, quia copulatus est eis ardentissimo amore, qui erat super amorem legitimum, qui debet esse ad vxorem: vnde scriptura eum reprehendit de isto amore. Sed objicietur, quòd non peccauerit Salomon habendo multas vxores, quia viri Sancti antiquitùs habebant multas vxores, sicut Iacob habuit quatuor, vt colligitur Genes. 29. & 30. Abraham habuit duas. Genes. 16. Dauid autem habuit sex, antequàm esset Rex Israel, cùm erat Rex super Iudam, præcedenti libro, cap. 3. Et postea cùm regnauit super Israel accepit multas vxores de Ierusalem, præcedenti libr. cap. 5. & 1. Paralipomenon 3. Et tamen non peccauit in hoc, vt declaratum est, eodem cap. Ergo nec Salomon. Respondendum, quòd Hebræi dicunt Dauid habuisse vxores decem & octo, vt declaratum est præcedenti libro, cap. duodecimo. Et dicunt, quòd poterat Rex habere vsque ad decem & octo vxores, & illæ non vocabantur multæ: si autem plures haberet, vocarentur multæ, & illæ essent prohibitæ. Salomon autem habuit multo plures: ideo peccauit. Sed dicendum, quòd ista est insania Iudæorũ, nam Dauid non habuit decem & octo vxores, & dato quòd habuisset, non erat verum, quòd decem, & octo non vocantur multæ, & quæcunque plures vocarentur multæ, vt declaratum est præcedenti libro, cap. 12. Sciẽdum autem pro hoc, quòd ante Christi aduentum nunquàm fuit limitatum matrimonium ad habendum vnicam vxorem: sed poterat quis habere plures. Post Christi aduentũ fuit limitatum, quòd esset vnica vxor, ideo si plures accipiantur, non sunt vxores, sed concubinæ. Tempore ergo illo non erat iudicandum de aliquo, quòd peccabat accipiendo plnres in vxores, nisi ex alio capite probaretur peccare: in quo intelligendum, quòd vxor principaliter est ad prolem procurandam, vt patet 1. Politicorum, cap. 1. Licèt sint aliæ vtilitates multæ, propter quas secundario accipitur vxor. Ideo dicendum, quòd quando tempore illo aliquis accipiebat plures vxores ad solum ipsum finem matrimonij: & erant solùm tot, in quibus conuenienter poterat haberi finis matrimonij, scilicet, generatio prolis, non erat peccatum: & quia interdùm habendo vnicam vxorem, illa erat sterilis, & sic impediebatur conceptus: & quia habendo vnicam non sterilem non poterat fieri magna procreatio prolis, licebat habere tot vxores, per quot posset fieri sufficiens procreatio prolis, vt quòd haberet quinq; vel sex. De primo patet in Abraham, qui habebat vxorem sterilem, & ad petitionem illius Abraham accepit aliam. Genes. 16. De secũdo patet in Dauid, qui quanquàm haberet vxorem primam fœcundam, scilicet, Achinoam Iezrahelitem, suprà 1. libro, cap. 25. Accepit multas alias, scilicet, Abigail, vt patet ibidem, & posteà alias quatuor, præcedenti libro, cap. 3. Deinde alias, eodem libro, cap. 5. Istud autem erat, quia cùm esset Rex volebat habere multam prolem ad confirmationem Regni. In Salomone autem non erat sic, quia non accepit vxores principaliter ad generationem: quia ad hoc sufficiebant sibi ad plus decem, vel duodecim, accepit tamen plusquàm mille computatis: vxoribus, & concubinis, vt colligitur hic, & Cantic. 6. Istæ autem erant non conuenientes ad generationem: quia habendo tot vxores non proficiebant ad generationem. Nam aut ad plurimas earum nunquàm accederet, & essent inutiles, aut essent cõtrariæ generationi, quia accedendo ad omnes in nulla earum gigneret: & sic factum est, quia cùm Salomon plurimas habuisset vxores, non habuit nisi vnum filium, scilicet, Roboam, qui successit ei: & duas filias, scilicet, Taphet, & Basemath, quæ datæ fuerunt in vxores duobus præpositis Salomonis, suprà 4. Habuit igitur Salomon istam multitudinem vxorum non ad desiderium generandi, sed ad solam libidinem. Nam omnes, quæ pulchræ ei videbantur, habere volebat, & desiderabat semper nouos concubitus. Et ob hoc cùm ad multas tenderet gignere non poterat. Istud autem desiderium est bestiale, & præter legem matrimonij. Peccabat ergo Salomon habendo tot vxores. Dauid tamen non peccauit habendo multas vxores, quia non habuit illas ad libidinem explendam, sed ad solam procreationem liberorum; & iste finis licitus erat tempore illo, quo licebat plures vxores haberi. Cùm autem arguitur, quòd Rex non debet habere multas vxores. Deuteronom. 17. Dicendum, quòd istud non solùm extenditur ad res, sed etiam ad quosdam alios: expressit tamen scriptura potiùs de Regibus, quàm de alijs, eo quòd alij propter defectum diuitiarum nollent habere multas vxores: Reges autem, quia essent potentissimi vellent vacare libidini, & omni generi delitiarum, ex quo sequerẽtur multa inconuenientia, scilicet, quòd Rex efficeretur nimis fœmineus, & quòd, deserta cura populi, solis delitijs vacaret. Etiam, quòd omnes pulchras mulieres populi sui pro se vellet, & multa alia: ideo lex dicit, quòd non haberet multas vxores, vt indirectè tolleret ei occasionem præuaricandi propter mulieres. Quòd autem iste esset finis legis, patet Deuteronom. 17. Cum dicitur: Non habebit Rex vxores plurimas, quæ alliciant animum eius. Dauid autem non habuit vxores, quæ allicerent eum ad peccandum, quia non fuit per eas inductus ad idola, vel ad alia mala: Salomon autem habebat vxores, quæ allicerent eum, quia illæ non erant conuersæ ad Iudaismum, sed manentes in gentilitate, & actualiter illexerunt eum, vt coleret idola, vt patet in litera: ideo ipse egit contra illam legem.

B

An peccauit Salomon accipiendo vxores Moabitidas.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR, an peccauit Salomon accipiendo vxores Moabitidas. Aliquis respondebit, quòd sic, quia hic ponitur peccatum Salomonis per mulieres, & dicitur, quòd accepit Moabitidas: ergo accipiendo illas peccauit, quia alioquin frustrà ponerentur hic. Item Deutero. 23. dicitur: Ammonites, & Moabites etiam post decimam generationem non intrabunt Ecclesiam Domini in æternum & istud intelligitur de contrahendo matrimonium, ergo non poterant Israëlitæ accipere vxores de terra Moab, Salomon tamen accepit illas: ergo peccauit. Sed obijcietur, quòd non peccauerit, quia duo filij Elimelech, & Noemi acceperunt duas vxores de terra Moab. Ruth. 1. cap. Et illi non dicuntur peccasse. Item Booz erat vir bonus, qui laudatur in scriptura, & tamen ipse accepit Ruth Moabitidem in vxorem. Ruth 4. Et quando accepit eam, omnes Israëlitæ laudabant, & benedicebant illud coniugium, ergo non peccabat. Item quod maius est videbatur, quòd teneretur accipere illam in vxorem, quia Ruth 4. dicitur, quòd alius, qui erat propinquior in iure consanguinitatis viro priori ipsius Ruth, renunciauit iuri cognationis, ad hoc, quòd Booz posset accipere agrum, & vxorem defuncti, scilicet, Ruth. Ergo licitum erat immò necessarium accipere illas cùm aliàs priuaretur iure suo: & quia ille cognatus Booz noluit accipere Ruth in vxorem, renunciauit iuri propinquitatis, & accepit Booz vxorem, & possessionem, ergo etiam Salomon non peccaret accipiendo mulierem Moabitidem. Respondendum est, quòd Salomon peccauit accipiendo vxores Moabitidas, nam scriptura ponit hic istud ad redargutionem Salomonis. Sed si fortè aliquis dicet, quòd Salomon non peccauit: quia non ponuntur hic Moabitidæ, tanquàm accipiendo illas peccauerit, sed ponuntur simul cum alijs vxoribus, quas peccauit accipiendo, scilicet, cum Hethæis, & Sidonijs. Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia manifestum est Salomonẽ accepisse aliquas vxores de filiabus Israel: & tamen non ponitur hic, quòd accepit aliquam de Israel, eo quòd non peccauit accipiendo mulieres de Israel: ergo eodem modo non ponerentur hic mulieres Moabitidæ, & tamen ponuntur: ergo peccauit accipiendo illas. Cùm autem obijcitur de duobus filijs Noemi, quòd acceperunt vxores Moabitides. Dicendum, quòd illi excusantur, eo quòd erant in terra Moab, & fuerunt ibi decem annis, eùm fames durauerit decem annis. Ruth 1. Et non audebant redire in Israel, nec poterant accipere vxores, nisi de alienigenis, vel manerent sine vxoribus: ideo cùm transiret tempus generandi eorum, ne efficerentur impotentes ad generandũ, priusquàm acciperent vxores, acceperunt eas de terra Moab. Idem dicendum,

C

D

E

F

Cur in veteri Testamento vxorũ pluralitas fuerit ꝓmissa.

Salomõ accepit plusq̃ mille vxores computando vxores & concubinas.

Salomõ nõ habuit nisi vnum filiũ, & duas filias, dato q̃ tot habuisset vxores

A cendum, quod non erat absolutè illicitum Israëlitis accipere vxores de Moabitis, quia Moabitæ non erant Chananæi: & sic Salomon peccauit accipiendo vxores Moabitidas, non quidem, quia erant illicitæ simpliciter, sed quia accepit eas non conuertendo illas priùs ad Iudaismum, & sic colebant idola manentes apud eum, vt patet infrà in litera, & ipsum ad colendum idola induxerunt. Ad secundam rationem dicendum, quod cùm dicitur, quòd Moabitæ non intrarẽt in Ecclesiam Dei, intelligitur de ipsis viris, scilicet, quòd illi non acciperent vxores de Israëlitis, & tamen non tollebatur, quin Israëlitæ possent accipere vxores de Moabitis. Ad aliud, quod dicebatur, quòd Booz accepit Ruth Moabitidem, dicendum, quod licebat ei, tum quia conuersa erat ad Iudaismum, tum quia Moabitides mulieres non erant simpliciter prohibitæ à Iudæis. Ad aliud, quando dicitur, quòd ex debito tenebatur accipere illam Booz propter consanguinitatem. Dicendum, quòd licèt non teneretur simpliciter accipere illam: tamen si volebat gaudere iure consanguinitatis ad accipiendum hæreditatem, oportebat, quòd acciperet ipsam vxorem defuncti: & sic non fecerunt isti aliquid illicitum suscipientes mulieres Moabitides in vxores: Salomon autem sic.

An Salomon peccauerit, accipiendo in vxorem filiam Pharaonis. Et ista quæstio differt à quæst. 14. d. cap. 3. Quia aliter hic deciditur, & principaliter respondetur ad istum textum contrarium: ideo nihil superuacuum.

B

Qvæstio V.

Vlterivs quæretur, an peccauerit Salomon accipiendo in vxorem filiam Pharaonis. Aliquis dicet, quòd sic ex ista litera, quia ipsa erat alienigena, scilicet, Ægyptia. Item litera ponit hic, quòd acceperit Salomon istas vxores ad ostendendum, quòd peccauerit: & tamen ponitur hic filia Pharaonis, ergo peccauit accipiendo ipsam. Respondendum, quòd non peccauit, sicut suprà 3. cap. q. 14. dictum est, quia Salomõ accepit illam in vxorem, antequàm ædificaret templum: & postquàm illam accepit, iuit in Gabaon, & dedit Deus ei sapientiam, placuitque ei oratio eius, suprà 3. Ideo non peccauerat accipiendo illam. Item patet, quia suprà 3. dicitur, quòd Salomon diligebat Dominum, & sequebatur præcepta Dauid patris sui, excepto, quòd in excelsis immolabat: & tamen iam acceperat vxorem, vt patet ibidem, ergo non peccauerat accipiendo eam, quod satis declaratum fuit ibidem. Ad rationem primam dicẽdum, quòd non ponitur hic vxor Salomonis filia Pharaonis, quasi peccauerit Salomon accipiendo illam: sed quia fuit sibi occasio ad peccatum, & ista potuit esse duplex. Primum fuit, quia fortè propter eam coluit idola, & fabricauit idolo eius templum, sicut idolis aliarum vxorum, vt patet in litera, licèt non appareat, an fabricauerit pro ipsa templum, sicut pro alijs: satis tamen posset dici, quòd sic. Secundum est, quia dilexit eam ardentissimo amore, & iste amor illicitus est. Quantum ad hoc tamen magis peccauit Salomon in filia Pharaonis, quàm in alijs, quia dilexit eam super omnes alias, sic patet Cantic. 6. Scilicet, Sexaginta sunt Reginæ, & octuaginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus, vna est columba mea, & perfecta mea. Et loquitur ibi de filia Pharaonis, quæ erat super omnes alias vxores, & concubinas; ideo in hac peccauit potiùs quàm in cæteris, diligendo eam ardentiori amore. Ad aliam cùm dicitur, quòd erat filia Pharaonis alienigena, dicendum, quòd alienigenæ, qui erant Chananæi erant prohibiti quantum ad hoc, quòd Israëlitæ miscerent connubia cum eis: cum alijs tamen Gentilibus nõ erant Israëlitæ prohibiti miscere connubia: filia autem Pharaonis erat Ægyptia, & non Chananæa: ideo licebat illam accipere in vxorem. Sed obijcietur, quia Ægyptij, & Idumæi non poterant intrare in Ecclesiam Dei vsque ad quartam generationem. Deuteronom. 23. Sed filia Pharaonis erat in prima generatione, cùm ipsamet esset gentilis Ægyptia, ergo non licebat in ipsa contrahi. Respondendum, quòd illud intelligitur de viris, scilicet, quòd Ægyptij, & Idumæi, quando conuerterentur ad Iudaismum, non possent illicò accipi vxores de Israëlitis: sed pronepotes eorum in quarta generatione poterant iam miscere connubia cum Israëlitis: ideo quandocunque conuerterentur mulieres Ægyptiæ ad Iudaismum poterant accipi in vxores à Iudæis.

C

D

Salomon an peccauerit, accipiendo in vxores Ammonitidas, & Idumæas.

Qvæstio VI.

Qværetvr vlteriùs an peccauit Salomon accipiendo in vxores Ammonitidas, & Idumæas. Aliquis dicet, quòd non, quia non erant prohibitæ istæ mulieres Israëlitis. Nam prohibitio extendebatur ad Chananæas, Idumææ autem, & Ammonitidæ non erant Chananææ; ideo non erant illicitæ ad matrimonium. Respondendum, quòd hic ponuntur mulieres quædam Chananææ, scilicet, Hethææ, & Sidonię, & aliæ non Chananęæ, scilicet, filia Pharaonis, & Moabitides, & Ammonitides, & Idumææ. De primis dicendum, quod simpliciter erat illicitum Iudæis contrahere cum illis, siue conuerterent eas ad Iudaismum, siue non, vt suprà declaratum est. De alijs autem dicendum, quòd non erat illicitum contrahere cum eis, quia solùm ponuntur Ammonitides, Moabitides, & Ægyptiæ, & tamen viris Ægyptijs Moabitis, & Idumæis licebat conuerti ad Iudaismum, quod patet Deuteron. 23. Dicitur, quòd isti non intrarent in Ecclesiam Dei, scilicet, Moabitæ. & Ammonitæ vsque ad decimam generationem, & Ægyptij, & Idumæi vsque ad quartam. Et istæ generationes computantur, postquam conuersi essent ad Iudaismum, quia aliàs impossibile erat computari quartam, vel quintam, tamen non haberetur principium à quo computaretur. Mulieres igitur Ammonitarum, Moabitarum, Ægyptiorum, & Idumæorum, reciperentur ad Iudaismum, & tamen ipsæ non erant prohibitæ accipere viros Iudæos, vel vt meliùs dicatur Iudæi non erant prohibiti accipere ipsas, ergo poterant accipi in matrimonium ab eis: & sic Salomon non peccabat, in quantum accipiebat mulieres Moabitidas, Ammonitidas, & Ægyptias, sed peccabat ex alia causa. Primò, quia accepit multas: de istis Regibus tamen erat prohibitum accipere plures vxores. Deute. 17. Secundò peccauit, quia accepit istas vxores non conuertendo illas ad Iudaismum, quin potiùs ipsæ colebant idola, & Salomon fabricauit eis templum, & etiam ipse inductus ab illis idola coluit. Tertiò peccauit, quia copulatus est mulieribus istis ardentissimo amore, qui excedit amorẽ coniugalem, ideo reprehensibilis est. Sed obijcietur, quòd non peccauerit Salomon, dato quòd acceperit istas mulieres nondum conuersas ad Iudaismum: quia sic acceperunt vxores Moabitidas duo filij Noemi, & illæ adhuc manebant in cultu idolorum, vt patet Ruth 1. Cùm Noemi dixit ad Ruth: En reuersa est cognata tua ad populum suum, & ad Deos suos, vade cum ea. Et illa erat Orpha, quæ erat nurus Noemi: & sic adhuc manebat in cultu Deorum suorum, quia aliàs non diceret Noemi reuersa est cognata tua ad Deos suos. Idem etiam videtur de Ruth, quia dixit ad Noemi populus tuus populus meus, & Deus tuus Deus meus, id est, volo, quòd populus tuus sit populus meus, & Deus tuus ijt Deus meus: ergo ante hoc Deus Noemi non erat Deus Ruth. Item, quia Booz dixit ad Noemi, quòd Deus Israel redderet ei gratiam, quia sub alas eius confugit. Ruth 2. Ergo videtur, quod quando erat in terra Moab, nondum confugerat ad alas Dei Israel. Respondendũ, quòd duo filij Noemi acceperunt vxores duas in terra Moab, & quia ipsi manebant in terra illa, non poterant conuertere vxores ad ritum Iudaicum, quia parentes earum non permitterent: si tamen ipsi veniissent in terram suam cõuertissent illas ad ritum Iudaicum: non poterant tamẽ aliud facere isti filij Noemi, quia cùm essent in terra Moab, & non auderent redire ad terram Israel, non poterant accipere vxores, nisi de Gentilibus non conuersis ad Deum, vel manerent sine vxoribus. Salomon autem erat in terra sua, & poterat omnes vxores suas cõuertere ad Iudaismum, ideo peccabat accipiendo illas nondum conuersas. Item, quia Salomon poterat accipere alias vxores licitè non accipiendo istas, sed filij Noemi non poterant accipere vxores, nisi de gentilitate, vt dictum est, ideo non

E

F

A peccauerunt ipſi accipiendo illas, & Salomon peccauit accipiendo. Sed dicetur, quæ differentia fuit in hoc, quòd Salomon acciperet filiam Pharaonis in vxorem, & acciperet alias vxores Moabitidas, & Ammonitidas. Reſpondẽdum, quòd non peccauit accipiendo filiam Pharaonis: ſed peccauit poſteà tenẽdo eam, ſcilicet, quia per illam inclinatus eſt ad idola, & quia dilexit eam ardentiſſimo amore: in alijs autem vxoribus non ſolùm peccauit tenendo eas ex iſtis duabus cauſis, ſed etiam peccauit accipiendo illas, quia nondum cõuerſæ erant ad Iudaiſmum.

An magis peccauit Salomon accipiendo vxores alienigenas, quàm multas.

QVÆSTIO VII.

VLTERIVS quæretur, cùm Salomon peccauerit, quia accepit multas vxores: & peccauit, quia accepit alienigenas, in quo iſtorum magis peccauerit. Reſpondendum, quòd magis peccauit accipiendo alienigenas, quia accipiendo multas, dum tamen non eſſent alienigenæ, ſolùm peccabat contra vanam legem. Deuteronom. 17. Vbi dicitur, quòd Rex nõ habeat plurimas vxores: accipiendo autem alienigenas, peccabat multipliciùs. Primò, quia agebat contra legem prohibentem. Exod. 34. & Deuteron. 7. Secundò peccabat, quia ponebat ſe in periculo, ſcilicet, quòd poſſet moueri ad idololatriam ab vxoribus, & ſic fuit quando conuerterunt eum ad idola, & ipſe fuit in hoc in magna culpa, quia accepit illas nondum conuerſas ad Iudaiſmum. Vnde ſcriptura propter hoc poſuit hic peccatum de accipiendo multas vxores alienigenas, ſcilicet, quia illæ peruerterunt Salomonem, vt coleret idola. Si autem Salomon per vxores non fuiſſet ad idola ductus, ſcriptura non multum curaſſet deſcribere peccatum ſuum in accipiendo vxores multas, vel alenigenas. *De gentibus ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſrael, non ingrediemini ad eas, nec de illis ingredientur ad veſtras.* Id eſt, Accepit vxores de illis gentibus, de quibus Deus prohibuit Iſraëlitis accipere vxores: & hoc eſt, nõ ingrediemini ad eas, id eſt, non accipietis eas matrimonialiter. Etiam dixit de illis, non ingredientur ad veſtras, id eſt, non permittetis, quòd aliqui viri de gentibus iſtis accipiant aliquas filias veſtras in vxores.

An Deus prohibuerit accipere vxores de omnibus gentibus.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, an Deus dixit de omnibus iſtis gentibus, quòd non acciperent Iſraëlitæ vxores de filiabus eorum. Aliquis dicet, quòd ſic, quia litera iſta exprimit hic Moabitidas, Ammonitidas, Hethæas, Sidonias, & Idumæas: & ſubiunxit poſteà, de quibus Dominus dixit filijs Iſrael, non ingrediemini ad eas: ergo ad omnes refertur. Item patet, quia Salomon peccauit accipiendo mulieres de regionibus iſtis; & tamen manifeſtum eſt, quòd non peccaret, niſi eſſet prohibitum. Quòd autem peccauerit ſuprà conceſſum, & declaratum eſt. Reſpondendum, quòd iſta prohibitio ſolùm extendebatur ad omnes ſeptem populõs Chananæorum, qui ſignantur hic per Hethæos, & Sidonios. Ad alios autem non, vt declaratum fuit ſuprà in quæſtionibus iſtis. Item dicitur hic, quòd Deus iuſſit quòd Iſraëlitæ non ingrederentur ad iſtas mulieres, nec aliqui de gentibus iſtis ingrederentur ad filias Iſrael: & tamen iſtud non poteſt intelligi de omnibus iſtis gẽtibus, quia Ammonitæ, & Moabitæ poſt decimam generationem poterant accipere vxores Hebræas, vt aliqui volunt, Saltem tamen ipſi Ægyptij & Idumæi poterant accipere vxores de Iſraelitis poſt quartam generationem, quanquàm viris Ammonitis, & Moabitis non liceret accipere vxores Hebræas etiam poſt decimam generationem, vel in æternum. Deuteronom. 23. Sed ſolùm intelligitur de Chananæis, qui vocantur hic Hethæi, & Sidonij: quia de iſtis non poterant Iſraëlitæ accipere vxores, nec ipſi de filiabus Iſraëlitarum. Exod. 34. Ad primam rationem, ſcilicet, quo exprimũtur hic Moabitidę, & Ammonitidę, &c. Dicendum, quod non refertur propter hoc clauſula ad omnes illas, ſed ſolùm ad Chananæas, ſiue Hethæas, & Sidonias: fuerunt tamen hic poſitæ aliæ fœminæ, quia etiam Salomon peccauit accipiendo illas, ſcilicet, quia non conuertit eas ad Iudaiſmum: vel quia propter eas peccauit, non tamen, quòd illicitum eſſet ei accipere illas. Ad ſecundum dicẽdum, quòd Salomon peccauit accipiendo iſtas mulieres, tamen non ſequitur ex hoc, quod erat illicitum ex mãdato, ſed ſolùm erat illicitum, quia accepit eas nondum cõuerſas ad Iudaiſmum; & iſtud erat generaliter prohibitum in accipiẽdo quaſcunq; mulieres de Gentilibus.

Certiſsimè enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum. Scilicet, Iſta fuit cauſa prohibitionis, quia mulieres Chananææ allicerent Iſraëlitas viros ſuos, vt colerent Deos earum, & etiam filios ex ſe natos ad idololatriam erudirent. Exo. 34. Et ponitur iſtud, quia cauſa, propter quam culpatus eſt Salomon, quòd accepiſſet vxores alienas, fuit, quia ipſæ peruerterunt eum ad colendum idola: ſi autem accipiens multas de illis non fuiſſet conuerſus ad idola, quãquàm peccaret, iſtud reputaretur leue peccatum, & ſcriptura non curaret referre illud. *His itaq; copulatus eſt Salomon ardentiſsimo amore.* Scilicet, Dilexit eas nimis pluſquàm vir diligere debeat vxorem, ita quòd efficeretur totus fœmineus.

An Salomon peccauerit diligendo vxores ardentiſsimo amore, & quæ ſit regula diligendi Deum, & quamlibet rem.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR an Salomon peccauerit diligendo vxores ardentiſſimo amore. Aliquis dicet, quòd non, quia præceptum eſt de diligendo eas valdè: vnde Apoſtolus ad Epheſ. 5. dicit: Viri diligite vxores veſtras, ſicut corpora veſtra. Et iterum: Diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Et tamen dilectio Chriſti ad Eccleſiam fuit ardentiſſima, quia pro ea morti ſe tradidit. Etiam quilibet diligit carnem ſuam nimis, ideo nimis debet quilibet diligere vxorem ſuam, nam propter hanc dimittit homo patrem, & matrem, & adhæret vxori, & efficiuntur duo in carne vna. Geneſ. 2. & ad Epheſ. 5. Item patet hoc, quia ſi Salomon peccaret, eo, quòd copularetur mulieribus iſtis ardentiſſimo amore, aut peccaret in eo, quòd diligebat eas nimis, aut ex eo, quòd cognoſcebat eas indebitè. Nõ primo modo, quia probatum eſt viros nimis debere diligere vxores. Non ſecundo modo, quia vir non peccat mortaliter cognoſcendo vxorem ſuam, dato, quòd cognoſcat eam non ex deſiderio liberorum, ſed ad explendam libidinem, vel refrænãdam incontinentiam, quia id, quod erat mortale, propter honeſtas nuptias efficitur veniale. Reſpondendum, quòd Salomon peccauit, quia copulatus eſt ardentiſſimo amore mulieribus. & hoc patet, quia ſcriptura reprehendit ipſum in iſto: ſi autem nõ peccaſſet, fruſtra ſcriptura dixiſſet: his copulatus eſt ardentiſſimo amore. Et dicendum, quòd Salomon peccauit vtroque modo, ſcilicet, quia dilexit vxores, pluſquàm debebat. Secũdò, quia inordinatè cognoſcebat illas. De primo patet, quia quælibet res diligibilis habet ſuum terminum dilectionis, vltra quem ſi excedatur, peccatum eſt: ſolus autẽ Deus eſt in cuius dilectione non eſt terminus ponendus. Ratio huius eſt, quia quilibet debet diligere rem, ſecundùm quod in ea reperitur ratio bonitatis cùm ipſa bonitas ſit ratio motiua deſiderij: quia bonum eſt, quòd omnia appetunt primo Ethicorum. Ideo neceſſe eſt, quòd ſecundùm differentiam bonorum ita ſit inæqualitas dilectionis. Nam ſi aliquid debet diligi propter eſſe bonum, diligetur magis propter eſſe magis bonum, & diligetur maximè propter eſſe maximè bonum, iuxta regulam Ariſtotelis 2. Topicorum, ſcilicet, Si ſimpliciter ad ſimpliciter, & magis & maximè. Si igitur aliquis rem minus bonam magis diligit, errat in natura rei, quia mouetur contra conditionem obiecti, & in hoc eſt præuaricatio moralis. Ex hoc autem patet, quomodo quælibet res ſit diligenda ſolũ in certo termino, quia quælibet res habet bonitatem limitatam. Ideo cùm dilectio noſtra ad rem fuerit, iuxta menſuram bonitatis rei, erit conueniens: ſi autem plus diligatur, erratur: ergo dandus eſt

certus

A

Deus ſolꝰ eſt diligibilis ſine termino, & modo.

certus modus, vel quantitas dilectionis pro qualibet re. Solus autem Deus eſt bonum infinitum, ideo ſolus eſt diligibilis ſine termino: nam ſecundùm exigentiam bonitatis ſuæ ipſe eſſet diligendus à nobis in infinitum: nullus tamen poteſt diligere in infinitum, quia quilibet actus creaturæ eſt limitatus, ideo tenetur quilibet diligere, quantum poteſt, & nunquàm errabit quantumcunque diligat, quia ſi multum dilexerit adhuc Deus magis diligibilis eſt, cùm nunquàm perueniat ad infinitam dilectionem: ideo beatus Bernardus dixit in libro de diligendo Deum, quòd modus diligendi Deum eſt diligere ſine modo. Et hoc eſt, ꝙ ſcriptura iubet, ſcilicet quòd diligamus Deum ex toto corde, & tota anima, & totis viribus. Deuterono. 6. & Matth. 22. quaſi dicat, Quòd quanquàm diligamus, quantum poſſumus, nunquàm errabimus, De nulla autem alia re dictum eſt, quòd diligeremus eam ex tota anima, & ex toto corde, eo quòd diligendo eam, ſic poteramus errare, ſcilicet, diligendo eam pluſquàm deberet diligi: ideo dicendum, quòd in quacunque re, præter Deum, quantumcunque ſit diligibilis, poteſt homo errare diligendo eam pluſquàm debet. Sic enim patet de dilectione hominis ad ſeipſum. Nam nullum hominem tenetur aliquis plus diligere, quàm ſeipſum: & tamen diligendo ſeipſum interdum errat, ſcilicet, diligendo ſe pluſquàm debet, ſicut dixit Apoſtolus, ſcilicet, In nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: erunt homines amantes ſeipſos. Et ſic ponit ibi tanquàm vitium amare ſeipſum, quia intelligit de

B

amore ſuperabundanti: ſic etiam Ariſtoteles 9. Ethico. dicit, quod in vitium dicitur alicui, quòd eſt amator ſui ipſius. Item patet hoc in amore illorum, ad quos maximè tenemur, ſcilicet, in amore parentum, & filiorum. Nam quanquàm iſte amor ſit de bonis laudabilibus ſecundùm naturam, tamen aliqui peccant ſuperabundando in hoc: ſicut Niobe, quæ diligebat filios ſuos magis, quàm deberet, 7. Ethic. Cùm dicitur: Sed tamẽ eſt quædam ſuperabundantia in his, ſi quis quemadmodum Niobe rebellet ad Deos, vel quẽadmodum Satyrus Philopater, cognominatus circa patrem: valdè enim videbatur deſipere. Ita de amore vxoris erit, quòd quãquàm teneantur viri diligere vxores: tamen iſtã dilectio habet terminum: poteſt igitur errari, ſi etiam vltrà terminum diligat. Et ſic eſt, ſi quis tantùm diligat vxorem, quòd propter eam agat contra Deum: ſic enim dicit Ariſtoteles, vbi ſuprà, quòd ſuperabundantia erat in amore filiorum, cùm quis propter illos rebellabat Dijs, ſicut Niobe. Sic enim Salomon fecit, quia vt non contriſtaret vxores quas tenerrimè diligebat, agebat quidquid illæ iuberet. Nam peſſimum, quod agere poterat erat, quòd coleret idola, & iſtud egit propter illas. Cùm autem Apoſtolus dicit, quòd vxores diligendæ ſint, ſicut corpora noſtra; & ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. Dicendum, quod iſtud dicit ad conciliandum corda virorum erga vxores: quia quidam virorum valdè moleſtè ſe habent erga eas. Dato tamen, quòd diligant eas, ſicut debent diligere corpora ſua, vel ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, habebit iſta dilectio terminum: quia Chriſtus non dilexit Eccleſiam in infinitum. Seipſum enim ſolum diligit infinitè, eo quòd Deus eſt: vir tamen qui diligit vxorem ſuam, ita vt propter eam agat contra Deum, magis diligit

C

eam, quàm Chriſtus dilexit Eccleſiam, ideo peccat. Ad ſecundum dicendum, quòd etiam Salomon peccauit inordinatè cognoſcendo vxores ſuas: nam licet ex priuilegio honeſtarum nuptiarum, non peccet mortaliter vir, dato quòd cognoſcat vxorem non ex deſiderio liberorum, ſed ad explendam libidinem, cùm Apoſtolus dixerit 1. ad Corinth. 7. Quilibet habeat vxorem ſuam propter fornicationem, ſcilicet, vitandam, quia melius eſt nubere, quàm vri: poteſt tamen vir interdum peccare mortaliter, cognoſcendo vxorem ſuam, ſcilicet, ſi non ſolùm vir expleat libidinem, ſed etiam inquirat aliqua, per quæ ſuſcitetur libido explenda in vxore, ſiue illud ſit in cibis, ſiue in potibus, ſiue aliàs. Nam in his peccabit mortaliter. Et de hoc dicitur, quòd nimius amator in propria vxore adulter eſt. De Salomone enim multi ſic opinantur, & nõ iniuſtè, quia ipſe erat totus fœmineus, cùm haberet plures quàm mille mulieres inter vxores, concubinas, & adoleſcentulas: Et ipſe erat in naturalibus ſecretis ſapientiſſimus. Creditur ergo, quòd omnem naturalem ſapientiam ad vſum libidinis conuertebat, ſcilicet, vt potẽtior eſſet, vt magno tempore conſeruaretur tantam exercendo libidinem, in vtroque autem horum dicitur Salomon copulatus amore ardentiſſimo mulieribus. De primo patet, quia tam ardenter eas dilexit, quòd amorem earum amori diuino præpoſuit, & idola propter illas coluit. De ſecundo patet, quia erat totus fœmineus, & ardentiſſimè ad libidinem inhiabat. *Fuerunt ꝙ ei vxores quaſi Reginæ ſeptingentæ.* Id eſt, Habuit vxores ſeptingentas, quarum quælibet erat, ſicut Regina in magno ſtatu, & honore: & iſtæ erãt ductæ legitimè, celebrato ritu nuptiali. *Et concubinæ trecentæ.* Iſtæ erant ductæ ſine fœdere matrimoniali. *Et auerterunt mulieres cor eius.* Scilicet, Dilexit eas nimis, & cùm eſſent plurimæ earum gentiles perſuadebant ei illi cultum idolorum.

D

Quomodo poterat Salomon habere ſeptingentas vxores, quaſi Reginas, cùm forte non eſſent tot reges in orbe. Et quomodo ſic appellatæ ſunt.

QVÆSTIO X.

QVÆRITVR, quomodo poterat Salomon habere ſeptingẽtas vxõres Reginas, quia oportebat ad hoc, quòd ipſe haberet omnes filias Regum totius orbis: ſolùm tamen habebat vxores de gentibus propinquis, quæ nominantur hic, ſcilicet, de Moabitis, Ammonitis, Ægyptijs, Idumæis, Hethæis, & Sidonijs: ergo non poterat tot Reginas habere in vxores. Reſpondendum, quòd vxores Salomonis non erant Reginæ, ſed vnica earum erat Regina, ſcilicet, filia Pharaonis, reliquæ tamen vocantur Reginæ, vel quaſi Reginæ, non quòd eſſent filiæ Regum, ſed quia Salomon tenebat eas in magno ſtatu, ſicut ſi eſſent Reginæ: & ob hoc litera dixit quaſi Reginæ, & non dicit, quòd fuerunt ſeptingentæ vxores Reginæ. In hoc autem differebant vxores à concubinis, quia vxores, eo quòd erant legitimè ductæ habebantur in magno ſtatu: concubinæ autem, cùm non ducerentur legitimè non habebantur in tanto honore: ideo non dicitur de concubinis, quòd erant quaſi Reginæ, ſicut dicitur de vxoribus. Quòd autem vnica eſſet Regina, apparet, quia Cantic. 6. dicitur de filia Pharaonis, vnica eſt dilecta mea, columba mea. Et ſic illam exaltauit ad maiorem ſtatum, faciendo ei domum ſumptuoſam valdè. Reliquis autem non fecit domos, vt declaratum eſt ſuprà 7. Sed obijcietur, quòd eſſent multæ Reginæ, quia Cantic. 6. dicitur: Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ. Reſpondendum, quòd ibi vocantur Reginæ, id eſt, quaſi Reginæ, ſicut hic dicitur, quòd erant ſeptingentæ vxores Salomonis quaſi Reginæ. Aliter poteſt dici, quòd erant inter iſtas ſeptingentas vxores ſexaginta, quæ erant filiæ Regum: & illæ vocabantur Reginæ, & tamen non erant Reginæ Iſrael eo modo, quo vxor Regis vocatur Regina, & hoc modo filia Pharaonis erat Regina Iſrael, ſicut Salomon erat Rex: & ob hoc cæteræ vxores, & concubinæ honorabant, & laudabant illam tanquàm dominam. Cantic. 6. Scilicet, Viderunt eam filiæ Sion, & beatiſſimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ laudauerunt eam.

E

F

An Salomon accepit tot in vxores.

QVÆSTIO XI.

VLTERIVS quæretur, quare Salomon accipiebat tot mulieres in vxores: nam cùm vellet tot accipere ſatis erat ſibi, quòd acciperet vnam in vxorem, & reliquas in concubinas. Reſpondendum, quòd Salomon fecit hoc propter duo. Primò, quia Salomon volebat accipere omnem fœminam, quæ ei pulchra videretur: & quia quaſdam non poterat habere in concubinas, eo quòd erant filiæ magnorũ virorum, ſcilicet Regum, & aliorum potentum, qui erant extra terram Salomonis, ſcilicet Moabitarum, Ammonitarum, & Idumæorũ, Ægyptiorum, ac Sidoniorum: ideo vt poſſet habere illas, accipiebat illas in vxores. Et iſta eſt cauſa, quare Salomon habebat ſeptingentas vxores, quaſi Reginas, ſcil. quia accipiebat eas de filiabus magnorum virorum, qui nolebant eas dare, niſi Salomon teneret ipſas in habitu, & honore Reginarum. Si autem potuiſſet eas habere aliàs, accepiſſet eas in

Vir quãdo peccat mortaliter cognoſcendo vxorem.

A concubinas. Concubinæ autem Salomonis erant illæ, quæ erant filiæ minorum virorum, & libenter acceptabant, quòd efficerentur concubinæ Regis, & etiam in minori gradu: & ob hoc de istis non dicitur, quòd erant quasi Reginæ, quia non tenebantur in tanto honore. Secunda causa erat, quia Salomon volebat habere legitimos filios: & quia si omnes essent concubinæ præter vnam, cõtingeret plurimos filios Salomonis esse illegitimos: ideo accepit multas in vxores. Sed prima causa efficacior est.

An tot Reginas, & concubinas habuerit Salomon, quia videtur quòd Cantic. 6. dicitur oppositum.

QVÆSTIO XII.

VLTERIVS quæretur, quomodo dicitur hic, quòd Salomon habuit septingentas vxores, quasi Reginas, & trecentas concubinas: nam Canti. 6. dicitur: Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta cõcubinæ. Respondendum, quòd Salomon habuit tot vxores, & concubinas, sicut hic dicitur: quia quandocunq; in scriptura ponitur idem numerus bis, vel pluries, tenẽdus est numerus maior, ne dicamus scripturam in aliquo mentitam fuisse: quòd fieret, si diceremus, tenendum esse numerum minorem: tenẽdo autem numerum maiorem, non repugnatur numero minori: ideo dicendum, quòd fuerunt hic expressæ vxores, & concubinæ in maximo
B numero: in Canticis autem plurimæ earum tacentur. Iosephus autem mediauit inter istos numeros: nam dixit 8. Antiquitatum, Quòd accepit Salomon principum insignium virorum filias numero septuaginta, & trecentas concubinas; super has autem filiam Pharaonis Regis Ægyptiorum: non enim posuit septingẽtas Reginas; quia visus est sibi magnus numerus, & putauit, quòd aliter significaretur in illo numero. Dicendo tamen, quòd non possumus aliquid tollere de numero posito in scriptura: sicut non licet nobis negare aliquid, quod scriptura sacra asserit. Concordatur tamẽ iste numerus cum illo, qui est in Canticis: quia de vxoribus Salomonis scriptura expressit ibi excellentiores: hic autem omnes expressit. Fuerunt autem inter vxores Salomonis 60. quæ fuerunt filiæ regum, reliquæ autem sexcẽtæ, & quadraginta, nõ fuerunt filiæ regum, sed magnorum virorum: ideo quanquàm omnes tenerentur à Salomone tanquàm reginę: tamen illæ, quæ erant filiæ Regum, tenebantur adhuc in maiori honore. Ista differentia patet, quia hic dicitur, quòd oẽs septingentæ vxores Salomonis erant, quasi reginæ. & tamen Cantic. 6. dicitur, quòd erant sexaginta reginę, & nõ ponitur quasi ad significandum, quòd illæ sexaginta erant veræ filiæ regum, & ob hoc vocantur reginæ absolutè. De concubinis autem dicendum, quòd etiam inter eas erant quædam prin cipaliores, & cùm essent trecentæ, 80. illarum erant principaliores, & istæ expressæ fuerunt in Canticis. Sed tunc dicetur; quæ ergo erant illæ adolescentulæ, de quibus dicitur in
C Canticis: Et adolescentularum non est numerus. Dicendum, quòd istæ erant præter vxores, & concubinas, scilicet, quia Salomon elegerat sibi omnes adolescentulas, quæcunque ei pulchræ viderentur, & ingrediebatur ad eas, quando vellet. Istæ autem non erant in certo numero; eo quòd Salomon superaddebat semper, & etiam multas illarum dimittebat, postquàm cognouisset illas. Sicut Rex Assuerus fecit congregari omnes puellas, quæcunque viderentur pulchræ in regno suo, posuitque eas in manu Eunuchorum: & quælibet illarum ingrediebatur ad regem vespere, & egrediebatur mane, & hoc per dies sibi assignatos: & postquàm quęcunque illarum semel introisset non habebat licentiam vltrà redeundi ad Regem, nisi rex eam specialiter vocasset ex nomine, vt patet Esther 2. Et hoc modo procedetur in infinitum in adolescentulis: & propter hoc dicit scriptura: Et adolescentularum non erat numerus. Concubinæ verò, & vxores erant in certo numero; & illæ, postquàm assumptæ fuissent, nunquàm dimittebantur, sicut ipsæ adolescentulæ: ideo ponitur numerus vxorum, & concubinarum, & non adolescentularum. Nicolaus autem dicit secundùm Iosephum, quòd fuerunt septuaginta vxores, scilicet, principales. Vel aliter dicit, quod scriptura numerat hic septigentas vxores Salomonis, scilicet, quòd haberet solas septuaginta vxores, & reliquæ erãt domicellæ, & famulæ istarum septuaginta vxorum, Sed hoc non stat, quia sic essent solum septuaginta vxores, & quælibet earum haberet decem domicellas in famulas: & tamen falsum est. Primò, quia scriptura ponit, quòd omnes istæ septingentę erant vxores, ipsę autem solùm septuaginta. Secundò, quia dicit, quòd erant aliæ ancillæ istarum: & tamen non stat, quia litera dicit, quòd erant omnes istæ septingentæ, quasi Reginæ: & tamen famulæ non sunt quasi Reginæ. Aliter dicit, quòd istæ septingentæ erant, sicut illę, quas habuit Assuerus, de quibus suprà diximus. Sed non stat, quia Nicolaus vult, quod Salomon ductus magna carnalitate, ingrederetur solùm vna nocte ad quamlibet istarum: & sic ferè in duobus annis percurrisset eas. Sed hoc non stat, quia illæ puellæ, ad quas ingrediebatur Assuerus, non erant vxores suæ: sed ideo ingrediebatur ad eas, vt eligeret sibi vnam earum in vxorem, scilicet, quæ placeret oculis eius: & postquàm eligeret illam, cessaret iste ordo puellarum introeuntium ad Regem, Esther 2. Salomon autem habebat istas septingentas in vxores: ideo non fiebat sic. Item posito hoc, non fieret differentia inter vxores, concubinas, & adolescentulas: & tamen isti tres ordines ponuntur Cantic. 6. Ergo oportebat, omnes istas septingentas esse vxores: & sic dicetur, sicut suprà dictum fuit.

D

An istæ mulieres, quas Salomon habebat in vxores, & concubinas peccabant, volendo ei copulari.

E

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, an istæ mulieres, quas Salomon accipiebat in vxores, & concubinas, peccabant volendo copulari ei. Respondendum de concubinis, quòd peccabant: quia concubinatus illicitus est, cùm omnis carnalis commixtio, præter fœdus matrimoniale, illicita sit: fuit tamen aliquando dispensatum cum viris Sanctis in veteri Testamento, quòd haberent concubinas, sicut declaratum fuit de Dauid, præcedenti libro, cap. 5. Aliàs autem illicitum erat. Et quia Salomon non erat de Patriarchis, cum quibus dispensatum est, peccabat: & nõ est dubium, quin peccaret accipiendo concubinas: quia cùm peccaret accipiendo vxores, à fortiori peccaret accipiendo concubinas: & quia ipse peccabat accipiendo eas: etiam ipsæ peccarent, cùm vellent ab eo accipi: quia idem crimen erat vtrobique. De illis autem, quæ accipiebantur in vxores, dicendum est, quòd aut erant de Gentilitate, aut de Israëlitis. Si primo modo, non peccabant, cùm acciperentur in vxores à Salomone, licèt Salomon peccaret accipiendo illas: quia Salomon peccabat agẽs contra legem prohibentem accipere alienigenas: ipsæ tamẽ mulieres Gentiles, cùm non essent obligatæ ad istam legem, quę solùm obligabat Israëlitas, non peccabant. Item Salomon
F peccabat, quia accipiebat multas vxores, vetante lege hoc, Deuteronom. 17. Sed mulieres Gentiles non obligabantur huic legi: ideo poterant multæ, vni viro nubere. De Israëlitis autem mulieribus dicendum, quòd peccabant, quia istæ erant subditæ legi: ideo sicut lex vetabat Regem accipere multas vxores: ita vetitum erat mulieribus, velle duci ab illo in vxores, postquàm multas haberet: quia tamen si Rex volebat, necesse erat eas hoc pati, culpa earum leuis erat, *Cumq; esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres.* Omnia superiora ponuntur propter hoc, scilicet, quòd mulieres multæ deprauauerunt cor Salomonis, inclinantes eum ad idola. Nam si multæ mulieres non inclinassent eum ad malum, quanquàm peccaret accipiendo illas, non multum curaret scriptura enarrare, quòd Salomon peccasset accipiendo vxores alienigenas: q̃a omnia alia peccata faciliter remittebantur in veteri Testamento: dum tamen non declinaret homo ad idololatriam. Dicitur autem, quòd Salomon in senectute deprauatus est: quia in iuuentute, licèt habuit multas vxores, non declinauit ad idololatriam, sicut in senectute.

Quomodo dicitur, quòd Salomon fuit deprauatus in senectute per mulieres, cùm non accesserit ad senectutem: & quanta ætatis est mortuus.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR, quomodo Salomon potuit in senectute deprauari: quia videtur, quòd ipse nunquàm fuit senex; & consequenter non peccauit in senectute: & hoc, quia Salomon vixit pauco tempore. Nam Rabbi Sa. & Hebræi dicunt, quòd Salomon erat annorum duodecim, quando cœpit regnare, & regnauit quadraginta annis, vt patet infrà in litera: & sic solùm vixit 52. annis. Dicunt autem, quòd ad minus oportebat Salomonem deprauari sex annis ante mortem, vt posset in illo tempore ædificare templa idolorum pro vxoribus, & facere alia, quæ habentur hic: & sic manerêt anni 45. quando Salomon inciperet deprauari: & tamen in 46. annis non vocatur aliquis senex: sed tunc propriè est vir. Respondet Historia scholastica ponens istud dubium, scilicet, quare dicatur Salomon senex fuisse, cùm modicum vltra 50. annos vixisse legatur. Nam mortuo Salomone, Roboam filius eius 41. annorum erat, infra 14. & Salomon dicitur genuisse illũ, cùm esset 11. annorum. Respondet secundùm Iosephum dicens, quòd mortuus est Salomon valdè longæuus, qui regnauit 80. annis: vixit autem annis 94. sed diuina scriptura illos solùm exprimit, quibus regnauit, antequàm præuaricaretur: & sic vixit Salomon 40. annis, antequàm esset malus: & alijs 40. postquàm factus fuit malus, & isti fuerunt in regno. Dicit Nicolaꝰ simile esse de Saule, cuius anni tacentur, scilicet, dicit, quòd regnauit annis duobꝰ suprà 1. lib. cap. 13. Eo quòd tũc regnauit innocenter: subticentur autem 18. quibꝰ regnauit peruersè. Dicit tamen Nicol. Non esse multùm curandũ de dicto Historiæ scholasticæ, quia contradicit sibi ipsi, & scripturæ: dicit enim, quòd Salomon 11. annorum genuit Roboam, qui fuit 41. annorum, quando mortuus est Salomon, & cœpit ipse regnare: & sic stat, quòd Salomon vixerit 51. anno, vel duobus. Si autem dicatur, quòd Roboam regnauit viuente patre 40. annis: ita quòd principiũ regnãdi Roboam fuerit, quãdo Salomon incœpit deprauari: sequit, quòd regnauit 40. annis viuente Salomone. Dicitur tamen infrà 14. quòd quando Roboam cœpit regnare, erat 41. anni: ergo quãdo mortuus est Salomon, erat octuaginta vnius annorum, eo quòd tempore Salomonis regnauerat 40. annis: & hoc est cõtra Historiam scholasticam, & contra sacrã scripturam, quæ dicit, fuisse Roboam 41. annorũ post mortem Salomonis, quãdo cœpit regnare. Item seq. cap. dicitur, quòd Ieroboam, audita morte Salomonis, redijt de Ægypto, & venit cum cæteris Israëlitis in Sichem, ad eligendum Roboam in regem: ergo videtur, quod ante hoc, non regnauerat. Item si ante hoc regnauisset viuente Salomone, sicut regnauit Salomon viuente Dauid: non conueniisset populus in Sichem post mortem Salomonis ad eligendum regem, vel ad accipiendum ipsum Roboam, quia iam acceptus esset: & tamen venerunt, & posuerunt ei conditiones, dicentes, quòd minueret paululùm de iugo patris sui, & seruirent ei: sequenti cap. Ergo nondum erat assumptus in Regem. Sed aliquis dicet, quòd ista non fuit noua assumptio in regem, quia regnauit viuẽte Salomone: sed fuit renouatio Regni, sicut fuit in Saule, qui factus est Rex in Maspha, suprà 1. libr. cap. 10. Et postea renouatus est in Galgala, eod. lib. cap. 11. & hic, quod dicitur sequenti cap. intelligatur de renouatione regni. Sed dicendum, quòd non stat, quia cap. sequenti dicitur, quòd quando venerunt Israëlitæ ad accipiendum Roboam in regem, habuit consilium cum iuuenibus, cum quibus ipse nutritus fuerat: ergo videtur, quòd ipse etiam erat iuuenis; quia alioquin illi, cum quibus ipse nutritus fuerat, non essent tũc iuuenes, sed senes: in anno tamen octuagesimo vocãtur homines senes. Sic patet de Berzelai, qui erat octuaginta annorum, & vocabatur senex valdè, præcedenti libr. cap. 19. Item Psal. 89. dicitur: Anni nostri, sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrum in ipsis septuaginta annis. Si autem in potentatibus 80. anni, & amplius labor, & dolor: ergo non vocaretur iuuenis 81. anni. Item dictum Historiæ scholasticæ, s. quòd Salomon in decimo anno genuit Roboam nõ stat, qa est contra virtutem naturæ, quòd puer in tali tẽpore gignat. Item seqtur ex dicto suo, quòd 10. annorũ, & trium mensiũ erat, quando genuit eũ: quia si Roboã erat 41. annorũ, quando Salomon mortuus est, & Salomon erat 11. annorũ, quãdo natus est Roboam, detractis 9. mensibus, quibus puer manet in vtero, manebunt anni 10. & tres menses, quãdo Salomon gigneret: & tamen hoc non videtur possibile, secundùm naturam. Dicendum igitur, quòd Salomon erat annorum viginti, vel quasi, quãdo cœpit regnare, & regnauit solùm quadraginta annis, eratque annorum sexaginta, quando mortuus est, & tũc poterat vocari aliqualiter senex: quia vt dicitur, Psal. 89. Dies annorũ nostrorum in ipsis septuaginta annis. Et poterat esse Salomon satis senex in anno sexagesimo, & paulò antè, sic enim dicitur de Dauid, suprà 1. cap. Quòd senuerat Dauid, habebatque ætatis dies plurimos: & tamen solùm habebat septuaginta annos; quia quando factus est rex, erat triginta annorum, & regnauit annis quadraginta, præceden. lib. cap. 5. Poterat autem Salomon vocari senex in quinquaginta quinque annis, quia aliqui citiùs senescunt, quàm alij, ex multis causis. In Salomone autem erat causa potissima repentinæ senectutis, scilicet quia erat nimis venereus, & homines valdè venerei ante senectutem sunt senes: immò in ipsa iuuentute desiccantur, & decolorantur, & citò moriuntur: ideo non solùm Salomon non vixit modico tempore: immò mirandum est, quomodo tanto tempore viuere potuerit, cùm tantæ libidini vacaret: hoc tamen accidit sibi, quia cùm esset sapientissimus in naturalibus, inquirebat omnia, quæ poterant adiuuare ad retardandum senectutem, & ad manendum vires, & assumebat ista Salomon. Vnde dato, quòd esset libido sua importuna: tamen conseruabatur propter adiutoria multa: alioquin fortè ante triginta annos mortuus fuisset: & tunc satis stat, quòd Salomon in senectute sua, id est, in anno quinquagesimo quinto, vel quasi, peruerteretur ad idola, & vocaretur tunc senex. Maximè, qa in scriptura homines quinquaginta annorum vocantur senes Nam Leuitæ in anno quinquagesimo licentiabantur à ministerio tabernaculi, scilicèt, quòd non ferrent onera cum alijs, tanquàm essent senes, Numer. 8. Cùm autem obijcitur de dicto Rabbi Sa. & Historiæ scholasticæ, & Iosephi, scilicet quòd Salomon in anno vndecimo, vel decimo, genuerit, & cœperit regnare in duodecimo: non est multum curandum, cùm repugnet scripturæ. Nam viuente Dauid erat Salomon vir discretus, quia suprà 2. dicitur: Vir sapiẽs es, & scies quid facies ei. Istud tamen non poterat dici puero 9. vel 10. annorũ: ergo erat ad minus quatuordecim, vel quindecim, & posteà coronatus est mortuo Dauid in secunda vice. Sed obijcietur, quòd Salomon, postquàm coronatus est mortuo Dauid, erat valdè puer: quia ipse dixit suprà 3. Ego sum puer paruulus, & ignorans egressum, & introitum meũ: & ex hoc volunt plurimi, quòd tunc esset duodecim annorum. Sed dicendum, quòd erat tunc viginti annorum, aut quasi. Dixit tamen se puerum, respectu populi magni, quem regere debebat; quia sicut puer paruulus non potest se ipsum regere: ita Salomon non poterat regere illum populum, præ defectu discretionis. Similiter etiam quicunque vocatur puer, qui paucæ discretionis est, vel habet desideria puerilia, etiam si magno tempore vixerit: & sic dicitur Isa. 65. Maledictus puer centum annorum: sic autem erat Salomon puer. Ponit simile Nicol. de Iosue; qui erat quadraginta trium annorum, & vocabatur puer, Exodi 33. Sed non est ad propositum, quia ibi accipitur puer, id est, seruiens: vnde vocatur puer Moysi, vel minister eius: Salomon autem vocatur puer, præ defectu discretionis. Sed obijcietur contra id, quod diximus, scilicet quòd non possit quis naturaliter gignere in decimo anno; quia Hieronym. in epist. ad Vitalem presbyterum asserit, quòd Salomon vndecimo anno genuerit Roboam, & duodecimo anno regnare incœperit. Ad hoc autem inducit exemplum de muliere nutriente paruulum, quem secum in lecto semper habebat; cumque esset puer decem annorum, & nutrix fuisset vino calefacta, induxit puerum ad carnalem copulam cum illa, & alijs noctibus sequentibus simile fecit: & sic de eo concepit: vnde post duos menses, apparuit vterus tumens. Sed dicendum, quod hoc non obstat. Nicol. enim soluit, quod Hieronymus nõ vult istum puerum potuisse gignere naturaliter: sed Deus

A
B
C
D
E
F
Opinio Nicolai.
Causa senectutis luxuria.
Salomõ quãdo coronatus est, erat 20 annorũ

A fecit ſupernaturaliter, quòd poſſit gignere, ad hoc, quòd occultũ facinus, in ſigno ſenſibili demonſtraretur: & ſic non eſt ad propoſitum, quia de Salomone dicitur, quod naturaliter nõ potuit gignere in vndecimo anno. Cùm autem Hieron. dicit, quod genuit anno vndecimo, & cœpit regnare anno duodecimo. Dicitur, quòd hoc non ponitur aſſertiuè, ſed iſtud non multum conſonat: ſatis enim patet poſitio, quòd ipſe velit in vndecimo anno genuiſſe Salomonem, & in duodecimo regnaſſe. Dicendum tamen, quod non contendimus, an puer in vndecimo anno poſſit generare, quia licèt regulariter hoc non accidat: tamen non eſt inconueniens, quòd fiat. Nec videtur omninò negandum, quòd aliquando taliter poſſit calefieri caro pueri, quod in vndecimo anno ſpermaticet. Sed dicendũ, quòd ſiue potuerit, ſiue nõ; conſtat tamen, quòd nõ genuit Roboam in anno 11. ſed iam haberet Salomon 17. vel 18. annos: cùm probatum ſit, quòd Salomon, antequàm moreretur Dauid, eſſet annorum ferè 20. & tamen Salomon genuit Roboam vno anno, antequàm regnaret. Quod patet, quia Salomon regnauit annis quadraginta infrà in litera; Roboam tamen ſucceſſit Salomoni, & quando cœpit regnare, erat annorum 41. infra 14. Ergo ſolùm vno anno natus eſt priùs: & ob hoc dicunt, eum regnaſſe anno duodecimo, & genuiſſe anno vndecimo, & tamen non regnauit anno 12. ſed erat ferè 20. annorum, vel plus: ergo non genuit Roboam anno vndecimo. Ad dictum autem Hieronymi dicendum, quod loquitur ſecundùm opinionem Hebræorum, & non eſt ſtandum ei. *Vt ſequeretur deos alienos.* Scilicet, Salomon intantum deprauatus eſt, quòd iam coleret idola. *Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor Dauid patris ſui.* Dicitur cor alicuius perfectum cum Domino, quando ſequitur Deum toto corde, & non inclinatur aliqualiter ad idola, vel ad aliquid Deo cõtrarium: & ſic erat cor Dauid, quia nunquàm ad idola inclinatus eſt: ſed toto deſiderio colebat Deum, licèt in quibuſdam alijs interdum peccaret. *Sed colebat Salomon Aſtarthem Deam Sidoniorum.* Scilicet, Faciebat ſacrificia iſtis idolis, & inclinabatur coram eis, ſicut Gentiles. Coluit autem Deam Sidoniorum, quia habebat vxores aliquas de Sidonijs, & illæ induxerunt eum ad colendum Deam ſuam, quæ vocatur Aſtarthem lingua Phœnica, & Hebraica. Apud Poëtas autem vocatur Iuno, quæ eſt vxor, & ſoror Iouis, quæ inter oẽs Deos Gentiles maximè celebratur: & fuit oriunda de inſula Samo, quæ eſt vna de Cicladibus, & ibi celebratæ ſunt nuptiæ Iouis, & Iunonis. *Et Chamos Deum Moabitarum.* Iſte erat Deus, qui in maxima veneratione habebatur apud Moabitas; & ſic vocantur Moabitæ populus Chamos, Numer. 21. Etiam dicitur Chamos pugnare pro Moabitis, & obtinere regiones pro illis, ſicut dixit Iepte Galadites; Nonne ea, quæ poſſedit Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Colebat autem Salomon iſtud idolum, quia habebat aliquas vxores
C Moabitidas. *Et Moloch idolum Ammonitarum.* Iſtud idolum eſt, cui immolabantur pueri viuentes, de quo Leuit. 20. Si quis dederit de ſemine ſuo idolo Moloch, morte moriatur. Dare autem de ſemine idolo illi, eſt dare aliquem filium ad occidendum ſecundùm cæremonias Moloch, de quibus declaratum eſt, eodem cap. Sic enim Rex Manaſſes tranſduxit filium ſuum per ignem, ſequenti libro, cap. vigeſimo primo. Et hoc fuit, quia crematus eſt coram idolo Moloch. Iſtud idolum aliquando vocatur Melchon, vt patet ſequenti libro, cap. 23. & 1. Paralipomenon 20. Nam dicitur, quòd Melchon erat idolum Ammon: coluit autem Salomon iſtud idolum propter mulieres Ammonitidas, quas habebat.

Puerũ in 11. anno poſſe generare.

An Salomon coluit idola, adorando illa vt Deos.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, an Salomon coluit idola, adorando illa, vt Deos. Reſpondendum, quòd Salomon verè exhibuit reuerentiam idolis, & fecit ſacrificia illis: tamen non exiſtimauit, quòd illa idola haberent aliquid Deitatis: erat enim Salomon ſapientiſſimus: ideo impoſſibile erat, quòd ipſe arbitraretur, aliquam Deitatem eſſe in rebus manufactis, potiſſimè, quia naturali ratione conuincitur, vnicum eſſe principem vniuerſi, qui eſt Deus, vt concludit Ariſtoteles 12. Metaphyſic. Et ille neceſſariò probatur eſſe incorporeus, vt probat Ariſtoteles de primo motore orbis, in fine 8. Phyſicorum. Si igitur Salomoni non auferretur omnis ſapientia, quam habebat, non poterat credere, aliquid Deitatis eſſe in iſtis idolis, quæ colebat. Et in hoc differebat Salomon ab vxoribus ſuis, & concubinis; quia illæ colebant idola, & credebant ea eſſe verè deos: Salomon autem colebat idola, faciendo ſacrificia, & alias cæremonias: tamen non exiſtimabat, aliquid Deitatis eſſe in illis idolis. Hoc autem faciebat Salomon, non tanquàm deſideraret colere illa idola, cùm ſciret ea nihil eſſe, ſed propter amorem mulierum, quia affligerentur nimis, ſi Salomon nollet condeſcendere deſiderio illarum: & quia Salomon tenerrimè amabat illas, non poterat ſuſtinere, quòd ipſæ anguſtiarentur: ideo propter eas colebat idola, & feciſſet quidquid, aliud iuberent. Sic enim fuit de Adam, & Eua. Nam dicente ſerpente ad Euam, quòd quacunque die comederent de arbore, aperirentur oculi eorum, & eſſent ſicut Dij; credidit Eua, quòd poterant eſſe ſicut Dij: ideo ſolicitauit virum, vt comederet: quia ipſa ſine viro, non audebat comedere, timens ne vir percuteret eam. Vir autem non credidit verbis ſerpentis, ſcilicet, quòd comedendo de fructu illo, efficerentur ſicut dij, ſed, vt non contriſtaret eam, quam nimis diligebat, comedit de fructu: ideo dicit Apoſtolus, Quòd mulier ſeducta eſt, ſcilicet credẽdo ſerpenti; vir autem non fuit
B ſeductus, ſcilicet, non credidit, vt patet 1. ad Timoth. 2. Mulieri autem docere non permitto, nec dominari in virum. Adam enim non eſt ſeductus: Mulier autem ſeducta in prauaricatione fuit. Sic enim ſæpè accidit glorioſis viris, qualis erat Salomon, quòd ad fœminas tenerrimos gerẽtes affectus, ad miniſteria ancillaria, & vilia ſæpè deuenerint. Sic ait Seneca Tragœdia quarta, cuius nomẽ eſt Hippolytus, de Hercule, qui propter amorem Ioles filiæ Regis Ætholiæ, ad ancillaria miniſteria ductus eſt: ita vt veſte fœminea indueretur, vt complaceret illi. Ita & Salomon ad quemcunq; actum, quantumcunque turpiſſimum deueniſſet, vt non contriſtaret delitias illarum mulierum. Sed ad cõdemnationem Salomonis ſufficiebat exhibere cultum illis idolis, dato quòd non putaret eſſe Deos: immò grauiùs ipſe peccabat, quàm vxores, & cuncubinæ ſuæ, quæ colebant idola, quia putabant illa eſſe Deos. *Fecitq; Salomon, quod non placuerat coram Domino.* Scilicet, Coluit idola, quod maximè Deo diſplicebat. Nam nullum peccatum eſt, quòd ita directè repugnet Deo: nec pro quo tantùm Deus iraſcatur, ſicut pro cultu idolorum. *Et non adimpleuit, vt ſequeretur Dominum.* Id eſt, Non compleuit cultũ Dei; & notanter dicitur, non adimpleuit; qa Salomon à principio cœperat colere Deum, ſuprà 3. Et in omnibus operib⁹ ſuis apparebat deuotio, hoc tamen non adimpleuit: quia in ſenectute ſua conuerſus eſt ad idola. *Sicut Dauid pater eius.* Scilicet, Dauid cœpit colere Deum à iuuẽtute ſua; & ſemper
F coluit, vſque ad mortem: nam in idolis nũquàm Dauid peccauit: ſecùs autem de Salomone. *Tunc ædificauit Salomon phanũ Chamos idolo Moab.* Multum enim exceſſit Salomon: nam non ſolùm coluit idola in ſecreto, propter vxores, & concubinas, ſed etiam fabricauit templa magna idolis illarum, tanquàm cultus idolorum eſſet licitus. Vocantur phana, ipſa templa dæmonum, & dicuntur à phanos, quod eſt apparere; quia ibi dæmones ſæpè apparebant, & loquebantur in ſtatuis idolorum: & ſic fallebant populum. *In monte, qui eſt contra Ieruſalem.* Id eſt, In monte Oliueti: eſt enim mons Oliueti apud Ieruſalem, per mille paſſus diſtans, Actu. 11. Et ibi erat Chriſtus cum diſcipulis ſuis, quando aſcẽdit in cœlum, eod. cap. In illo monte Salomon fecit templa pro idolis vxorum ſuarũ: & erant oĩa iſta templa in monte Oliueti ad dexteram partem eius, ſequen. lib. cap. 23. Vocatus eſt, ex hoc tempore, mons Oliueti Mons offenſionis, eo quòd propter idola, quæ erant in templis illius montis, offendebantur Iudæi, ſcilicet, quia inclinabantur ad colendum dæmones. Dicunt enim, quòd Iudæi exiſtentes in templo Salomonis ad ſacrificia, videbant eos, qui erant in monte Oliueti ſacrificantes idolis: & hoc nimis incitabantur ad colendum idola. Vel dicitur Mons offenſionis, quia Salomon offendit Deum, vel Deus offenſus eſt propter templa ibi ædificata. Manſerunt aũt templa iſta, toto tẽpore Salomonis, & Roboam filij ſui, & omniũ

D

E

An ornatus mulierum ſit illicitus.

Mons Oliueti Mons offenſionis.

regum

regum Iuda, vſque ad Ioſiam: ipſe enim deſtruxit illa, ſeq. lib. cap. 23. ſcilicet, Excelſa quoque, quę erant in Ieruſalem ad dextram partẽ Montis offenſionis, quæ ædificauerat Salomon rex Iſraël, & Aſtaroth idolo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon, polluit Rex. Et contriuit ſtatuas, & ſuccidit lucus. *Et Moloch idolo filiorum Ammon.* Etiam factum eſt templum Moloch, qui vocatur Melchon. *Atque in hunc modum fecit vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis.* Sicut fecit templa pro Chamos, & pro Moloch, dijs Moabitarum, & Ammonitarum: ita fecit pro omnibus alijs vxoribus ſuis alienigenis: nam pro idolis earum templa faciebat. Et dicitur vxoribus alienigenis: quia Salomon habebat aliquas vxores Iſraëlitas, & pro illis non faciebat templa, cùm illæ non colerent idola.

Quomodo Salomon potuit facere templa pro tot vxoribus.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, quomodo Salomon potuit facere pro vniuerſis vxoribus ſuis templa; quia, cùm ipſe haberet ſeptingentas vxores, & ferè omnes eſſent alienigenæ, deberet facere ſeptingenta templa; & ſic impleret totam terram Ieruſalem in circuitu templis. Aliqui reſpondent, quòd iſta templa ſolùm facta fuerunt pro vxoribus principalibus, quæ paucæ erant; pro alijs autem nullum templum factum eſt. Sed iſtud non ſtat, cùm dicat litera in hunc modum; Fecit vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis. Sed dicendum, quòd Salomon fecit templa pro omnibus vxoribus ſuis, id eſt, pro omnibus dijs vxorum ſuarum, & pro quolibet Deo fecit vnum templum: non tamen erant tot idola, quot vxores; quia omnes vxores Salomonis de terra Moab habebant vnum idolum, ſcil. Chamos: & omnes de terra Ammon habebant aliud, ſcilicet, Moloch, & ſic de cæteris. Quod patet, quia dicitur, quòd Salomon colebat Aſtarthem Deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moabitarum: & ſic de Sidonijs ſolùm colebat Aſtarthem, & de Moabitis ſolùm colebat Chamos, ſic erat de alijs Gentibus: tot igitur templa ſolùm faceret Salomon, quot erant Gentes de quibus habebat vxores. Erant autem iſtæ Ægyptiæ, Moabitidæ, Ammonitidæ, Idumææ, Sidoniæ, & Hethææ, vt patet ſupra. Ideo ſex templa ad plus faceret Salomon. Aliter poteſt dici, quòd Salomon faceret vnum, vel duo templa, & in illis, vel illo ponerentur Dij omnium vxorum ſuarum, in diuerſis altaribus: & ſic dato, quòd tot eſſent idola, quot vxores, poſſent capi in vno templo. Prima tamen reſponſio eſt melior; quia ſi hoc modo faceret Salomon, vt poneret duo, vel tria idola in eodem templo: ita poneret omnia in eodem, ex eadem ratione, & tamen falſum eſt, quia multa templa fecit: cùm dicitur ſequenti libro, cap. 23. Quòd Ioſias deſtruxit excelſa, quæ ædificauerat Salomon: ergo erant multa excelſa, vel templa. Etiam colligitur hic aliqualiter ex litera, cùm dicitur, quòd ædificauit phanũ Chamos idolo Moab: & quòd ſic fecit vniuerſis vxoribus ſuis alienigenis: ergo pro dijs quarumlibet templa ędificauit, ſed non erant vltra ſex. *Quæ adolebant thura.* ſcilicet, Iſtæ vxores Salomonis cremabant thura coram dijs ſuis, ſcilicet, dabant thura ſacerdotibus ſuis ad cremandum, quia ipſæ per ſe non cremabant. *Et immolabant dijs ſuis.* ſcilicet, Faciendo ſacrificia: dabant enim ipſæ animalia ſacerdotibus ſuis, quæ offerrent idolis pro eis. Iſta enim duo cæremonialia fuerunt communia apud omnes Gentes, ſcilicet, facere ſacrificium, & adolere thus dijs. Cæteræ autem cęremoniæ erant diuerſæ pro diuerſitate gentium, & Deorum. Vniuerſalitas autem iſtarũ duarum cæremoniarum prouenit ex communi conceptione omnium Gentium; quia omnes exiſtimauerunt iſtas duas cęremonias, præ excellentia ſua ſoli Deo competere.

Pœna cõminatie pro malis, q̃ fecerat Salomon.

Iratus eſt. Hic ponitur ſecundum huius capituli, ſcilicet, pœnæ comminatio pro malis, quæ Salomon fecerat; & dicitur: *Iratus eſt igitur Dominus Salomoni.* Accipiendo iraſci largè, eo modo, quo dicimus hominem iraſci, quando fit aliquid contra voluntatem eius. Vel dicitur Deus iraſci, id eſt, diſponi ad puniendum. *Quòd auerſa eſſet mens eius à Domino Deo Iſrael.* ſcilicet, Cauſa iræ Dei fuit, quia Salomon à principio cœperat Deum colere: nunc autem omnino deprauata erat mẽs ſua, ad colendum idola. *Qui apparuerat ei ſecundò, & præceperat de verbo hoc, ne ſequeretur deos alienos.* In hoc ſignificatur grauitas peccati Salomonis, ſcilicet, quia Deus pręmonuerat eum, ne coleret idola, alioquin quòd daret eum, & populum Iſraël in opprobrium cunctis Gentibus: ſed hoc non obſtante, coluit idola. Iſta præmonitio facta eſt, quando Deus apparuit ei ſecundò, ſcilicet, poſt ædificationem templi, & domus ſuæ, quod fuit anno vigeſimoquarto regni ſui, vt declaratum eſt ſupra 9. Tunc enim Deus apparuit ei ſecundò, vt dicitur eodem cap. ſcilicet, Quia apparuerat prius in Gabaon, & tunc apparuit ſecunda vice: de illa tamen declaratum eſt, quòd nõ erat ſecunda, ſed tertia, ſupra 9. *Et non cuſtodiuit, quæ mandauit ei Dominus.* ſcilicet, Non cuſtodiuit legem Dei, in qua iuſſerat Deus, quòd ambularet corde perfecto, ſicut ambularet pater eius, ſupra 8. & 9. *Dixit itaq; Dominus Salomoni.* Iſta fuit comminatio pro delictis Salomonis.

Quomodo Deus locutus eſt Salomoni.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR quomodo Deus dixit iſta Salomoni. Reſpondendũ, quòd poterat ei dicere, apparendo in ſomnijs, ſicut apparuit in Gabaon, & ſicut iterum apparuit conſummato templo, & domo ſua; ſed non ſic dixit: quia Salomon erat iam indignus, vt Deus ſibi appareret. Nam dum ipſe fuit deuotus in timore Dei, Deus apparebat ſibi, & loquebatur, ſupra 3. & 6. & 9. Nunc autem mens ſua erat omnino auerſa à Deo, ideo Deus non dignatus eſt ei apparere: ſed per Prophetam aliquem locutus eſt ei: & fortè fuit iſte Propheta Ahias Silonites, qui poſtea prædixit Ieroboam, quòd futurus eſſet Rex ſuper decem tribus Iſraël, infra in litera. Sciendum autem, quòd iſta locutio Dei non fuit immediatè, vt Salomon cœpit colere idola: quia fuit iſta prænunciatio ſecundùm firmam Dei ſententiam: & tamen ſi Salomon ſolùm peccauiſſet ſemel, vel rarò in idolis, & poſtea conuerteretur ad Dominum, non immiſiſſet Deus iſtam diuiſionem Regni in pœnam. Ideo dicendum, quòd iam aliquanto tempore peccauerat Salomon in cultu idolorum, & erat obſtinatus in illo: ideo tunc Deus fulminauit contra eum iſtam ſententiam: *Quia habuiſti hoc apud te.* ſcilicet, Habuiſti idola in Regno tuo, & fabricaſti illa, atque coluiſti, & habuiſti vxores, quæ colerent ea. *Et non cuſtodiſti pactũ meum.* ſcilicet, Legem meam. Vocatur enim lex Moyſi pactum, eo quòd data eſt per modum pacti, ſcilicet, quia Iſraëlitæ obligauerunt ſe, ad ſeruandum illam, & Deus promiſit, quod benefaceret eis ſpecialiter, & acciperet eos in populum peculiarem, dum illam ſeruarent, Exodi 19. Etiam ſicut pacta, quæ vocantur fœdera, iniuntur inter homines, mediante ſanguine: ita lex Moſaica confirmata eſt in ſanguine, Exodi 24. de quo declaratum eſt ſupra 8.

Et præcepta mea, quæ mandaui tibi. Iſtud poteſt intelligi de aliquibus præceptis, quæ Deus ſpecialiter mandauit Salomoni, quando apparuit, vel locutus eſt ei. Nam ter locutus fuit Deus Salomoni, cùm adhuc eſſet bonus, ſupra 3. & 6. & 9. Vel intelligitur de ipſis prȩceptis legis Moyſi: & tunc ſuperabundans ſententia. *Diſrumpens ſcindam regnum tuum.* Non dixit auferam, quia non totaliter ablatum eſt regnum ſtirpi Salomonis, ſed quædam pars relicta eſt: Nam fuit diuiſum in duas partes, ſcil. duæ tribus ad vnam partem, & decem tribus ad aliam. *Et dabo illud ſeruo tuo.* ſcil. Partem vnã; quia non debebat totũ regnum dari illi, cũ diuideretur in duas partes. Iſte ſeruꝰ erat Ieroboam: nam Salomon conſtituit eum in quibuſdam operibus domus ſuæ, ſcilicet, ſuper tributa domus Ephraim, & Manaſſes. *Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum.* Id eſt, Quamquam tu merearis diuiſionem regni: tamen non fiet in diebus tuis, ſed in diebus filij tui: & hoc propter Dauid patrem tuum, ſcilicet, ne inferatur ei tantum dedecus.

Quomodo propter Dauid non fuit regnum diuisum tempore Salomonis.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR quomodo dicitur, quòd propter Dauid non fuit regnum diuisum tempore Salomonis: quia si propter Dauid fuisset, cùm etiã Roboam esset de stirpe Dauid, sicut Salomon, non fuisset regnum diuisum in diebus eius, nec etiam in diebus alicuius de posteris Dauid. Aliqui respondent, quòd Salomon fuerat vnctus in Regem, viuente Dauid, & mandato eius, supra 1. cap. Si autem scinderetur regnum tempore Salomonis, putaretur quòd hoc euenisset ex culpa Dauid: ideo vt non attribueretur sibi aliquid sceleris, non fuit in diebus Salomonis. Aliter potest dici, & rationabilius, quòd Dauid fecerat Salomonem vngi in Regem: & erãt tunc alij maiores filij Dauid, scilicet, Adonias, & alij, quibus ex iure primogenituræ pertinebat regnum, & non Salomoni; Dauid tamẽ iussit Salomonem regnare, priuando illos iure regni, supra 1. Ideo si in diebus Salomonis scinderetur regnum, putarent aliqui Israëlitæ, quod ex hoc Deus priuabat Salomonem regno, quantum ad maiorem partem, quia Dauid instituerat eum in Regem iniustè, priuando alios filios, quibus competebat ex iure primogenituræ: ideo fuit in diebus Roboam. Aliter autem & adhuc melius dicendum, quòd istud fuit ad honorẽ Dauid: nam Dauid regnauerat immediatè ante Salomonem, & videbatur adhuc viuere per famam. Vnde prosperitas, vel aduersitas, quę eueniret Salomoni, videretur euenire Dauid. De prosperitate patet, quia supra 8. dicitur, quòd totus populus ibat gaudens super bonis, quæ Deus fecerat Dauid, & populo suo Israël: & tamen ista erant bona, quæ collata fuerunt Salomoni, scilicet, quòd ad tantam gloriam, & excellentiam veniret, quod ædificaret tẽplum tam celebre, vt colligitur ibidem: & ista bona dicebantur esse facta Dauid, quanquàm essent facta Salomoni: ita ergo esset de aduersitate, scilicet, quòd quæcunque aduersitas Salomoni eueniret, dicitur aduenire Dauid: & ex hoc macularetur aliqualiter fama fœlicitatis Dauid: ideo non debuit esse diuisio tempore Salomonis. Cùm autem arguitur, quòd eodem modo nunquam debuisset esse diuisio tempore posteritatis Dauid. Dicendum, quòd non est simile: quia secundùm quod Aristoteles declarat 1. Ethicorum, cap. Pronepotum autem fortunas. Prosperitates pronepotum, & amicorum, vel infortunia eorum conferunt defuncto ad augmentum fœlicitatis, vel diminutionem. Est tamen multiplex differentia in hoc secundùm magnitudinem, & paruitatem, & secundùm paruum tempus, & multum. Nam ea, quæ accidunt amicis, vel cognatis defuncti, modico tempore post mortem eius, videntur accidere ipsi defuncto viuenti: ideo multum conferunt in opinione humana ad eius fęlicitatem, vel infœlicitatem: sed ea, quæ longo tempore accidunt post mortem, videntur nihil conferre defuncto; eo quòd memoria eius iam antiquata est: ita igitur tempore Salomonis memoria prosperitatis Dauid erat valde recens: & si nunc scinderetur regnum, videretur redundare in magnam denigrationem fœlicitatis Dauid: cùm autem fieret hoc tempore Roboam, non tantùm pertineret infœlicitas huius diuisionis ad Dauid. Aliter potest dici, & satis conuenienter, quòd cùm pater secundùm iura censeatur eadem persona cum filio successore, & secundùm naturam sit aliquo modo idem ei: quia filius est pars patris, qui aliquando fuit substantia patris, 8. Ethicorum: Infœlicitas, vel prosperitas filij est ipsius patris: ideo si Salomoni accidisset ista calamitas, videretur accidisse ipsi Dauid. Si autem accideret Roboam, cùm Salomon esset pater eius, videretur accidisse Salomoni, & non Dauid, & hoc fuit conueniens: quia tam Salomon, quàm Roboam peccauerunt; Dauid autem non peccauit in hoc: ideo ad illos duos debuit pertinere ista aduersitas.

Quomodo Deus reliquit quandam partem regni Roboam propter Dauid.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo Deus voluit, quòd tempore Salomonis non fieret diuisio ista propter Dauid; & voluit, quod fieret tempore Roboam, tanquam malum illius non pertineret ad Dauid; & tamen dicitur infra in litera, & infra 15. quòd Deus reliquit quandam partem regni Roboam, & posteris eius propter Dauid? Respondendum, sicut supra dictum fuit, quòd infortunia, & eufortunia amicorum & pronepotum pertinent ad ipsos morientes: sed multiplex differẽtia est in hoc: quia quædam sunt ita magna, quod multum de statu eorum videntur alterare: alia autem sunt ita parua, quod nihil ad defunctos videntur pertinere. Ita etiam secundùm differentiam temporis fit, quòd aliqua pertinent ad defunctos, si pauco tempore post mortem fiant: alia autẽ tanto tempore post mortẽ defuncti fieri poterunt, quod nullo modo videbuntur pertinere ad eos: tunc autẽ si aliqua sint parua infortunia, & accidãt magno tempore post mortem alicuius, non videntur pertinere ad eum: si tamen sint magna infortunia pronepotum, vel amicorum, dato quod accidant magno tempore post mortem, multum conferunt ad denigrandum statum ipsorũ morientium in opinione nostra. Sic autem erat de istis duabus mutationibus. Nam quòd posteritas Dauid careret quadam parte dominij, dum tamen maneret in statu regio, erat quidem aduersitas, sed nõ valde magna, comparando ad alias. Quòd tamen omnino careret posteritas Dauid regno, deueniens ad vitam priuatam, erat extrema calamitas: ideo dato quod accideret ista multo tempore post mortem Dauid, pertineret nimis ad denigrandũ fœlicitatem suam in opinione hominũ. Quòd autem regnum diuideretur, si magno tempore post mortem Dauid fieret, videretur nihil immutare de statu Dauid: ideo propter Dauid debuit Deus facere, vt nunquã cessaret regnum omnino de posteritate sua: & tamen non oportuit, quod faceret, quòd nunquã diuideretur: sed satis erat, quod non diuideretur pauco tempore post mortem, scil. tempore Salomonis. *De manu filij tui scindam illud.* scilicet, Diuidam illud tẽpore filij tui, scilicet, quando ipse debuerit assumi in regem. Nam conueniẽtibus Israëlitis ad assumendum Roboam in regem, diuisum est regnum, vt patet sequenti cap.

Propter quem facta est diuisio Regni.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR, propter quem facta est diuisio Regni, an propter Salomonem, vel propter Roboam? Aliquis dicet, quod propter Salomonem: quia hic dicitur, quòd ex eo quod coluit idola, scindetur regnum. In contrarium videtur, quod fuerit propter Roboam: quia omnes Israëlitę volebant sumere Roboam in Regem, dixeruntq; ei: Minue paululum de iugo, quod imposuit nobis pater tuus, & seruiemus tibi. Ipse autem respondit, quod grauaret eos plus quàm pater suus: & ob hoc Israëlitæ concitati animo, recesserunt ab eo. Si autem Roboam voluisset respondere blandè Israëlitis, mã sissent cum eo, dato quòd peccasset Salomon: ergo Regnum fuit diuisum propter Roboam, & non propter Salomonem. Respondendum, quòd diuisio regni fuit pœna data à Deo posteritati Salomonis, & fuit propter peccatum: non quidem propter peccatum Roboam, vel aliorum posterorũ Salomonis: sed propter peccatum ipsius Salomonis, quod patet hic, scilicet, Quia non custodisti pactum meum, disrumpens scindam regnum tuum. Non dicitur aliquid simile de Roboam. Item dicitur: Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: ergo videtur, quòd si non fuissent merita Dauid, quòd in diebus Salomonis fuisset diuisum regnum: pœna tamen nunquam datur ante peccatum: ergo non erat peccatum Roboam, propter quod diuisum est regnum, sed peccatum Salomonis. De Roboam autem dicendum, quòd ipse non promeruit diuisionem regni: quia post mortẽ Salomonis non legitur, quòd Roboam fecerit aliqua magna

Diuisũ est regnũ propter peccata Salomonis.

magna mala, vt colere idola, vel similia, antequam eligeretur in Regem: ideo dato quòd verba illa stulta, quæ locutus est, essent aliqualiter promeritoria ad hoc, quòd ipse priuaretur regno, vel parte eius: non erant tamen promeritoria, quòd sua tota progenies priuaretur regno: quia ista verba non erat valde magnæ culpæ coram Deo, pro quibus Deus vellet diuidi regnum Israël: ista tamen diuisio à Deo facta est: nã ipse iussit, quòd nõ pugnarent viri Iuda, & Beniamin pro diuisione regni contra decem tribus, quia voluntate eius facta fuerat ista diuisio, seq. cap. Cùm autem obijcitur, quòd si Roboam non respondisset verba tam dura populo, dato quod peccauisset grauiter Salomon, non diuisum fuisset regnum. Respondendum, quòd peccata Salomonis promeruerãt sentẽtiam Dei de diuisione regni: ideo necesse erat regnum iam diuidi: ad hoc autem debebat quæri aliquis modus, aut occasio: & sic verba Roboam non fuerunt promeritoria diuisionis, sed solùm fuerunt occasio eius. Item dicendum, quòd dato, quòd Roboam non respondisset durè populo, facta fuisset diuisio regni: quia saltem sequeretur ex hoc, quòd nõ fuisset facta diuisio pro tunc, quando venerunt Israëlitæ ad eligendum Roboam: & tamẽ aliam occasionẽ inuenisset Deus postea, per quam priuaretur Roboam regni parte. Item dato, quòd Roboam nunquam egisset aliquid, propter quod tempore suo diuideretur regnum, & non diuideretur: tamen saltem tempore successorum suorũ diuideretur: iam tamen necesse erat diuisionem fieri tempore Roboam: eo quòd Deus dixerat, quòd tempore eius scinderetur regnum. Et dicendũ, quòd licet immediatè verba stulta Roboam præbuerint causam diuisioni regni: tamen permissus est Roboam ista verba stulta dicere à Deo, propter peccatum Salomonis: nam si Salomon non peccasset, Deus conseruasset Roboam, ne talia loqueretur, & non diuideretur regnum: quia tamẽ peccata Salomonis promeruerant diuisionem, & Deus volebat illã tempore Roboam facere, excæcauit eum, permittẽs cadere in talem insipientiam, vt loqueretur populo durè. Sic enim dicimus, quòd interdũ merito vnius peccati, permittitur homo cadere in aliud, quasi destitutus auxilio diuino: & sic vnũ peccatum interdũ est alterius pœna. *Nec totum regnum auferã.* scil. Nõ auferam oẽs duodecim tribus: quia tunc posteritas Salomonis careret regno. *Sed tribum vnam dabo filio tuo.* scilicet, Dabo ei tribum Beniamin. *Propter Dauid seruum meum.* q.d. Peccata tua promerentur, quod totum regnum auferretur à stirpe tua: & tamẽ quia progenies tua est progenies Dauid, propter eum non auferam totaliter regnum filijs tuis. Quomodo autem decebat, quòd propter Dauid non priuaretur regno omninò posteritas Salomonis, declaratum est supra in quadam quæstione. *Et Ierusalem quam elegi.* Id est, Etiam propter Ierusalem nõ transferam regnum totaliter à stirpe tua, vt maneat honor in ciuitate Ierusalem.

Quæst. 18.

Quomodo dicitur tribum vnam dabo filio tuo.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR, quomodo dicitur hic: Sed tribum vnam dabo filio tuo: quia videtur, quod dederit ei duas tribus scilicet, tribum Iuda, & Beniamin. Quod apparet ex Prophetia Ahiæ Silonitæ, qui diuisit pallium in duodecim scissuras, & dedit decem ipsi Ieroboam, & manserunt duæ pro Roboam, infra in litera. Item dedit Deus Roboam tribum Leui. Nam omnes Leuitæ videntes, quòd Israëlitæ conuersi essent ad idola, recesserunt de tribubus decem Israël, & venerunt ad regnum Iudæ, in quo colebatur adhuc Deus, vt colligitur sequenti cap. Respondendum, quòd Roboam, & posteri sui habuerunt semper duas tribus Israëlis post diuisionem regni, scilicet, Iuda, & Beniamin. Leuitæ autem omnes, licèt fuerint in regno Iudæ: tamen habendo eos, non dicebatur habere Roboam aliquam tribum, eo quòd Leuitæ non computabãtur, vt vna tribus Israël; eo quòd non habebant possessionem inter Israëlitas, Deut. 18. Tribus tamẽ denominatur à possessione, quam habet. De alijs autem duabus tribubus Iudæ, & Beniamin dicendum, quod semper manserunt posteris Dauid: tamen dicitur Deus dedisse vnicam tribum, scil. tribum Beniamin; eo quòd tribus Iuda non data est filijs Dauid; eo quòd ipsi habebãt eam de se, cùm essent de tribu illa, & nunquam ipsa relictura esset reges suos: sicut tempore Dauid sola tribus Iuda habebat Dauid in Regem, præced. lib. ca. 2. & 3. Tribus autem Beniamin nõ pertinebat ex propinquitate cognationis ad filios Dauid, & tñ mansit cũ eis: ideo ista sola dicitur eis data. Hoc satis patet, quia Ahias diuisit pallium in duodecim partes, & dedit decem Ieroboam: & dicitur, quod dedit vnam ipsi Roboam: & tamen manifestum est, quòd si non dedisset ei, nisi vnam, mansisset alia tribus, quæ sub nullo Rege esset, scilicet, nec sub Roboam, nec sub Ieroboam. Sed falsum est: ideo dicendum, quod duæ tribus manserunt cum Roboam, cùm solum decem habuerit Ieroboam: & tamen vna istarum duarum dicitur data, & alia non.

Quare dixit Deus, quòd propter Ierusalem, quam elegit, reliquit vnam tribum domui Dauid.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo dicitur, quòd propter Ierusalem, quam elegit Dominus, reliquit vnam tribum domui Dauid.

Sciendum, quòd Deus dicitur elegisse Ierusalem, scilicet, vt esset in ea templum, vt patet 2. Paralipom. 6. scilicet, A die qua eduxi populum meum de terra Ægypti, non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Israël, vt ædificaretur in ea domus nomini meo: sed elegi Ierusalem, vt sit nomen meum in ea. Aliqui dicunt, quod propter Ierusalem relicta est vna tribus, id est, propter bonum opus, quod fecit Salomon ædificando templum in Ierusalem. Sed istud non conuenit: quia dicitur propter Ierusalem, quam elegi: & non dicitur propter te, vel propter opus, quod feciſti in ea. Aliquis dicet, quod fuit hoc propter Ierusalem, id est, propter templum Domini, quod ibi erat, vt coleretur ibi Deus; quia omnes decem tribus, quæ fuerunt sub Ieroboam, coluerunt idola, scilicet, vaccas Bethel, & Dan, sequenti cap. Si autem totus Israël fuisset traditus Ieroboam, omnes conuersi fuissent ad idololatriam, sicut decem tribus, & non colerent Deum in templo, quod fecerat Salomon: ideo vt maneret aliquis cultus Deo in Ierusalem, voluit quod manerent istæ duæ tribus in regno Iudæ. Sed dicendum, quod non stat, quia si omnes tribus fuissent datæ Ieroboam, & nõ maneret aliqua in potestate Roboam, non conuerterentur omnes ad idololatriam: sed potius illæ decem, quæ conuersæ fuerunt ad idola hoc fecerunt, ex timore duarum tribuum regni Iudæ. Nam Ieroboam timẽs, quòd si decem tribus, quæ acceperant eum in Regem, irent ter in anno, iuxta mandatum legis ad templum Domini in Ierusalem, ibi reconciliarentur regi Roboam, quia Ierusalem erat in terra Roboam; & tunc desererent eum, redeuntes ad dominium progenici Dauid, sicut prius erant: ideo, vt ipse non priuaretur regno, fecit duos vitulos aureos in Bethel, & in Dan, vt colerent Israëlitæ illos, & non irent in Ierusalem, & sic perpetuaretur ei regnum, sequenti cap. Si autem totus Israël datus fuisset Roboam, cùm nullum haberet competitorem in regno, permitteret Israëlitas colere Deum in Ierusalem: & sic non esset occasio ad hoc, quòd conuerterentur aliqui Israëlitæ ad idola. Dicendum igitur, quòd propter Ierusalem Deus voluit manere vnam tribum posteritati Dauid, quia Deus elegerat illam ciuitatem, & volebat eam nobilitare super omnes vrbes Israël: erat autem nobilitas eius; quia erat ibi sedes regni tempore Dauid, & etiam filiorum suorum. Si autem daretur Regnum ipsi Ieroboam totaliter, non maneret sedes regni in Ierusalem: quia cùm ipse Ieroboam esset Ephrathæus, faceret sibi sedem regni in tribu Ephraim, in aliqua de ciuitatibus eius, & non in Ierusalem, quæ tenebatur à filijs Iuda, & sic maneret Ierusalem, priuata honore Regni. *Suscitauit.* Hic ponitur tertium huius capituli, scilicet, Aduersariorum suscitatio. Fuerunt autem tres aduersarij suscitati contra Salomonem, scilicet, Adad Idumæus, & Razon filius Eliada, & Ieroboam Ephrathæus. De secundo ibi. *Suscitauit quoque.* Tertium ibi. *Ieroboam quoque.* Circa primum considerandum, quòd Adad Idumæus fuit hostis Salomonis, hoc modo. Nam Dauid pugnauit contra Idumæos, & occidit multos illorum: reliquos autem subiecit tributo, posuitque præsidium in Idumæa, præcedenti libro, capite octauo. Tunc Adad, qui erat de semine Regum Idumæorum

Aduersariorũ Salomonis suscitatio.

A fugit deinter cæteros, qui occidebantur, & venit in Ægyptũ, mansitque cum Rege Ægypti, accepitque sororem vxoris illius in vxorem: postea autem audito, quòd mortuus esset Dauid, & Ioab princeps militiæ, redijt, vt aduersaretur regno Israël, & coniunctus est Razon filio Eliada, & ambo impugnabant Israëlitas. *Suscitauit quoque Dominus aduersarium Salomoni.* Erat enim Salomon nequissimus: ideo licèt noluerit Deus, viuente illo, diuidere Regnum propter Dauid; tamen ne omninò videretur sibi impunitus, & gauderet in malitia sua, dedit ei hostes, qui inuaderent regnum eius, & ipse non posset sufficienter tollere mala, quæ illi infligebant Israëlitis.

Quomodo Deus suscitauit hostes Salomoni.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR, quomodo Deus suscitaret hostem Salomoni?

Respondendum, quòd cùm omnia, quæ geruntur apud nos, ex prouidentia Dei fiant, necesse est, quòd siue bona, siue mala sint, sub prouidentia cadant: & hoc modo de quolibet malo nostro dici potest, quòd Deus illud agit, dum tamẽ non sit malum culpæ: sic dicitur Amos 3. Non est malum in ciuitate, quòd Dominus non fecerit. Quædam tamen sunt, quæ specialius Deus agere dicitur, quàm alia. Sic autem fuit hic in suscitando hostes Salomoni: quia iste Adad Idumęus, B qui fuit primus hostis, erat in terra Ægypti in magna gloria, & nihil causæ erat ad hoc, quod veniret de terra Ægypti: nisi quia Deus cõmouit cor eius, vt veniret, & inuaderet terram Israël: & ob hoc litera describit prosperitatem eius in Ægyptum, vt ostendatur, quòd non recesserit inde propter defectum alicuius rei, quam alibi habere posset: sed quia Deus cõmouit eum, vt aduersaretur Salomoni. Sic enim fuit de alijs hostibus, quos Deus suscitauit Salomoni. Isto modo sæpè dicitur Deus suscitasse hostes Israëlitis, sic patet Iudicum 3. scilicet, Cõfortauit Dominus aduersus eos, Eglon Regem Moab: quia fecerunt malum, & copulauit ei filios Ammon. De isto motu Dei, quo mouet aliquẽ ad aduersandum alteri, declaratum est satis ibi. *Adad Idumæum de semine regio.* Iste Adad erat de stirpe Regali Regum Idumęorum, & fugit in Ægyptũ, vt patet infra. *Qui erat in Edom.* Potest intelligi de tempore, quo Dauid iuit ad persequendum Idumæos: nam iste erat ibi & fugit in Ægyptum. Vel potest intelligi, & melius de tempore, quo persequebatur iste Adad Salomonem, scilicet, quia tunc erat in Edom. Nam audita morte Dauid, reuersus est in terram suam, petita licentia à Rege Ægypti, cui dixit: Dimitte me, vt vadam in terrã meam. *Cùm enim esset Dauid in Idumæa.* Hic enarratur modus, quo iste Adad persecutus est Salomonem, & habuit ortum ex tempore, quo erat Dauid in Idumæa, scilicet, quia iuerat ad subijciendum eam sibi. *Et ascendisset Ioab princeps militiæ ad sepeliendum eos, qui fuerant interfecti.* C scilicet, Dauid occidit multos in terra Edom, & Ioab iuit ad sepeliendum eos. Istam humanitatem exhibuit Dauid Idumæis, quam alijs gentibus non exhibebat: nam cum occideret Philisthinos, & alios Chananæos, nõ sepeliebat eos. Idem etiam cùm occideret Moabitas, vel Ammonitas, licèt non essent de Cananæis: Idumæos autem occisos sepeliebat. Et ratio erat, quia Israëlitæ non tenebantur exhibere aliquam humanitatem Chananæis: sed potius tenebantur eis aduersari per omnem modum, cùm accepturi essent terram eorum. De Moabitis autem, & Ammonitis dicendum, quòd etiam istis non tenebãtur exhibere humanitatem: sed potius debebant persequi illos; quia Deus iusserat, quòd nunquàm quærerent eis bona, nec haberent pacem cum illis, Deut. 23. De Idumæis autem dictum erat: Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, nec Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius. Ob hoc igitur, cùm Dauid pugnasset sæpè contra Philisthinos, supra 1. libro, cap. 18. & 19. & 23. & præcedenti libro, cap. 5. & 8. & contra Moabitas, eodem cap. & contra Ammonitas, eodem libro, cap. 10. & 12. Non legitur, quòd aliquos istorum sepelierit: De Idumæis autem dicitur quòd sepeliuit eos. *Et occidisset omne masculinum in Idumæa.* Id est, Occidit omnes masculos, qui erant in ciuitatibus, quæ repugnauerunt Dauid.

* * *
* *

Quomodo Ioab occidit masculos Idumææ. D

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRETVR quòmodo Ioab occidit omnes masculos Idumææ, & an licuit sibi? Aliquis dicet, quòd non occidit omnes; quia præcedenti libro, cap. 8. dicitur, Quòd facta est omnis Idumæa seruiens Dauid sub tributo: si tamen Ioab occidisset omnes Idumæos, non esset aliquis tributarius. Respondendum, quòd Ioab non occidit omnes masculos Idumæos, sed solùm occidit multos eorum: quia interdum ponuntur omnes pro multis. Sciendum tamen, quòd non accipitur hic omnis, sicut in alijs locis Scripturę: sed omnis distribuit vniuersaliter, non pro omnibus Idumæis, sed pro omnibus, qui erant in ciuitatibus resistentibus Dauid. In quo sciendum, quòd Dauid habuit iustam causam pugnandi contra Idumæos, vt declaratum est præcedenti libro, cap. 8. Ibat autem ad ciuitates Idumæorum, offerens cuilibet earum per se pacem, ita vt aperirentur ei portæ, & seruiret ciuitas sub tributo sibi. Aliquæ autem vrbes nolebant eum accipere, & contra illos pugnauit Dauid: cumque cepisset eas, occidit omnes masculos gladio, prętęr paruulos. Aliæ autem ciuitates Idumæorum videntes vastationem, quam faciebat Dauid, sine bello susceperunt pacem, quam ipse offerebat, & seruierũt ei sub tributo. Et sic intelligitur, quod dicitur præcedenti libro, cap. 8. scilicet, Quòd Dauid occidit plurimos in Idumæa, & postea facta est omnis Idumæa seruiens ei sub tributo. Cùm autem obijcitur, an Ioab licitè potuit hoc facere. Dicendum, quòd sic, quia Deuteronom. 20. ponuntur duæ regulæ de modo pugnandi Israëlitarum contra Gẽtes. Prima est, quòd quando pugnarent contra Chananæorum septem populos, non permitterent aliquem eorum viuere sub tributo, aut aliqua alia conditione, sed omnes occiderent in ore gladij. Secunda est, quòd quando pugnarent contra alias Gentes accedendo ad ciuitates earum, offerrent eis pacem: & si aperirent portas, nullum poterant Israëlitæ occidere, nec capere prædam, sed solùm subijciebant sibi populum in tributarium. Si autem non aperirent portas pugnabatur contra illos, & occidebantur omnes, qui erant in ciuitate, præter paruulos, & fœminas. Sic autem fuit in Idumęa: quia Dauid habuit iustam causam pugnandi, & multi Idumæorum non susceperunt pacem oblatam: ideo occidit omnes masculos illarum ciuitatum. *Sex enim mensibus ibi moratus est Ioab, & omnis Israël, donec interimerent omne masculinum in Idumæa.* Erat enim Ioab Princeps militiæ Dauid, & cum eo erat totus Israël, id est, omnis exercitus Israëlitarum. Fuit etiã ibi Abisai frater Ioab, qui etiam fecit magna bella in Idumęa, vt patet 1. Paralipomenon 18. Nam dicitur, quòd occidit decem & octo millia: quia tamen Ioab erat Princeps, de ipso fit mentio principaliter. *Fugit Adad ipse, & viri Idumæi de seruis patris eius cum eo.* Erat enim Adad de semine Regio, vt dictum est, & mortuo patre eius, qui erat vir magnus, serui eius, qui erant multi, acceperunt Adad puerum paruulum, & fugerũt cum eo. *Vt ingrederentur Ægyptum.* Illuc fugerunt, quia Ægyptus est propinqua regno Idumæorum: nam nihil mediat inter Ægyptum, & Idumæam, nisi deserta Arabiæ: vnde Israëlitæ, quando veniebant de Ægypto per Arabicas solitudines, vt ingrederentur terram Chanaan, accesserunt ad terram Edom, vt permitteretur illis transitus per Cadesbarne; & non fuit permissus, vt patet Numerorum 20. *Erat autem Adad puer paruulus.* Istud ponitur ad significandum, quomodo poterat Adad nunc persequi Salomonem circa finem vitæ suæ: quia esset iam Adad valde senex. Quod patet, quia bellum Dauid contra Idumæos factum est, non multis annis, postquàm fuit Rex Israël, præcedenti libro, cap. 8. Et sic transirent ad minus viginti anni de regno Dauid post istud, vsque ad mortem Dauid. Nam Dauid quadraginta annis regnauit: Salomon etiam regnauit alijs quadraginta annis, infra in litera: Et hostilitas ista Adad contra Salomonem fuit circa finem Regni Salomonis, cùm dicatur supra in litera quòd in senectute sua deprauatus est: ideo transirent quasi sexaginta anni, à tempore quo Dauid fecit illud bellum contra Idumæos, & fugit Adad in Ægyptum, vsque ad tempus quo nunc persequeretur Salomonem: & sic si Adad erat vir, quando fugit in Ægyptũ, E

Regula de modo pugnandi Israelitarum.

F

scilicet,

A

ſcilicet, viginti quinque annorum, aut plurium, eſſet nunc quaſi nonaginta annorum: & ſic non poſſet pugnare, vel iam eſſet mortuus: ideo dicitur hic, quòd erat paruulus, quia fortè erat quinque vel ſex annorum, quando ductus eſt in Ægyptum: manſitque ibi, quamdiu vixit Dauid, & interim factus eſt vir, accepitque vxorem. Poſtquàm verò mortuus eſt Dauid, & Ioab, reuerſus eſt Adad in terram ſuam: & tunc fortè eſſet triginta annorum. Deinde ſemper perſecutus fuit Iſraëlitas, tempore Salomonis, & tamen perſecutio ſua modicum lædebat Iſraëlitas à principio, quando erat Salomon bonus: poſtquàm verò cœpit eſſe malus, prævaluit Adad ad nocendum Iſraëlitis. Et ob hoc, quamquàm ferè toto tempore Regni Salomonis, Adad fuerit hoſtis eius, non fit mentio de illo, niſi nunc in ſenectute Salomonis, poſtquàm peccauit: quia tunc ſuſcitauit Deus Adad, & dedit ei vires ad prævalendum, & inquietandum Iſraëlitas: & nunc iam in ſenectute Salomonis, eſſet etiam ipſe Adad annorum ferè ſexaginta, quaſi coætaneus Salomoni: & ſic potuit aduerſari ei. *Cumq; ſurrexiſſent de Madian, venerunt in Pharan.* Iſte eſt proceſſus illorum, qui portabant paruulum Adad. Nam fugerunt primò de terra Edom, in qua natus erat Adad, & in qua erat tunc Ioab occidens Idumæos: & venerunt in terram Madian. Eſt enim terra Madian apud terram Indon, & vtraque eſt coniuncta ſolitudini Arabicę, & circa Ægyptum. De Madian patet, quia Moyſes cuſtodiebat oues Iethro ſoceri ſui in terra

Adad quò latus fuit in Ægyptum.

B

Madian, Exod. 30. Et cùm quadam die cuſtodiret illas, introiuit in deſertum, & venit in mõtem Sinai: & ibi vidit rubum ardentem, eodem cap. Ergo erat mons Sinai prope Madian: & tamen mons Sinai erat in via, per quam Iſraëlitæ venerunt de Ægypto per ipſas ſolitudines Arabicas. De terra autem Madian iuerunt viri iſti in montem Pharan. Eſt enim Pharan quidam mons in latere Meridiano terræ Iſraël: ſic dicitur Abacuc 3. ſcilicet, Dominus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharan: & ponuntur pro eodem pars Auſtralis, & mons Pharan. Eſt autem iſtud deſertum Pharan magnum: nam extenditur à latere Meridiano terræ Iſraël, quaſi vſque ad Ægyptum, & montem Sinai. Vnde Numer. 10. dicitur: Quòd nubes eleuata eſt de monte Sinai, & recubuit in ſolitudine Pharan: & ſic inter montem Sinai, & deſertum Pharan non fuit aliqua manſio. *Tuleruntq; ſecum viros de Pharan.* ſcilicet, ſerui patris Adad, qui ibant cum eo in Ægyptum, acceperunt alios viros de habitatoribus deſerti Pharan; & hoc, vt puer iret honorabilior in Ægyptum, quia erat de ſemine Regio: & fortè pater eius habebat poteſtatem aliquam in deſerto Pharan: ideo viri iſti voluerunt ire cum Adad. *Et introierunt Ægyptum.* Expectantes, quòd Pharao benefaceret illi puero, cùm eſſet de ſemine Regio, vel fortè, quia erat cognatus eius. *Ad Pharaonem regem Ægypti.* Non eſt iſtud nomen proprium, ſed commune: quia omnes Reges Ægypti vocabantur Pharaones, vt declaratum eſt ſupra 9. *Qui dedit ei do-*

C

mum, & cibos conſtituit. Id eſt, Dedit ei palatia magna pro ſe, & familia ſua, & conſtituit ei cibos, ſcilicet, quia fortè dabantur ei, & famulis ſuis quotidie cibi de domo Regis. Vel fortè dedit ei Rex certos redditus pro menſa ſua. *Et terram delegauit.* Id eſt, Aſſignauit ei terram, in qua exerceret iuriſdictionem: vt ſic adhuc videretur retinere formam Regalis ſtatus. Et dicitur iſta terra delegata, quia non erat ſimpliciter data, ita vt eſſet pro eo, & pro omnibus hæredibus ſuis: ſed ſolùm conceſſa eſt ei ad vitam: vel data eſt ei vſq; ad beneplacitum Pharaonis. *Et inuenit gratiam coram Pharaone valde.* ſcil. Pharao dilexit valde puerũ Adad, & benefaciebat ei nimis, velut ſi eſſet nimis cõiunctus ſanguine ei. *Intantum vt daret ei vxorem, ſororem vxoris ſuæ germanam Taphnes Reginæ.* ſcilicet, Ad tantum proceſſit iſte amor, quòd quodammodò æquauit ſibi Pharao ipſum Adad, quia dedit ei in vxorem, ſororem vxoris ſuæ. Vocabatur autem Regina vxor Pharaonis Taphnes, & ſoror ſua erat vxor Adad. *Genuitq; ei ſoror Taphnes Genubath filium.* ſcilicet, Iſte Adad genuit filium in Ægypto, dum maneret apud Pharaonem, & vocabatur Genubath. Vel poteſt eſſe nomen vxoris ipſius Adad, & iſtud eſt verum ſecundùm quoſdam. Litera tamen ſignificat contrarium, cùm dicit immediatè: Et nutriuit eum Taphnes, & refertur ad puerum. Etiam dicitur: Eratque Genubath habitans apud Pharaonem, cum filijs eius: quod neceſſariò intelligitur de filio Adad. *Et nutriuit eum Taphnes in domo Pharaonis.* Iſta Taphnes erat Regina, & Genubath erat filius ſororis ſuæ: ideo nutriebat eum in palatio Regis, inter filios ſuos, quaſi eſſet filius Regis. *Eratq; Genubath habitans apud Pharaonem.* ſcilicet, In domo Pharaonis, quia ibi nutriebatur, & non in domo patris ſui Adad: Nam Pharao dederat domum diſtinctam à domo ſua ipſi Adad, & cibos, vt patet ſupra. *Cum filijs eius.* ſcilicet, Cum filijs Pharaonis: æquali enim cura alebatur, cuſtodiebatur, & inſtruebatur, ſicut filij Regis; eo quòd Rex diligeret illum, & patrem ſuum Adad. *Cumq; audiſſet Adad in Ægypto dormiſſe Dauid cum patribus ſuis, & mortuum eſſe Ioab Principem militiæ.* Pauco tempore vixit Ioab poſt Dauid: nam Salomon fecit illum occidi, ſupra 2. Stetit autem Adad in Ægypto, quandiu iſti vixerunt; eo quòd ipſe fugerat de Idumæa propter tribulationem magnam, quam Dauid faciebat in terra illa: ideo illo viuente, propter timorẽ manſit in Ægypto. Expectauit etiam mortem Ioab, quia Ioab erat vir potens in armis, & princeps militiæ tempore Dauid: ideo ſi mortuo Dauid, maneret Ioab in principatu militiæ, credebat quòd ipſe premeret ſemper Idumęos, ſicut quondam occiderant omne maſculinum in terra Edom: ideo licèt mortuus eſſet Dauid, nunquam voluit venire Adad in terram ſuam, vſquequo moreretur Ioab. *Dixit Pharaoni, Dimitte me, vt vadam in terrã meam.* Iam enim putauit Adad ſibi ſecurum eſſe ire in terram ſuam: eo quòd non eſſet aliquis, qui poſſet premere Idumæos, cùm iam mortuus eſſet Dauid, & Ioab: credebat enim, quòd quicunque alij ſuccederent, non eſſent illi ita potentes.

D

E

Quare Adad motus à Deo, voluerit redire in terram ſuam, mortuo Dauid, & Ioab.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR propter quid volebat Adad redire in terram ſuam?

Reſpondendũ, quòd Adad mouebatur hic à Deo, & mouebatur à ſeipſo. A Deo autem mouebatur, quia Deus impoſuit cordi eius deſiderium redeundi in terram ſuam de terra Ægypti: & hoc, vt infeſtaret Salomonem, qui declinabat iam à Deo: & ad hoc impoſuit Deus deſiderium cordi Adad redeundi in terram ſuam, quaſi ex deſiderio natalis terræ: & tñ non erat fundamentum mouendi eum ex hoc. Ipſe autem Adad mouebatur, quaſi ex deſiderio natalis ſoli; vel potius ex quodam deſiderio indeterminato. Vnde quãdo Pharao quęſiuit ab eo. *Qua enim re indiges apud me, vt quæras ire ad terram tuam.* Ille reſpondit, *Nulla*: ſed obſecro, vt dimittas me. Et ſic neſciuit dare Adad cauſam deſiderij ſui. Et iſtud erat ſignum, quòd non mouebatur à ſeipſo, ſed ab alio; quia ſi à ſeipſo moueretur, ſciret dare cauſam motus ſui. Simile ponit Ariſtot. in lib. de Bona fortuna, dicens: Quòd illi, qui ſunt benè fortunati, mouentur ad agendum aliquid, & neſciunt cauſam illius. Et ſimile patiuntur eis, qui mouentur à Deo, ſcilicet, quòd neſciunt cauſam motus ſui, ſicut illi, qui à Deo mouentur. Quod autem moueretur à Deo patet; quia litera dicit, quòd Deus ſuſcitauit illum in hoſtem Salomonis: ergo ipſe mouit eum ad veniendum de terra Ægypti in terrã ſuam, vt ibi aduerſaretur Salomoni. Etiam, quia ad hoc poſuit litera hic illa bona, quæ conferebat Pharao ipſi Adad, vt intelligatur, quòd non mouebatur à ſeipſo, quaſi ex deſiderio alicuius boni, quod non habebat, ſed mouebatur à Deo. *Dixitq; ei Pharao.* Pharao diligebat Adad, vt patet ex ſuperioribus: & ob hoc volebat, vt maneret cum eo. Putabat aũt nunc, quòd vellet recedere Adad propter defectum alicuius boni, quod non habebat ibi, vt poſſet illud habere in terra ſua, ideo dixit: *Qua enim re apud me indiges, vt quæras ire ad terram tuam.* q.d. Nõ indiges aliqua re apud me, & tamen non deberes moueri ad recedendum de terra mea, niſi propter aliquam inopiam. *At ille reſpondit, Nulla: ſed obſecro, vt dimittas me.* Quaſi dicat, Non deſidero ire in terram meam propter deſiderium alicuius rei qua hic egeam, quia in omnibus abundo: & tamen valde deſidero ire illuc: ideo inſtanter oro, vt permittas me ire in terrã meam. *Suſcitauit quoque.* Hic ponitur ſecundus aduerſarius Salomonis, ſcilicet, Razon filius Eliada, & ponuntur iſti duo ſimul, quia vnus adiuuabat alium ad perſequendum Iſraëlitas. Pro quo ſciendum, quòd iſte Razon erat vir potens in terrã Syriæ in regno Soba, vbi regnabat Adarezer: & cùm ipſe offendiſſet

F

De benè fortunatis.

Secundus aduerſarius Salomõis Razon

A fendisset regem, eo tempore quo Dauid pugnabat cõtra Syros, fugit à facie eius, & aggregauit sibi latrones multos, factusque est ipse princeps latronum, & infestabat ipse terram Israël. Postquam verò redijt Adad in terram suam, putabat, quod posset obtinere regnum Idumeæ, cùm esset de semine regio, Salomon tamen habebat custodiam magnam in Idumæa, & non potuit ibi obtinere regnum: ideo recessit ad Razon, qui erat profugus de terra Syriæ, & coniunctus est ei, amboque infestabant terram Israël simul, postea autem factus est Razon rex in Damasco: & ipse Adad persequebatur semper terram Israël: & quia Adad coniunctus fuit Razon, & ambo persequebantur terram Israël, agitur de Adad & Razon simul, & dicitur: *Suscitauit quoque ei Deus aduersarium.* Intelligendum est de ista suscitatione aduersarij, sicut supra dicebatur de Adad, scilicet, quòd Deus posuit in corde Razon, quòd pugnaret contra Israël, & quantum ad hoc, suscitabat eum: quia aliàs non curasset Razon pugnare contra Israël. *Razon filium Eliada.* Iste erat generosus, & potens in Syria, & fortè erat competitor Regni, cum Adarezer Rege Soba: & cùm præualuisset Adarezer, fugit Razon. Postea tamen Razon, coniunctis sibi latronibus, præualuit, & factus est rex in Syria in ciuitate Damasci, quæ est caput Syriæ, Isaiæ 7. *Qui fugerat Adarezer Regem Soba dominum suum.* Id est, Fugerat à facie Adarezer: quia fortè erat contentio inter eos super Regno, vt suprà dictum est. Vel fortè erat Razon aliàs subditus ipsius
B Adarezer: & quia offenderat ipsum, fugit de Syria: & cùm terra Syriæ sit in latere Aquilonari terræ Israël, non audens Razon ambulare per terram Syriæ, vastabat latus Aquilonare terræ Israël. *Et congregauit contra eum viros.* scilicet, Razon congregauit viros contra Adarezer, scilicet, ad defendendum se ab eo. Vel fortè ad pugnandum contra ipsum: vt si dicamus, quòd competebat ei regnum, & volebat illud vendicare. *Et factus est princeps latronum.* scilicet, Isti qui erant cum Razon erant latrones propter duo: primò, quia ipsi erant profugi de terra Syriæ: & cùm non auderent manere in aliquo loco securè, non poterant iustis artibus victum quærere: sed necesse erat, quòd de præda sibi prouiderent. Secundò, quia viri existentes cum Razon congregati fuerant ab eo contra Adarezer: ideo conabantur, quantum poterant offendere ipsum, inuadendo terram eius: & cùm isti latrones ambularent per latus Syriæ; ambulabant etiam per latus terræ Israël; quia ista duo latera sunt coniuncta: Et licèt principaliter intenderent pugnare contra Adarezer: tamen interdum pugnabant contra terram Israël, vt prædarentur in ea. Et ad istud maximè incitabat Adad Idumæus ipsum Razon: quia Adad habebat odium contra Israël, & non Razon: cùm Israëlitæ tenerent terram Idumæorum, quæ competebat ipsi Adad. Et ob hoc, licèt Razon multum noceret Israëlitis: tamen totum istud malũ imponitur ipsi Adad, vt patet infra in litera cùm dicitur: Et hoc est malum Adad, & odium contra Israël. *Cùm interficeret eos Dauid,* Id est, ista fuga Razon à rege suo Adarezer fuit, quando Dauid occidebat Syros. De hoc bello patet
C præcedenti libro, capite 8. & 10. scilicet, quòd tunc fugit Razon; & ex eo tempore cœpit esse hostis regis Adarezer. *Abierunt q; Damascum, & habitauerunt ibi.* scilicet, Latrones, qui erant cum Razon, iuerunt cum eo in Damascum, & manserunt ibi præ timore regis Adarezer. Est autem Damascus ciuitas præcipua terræ Syriæ: ideo dicitur Isaiæ 7. Quòd caput Syriæ est Damascus. *Et constituerunt eum regem in Damasco.* Intelligitur de Razon, qui factus est rex in Damasco. Aliqui tamen referunt hoc ad ipsum Adad, scil. quòd postquã coniunctus est ipsi Razon, factus est rex in Damasco. Vtrumque autem horum potest satis colligi ex litera. Ratio tamen magis conuincit, quòd Razon factus fuerit rex, quàm Adad. *Erat q; aduersarius Israëli, cunctis diebus Salomonis.* scilicet, Razon erat aduersarius Israëlitarum omni tempore, quo regnabat Salomon. Vel potest referri ad Adad, scilicet, quòd fuit aduersarius Israël cunctis diebus Salomonis: quia cum audisset mortuum esse Dauid, & Ioab principem militiæ, venit de Ægypto in terram suam, vt patet supra in litera.

D

Quomodo intelligitur, quòd Razon fuit hostis Israël omnibus diebus Salomonis.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR quomodo poterat iste Razon, vel Adad esse hostis Israël omnibus diebus Salomonis: quia suprà quarto capite dicitur: Et habebat Salomon pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Iuda, & Israël absque vllo timore, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu cunctis diebus Salomonis?

Respondendum, quòd si ista litera accipiatur propriè, nõ potest stare: quia ista dicit, omnibus diebus Salomonis fuisse hostilitatem: & supra 4. dicitur, omnibus diebus Salomonis fuisse pacem. Veritas autem fuit: quia pro maiori parte regni Salomonis fuit pax: circa finem autem vitæ eius fuerunt bella. Et istud satis apparet ex ratione: quia Deus suscitauit istos duos in hostes Salomonis, vt patet hic in litera. Et istud erat in pœnam: sed pœna non est ante peccatum: ergo isti fuerunt suscitati in hostes, circa finem vitæ Salomonis, postquàm iam peccauerat. Dicendum igitur, quòd accipitur omnis, vel cunctus, pro multis. Et sic dicitur, quòd fuit pax omnibus diebus Salomonis, id est, multis diebus. Et dicitur, quòd fuit iste Razon hostis omnibus diebus, id est, multis, scilicet, postquàm
E Salomon declinauit ad idola. Nicolaus autẽ dicit, quòd fuit hostis Israël omnibus diebus, quantum ad desiderium: & tamen modicum nocebat Israëlitis: postea autem circa finem vitæ Salomonis multum nocuit. Sed dicendum, quòd si teneatur iste modus soluendi, non poterit dari, quomodo stet, quòd dicitur suprà 4. scilicet, quòd erat pax omnibus diebus Salomonis: quia circa finem vitæ Salomonis iam erat potens iste Razon, & Adad contra Israëlitas: ideo solui debet, sicut suprà. & tũc non sequitur incõueniens. *Et hoc est malum Adad, & odium contra Israël.* Id est, Istud est malum, quod fecit Adad contra Israël, & odium quod contra Israëlitas gerebat, & potest intelligi dupliciter: vno modo, quòd Razon aduersaretur Israëlitis, & istud non erat à seipso, sed erat propter Adad, qui erat coniunctus ei, & incitabat ipsum ad persequendum Israëlitas propter odium, quod gerebat contra ipsos: Et est sensus, hoc malum quod faciebat Razon, erat malum Adad, & odium eius, id est, procedebat ex odio Adad, suscitantis Razon contra Israël. Aliter intelligitur, quòd Adad, postquàm coniunctus fuit ipsi Razon, factus est rex Damasci: & tunc aduersabatur semper Israëlitis. Et ista aduersitas erat odium, quod habebat Adad, & malum quod faciebat cõtra Israël. *Regnauit q; in Syria.* Refertur ad Razon, qui factus est rex in Syria, id est, in Damasco. Pro quo sciendum, quòd Syria est quædã terra in latere terræ Chanaan, quæ est nimis lõga ab Oriente in Occidentẽ. Et diuiditur ista terra in multa regna, & habet diuersa nomina. Vnde quædam vocatur Syria Soba, & alia vocatur Syria Damasci. Ista differentia patet præcedenti lib. c. 8. & 10. vbi dicitur, quòd Syria Damasci venit, vt auxilium præberet regi Soba, & tamen rex Soba erat rex Syriæ, vt patet in eodem loco. Razon autem fugerat à facie Adarezer, qui erat rex Syriæ Soba, & iuit in aliam partem Syriæ, scilicet, ad Syriam Damasci: & ibi factus est rex. *Ieroboam quoque.* Hic ponitur tertius hostis Salomonis, scilicet, Ieroboam, qui erat de terra sua, & insurrexit contra eum, & dicitur: *Ieroboam filius Nabat Ephrathæus.* Vocatur Ieroboam Ephrathæus: quia erat de tribu Ephraim: ideo postea diuiso regno, semper fuerunt super decem tribus reges de tribu Ephraim, vt colligitur ex processu istius libri, & sequentis.

Syria quid. Syria duplex F

Tertius hostis Salomonis Ieroboam.

Quis erat iste Nabat pater Ieroboam, & an esset Semei, quem occidit Salomon.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR quis erat pater istius Ieroboam. Respondent Hebræi, & Nicolaus post ipsos, quòd iste Nabat, qui vocatur hic pater Ieroboam, erat ille, qui vocabatur Semei, quem occidit Salomon. Et volunt, quòd cum esset mortuus Nabat, mater Ieroboam, cùm nutriret ipsum

sæpè

A

sæpe dicebat ei, quomodo Salomon occiderat Semei patrem suum, vt excitaret eum ad capiendum vindictã de Salomone pro morte patris: & ob hoc Ieroboam surrexit contra Salomonem. Mouentur autem ad hoc; quia dicitur hic, quòd Ieroboam erat filius mulieris viduæ. Et sic volunt, quòd ista mulier viduata fuisset, quando occisus est Semei: & quòd ipsa suscitauit Ieroboam contra Salomonem. Sed dicendum, quòd non stat: quia Ieroboam vocatur hic Ephrathæus, id est, de tribu Ephraim: Semei tamen erat de tribu Beniamin: quia vocabatur filius Iemini: & erat de Bahurim, quæ erat ciuitas tribus Beniamin. De hoc patet præcedenti lib. cap. 16. & supra 2. Si ergo esset Ieroboam filius Semei, esset de tribu Beniamin, & non Ephrathæus. Dicendum ergo, quòd non erat filius Semei, sed alterius viri Ephrathæi, qui vocabatur Nabat, & ille erat vir famosus: ideo facta fuit mentio hic specialis de illo. *De Sareda.* Istud est nomen cuiusdam vrbis in terra Ephraim. Aliqui autem putant, quòd ista esset ciuitas, quæ vocatur Sarepta Sidoniorum, vbi erat mulier vidua, ad quam iuit Elias, vt pasceret eum, infra 17. Sed falsum est, quia illa Sarepta non erat de Israelitis, id est, non habitabatur ab Israelitis, sed à Sidonijs, ideo vocatur Sarepta Sidoniorum. Vnde Christus dixit, quòd tempore Eliæ multæ viduæ erant in Israel: & tamen ad nullam earum missus est Elias, nisi ad mulierem Sareptanam. Ex quo apparet, q̃ illa non erat in terra Israel. Patet etiam per exemplum, quòd subdidit, scilicet, quòd tempore Elisæi multi leprosi erant in Israel: & tamen nullum eorum curauit Elisæus, sed solum Naaman Syrum. Ita ergo erat vidua illa Sareptana, sicut Naaman Syrus. Ieroboam tamen erat Israelita: ergo non erat de Sarepta Sydoniorum. *Seruus Salomonis.* Vocatur seruus, id est, seruitor, vel vasallus, quia non erat seruus emptitius. *Cuius mater erat nomine Serua, mulier vidua.* Ex hoc mouetur Rabbi Sa. ad dicendum, quòd ista esset vxor Semei, quæ viduata fuerat, quando occisus fuit Semei à Salomone: & fit mentio de ea, quia ipsa concitauit Ieroboam ad repugnandum Salomoni. Sed falsum est, vt dictum fuit. Ideo dicendum, quòd dicitur de matre Ieroboam, quòd erat vidua: quia tempore, quo Ieroboam repugnauit Salomoni, mortuus erat Nabat, & manebat mater eius vidua. *Leuauit manum contra Regem.* Id est, Iinsurrexit contra Salomonem, solicitans animos virorum tribus Ephraim, vt eum in regem acciperent.

De Sareda, quæ ciuitas esset.

B

Ieroboam an peccauerit insurgendo contra Salomonem.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR an Ieroboam peccauit insurgendo contra Salomonem. Aliquis dicet, quòd non: quia Salomon peccabat adorando idola, & præuaricando totam legem, & peruertendo totum Israel à cultu Dei.: ideo erat indignus Regno: & sic poterat sibi repugnari. Sicut si Papa efficiatur hæreticus, non est sibi obediendum, sed magis est deponendus, in Decretis distinct. 40. cap. Si Papa. Sed dicendum, quòd non stat istud: quia dato, quòd Salomon esset indignus Regno: tamen non poterat puniri per Ieroboam, quia ipse non erat iudex ad corrigendum, & corripiendum eum. An verò totus populus posset Salomonem deponere pro peccatis suis, infra dicetur. Saltem tamen Ieroboam non poterat hoc facere, quia non erat iudex. Item Ieroboam non procedebat contra Salomonem modo indiciario, sed modo hostili, scilicet, conspirando contra ipsum, cum alijs de tribu sua: ideo committebat læsæ maiestatis crimen. Sed aliquis dicet, quòd Ieroboam non peccabat: quia non inuadebat regnum Salomonis, sed id, quòd suum erat: quia Deus promiserat ei dare decem tribus, & quòd manerent posteritati Salomonis duæ tribus, infra in litera: sed Ieroboam non poterat modo iudiciali habere à Salomone illas decem tribus, quas Deus ei promittebat: ideo licebat ei, quocunque modo habere tribus illas. Ob hoc enim inter hostes, qui non habent aliquem iudicem superiorem communem, licita sunt bella ad repetendum damna, vel iniurias: eo quòd aliter repeti non possunt: eo quòd non est aliquis iudex superior communis. Sic autem erat inter Salomonem, & Ieroboam: quia non habebat Ieroboam aliquem iudicem superiorem ad se, & Salomonem, qui faceret ei iustitiam de Salomone. Sed dicendum, quòd adhuc non stat: quia Ieroboam nullum ius petendi habebat regnum Salomonis, eo quòd Deus nondum dederat ei aliquod ius, sed promiserat, quòd daret ei decem tribus, cum dixit: Scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi tribus decem. Non ergo habebat ius aliquod Ieroboam, ad petendum decem tribus: & à fortiori ad repetendum per arma, & ad conspirandum contra Salomonem, ad recuperandum istas decem tribus: peccauit ergo Ieroboam leuando manum contra Salomonem. *Et hæc est causa rebellionis aduersus eum.* Scilicet, Ista, quæ sequitur, fuit causa rebellionis Ieroboam contra Salomonem. *Quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris sui.* Mello vocatur quædam platea, quæ erat intra montem Sion, quam Dauid reliquit patentem, scilicet, non faciendo in ea aliquod ædificium, vt patet præcedenti libro, cap. 5. Scilicet, Ædificauit Dauid per gyrum à Mello. & intrinsecus, scilicet, incepit ædificare à loco mello, & non fecit ædificia in ipsa platea, quæ vocabatur Mello: Salomon autem ædificauit Mello, scilicet, impleuit plateam illam domibus. Et vt dicunt Hebræi, habitabant in illis serui filiæ Pharaonis. Vorago etiam profunda erat intra ciuitatem Dauid, id est in castro montis Sion: & illa erat ad aliquem vsum vtilem Israelitis: ideo Dauid non coæquauit illam: Salomon autem ductus cupiditate ædificandi domos pro seruis suis, & seruis filiæ Pharaonis, coæquauit voraginem illam, & ædificauit ibi domos.

C D E

Quomodo Ieroboam habuit occasionem insurgendi contra Salomonem, propter ædificationem Mello.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR quomodo Ieroboam habuit occasionem insurgendi contra Salomonem, propter ædificationem Mello. Respondent quidam, quòd Ieroboam erat vir nobilis, & industrius valde: & ob hoc Salomon præposuit eum super tributa duarũ tribuum, scilicet, Manasse, & Ephraim, vt patet infra in litera. Postea autem, cum ædificaret Mello, videns, quòd esset vir industrius, præposuit eum ædificatoribus Mello, & semouit eum à præpositura tributorum: & quia Salomon mouerat eum à maiori officio in minus iratus est, & conatus fuit rebellare Salomoni, & inuadere regnum. Sed istud non stat; quia non est satis verisimile, quòd Salomon deiecisset ipsum Ieroboam à maiori officio in minus, nisi fortè daretur ei in pœnam; quod non apparet, sed potius contrarium, scilicet, quòd Salomon diligeret ipsum Ieroboam, quia erat vir industrius: & ob hoc, licet nullius dignitatis esset prius Salomõ promouit eum, vt esset præfectus super duas tribus Ephraim, & Manasse ad colligendũ ttibuta. Item litera repugnat huic sensui: quia prius ponitur ędificatio Mello: deinde ponitur quomodo Ieroboam factus fuerit præfectus super tribum Ephraim, & Manasse. Ideo dicendum, quòd iste fuit ordo, scilicet, quòd Ieroboam fuit à principio vir priuatus: rex autem cognoscens industriam eius, præposuit eum artificibus, qui ædificabant Mello, & coæquabant voraginem. Deinde cum successiuè apparebat magis industria Ieroboam, constituit eum Salomon præpositum, super tributa Ephraim, & Manasse. Aliter dicit Rabbi Salomon, scilicet, quòd causa indignationis, & conspirationis Ieroboam contra Salomonem fuit, quia ædificauit Mello. Vult enim, quòd Dauid reliquerat plateam illam patentem apud locum templi pro peregrinis, qui venirent ad festiuitates, Salomon autẽ nunc implebat plateam illam ædificijs: ideo agebat contra religionem: & ob hoc Ieroboam increpuit eum; & quia non consensit, insurrexit contra eum ad auferendum Regnum. Sed istud non est verisimile: quia Ieroboam non erat tam religiosus, vt moueretur ad increpandum Salomonem, propter ædificationem Mello. Etiam non erat ista causa rationabilis ad insurgendum contra Salomonem: ideo si Ieroboã moueretur bono zelo ad increpandũ Salomonẽ, etiam si nõ assentiret ei, non moueretur ad conspirandũ contra ipsum. Dicendũ igitur quòd aut ponimus Ieroboam surrexisse contra Salomonem, post-

F

Rabbi Salomõ

A quàm Ahias Silonites dixit ei, quòd habiturus esset regnum super decem tribus Israel, aut surrexit prius. Si dicamus primum, scilicet, quòd surrexit post verba Ahiæ, facilius est causa rebellionis, scilicet, quòd Ieroboam, cum audisset, quòd Deus vellet eum facere regem, impatiens more, non expectabat tempus, quo compleret Deum promissionem suam: sed ipse voluit per se obtinere regnum: & ad hoc congregauit sibi socios de tribu sua. Si autem dicatur, quòd insurrexit ante verba Ahiæ, dicetur, quòd Ieroboam, quia erat vir industrius, constitutus est à Salomone super duas tribus ad colligendum tributa: & cum videret Ieroboam se sublimatum ad honorem magnum, cæpit desiderare regnum, & tunc fecit coniurationem cum aliquibus de tribu sua. Sed dicetur, quæ positio istarum est rationabilior? Dicendum, quòd rationabilior est secunda, scilicet, quòd surrexerit ante verba Ahiæ, & hoc propter duo: primò, quia ordo literæ est iste, scilicet, quia primò ponitur insurrectio Ieroboam in Salomonem: deinde multo post ponuntur verba Ahiæ. Secundum est, quia dicitur hic, quòd causa rebellionis fuit, quia Salomon ædificauit Mello: & postea dicitur, quòd constituit ipsum Ieroboam super tributa domus Ioseph: ideo necesse est, quòd ista duo aliquo modo pertineant ad causam insurrectionis, alioquin ponerentur superflue. Et sic dicetur, quòd causa insurrectionis fuit; quia Salomon præposuit Ieroboã ædificatoribus Mello: deinde apparente magis industria, præposuit eũ tributis domus Ephraim, & Manasse & ob hoc elat⁹ fuit in corde suo præ magnitudine honoris, & cœpit desiderare regnũ & cõspirare cũ fautorib⁹ suis. *Erat autẽ Ieroboam vir fortis, & potens.* scil. Robust⁹ corpore, & potens in armis: & ista incitauerũt Salomonẽ, vt poneret eũ in magno honore. Et etiã incitauerũt ipsum Ieroboam, vt desideraret regnare, cum videret se ad hoc dispositum. *Videnſque Salomon adolescentem bonæ indolis. & industrium.* Scilicet, Vidit eum bonæ dispositionis in corpore: quia pulcher erat, & robustus: & vidit bonam dispositionem animæ, scilicet, quia erat vir industrius ad tractandum negocia. *Constituerat eum præfectum super tributa vniuersæ domus Ioseph.* Id est, Fecit, quòd esset collector tributorum in tribu Ephraim, & manasse. Vocantur autem istæ duæ tribus, tota domus Ioseph: quia istæ duæ tribus erant de filijs Ioseph. Nam Ioseph erat vnus de filijs Iacob, & habiturus erat vnicam sortem in terra Israel, sicut cæteri filij Iacob: fecit tamen Iacob, quòd duo filij Ioseph, scilicet, Manasse, & Ephraim haberent duas sortes, & essent duæ tribus, sicut duo de filijs Iacob, Genes. 48. Et istæ duæ tribus vocantur domus Ioseph: & ob hoc dicitur tota domus Ioseph, vt intelligatur pro vtraque tribu: quia alioquin poterat accipi pro vna illarum. Et fuit propositus istis tribubus, quia ipse fuit, de domo Ioseph, scilicet, de tribu Ephraim. *Factum est igitur in tempore illo, vt Ieroboam egrederetur de Ieruſalem.* Scilicet, Postquàm factus erat Ieroboam C præpositus duarum tribuum, accidit, quòd egrederetur semel de Ieruſalem, & tunc factum est hoc. *Et inueniret eum Ahias Silonites Propheta in via.* Iste Ahias vocatur Silonites, id est, de vrbe Silo, in qua fuerat tabernaculum Domini à principio introitus Israelitarum in terram Chanaan, Iosue 18. Et iste denunciauit de Regno ipsi Ieroboam, vt patet hic: & ob hoc, postquàm regnauit Ieroboam & ægrotabat filius suus, misit Ieroboã vxorẽ suam ad Ahiam Silonitẽ, quia iam cęcus erat, mutato habitu, vt consuleret pro salute pueri, infr. 14.

Surrexit Ieroboam ante verba Ahiæ. propter duo.

B

Ahias Solonites quare locutus est ad Ieroboam, extra Ieruſalem.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR quare dicitur, quòd accidit istud extra Ieruſalem. Aliquis dicet, quòd sic factum est à casu, quòd Ahias inueniret Ieroboam extra vrbem, & ibi locutus est ei. Dicendum, quòd hoc non stat; quia non fuit à casu. Nam Propheta mittebatur à Deo ad dicendum ista Ieroboam: ideo non dixit à casu, sed obseruauit locum illum, quasi ibi esset maior opportunitas. Nam timebat Ahias ista dicere Ieroboam in ciuitate: eo quòd sequebatur inde periculũ sui, & Ieroboã. Patet hoc, ꝙ ista erant cõtra Salomonẽ: ideo si ipse sciret, ꝙ Ahias talia dixisset cõtra eum, voluisset eum occidere vel saltẽ conaretur occidere ipsum Ieroboam. Quod patet, quia postea audiuit ista Salomon, voluit tenere Ieroboã ad occidendũ eum; ipse autẽ fugit in Ægyptũ, infra in litera. Et quia si in vrbe diceret ista Ahias ad Ieroboam, putaret, quòd peruenirent ad aures Salomonis, noluit dicere in vrbe, sed in agro. Quòd autem ob hoc fecerit, patet, quia dicitur infra. Erant autem duo tantum in agro, id est, non erat ibi alius, qui posset videre hæc: & ob hoc ibi facta sunt. Simile est de alijs Prophetis. Nam quando mittebantur ad nunciandum aliqua similia, in secreto nunciabant, vt euitarent periculum. Sic fuit de Samuele, quando iuit ad vnguendum Dauid in regem, viuente Saule: nam dixit ad Dominum: Audiet Saul, & interficiet me: Deus autem iussit ei, quòd acciperet vitulum, & iret in Bethlehem, dicens, quòd ibat ad immolandum: & sic occultata est res, supr. 1. libro, cap. 16. Sic etiam, quando misit Elisæus Propheta, vnum de filijs Prophetarum ad vngendum Iehu in regem Israel, viuente Ieroboam rege, iussit ei, quòd introiret in cubiculum interius, & ibi funderet oleum super caput eius, nullo vidente, sequenti libro cap. 9. *Opertus pallio nouo.* Scilicet, Tunc quando locutus est ad Ieroboam, opertus erat pallio nouo, & illud scidit. *Erant autem duo tantum in agro.* Scilicet, Quando ista facta sunt, soli duo erant in agro. Istud dicitur ad signandum, quòd Propheta obseruauit tempus, vt nullus præsens esset, qui rem posset notificare Salomoni: quòd verteretur in periculum Ieroboam, & Ahiæ. *Apprehendenſque Abias pallium ſuum nouum, quo opertus erat, ſcidit illud in duodecim partes.* Illud fecit vidente Ieroboam, ad significandum duodecim tribus Israel, quæ nunc diuidendæ erant, scilicet, decem in partem vnam, duæ in partem alteram. *Et ait ad Ieroboam, Tolle tibi decem ſciſſuras.* Scilicet, Ahias diuisit pallium in duodecim partes, quasi æquales, & de illis iussit sumere Ieroboam decem, quia regnaturus erat super decem tribus.

D

E

Quare Ahias diuiſit pallium ad prophetandum diuiſionem regni

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR quare Ahias diuisit pallium suum ad prophetandum de diuisione regni, quia isti scissio pallij nihil proficiebat. Respondendum, quòd factum est propter duo. Primum fuit, quia in Veteri Testamento modus fuit Prophetarum, sæpe prophetare in rebus potius, quàm in verbis. Sic enim Isaias prophetauit captiuitatẽ Ægyptiorum, & Æthiopum. Nam ambulauit Isaias tribus diebus nudus, & discalciatus per Ieruſalem, ad signandum quòd tribus annis essent captiui Ægyptij, & Æthiopes, & nudi ducerentur in captiuitatem, Isai. 20. Sic etiam Ieremias fecit catenas ligneas, & posuit in collo suo in Ieruſalem: misitque eas ad regem Edom, & regem Moab, & regem Ammon, & F & regem Tyri, & regem Sidonis, vt significaretur per hoc, quòd ducerentur captiui à Nabuchodonosor, vt patet Iere. 27. Sic etiam prophetabat sæpissime Ezechiel, scilicet, quando ordinauit murum ferreum contra Ieruſalem: & quando dormiuit super latus dextrum, & deinde super sinistrum; & fecit panem in stercore bouis. Ezechiel. 4. Deinde rasit omnes pilos totius corporis sui, Ezechiel. 5. Et multa alia: nam fere totus Ezechiel in hoc modo prophetandi est. Voluit ergo Deus, quòd etiam Ahias sic prophetaret de diuisione regni. Fuit autem conuenienter facta designatio diuisionis regni per scissionem pallij: quia sic regnum diuidendum erat. Sic etiam prophetauit Samuel coram Saule ablationem Regni. Nam Saul volens tenere Samuelem, ne recederet, rupit parũ de chlamide eius, & illico dixit Samuel: Scidit Deus à te Regnum Israel hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te, supra 1. libro, cap. 15. Causa secunda fuit ad magis certificandum, & imprimendum. Nam Prophetiæ, quæ fiebant in rebus, & verbis, magis certificabant ipsos audientes, quàm Prophetiæ factæ in solis verbis: & qua Deus volebat certificare Ieroboam de regno, iussit fieri prophetiam ad eum in rebus, scilicet, scindendo pallium.

Quare dicitur de pallio nouo Ahiæ.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR vlterius, quare dicitur de pallio nouo Ahiæ. Respondebit aliquis, quòd istud fuit per accidens: Nam accidit ipsum Ahiam tunc indutum esse pallio nouo, & scidit illud: Si autem indutus fuisset pallio veteri, scidisset pallium vetus. Respondendum, quòd non stat: quia si per accidens esset, pallium esse nouum, vel vetus, non curaret scriptura exprimere, tanquam nihil ageret ad sententiam: exprimit tamen illud studiosè bis: nam primo dicitur, Inuenit eum Ahias Propheta indutus pallio nouo, & iterum dicitur, quòd Ahias scidit pallium nouum, quo erat indutus: & tamen non fieret sæpe de hoc mentio, nisi ad aliquid induceretur. Dicendum autem, quòd inducitur ad significandum certitudinem prophetiæ. Nam sicut, quòd Ahias scinderet pallium, significabat aliquam certitudinem: quia non erat verisimile, quòd Ahias scinderet pallium inutiliter: ita à fortiori, cum pallium esset nouum, & fortè magni valoris, non esset verisimile, quòd ipse sponte scinderet illud, sed Deo iubente: & sic certa essent verba sua. Si autem pallium esset vetus, & ferè inutile, non esset tanta certitudo prophetiæ, quia pro leuiori causa moueretur Ahias ad scindendum illud. *Hæc enim dicit Dominus Deus Israel, Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis.* Id est, De posteritate eius: nam non scidit Deus regnum de manu Salomonis, vt patet supra, scilicet, Veruntamen in diebus tuis non faciam, sed de manu filij tui scindã illud. *Et dabo tibi decem tribus.* Scilicet, Omnes tribus præter Iudam, & Beniamin, quæ manserunt cum Roboam. Ex hoc patet, quòd Ieroboam non habebat ius aliquod ad insurgendum contra Salomonem, petendo regnum: quia non habebat aliquod ius in re; sed solum promissio erat facta de dando.

Si Deus actualiter nunc dedisset Ieroboam ius regnandi, an liceret ei insurgere contra Salomonem. Etiam si Ieroboam vnctus fuisset in Regem, non debuisset insurgere cõtra Salomonem quia promissio erat pro futuro.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR si Deus actualiter dedisset nunc ius regnandi Ieroboam, an licuisset ei insurgere contra Salomonem ad capiendum regnum. Respondendum, quòd tradere ei ius actualiter, erat vngere eum in regem: sicut cum Samuel vnxit Saulem, & dixit ei: Ecce vnxit te Deus in principem super hæreditatem suam, supra 1. libro, cap. 10. Dicendum tamen, quòd si solum nunc fuisset vnctus in Regem Ieroboam per Ahiam Prophetam, non competebat ei ius petendi regnum, eo quòd tempore Salomonis regnum manere debebat vnitum, & tempore filij sui debebat diuidi, vt patet supra: Ideo istud ius quod competebat ex collatione & vnctione, non erat pro præsenti, sed pro futuro. Sed aliquis dicet, quòd fortè Ieroboam nesciebat illud, quia dictum fuerat secretè Salomoni. Dicendum, quòd non stat, quia etiam Ahias dixit ad Ieroboam: Auferam autem regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus: filio autem eius dabo vnam tribum: ideo peccabat Ieroboam, cum ante tempus vellet vsurpare regnum contra decretum Dei. Sed dicetur, ponatur quòd Deus non dixisset Ieroboam, nec Salomoni, quòd de manu filij Salomonis auferendum esset regnum, & non de manu Salomonis, nunquid poterat Ieroboam viuente Salomone, conari ad regnum? Respondendum, quòd si Ahias solum vngeret Ieroboam in regem, & non diceret ei aliud, non licebat Ieroboam conspirare contra Salomonem ad auferendum regnum: sed debebat expectare, quòd Deus sibi daret illud, siue viuente Salomone, siue mortuo illo. Nam Deus dixerat: Ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi tribus decem: ergo Deus ipse facturus erat, & non debebat Salomoni Ieroboam auferre regnum per insidias, aut vi armata. Sic patet de Dauid, quia Deus fecit illum vngi in Regem per Samuelem supra 1. libro, cap. 16. Et tamen non illico conatus est aspirare ad regnum, quamuis sæpe ad hoc haberet opportunitatem: immo quanquam Saul iniustè persequeretur eum, & dauid potuisset eum bis occidere, scilicet, in spelunca, & postea quando accepit lanceam, & vas, supra 1. libro, cap. 24. & 26. Noluit, sed expectauit, quòd ipse per se moreretur. Mortuo autem illo, adhuc non conatus est regnare super Israel; sed ipso non petente, viri Iuda vnxerunt eum in regem, præcedenti libro, cap. 2. Hoc autem faciebat, quia putabat peccatum esse in mittere manum in Saulem, aut velle auferre ei regnum; eo quòd erat vnctus à Deo, supra 1. libro, cap. 24. & 26. Et tamen tunc iam reprobatus erat à Deo publicè Saul, supra 1. lib. cap. 15. Ita ergo esset nunc in Salomonem: nam ipse erat Christus Domini, id est, vnctus in regem per mandatum Dei, vt patet præcedenti libro, cap. 7. & 1. Paralipomenon 22. Ergo peccatum erat ipsi Ieroboam quòd vellet mittere manum in eum, aut conaretur auferre ei regnum clam, vel palam. Sed debebat permittere, quòd ipse per se moreretur: Sic dixit Dauid de Saule, supra 1. libro, cap. 24. Scilicet, Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manum meam in Christum Domini. *Porro vno tribus remanebit ei.* Id est, Remanebit posteritati suæ; quia ipsæ semper habuit duodecim tribus, cum non fuerit diuisum regnum eo viuente. Et dicitur vna tribus, scilicet, tribus Beiamin: nam duæ tribus manserunt ei, scilicet, Iuda, & Beniamin: quia tamen Iuda erat sua tribus, non censebatur ei manere, sed illa, quæ non erat sua, scilicet, tribus Beniamin, vt supra dictum est. *Propter seruum meum Dauid.* quasi dicat. Ipse Salomon merebatur, quòd posteritas sua totaliter priuaretur Regno: quia tamen posteritas sua est posteritas Dauid, noluit Deus, quòd totaliter regno careret propter merita Dauid. *Et Ierusalem ciuitatem, quam elegi ex omnibus tribubus Israel.* Id est, propter Ierusalem faciam, vt non priuetur regno; quia etiam priuaretur Ierusalem honore sedis Regni, vt supra declaratum est. Elegit autem Deus Ierusalem ex omnibus tribubus Israel, scilicet, non elegit aliquam ciuitatem in toto Israel, vt ibi ædificaretur sibi templum, nisi in Ierusalem, vt patet, Paralimomenon 6. Scilicet, Elegi Ierusalem, vt sit nomen meum in ea. *Eo quòd reliquerit me.* Scilicet, Non secutus est legem meam, nec desiderauit me colere. *Et adorauit Astarthem Deam Sidoniorum.* Ista erat Iuno vxor Iouis, & adorabat eam Salomon, & fecit ei templum propter vxores Sidonias, quas habebat, vt supra dictum est. *Et Chamos Deum Moab.* Iste est principalis Deus Moabitarum. *Et Moloch Deum filiorum Ammon.* Iste est præcipuus Deus Ammonitarum, de quibus supra. Alios etiam Deos coluit Salomon, quia Deos omniũ vxorum suarum colebat, vt patet supra. *Et non ambulauerit in vijs meis.* Scilicet, In præceptis meis, quæ sunt viæ ad me ducentes: vel quæ sunt viæ à me impositæ. Quomodo autem præcepta sint viæ Domini, declaratum est magis supra 2. *Vt faceret iustitiam coram me.* Scilicet, Vt obseruaret id, quòd iustum erat. Et accipitur hic iustitia, pro ipsa iustitia legali, de qua Aristot. 5. Ethicorum. Quæ continet omnem virtutem, & secundum eam iustè se habet homo ad Deum, & ad proximum. Vel accipitur facere iustitiam, id est, rectè iudicare in causis foralibus; quia fortè Salomon circa senectutem, cum deprauaretur circa Deum, deprauabatur etiam circa proximum: & interdum ex affectione, vel alias iudicabat iniquè, sed primum verius est. *Et præcepta mea, & iudicia mea.* Id est, Non fecit præcepta mea, quæ vocantur cæremonialia, moralia, & iudicialia. Nomine autem præceptorum intelliguntur cæremonialia, & moralia. *Sicut Dauid pater eius.* Scilicet, Dauid fuit valde deicola, & quanquam interdum peccaret ex passione: in his tamen, quæ concernebant statum cultus Dei, nunquam peccauit, sed potius augmentauit nimis cultum diuinum. *Nec auferam omne regnum de manu eius.* Id est, De manu posteritatis eius, quia duæ tribus mansuræ erant posteris Salomonis. *Sed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ suæ.* Intelligitur posteritate sua, scilicet, ponam eum, id est, posteritatem suam, ducem, id est, regnantem cunctis diebus vitæ suæ, id est, omnibus diebus quibus durauit posteritas filiorum Salomonis: Et intelligitur quandiu durauerunt in terra sua, vsque ad captiuitatem Babylonis; quia semper ante illam manserunt reges de tribu Iuda:

A post reditum verò de captiuitate, fuerunt regentes sacerdotes Machabæi, qui mixtim erant de tribu Iuda, & de tribu Leui. Et dicitur, ponam eum Ducem, id est, Regem. Aliqui putant, quòd vocatus est hic Dux, & non Rex; quia iam aliquo modo descendebat ab honore Regali, cum prius dominaretur super duodecim tribus, & non super duas solum: Duces autem minores sunt Regibus. Sed dicendum, quòd hic non accipitur Dux, prout signat minorem statum, sed accipitur pro Rege, sic patet supra 1. libro, cap. 9. Scilicet, Mittam ad te virum de Beniamin, & vnges eum in Ducem super populum meum Israel: & dicitur illud de Saule, qui vnctus fuit in regem super omnes duodecim tribus Israel. *Propter Dauid seruum meum, quem elegi.* Scilicet, Propter merita illius: Deus enim elegerat à principio Saulem, quia tamen ille non permansit in cultu Dei, Deus abiecit illum, & dicitur non electus. De Dauid autem dicitur, quòd Deus elegit eum, vnde supra 1. libro, cap. 13. dicitur: Inueni virum secundum cor meum, quod de nullo alio rege dicitur. Et intantum dicitur Dauid electus, quòd nullus alius dicitur electus, nisi ipse ante eum. 2. Paralipomenon. 6. Scilicet, A die, qua eduxi populum meum de terra Ægypti, nō elegi ciuitatem de cunctis tribubus Israel, vt ædificaretur in ea domus nomini meo: nec elegi alium virum quenquam, vt esset dux in populo meo; sed elegi Dauid, vt constituerē eum super populum meum Israel. *Qui custodiuit mandata mea, & præcepta mea.* Per ista intelliguntur omnia genera præceptorum, scilicet, moralium, cæremonialium, iudicialium: nam in omnibus fuit diligens obseruator Dauid; ideo ipse non solum meruit regnum pro se ipso, sed etiam pro posteris suis: quia Deus dixit, quòd ipse conseruabat misericordiam suam omnibus diligentibus eum, vsque ad mille generationes, Exod. 34. & Numeri 14. Ideo quanquam peccauit Solomon, & posteritas sua: quia tamen Dauid fuit vir bonus, meruit, vt regnum maneret in tota posteritate sua. *Auferam autem regnum de manu filij eius.* Scilicet, De manu Roboam. Nam viuente Salomone Deus noluit diuidere regnum propter honorem Dauid, vt supra declaratum est. Et dicitur, Auferam regnum, id est, diuidam: quia non fuit regnum Salomonis ablatum de manu posteritatis suæ, sed fuit diuisum. *Et dabo tibi decem tribus.* Scilicet, Quando Israelitæ elegerunt regem, mortuo Salomone, decem tribus recesserunt à Roboam, & accesserunt à Ieroboam, sequenti cap. *Filio autem eius dabo tribum vnam.* Scilicet, Dabo ei tribum Beniamin: nam tribum Iuda ipsi posteri Dauid per se habebant, cum essent de illa, & non dicebatur eis dari. *Vt remaneat lucerna Dauid seruo meo.* Id est, Vt maneat aliquis successor de stirpe Dauid. Iste modus loquendi est in veteri testamento, scilicet, quòd aliquis relinquit lucernam, quando relinquit aliquos filios succedentes sibi. Sic dixit mulier Thecuitis ad Dauid. Et quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen, & reliquiæ super terram, precedenti libro, cap. 14. Et accipitur ibi scintilla, pro filio. Vocatur autem scintilla, vel lucerna, quia vtrunque est aliquid viuens: Ita qui relinquit hæredem, relinquit aliquid viuens. Hic tamen non solum accipitur lucerna pro hærede, vel successore: sed pro hærede manente in dignitate, in qua erat prædecessor. Nam dato, quòd non haberet posteritas Dauid, cui regnum relinqueretur: viuens tamen, non dicebatur manere lucerna Dauid, si filij sui non tenerent semper regnum; ideo accipitur lucerna pro successore in dignitate paterna. *Cunctis diebus coram me.* Dicitur cunctis diebus, id est, multo tempore. Nam non mansit regnum posterorum Dauid omni tempore, cum nunc non maneat: sed vocantur cuncti dies, vsq; ad aduentum Christi: quia tunc cœperunt esse super Israelitas reges, qui non erant de stirpe Dauid. Dicitur coram me, id est, me volente, & approbante. Vel quia omnia, quæ fiunt dicuntur fieri coram Deo. *In Ierusalem.* Scilicet, Quia ibi debebat esse semper sedes regni posteritatis Dauid. *Ciuitate quam elegi, vt sit nomen meum ibi.* Id est, Ego elegi Ierusalem, vt sit ibi nomen meum, id est, vt ædificetur ciuitas nomini meo. *Te autem assumam.* Scilicet, Vt sis rex. Ex hoc patet, quòd non poterat Ieroboam propria auctoritate insurgere contra Salomonem ad auferendum ei regnum: Sed Deus debebat ei dare illud, cum dicat, quòd assumeret eum. *Et regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua.* Scilicet, Regnabis super decem tribus Israel, & habebis omnia, quæ desideras: quia cum Ieroboam nunquam fuisset in magno principatu, satis, & super satis sibi erat, regnare super decem tribus. *Erisque Rex super Israel.* Id est, Super decem tribus, quæ vocabantur Israel: regnum autem posterorum Salomonis vocabitur regnum Iudæ. Pro hoc sciendum, quòd à principio omnes duodecim tribus Israel, comprehendebantur sub hoc nomine Israel: & cum dicebatur Israel aliquid agere, intelligebatur de omnibus tribubus, nulla habita differenrentia, & istud durauit vsque ad mortem Saulis. Postea verò tribus Iuda vnxit super se in Regem Dauid, & reliquæ vndecim tribus vnxerunt Isbosethh filium Saulis, præcedenti libro, cap. 2. Et durauit ista distinctio per septem annos & dimidium, quibus regnauit in Ebron, præcedenti libro, cap. 5. Deinde redierunt omnes duodecim tribus ad Dauid: & tamen ex ipso tempore tribus Iuda cœpit per se nominari, & reliquæ vndecim vocabantur Israel. Si autem aliquis obijciat, quòd tempore Saulis ante Dauid, tribus Iuda nominabatur distincta ab Israel, supra 1. libro, cap. 15. & 11. Dicendum, quòd non nominabantur tunc tribus distinctæ: sed quia scriptor illius libri, fuit post mortem Dauid, quando iam distinguebantur Iuda & Israel: ideo posuit distinctionem ibi, tamen non erat tempore Dauid. Vel potest dici, quòd nō nominabatur tribus Iuda tunc distincta ab Israel, sicut postquàm cœpit regnare Dauid: quia tamen illa tribus erat magna, ponuntur ibi distincti pugnatores, qui erant de hac tribu. Mansit autem nomen Iuda distinctum ab Israel toto tempore Dauid, & Salomonis: ideo postea cum diuisum est regnum, quanquam tribus Beniamin, quæ erat de Israel, manserit cum tribu Iuda, vocatum est regnum Iuda; reliquæ autem decem tribus vocatæ sunt Israel: vnde dato, quòd cum tribu Iuda mansissent duæ, vel tres tribus solum, vocaretur regnum Iuda: reliquæ autem tribus vocarentur semper Israel, siue multæ, siue paucæ essent.

B C D E

Diuisio Regni ex qua causa facta fuit.

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRETVR circa id, quòd supra dictum est, scilicet, quòd regnum Salomonis diuideretur, quia coluit idola: nam videtur, quòd non fuerit propter hoc diuisum: sed vt Nicolaus, & Hebræi asserunt, diuisio facta est, quia Dauid, iussit quòd Miphiboseth diuideret possessiones cum Siba seruo suo, præcedenti libro, cap. 19. Vnde dicit Rabbi Sa. quòd quando Dauid dixit ad Miphiboseth, Tu, & Siba diuidite inter vos, audita est quædam vox de cœlo, dicens, Roboam, & Ieroboam diuident regnum inter se. Nicolaus respondet ad hoc, quòd ex illo actu Dauid promeruit fieri diuisionem in regno posteritatis suæ. Et tamen non est inconueniens, quòd peccatum Salomonis esset promeritorium huius; quia satis stat esse multas causas partiales eiusdem effectus licet non contingat esse multas causas totales, potissimè si non sunt subordinatæ. Sed istud non stat; quia dicere, quòd Dauid ex aliquo actu suo promeruit diuisionem regni, vel quòd saltem propter aliquem actum illius Deus regnum diuiserit, videtur esse valde irrationabile: nam supra 8. & 9. dicitur, Quòd si Salomon custodiret mandata Domini, sicut custodiuit Dauid, semper esset thronus regni Israel in posteritate sua: si tamen Dauid promeruisset diuisionem istam, dato quòd Salomon peccaret, vel bene ageret, nihil mutaretur; quia etiam si esset sanctissimus, necesse erat fieri diuisionem regni, si Dauid illam promeruisset, & propter peccata illius Deus futurum diuisionem sententiasset: & tamen est contra literam: ergo ex solo actu Salomonis fuit diuisio. Item Deus dixit, quòd regnum diuideretur; eo quòd non custodierat Salomon præcepta Dei, sicut Dauid, supra in litera: ergo videtur, quòd Dauid non promeruerat diuisionem: quia alioquin Salomon custodiens præcepta Dei, non magis, quàm Dauid poterat meriri diuisionem. Item supra in litera dicitur, quòd Deus non abstulit totum regnum posteritati Salomonis propter Dauid, sed reliquit vnam tribum: nimis ergo repugnant, quòd Dauid promeruit diuisionem, & quòd ipse meruerit, vt non totaliter diuideretur

F *Opinio Nicol. & Hebræo.*

regnum,

A regnum, sed manerent duæ tribus cum posteritate Salomonis: quòd mereri, & demereri ab oppositis causis sunt. Sed litera manifestè vult, quòd Salomon demeruerit oblationem totalem regni; merita tamen Dauid fuerunt in oppositum, ne totum regnum auferretur, sed diuideretur. Item Dauid admonuit Salomonem, supra 2. Vt legem Dei sequeretur, vt confirmaret Deus promissionem, quam fecerat de regno; ergo videtur, quòd si Salomon nihil demeruisset, confirmatũ fuisset regnum in eo, & in posteris suis. Si tamen Dauid promeruisset diuisionem, dato quòd Salomon fuisset sanctissimus, non confirmaret Deus primam promissionem, quam fecerat de regno super totum Israel: ergo videtur, quòd Salomon demeruit solus istam diuisionem, & non Dauid. Cum autem obijcitur, quòd cum Dauid dixit, quòd Siba, & Miphiboseth diuiderent inter se, promeruit diuisionem regni. Dicendum, falsum esse, quia licet peccauit Dauid tunc, peccatum suum non fuit graue, potissimè ad diuisionem promerendam, vt declaratum fuit præcedenti libro, cap. 19. Cum autem dicitur, quòd venit vox de cœlo dicens Roboam, & Ieroboam diuident inter se regnũ. Dicendum istud falsum esse, quia sunt figmenta Iudæorum, multa enim alia insana confingunt.

An Israelitæ poterant deponere Salomonẽ de Regno pro criminibus suis: & an peccarent non deponendo, cum esset publicus idololatra.

B

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR vlterius, an Israelitæ poterant deponere Salomonem de regno pro criminibus suis. Respondendum, quòd crimina Salomonis erant duplicia: quædam erant de cultu idolorum: alia autem de præuaricatione aliorum præceptorum legis. Si de secundis loquamur, dicendum, quòd non licebat Israelitis deponere Salomonem. Pro quo sciendum, quòd non erat simile de Regibus illis, qui fuerunt in principio Regni Iudæorum, & de Regibus nostris. Nam Reges nostri in multis casibus possunt deponi, siue per Papam, siue ab ipsis regnicolis. Ad hoc autem non est idem modus: sed secundum diuersitatem terrarum sunt diuersæ leges municipales, tangentes de statu Regum, & depositione eorum. In principio tamen Regni Iudæorum erat ista præsuppositio, quòd pro nullis criminibus, quæ essent circa idololatriam, poterant Israelitę priuare Regem suum. Et ratio huius erat: quia Israelitæ non instituebant Regem: ideo nec ipsi poterant destituere, vel deponere eum; quia instituere, & destituere ad eundem pertinere debent, sicut absoluere, & condemnare. Et quòd maius est, abundantioris potestatis est priuare, quàm instituere; quia inter corporalia & spiritualia istud differt, scilicet, quòd corporalia facilius destruuntur, quàm construantur, : incorporalia autẽ facilius construuntur, quàm destruantur: ideo ad deponendũ aliquem, vel degradandũ maior potestas, & solennitas requiritur, quàm ad ordinandum eum, & sic de omnibus alijs iuribus incorporalibus. De hoc extra de translatione Episcop. vel Electio. Capit. Inter corporalia: Sed Israelitæ à principio non habebant potestatem sibi eligendi Regem, sed Deus eligebat eum, & vngebat per Prophetas suos, vt patet de Saule, supra 1. libro, cap. 9. & 10. De Dauid, eodem libro, cap. 16. De Salomone autem, præcedenti libro, cap. 7. & 1. Paralipomenon 22. Ideo Israelitæ non audebant repugnare Regibus suis, licet mali essent; nec deponebant eos, expectantes quòd Deus deponeret illos, vel iudicaret de illis, vt vellet. Istud apparet ex verbis Dauid, supra 1. libro, cap. 26. Scilicet, Quis poterit manũ mittere in Christum Domini, & innocens erit? Quasi dicat, Nullus poterit quicquam agere contra eum, quin peccet. Et hoc non solum occidendo eum, vel mutilando, sed etiam deponendo illos, vel saltem insurgendo contra eos: quia si liceret eos deponi, liceret etiam illos occidi, in casu, in quo nullo modo poterant deponi, nisi cõmisso bello: & bellum non poterat separari, nisi occiso Rege: Dauid tamẽ dixit, Viuit Dominus quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descẽdens in prælio perierit; propitius sit mihi Dominus, vt non mittam manũ meam in Christum Domini: ideo pro nullis peccatis licebat eos deponi. Si autem dicamus de idololatria, dicendum, quòd istud erat crimen exceptum, quia pro hoc crimine iusserat Deus, quòd vir occideret vxorem suam, & filios, & filias, Deuteronom. 13. ideo à fortiori regem deponi liceret pro hoc crimine potissimè, quia rege idololatrante, facilius totus populus declinaret ad idololatriam, sicut peccãte summo sacerdote, totus populus peccabat, Leuit, 4. Ideo satis videtur, quòd Israelitæ possent deponere Salomonem de regno propter publicam idololatriam. Sed fortè ideo non deponebant, quia Deus dixerat, quòd semper maneret regnum in posteritate Dauid, si tamen ipsi priuarent Salomonem, non maneret regnum in hac posteritate, ideo non audebant priuare Salomonem, putantes se agere contra ordinationem Dei, sed expectabant, quòd Deus ipse aliter prouideret. Hoc videtur quibusdam, sed veritas declarabitur seq. quæst.

Papa potest aliquãdo deponere Reges.

D

Pro sola idololatria rex poterat deponi inter Iudæos.

Israelitæ, an peccauerunt non deponendo Salomonem.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR, an Israelitæ peccarent, quia non deponebant Salomon, cum esset publicus idololatra, & tamen lex iubebat idololatras occidi. Respondendum, quòd si Salomon totaliter subesset potestati populi, poterant Israelitæ priuare eum, & lapidare, quia cõperto crimine idololatriæ, lex iubebat non parci peccantibus, Deut. 13. & 17. Respondendum, quòd aut quæritur de tempore illo, quo Salomon peccabat, & nihil fuerat sibi denunciatum de diuisione regni per Prophetam, aut de tempore illo, quòd fuit post reuelationem per Prophetam. Si dicatur de secundo tempore, dicendum, quòd non licebat Israelitis priuare Salomonem regno, quanquã esset idololatra, quia Deus intromittebat se de punitione illius, ideo cessabat potestas populi. Et si fortè populus vellet priuare Salomonẽ post illam prophetiam, peccaret, quia sententia populi esset contra sententiam Dei, cum Deus vellet, quòd Salomon etiamsi peccaret, maneret in regno, & non diuideretur tempore eius, sed filij sui. Populus autem, priuando Salomonem regno, faceret quod ipse non maneret in regno, nec filij sui, ideo peccarent istud faciendo. Si autem loquamur de tempore priusquam denunciaretur Salomoni diuisio regni futura, videbitur alicui, quòd Israelitæ licitè possent, & deberent deponere eum propter idololatriam, cum lex imponeret mortem irremissibilem pro hoc crimine, Deuteronom. 13. & 17. & tunc præiudicarent sententiæ Dei, quia Deus non se intromittebat tunc de punitione Salomonis. Sed dicendum, quòd adhuc Israelitæ non poterant deponere in ipsum Salomonem, quia Deus dixerat ad Dauid, quòd quanquam filij sui peccarent, non auferret ab eis misericordiam suam, sed corriperet Deus in virga virorum: ergo non erat auferendum regnum ab eis, quanquam peccarent, quòd satis patet præced. libro, cap. 7. Si tamen Israelitæ deponerent Salomonem, auferrent misericordiã Dei ab eo, ideo ipsi peccarent. Et sic per hoc præcluserat eis Deus viam ad hoc, quòd non possent punire Salomonem, nec aliquẽ de posteris eius priuando eum regno. Ideo dicendum, quòd etiam si Salomon faceret peccata grauissima contra Deum, non poterant Israelitæ priuare eum, si tamen peccaret contra eos grauiter, scilicet opprimendo eos valde iniustè, vel deducendo eos in seruitutem, poterant rẽsistere ei; non tanquàm iudiciariè deponentes eum, sed recedendo ab eo, vel repugnando ei, tanquam hosti; quia nulla lex diuina priuat hominem legitima defensione, nec aliqua lex tam grauis est, quæ totaliter subijciat hominem voluntati alterius, sed solum subijcitur, inquantum manet homini legitima defensio. Cum autem nullus locus defensionis iustæ manet, nulla obedientia est, nec ad regem, nec ad Papam, nec ad quemuis hominem, eo quòd potestas hominis à Deo est, & quæcunque à Deo sunt ordinata sunt, ad Rom. 13. Vnde potestas Ecclesiæ, quæ maxima est, non est in destructionem, sed in constructionem. Si tamen esset aliqua lex, quæ totaliter subijceret hominem vnum alteri, non relicto aliquo loco iustæ defensionis, illa traderet potestatem in destructionem, ideo cuicunque potestati, vel Principi quando omnino exit limites rationis,

E

Lex iusta quæ.

F

repugnandum est. Sic enim esset si Salomon omnino grauaret subditos. Nec ad hoc obstabat diuina prænunciatio, scilicet, quòd nunquam auferretur regnum de manu eius, & filiorum suorum, quia istud non erat mandatum, sed prænunciatio, quæ nullum obligat; cum non proferantur per modum obligandi, sed per modum iudicandi eorum euentum. *Si igitur audieris omnia, quæ præcepero tibi.* Hic denunciat Deus ipsi Ieroboam quomodo poterat regnum eius perpetuari, scilicet, si ipse, & filij sui obseruarent mandata Dei. Et dicitur: Quæcunque præcepero tibi, id est, quæcunq; præcepi in lege, quæ generaliter ad omnes pertinet. Vel quæcunque præcepero, id est, præcipiam per Prophetas: nam Deus sæpe mittebat Prophetas ad reges iubendo aliquid. *Et ambulaueris in vijs meis.* Scilicet, in lege mea, quæ est via per quam ego iussi hominibus ambulare. *Et feceris quod rectum est coram me.* Id est, feceris id, quod ego iudico esse rectum, & non quod tibi placet: nam quando homo peccat, agit id, quòd sibi rectum videtur, quia omnis malus est ignorans tertio Ethicorum, & tamen non agit quòd est rectũ coram Deo; ideo peccat. *Et custodieris mandata mea, & præcepta mea.* Per intelliguntur omnia tria genera præceptorũ, scil. moralium, iudicialium, cæremonialium, & nulla alia sunt in lege.

Sicut fecit Dauid seruus meus. Nolebat Deus obligare reges ad nunquam peccandum, ad hoc, quòd conseruaret eis statum suum. Nam dato, quòd aliquando peccarent modo humano, dum tamen isti peccata nõ essent directè contra cultum Dei, scilicet, declinando ad idola, Deus faciliter remittebat, & conseruabat eis statum suum. Sic patet de Dauid, qui peccauit aliquando satis grauiter contra Deum, quia tamen nunquam declinauit ad idola, conseruauit ei statum suum; & dixit, se non petere aliquem virum perfectiorem Dauid, sed quòd custodirent reges præcepta Dei, sicut custodierat Dauid. *Ero tecum.* Scilicet adiuuando te in omnibus, quæ inceperis. Sic dicitur Deuteronom. 12. & 16. Et lætaberis in omni opere manuum tuarum, id est, lætum finem habebis de omni opere manuum tuarum. Sic etiam dicitur præceden. libro, cap. 8. quòd Dominus fuit cum Dauid, atque protexit, & conseruauit eum ab omnibus hostibus. *Et ædificabo tibi domum fidelem.* Vocatur domus fidelis, id est, domus firma, vel immutabilis, scilicet, quòd si Ieroboam seruaret legem Dei, Deus faceret, quòd posteri sui post eum semper regnarent, & non esset aliqua mutatio regni de posteritate sua in aliam progeniem. Sic dicitur de Sadoc supra 1. lib. capitulo 2. Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, & ædificabo ei domum fidelem, id est, firmam de qua nunquam moueatur sacerdotium. *Quomodo ædificaui domum Dauid.* Id est ego ædificaui Dauid domum fidelem, quia ipse secutus est præcepta mea, quanquam posteri eius mali sunt: ita ego suscitabo omnibus posteris tuis domum fidelem, si tu secutus fueris mandata mea: Quòd autem Deus ædificauerit Dauid domum fidelem, patet præcedenti libri cap. septimo. *Tradam tibi Israel.* Id est, tradã tibi decem tribus, quæ vocantur Israel: aliæ autẽ duę tribus vocabãtur Iuda, ex causa supra assignata. *Et affligam semen Dauid super hoc.* Id est, si tu fueris bonus, affligã filios Dauid propter te. q.d. si tu fueris bonus prosperabitur regnũ tuum: & quia tu, & filij Dauid estis cõpetitores, quando tu prosperaberis, illi deprimentur: & si tu male ages deprimeris, & cõsequenter ipsi prosperabuntur. Et sic fuit multis diebus; quia quãdo reges de tribu Iuda nõ peccabãt, Deus faciebat eos victores contra Israel, cum verò peccarent, subijciebantur Israelitis, vt patet ex processu istius libri, & sequentis. *Verùntamen non cunctis diebus,* id est, non durabit istud omni tempore. Istud potest intelligi dupliciter. Vno modo, quòd in hoc prænuncietur euentus progeniei Ieroboam, & regni decem tribuum, & est sensus, quòd quanquam aliquo tempore Deus afflixerit filios Dauid propter Israelitas: tamen non durauit hoc super, quia decem tribus ductæ fuerunt in captiuitatem à rege Assyriorum, seq. libro, cap. 17. & ex tunc non afflixit Deus filios Iuda propter Israetas. Aliter potest intelligi, quòd hic, prænuncietur sub conditione status, qui secuturus erat in progenie Ieroboam, si ipse non offenderet Deum, scilicet, quòd affligeret viros de tribu Iuda propter Israel, & tamẽ non semper, quia tempore Messiæ, qui venturus erat de tribu Iuda mutaretur iste status regnorum, & non affligerent viri de regno Israel viros de regno Iuda, sed reducerentur omnia ad vnum, scilicet, quia propter legem nouam Messiæ, quam susciperent cessaret inter eos pristina discordiæ. Rabba Sa. dicit, quòd intelligitur hoc de aduentu Messiæ: Nam ipse subiecturus erat sibi omnia regna terræ, vt ipse vult, & tunc decem tribus restituerentur ad regnum Iuda. Ista fuit opinio Iudæorum ab antiquo: vnde etiã tempore Christi sic opinabantur Iudęi, & quia discipuli sui credebant eum esse Messiam, dixerunt ad eum, quando ascendebat in cœlũ: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? id est, restitues ad hoc, quòd sit sub potestate regni Iudæ, Messias tamen non erat temporaliter damnaturus, sed si viri de regno Iuda, & de regno Israel non offendissent Deum, manentes sine crimine vsque ad aduentum Messiæ, ipse concordasset eos, ne inuicem sibi nocerent. Quia cum peccauerunt viri Israel, & translati sunt ac terram Medorum, & persarum, non facta est aliqua concordia, cum ista verba Dei intelligantur si Ieroboam ambulauisset in mandatis Dei. *Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam,* scilicet, audiuit Salomon quomodo Ahias prænunciauerit Ieroboam regnaturum: ideo Salomon voluit occidere eum, ne regnaret.

Salomon an peccabat cum vellet occidere Ieroboam.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR an Salomon peccabat volendo occidere Ieroboam. Aliquis dicet, quòd sic, quia volebat occidere eum propter prophetiam regni sui, sed istud à Deo erat, & sine voluntate Ieroboam; quia non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto dictante 2. Petri cap. 2. Respondendum, quòd in Ieroboam apparuerunt duo. Primum erat, quòd ipse insurrexit contra Salomonem desiderio regnandi, antequam Ahias aliquid diceret. Secundum erat, quòd Ahias locutus est ei de regno futuro. Pro primo istorum poterat Salomon licitè occidere Ieroboam; eo quòd committebat contra eum crimen læsæ maiestatis, non habens aliquod motiuum rationabile. De secundo autem dicendum, quòd aut Ieroboam audiens illa verba Ahiæ manere volebat in statu suo priori, quousque Deus de illo aliter disponeret, complendo in eo promissionem suam: aut volebat prætextu huius prophetiæ insurgere contra Salomonem clam, vel palam ad inuadendum totum regnum, vel partem. Si primò istorum modorum, Dicendũ, quòd Salomon peccaret volendo eum occidere, quia Ieroboam nihil mali meruerat per hoc, quòd promissio de regno futuro ad eum fiebat; quia istud non pendebat ex voluntate sua, aut potestate, sed ex dispositione Dei, pro qua nihil mali meremur. Si secundo modo, Salomon poterat iustè occidere Ieroboam; quia licet Deus promisisset ei regnum, tamen non dicebat, quòd ipse per se illud acciperet, sed quòd Deus sibi daret, & quòd non daret tempore Salomonis, sed tempore filij sui. Quòd igitur vellet Ieroboã conspirare cõtra Salomonẽ, erat hoc propria auctoritate, & non ex Dei mandato, vel promissione, ideo licitè poterat occidi. Istud autẽ verum erat, nisi fortè Deus promitteret regnum ipsi Ieroboam, vt persequeretur, vel deleret filios Salomonis, & ipsũ Salomonẽ, quia ad idololatriã declinauerat, quia tunc immediatè poterat Ieroboam, habita opportunitate, pugnare contra Salomonem, & contra posteritatẽ suam. Sic fuit de Iehu, quem Deus iussit in regẽ vngi, vt deleret stirpẽ Achab, & immediatè ipse cœpit occidere dominũ suũ, & filios eius, seq. libr. cap. 9. & 10. & hoc fuit Deo valde gratum, vt patet ibidem. Non tamen fuit datum tale præceptum Ieroboam; & sic nihil agere debebat viuente Salomone. Sed respondendum est vt supra responsum fuit. *Qui surrexit, & aufugit in Ægyptum.* scilicet Ieroboam videns, ꝙ Salomon persequeretur eum ad mortẽ, fugit de Israel in Ægyptum. *Ad Sesac regem Ægypti.* Iste Sesac erat tunc rex Ægypti, & non erat iste Pharao cuius filiam acceperat Salomon in vxorem, quia tunc nõ ausus fuisset Ieroboam fugere in Ægyptum, quia socer Salomonis occideret eum. Item patet, quia iste Sesac rex Ægypti, postea venit ad pugnandũ contra Roboam, in quinto anno regni sui, & rapuit ea, quæ Salomon fecerat scuta aurea infr. 14. Si tamẽ fuisset socer Salomonis, nõ venisset ad pugnandũ

A contra filium eius: ſed erat rex alius,& non de ſucceſſione illius Pharaonis ſoceri Salomonis, quia in Ægypto mutabantur proſapiæ ad regnandum,ſcil. quodã tempore regnabant viri de vna progenie, & alio tempore viri de alia progenie,& ſic iſte Pharao non pertinebat aliqua cõſanguinitate, vel affinitate ad Salomonẽ,vel Roboam filiũ eius. *Et fuit in Ægypto vſque ad mortem Salomonis.* Toto tempore illius non auſus eſt venire in terrã Iſrael, nec etiã mortuo illo venit timens Roboam,quouſq; Iſraelitæ miſerunt ad vocandũ eũ in Ægyptũ. *Reliquum autem.* Hic ponitur quartum, ſcilicet, Salomonis. mors, & tumulatio, & dicitur. *Reliquum autem verborum Salomonis.* Id eſt, omnia alia, quæ locutus eſt, vel omnia alia quæ egit. Nam verbum ponitur ſæpe pro ipſa re, quæ fit. Sic patet ſupra 1.lib. c. 3. ſcil. Faciam verbũ,quòd qui audierit tinnient ambæ aures eius, id eſt, faciam rem mirabilem. *Et omnia quæ fecit.* Scilicet omnia ædificia ſua, & multa alia, in quibus apparuit magnificus. *Et ſapientia eius.* Scilicet, de ſapientia eius pauca ſcripta ſunt hic : ſed cætera, quæ omiſſa ſunt enarrantur in libris de quibus hic dicitur. *Ecce vniuerſa ſcripta ſunt in libro verborum dierum Salomonis.* Iſte liber verborum dierum Salomonis fuit ſcriptus tempore Salomonis, ſicut ſcribuntur annalia quorumcunq; gentium volentium habere hiſtorias. Et erat iſte liber authenticus, & fuit ſcriptus ante hunc librum, quia iſta compilatio librorum regum facta eſt per Ieremiam, vt dictum eſt in prologo huius libri : non tamen fuit ille liber ſcriptus poſtea.

Salom. mors & tumulatio.

B

Liber Dierum Salomonis quis fuerit.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRETVR, quis fuerit liber Dierum Salomonis. Aliqui reſpondent, quòd iſte eſt liber Paralip. in quo ſupplentur hiſtoriæ, quæ in libris Regum omiſſæ ſunt. Sed dicendum,quòd non ſtat; quia ibi nõ ponuntur plura geſta Salomonis, quam hic, ſed potius ponuntur hic plura, quam ibi. Item ibi fit remiſſio ſuper factis Salomonis ad quoſdam alios libros,ſicut hic. Dicendum,quòd iſte liber Dierum Salomonis poterat eſſe aliquis liber annalium. Nam reges magni conſueuerunt apud ſe habere Hiſtoriographos, qui annalia conſcribunt, ſcil. quæ in quolibet anno accidunt in regno,& pro quolibet rege ſcribuntur ſic diuerſi libri annaliũ. Iſti libri erant valde vulgati inter Hebræos tempore Ieremię, qui ſcripſit hanc compilationem, & quia in illis annalibus Salomonis erant geſta eius latiſſimè deſcripta, remittit Ieremias ad libros illos, vt ibi videantur, quæ hic minus habentur. Aliter poteſt dici,quòd iſta nõ ſint annalia,ſed quod aliqui Prophetæ ſcripſerunt geſta Salomonis, quia erant contemporanei ſui,& illi vocantur libri dierum Salomonis,quia ibi ſcripta erant omnia geſta temporis ſui. Sic patet 2. Par. 9. Reliqua verò operum Salomonis priorum, & nouiſſimorũ ſcripta ſunt in verbis Nathan Prophetæ,& in libris Ahiæ Silonitis, in viſione quoque Addo videntis contra Ieroboam. Et iſtud ſecundum videtur verius. Iſti autem libri non fuerunt tranſlati ab Eſdra, quando reparata eſt tota lex ab eo, quæ combuſta fuerat à Chaldæis. Cauſa autem quare non tranſlati ſunt, fuit illa, quam aſſignauimus ſupra. 4. de quibuſdam libris hiſtoricis Gad Prophetæ, quare non tranſlati fuerint. *Dies autem quos regnauit Salomon in Ieruſalem ſuper omnem Iſrael.* Regnum Salomonis ſemper fuit in Ieruſalem. Ibi enim tenuerunt ſedem omnes reges de tribu Iuda. Regnauit autem ſuper totũ Iſrael. Et iſtud ponitur ad differentiã Dauid,qui primò regnauit in Hebron,deinde in Ieruſalem,ſcil. 7. annis, & dimidio in Hebron ſuper tribũ Iuda, & 33. annis in Ieruſalem ſuper totum Iſrael, præced. lib. ca. 5. & ſupra 2. *Quadraginta anni ſunt.* Ioſephus dicit, quòd regnauit 80. annis, vt patet 8. antiquitatum, ſed non eſt recipiendum dictũ ſuum, cum ſit manifeſtè contra ſcripturam. Potiſſimè, quia hic, & 2. Paralip. 9. ponuntur ſolum 40. anni. Aliqui volunt ſaluare Ioſephum dicentes, quòd Salomon regnauerit 80. annis. Et 40. annis illorum regnauit ambulans in præceptis Dei, alijs autem 40. declinauit ad idololatriam, ideo ſcriptura ſacra non poſuit niſi 40. annos, quibus vixit in lege Domini. Sed iſtud improbatũ fuit ſupra. Item non ſtat, quia ſcriptura ponit annos regum ſingulorum ad certificandũ de temporibus, ſiue ergo vixerint benè, ſiue malè, oportet quòd omnes anni eorum exprimantur, alioquin nulla certificatio fiet temporis. Item ſi ponerentur anni, quibus vixit bene aliquis rex, & ſubticerentur alij, cum multi fuerint reges tam Iuda, quam Iſrael, qui ſemper malè vixerunt, non deberet poni aliquod tempus illorum, & tamẽ nullus eſt rex cuius non ponantur tempora, vel in libris iſtis, vel in Paral. ergo non attenditur, quòd benè, vel malè, vixerit quantum ad diſcretionem annorum. Ideo dicendum,quòd nunquam ſubdicentur anni alicuius regis propter peccata, ſed ſiue benè, ſiue malè vixerit, non differt, ideo Salomon ſolum 40. annis regnauit, & illorum quædam pars in bono, & quædã in malo fuit. *Dormiuitq; Salomon cum patribus ſuis.* id eſt, mortuus eſt ſicut omnes patres ſui. Vocatur autem dormitio mors, eo quòd mortui nihil operantur, ſicut dormientes. Vel aliter vocatur dormitio mors naturalis, quæ fit ſine aliqua violentia; eo quòd homines ſic quietè moriuntur, ſicut qui quietè dormiunt. *Et ſepultus eſt in ciuitate Dauid patris ſui.* Vocatur ciuitas Dauid caſtrum montis Sion,quia poſtquam expugnauit locum illum, & cepit de manu Chananæorum, ſiue Iebuſæorũ,ædificauit muros in circuitu,& vocauit locũ illum ciuitatem Dauid,precedenti libro,5. In iſto caſtro erat ſeparatus quidam locus ſepulchrorum regalium. Ibi enim ſepultus eſt Dauid, & nunc Salomon, & alij reges,qui merebantur honorem regalem. Quidam autem ita erant viles, q̃ populus nolebat eis exhibere honorem regalem in ſepulchris,& ſepeliebat eos in hortis,& in alijs locis extra vrbẽ,vel in vrbe. Sic enim fuit de rege Manaſſe, qui fuit turpiſſimus, & ſepultus eſt in horto Oza. Amon quoque rex malus erat, & in eodem horto ſepultus eſt, ſeq. lib. cap. 21. Ioram etiam, quia malus fuit,licet ſepultus fuerit in ciuitate Dauid,tamen non in ſepulchris regum 2. Paralip. 21. Idem fuit de rege Ioas peſſimo 2.Paral.24.Salomon autem turpiſſimus fuit,ideo nõ merebatur honorem regalẽ in ſepulchro; quia tamen ædificauerat templum, & nobilitauerat populũ, ſepultus eſt in ſepulchro regũ apud Dauid. *Regnauitq; Roboam filius eius pro eo.* Iſtud ponitur per anticipationem. nam de regno Roboam ſequenti capite. agitur.

C

Quadraginta anni regnauit Salom. contra Ioſephum.

D

E

F

CAPVT XII.

VENIT autem Roboam in Sichem. Illuc enim congregatus erat omnis populus Iſrael, ad conſtituendum eũ regem. At verò Ieroboam filius Nabat,cum adhuc eſſet in Aegypto profugus à facie regis Salomonis, audita morte eius, reuerſus eſt de Aegypto.

DESCRIPTO in præcedentibus regno Dauid, & Salomonis vnico: hic agitur de regno poſteritatis diuiſo, quòd diuiſum eſt in regnum Iuda & Iſrael. Et quia regnum Iuda erat principalius, regnum autem Iſrael erat, quaſi per accidens; ideo primò agitur de regno Iuda,& conſequenter de regibus Iſrael contemporaneis regibus Iuda, & quantum ad iſtum modum, eſt proceſſus iſtius libri, & ſequentis. Et diuiditur in tria; quia primò agitur de Roboam, & Ieroboam ſibi contemporaneo. Secundo de Abia, & Aſa regibus Iuda, & de regibus Iſrael ſibi contemporaneis infr. 15. Tertio de Ioſaphat rege Iudæ,& de Achab rege Iſrael ſibi contemporaneo infra 17. Contigit autẽ iſta diuiſio regni tempore Roboam, & Ieroboam, ideo primò ponitur regni diuiſio: ſecundò vtriuſq; regis conditio ibi. *Ædificauit autem.* Prima diuiditur in tres partes,quia primò ponitur diuiſionis occaſio: ſecundò ipſa diuiſio ibi. *Videns itaque populus.* Tertiò diuiſionis confirmatio ibi. *Venit autem Roboam.*

An ordo ſit continuus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an inter hæc & præcedentia ſit ordo continuus, & an iſta fuerint immediatè facta poſt præcedentia,vel magno tempore poſt. Ad primum

A dicendum, quòd est continuus ordo; quia supra dicebatur de regno, & morte Salomonis: hic autem agitur de regno Roboam filij sui; ideo istud necessariò fuit post illud. Ad secundum dicendum, quòd istud factum est immediatè post præcedentia, quia mortuo Salomone non est credendum, ꝙ populus vellet manere multo tempore sine rege, sed mox ad eligendum filium suum Roboam conuenerunt. *Venit autem Roboam in Sichem.* Est Sichem quędā ciuitas in sorte Ephraim, in qua sepulta erant ossa Ioseph, Ios. vlt. Et ista fuit vna de ciuitatibus refugij, Ios. 20. Fuit etiā data sacerdotibus ad habitandum, Ios. 21. *Illuc enim congregatus erat omnis Israel.* scilicet, omnes 12. tribus Israel conuenerant in Sichem: nam ibi erant maiores populi, de omnibus tribubus missi à ciuitatibus, & locis, vt nomine cæterorum consentirent in constitutione regis. *Ad constituendum eum in regem.* scilicet, ad vnguendum eum, quia in regibus fiebant cæremoniæ vnctionis, sicut factæ sunt in Salomone, vt declaratum est supra 1. Et non veniebat populus ad eligendum regem, quasi incertum esset, quis futurus esset rex, sed ad vngendū ipsum Roboam, cui soli competebat ius successionis. Nam non legitur Salomon alios filios habuisse, licet habuit duas filias, quas dedit in vxores duobus prępositis suis supr. 4.

Quare omnis Israel conuenit ad constituendum regem Roboam in Sichem, potius quam in Ierusalem.

B

Qvæstio II.

Qværetvr, quare populus cōuenerat ad cōstituendum regem ipsum Roboam in Sichem, quia videtur, quòd potius debuissent cōuenire in Ierusalem, quia ibi erat sedes regni, etiam ibi erat templū Domini. Nicolaus respondet, ꝙ hoc fuit, quia locus ille erat quasi in medio regni, & poterat illuc populus conuenienter congregari ex omnibus partibus regni. Aliam rationē dat, scil. quia in Sichem vnctus fuerat in regē primus rex Israel, scil. Abimelech filius Gedeonis, Iud. 9. Sed ista non multum stant; quia Sichem nō stabat in medio regni, sed magis declinabat ad meridiem, quā ad septentrionē. Secunda causa minus stat, eo quòd Abimelech vsurpauit sibi regalem honorē per intrusionem quandam, & fraudes, & impietatem, & post eum non successerunt immediatè reges sicut prius, sed solum fuerunt iudices, vnde scriptura non facit mentionē de illo tanquā de rege, & sic non mouerentur Israelitæ ad eundum illuc, quia ibi fuerat prima coronatio regis. Item si aliquis honor exhiberetur illi loco propter primam coronationē regis, fuisset ibi coronatus quilibet alius de regibus præcedentibus ad Roboam, & tamē non coronatus est ibi Saul, sed, in Masphat supra 1. lib. c. 10. Et iterum coronatus est in Galgala eod. lib. c. 11. Dauid autē coronatus est bis in Hebron, præced. lib. c. 2. & 5. Salomō autē coronatus est in Ierusalem sup. 1. cap. non ergo iret populus, ad coronandū Roboam in Sichem, propter coronationē primi regis factam ibi. Aliquis dicet, ꝙ iuit illuc populus ꝓpter honorē Ioseph, quia ibi sunt sepulta eius ossa, quę ducta sunt de Ægypto, Iosue vlt. Sed obijcietur, ꝙ tunc potius debuisset ire populos in Hebron ad constituendum regem, quia ibi erant sepulti Abrahā, Isaac, & Iacob, Sara, Rebecca, & Lia, Gen. 49. Dicendū igitur, ꝙ non apparet determinatè causa, quare illuc iuerint, sed factum est, quia sic conuentum erat inter populū, & Roboam, & de his non est multū curandum. *At verò Ieroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus à facie regis Salomonis.* Fugerat enim ex eo tēpore, quo Salomon cognouit dicta fuisse verba Dei ad Ieroboam per Ahiam, & ipse cępit repugnare Salomoni occultè. *Audita morte eius, reuersus est de Ægypto.* scil. ipse illico, vt audiuit mortē Salomonis, redijt de Ægypto, iam nō timens aliquem, cum mortuus esset Salomō. Vel potest intelligi, quòd aliqui de Israelitis miserunt ad vocandum eum. *Miserunt ꝙ, & vocauerunt eum.* scil. vocatus est ad constitutionē regis, eo ꝙ ipse erat vnus de principibus Israel. Fit autem mentio, quòd vocatus est Ieroboam, eo ꝙ in cōstitutione ista, facta discordia, sumptus est ipse in regē. Iosephus tamē 8. antiq. dicit, ꝙ Principes populi miserunt repente in Ægyptum, & vocauerunt Ieroboam, & tunc ipse venit cum eis ad Roboam. *Venit ergo Ieroboam, & omnis multitudo Israel, & locuti sunt ad Roboam.*

C

Iste Ieroboam ponitur hic tanquam Princeps Israelitarum, petentium à Roboam diminutionem tributorum, eo quòd erat Princeps magnus in Israel. Vel forte dato, ꝙ alij essent maiores eo, nominatur ipse expresse, quia paulò post hoc factus est Rex. *Dicentes: Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis.* Dicetur, quomodo Salomon imposuit graue iugum? Quia supra 9. & 2. Paral. 8. dicitur, ꝙ non constituit de filijs Israel seruire quenquam. Respondendū, quòd non iussit eis seruire manualiter in operib⁹ domus suę, & in alijs ędificijs, quæ egit. Nam in istis ædificijs cogebat Salomon solum seruire ipsos alienigenas, qui erant subiecti ei sub tributo supra 9. & tamen in tributis pecunialibus Israelitæ seruiebant Salomoni. Historia autē Scholastica dicit, ꝙ non erant subiecti tributo, sed soluebant vectigalia ad expensas regis. Sed istud non refert quo nomine tributa censeantur, quia non est nobis contentio de nomine, cum ipsi Israelitæ tantū dicant, se coactos ad seruiendū Salomoni, quòd quasi videbantur serui, sic patet 2 Par. 10. scil. Pater tuus durissimo iugo nos pressit; tu leuiora impera patre tuo, qui nobis grauem imposuit seruitutem. *Tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui durissimo.* scil. nō imperes nobis tam dura, sicut imperabat pater tuus. Ista duricies erat in impositione magnorum tributorum. *Et de iugo grauissimo, quod imposuit nobis.* Idem est iugum grauissimū, & imperiū durum, sed vocatur imperiū durum, quantū ad ipsum regem, qui dura imperat. Vocatur autē iugum grauissimū, quantū ad ipsos subditos, qui graues impositiones tolerare coguntur. *Et seruiemus tibi.* id est, seruiemus tibi grato animo.

D

E

Salomon in principio regni bene se habuit quoad Deum, & populum, in fine malè.

Qvæstio III.

Qværetvr, quomodo Salomon tanta onera imponebat, vt videretur populus redactus in seruitutē. Nam Salomō erat Rex bene se habens ad Deum, & ad subditos; & populus gaudebat habens ipsum in principē, si tamen tantū opprimeret populum peccaret, & nunquam esset bonus rex. Respondendum, quòd Salomon à principio regni in omnibus bene se habuit, in fine autē regni in omnibus male egit, ideo à principio colebat Deum, non recedens de mandatis eius, & populū bene tractabat, in fine autē vitæ, sicut deprauatum est cor eius per mulieres, vt coleret idola, ita & deprauatus est erga populum, scil. quia ex magna auaritia exigebat tributa immensa, & sic grauabat populum nimis, nunc autem voluerunt liberari de hac seruitute.

An Israelitæ iustè potuerunt petere aliquas conditiones à Roboam.

F

Qvæstio IIII.

Qværetvr, vlterius, an Israelitæ poterant ponere hanc conditionem Roboam, scilicet, quòd alleuiaret eis de tributo, & seruirent ei. Respondendum, quòd in coronationibus, vel constitutionibus omnium regum, consueuerunt populi componere legem cum rege suo, ita quòd ipsi promittant ei obedientiam, & famulatum, & rex iuret obseruare ea, quæ ipsi petierint ab illo, & tunc si rex noluerit assentire petitionibus eorum, recedunt ab eo iustè. Nam ipsi, qui habent regem, non habent eum in dominum propriè loquendo, sed in rectorem, qui positus est ad procurandas vtilitates subditorum, & non suam, vt patet Ethi. 8. & si secus agat non est rex, sed tyrannus, & deponi meretur. Non est tamē iustum, regem iniustè agentem, pro quocunq; grauamine subditorū deponi, nisi sit valde magnū, vel nisi efficiatur incorrigibilis. Quia si pro quolibet crimine deberet deponi, grauius damnum sequeretur populo, & scandala multa quàm in tolerando aliquantum iniustum principatum: populus ergo, vt prouideat vtilitati suæ, non debet deponere regem pro quocunq; crimine. Simile ponit Arit. 2. Polit. c. De politia Hippodamij, dicens de legibus, ꝙ non debet lex mutari quandocunque reperiatur iniusta, & inueniatur alia melior, nisi sit magnū grauamen, quia maius

Rex nō est dominus, sed procurator subditorū.

Princeps nō debet deponi pro quacunq; iniustitia.

erit

A erit damnum, quod incurretur propter mutationem frequentem legum, quam id quod patientur tolerando legem aliqualiter iniustam. Nam si mutarentur leges frequenter, periret omnis auctoritas legum, quia efficeretur populus assuetus ad non obediendum legibus. Ideo dato, quòd aliquis institutus sit in regem, progenitores sui superregnauerint, si grauauerit nimis subditos suos, licitè receditur ab obediẽtia eius, quia reges non sunt verè domini, sed rectores, ideo inter eos, & subditos suos est aliquid iustũ politicũ, & quando cessauerit illud iustum, cessabit omnis cõmunicatio subditi, & principantis. Si autẽ reges essent verè domini, dato quòd grauarent subditos suos, nõ poterunt recedere ab eis iustè, nec possent conqueri de illis, quia inter dominum, & seruũ, non est aliquid iustum politicum, vt patet 5. Eth. quia seruus est possessio domini sui, vt patet ibidem, & seruus est homo simpliciter alterius 1. Polit. cap. 2. Quia tamen facilius est, aliquem non recipere, quam eijcere, cum turpius eijciatur, quam non admittatur hospes, consueuerunt omnes populi antequam aliquem super se in regem constituant, firmare cum eo pacta regni, quæ rex iurat obseruare, & si non vult iurare habet iustissimam causam populus, non recipiendi eum in regem. Sic autem fuit nunc de Hebræis, quia grauiter oppressi fuerant tempore Salomonis, & nõ potuerũt liberari eo viuente ab hac seruitute. Nunc autẽ, quia instituebatur rex nouus, & verisimile erat, quòd ipse vellet omnia B iura petere, quæ pater suus exigebat, cum sit consuetudo regnantiũ nouas inuenire exactiones, & veteres nunquã minuere, habebant opportunitatem Israelitæ nunc ad hoc, q̃ liberarentnr ab hac seruitute, componendo cum rege suo, quòd non grauaret eos, sicut Salomon grauabat. Et si nollet assentire, poterant ab eo licitè recedere, ideo conuenienter posuerunt Israelitæ conditionem istam ipsi Roboam. *Qui ait eis, Ite vsque ad tertium diem, & reuertimini ad me* Petiuit enim Roboam inducias trium dierum, & in hoc prudens fuit, quia erat causa ista nimis præiudicialis, scilicet, quia agebatur de magna parte status sui, scilicet, an relaxaret magnam partem tributorum populo, id autem, quòd nunc responderet super hoc facto, debebat manere pro semper, ideo cum magna deliberatione respondendum erat. *Cumque abijsset populus, iniuit consilium Rex Roboam cum senioribus.* Istud totum factum est in Sichem, vbi Roboam coronandus erat, & dabatur dilatio trium dierum, post quos si rex bene responderet, coronaretur. Et dicitur, quòd iniuit consilium cum senioribus, quia in illis est prudentia propter magnitudinem temporis, in quo possunt esse multæ experientiæ, & per experientias causatur prudentia, ideo difficile est, iuuenes esse prudentes quanquam facile sit eos esse mathematicos. 6. Ethi. *Qui assistebant coram Salomone patre eius, dum adhuc viueret.* Scilicet, Roboam voluit habere eosdem consiliarios, C quos habuit Salomon. Habuit autem Salomon multos assistentes sibi, qui erant consiliarij eius de hoc supra 4. Historia scholastica dicit, quòd isti erant Sadoc, & Banaias, & cæteri principes, quia assistebant Salomoni, isti sunt, qui nominantur supra 4. Sed satis videtur dicendum, quòd assistentes Salomoni essent alij, quia ibi ponuntur expressè ferè omnes principes Salomonis. Deinde sequitur, Azarias filius Nathan super eos, qui assistebant regi, & sic isti assistentes erant distincti à reliquis principibus, qui nominantur ibi. *Et ait, Quod mihi datis consilium, vt respondeam populo.* Scilicet, super q̃ quæstione hac de diminutione tributorum. *Qui dixerunt ei, Si hodie obedieris populo huic.* Isti senes loquebantur conuenienter. Videbant enim populum esse concitatum animo, & ad rebellandum paratum, ideo nisi leniretur verbis pacificis, faciliter repugnaret. Voluerunt ergo senes, quòd nunc Roboam condescenderet omnibus verbis populi, & inciperent seruire ei placato animo, & post hoc poterat, si vellet, grauare eos tributis, & tunc non repugnarent, quia non haberent opportunitatem repugnandi, & sic falleret eos saltem verbis. *Et petitioni eorum cesseris.* Id est, condescenderis nihil mutando de eo, quod ipsi petunt. *Locutusque fueris ad eos verba lenia.* Quanquam non essent verba vera, dum tamen essent lenia, sufficiebat ad placandum tunc animum populi concitatum, quia responsio mollis frangit iram, ferino durus suscitat furorem, Prouerb. 15. *Erunt tibi serui cunctis diebus.* Scilicet, dato quòd postea graues eos, non habebunt opportunitatem ad repugnandũ tibi, sicut nunc, quia tunc eris rex eorum, & nunc non es. Etiam tunc non poterunt congregari ad repugnandum, sicut nunc sunt congregati, & ex multitudine acquirunt vires, cum autem cessauerit iste impetus animi, quem nunc habet, seruient tibi semper. *Qui dereliquit consilium senum, quòd dederant ei.* Roboam fuit in hoc superbus, nam visum est sibi, quòd minuebatur honor suus, si ipse condescenderet populo, quasi ex timore, & quia in hac responsione humiliabatur dereliquit illam. Istud autem maximè prouenit à Deo, qui excæcabat intellectum Roboam, vt traderetur in contemptum, & diminueretur regnũ suũ, vt patet 2. Paral. 10. *Et adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi.* In hoc fuit Roboam fatuus, quia requisiuit consilium iuuenum, neglecto consilio seniorum, quia in iuuenibus rara prudentia est. Vocantur hic iuuenes, non q̃ essent teneræ ætatis, sed iuuenes in sensu quia dicitur de istis, quòd nutriti fuerant cum eo, nutritio autem pertinet ad paruam ætatem, & sic quando Roboam erat paruæ ætatis, isti erant cum illo, & tamen Roboam erat nunc 41. annorum infra 14. ergo non erant isti multum iuuenes ætatẽ, sed prudentia, quia aliquis vocatur puer centum annorum, quia solum habet prudentiam puerilem, vel desideria puerilia, sic patet. Isai. 65. scilicet, Maledictus erit puer centum annorum. Vel vocantur isti iuuenes respectu illorum, qui prius dederunt consilium Salomoni, quia illi erant valde senes, & istud intendit littera. *Dixitque ad eos, Quod mihi datis consilium, vt respondeam populo huic?* Motiuum Roboam veniendi ad consilium iuuenum fuit quia Roboam nutritus fuerat cum istis, & solebat eis exponere desideria sua, & tractare cum illis omnia, quæ agere debebat, ideo nunc ex quadam familiaritate inclinatus est ad consulendum illos. *Qui dixerunt mihi. Leuius fac iugum, quod imposuit pater tuus super nos.* Scilicet, Alleuia nos, tollendo aliquid de magnitudine tributorum, quæ pater tuus solitus erat imponere. Sciendum autem, quòd ista tributa, quæ Salomon imposuerat, erant annua, & iam videbantur transisse in genus iurium regalium. Nam si fuissent aliqua tributa ab accidenti posita vno anno, vel rarò, non putaret populus illa transiuisse in iura regalia, & consequenter non curaret petere à Roboam, quòd alleuiaret iugum, quia nullum adhuc esset iugum causatum, sed erant ista tributa annua, & erant æqualia omni anno, sicut supra 10. dicitur, quòd pondus auri, quòd afferebatur Salomoni per singulos annos, erat sexcentorum sexaginta sex talentorum. Et ibi expositum est, quòd intelligatur de tributis, quæ dabantur annuatim Salomoni. Istam autem taxam, volebant Israelitæ sibi minui, & quòd singulis annis soluerent ordinariam taxam minorem. *Et dixerunt ei iuuenes, qui nutriti fuerant cum eo.* Isti responderunt peruersè in magna superbia. Istud autem fuit propter duo. Primo quia, isti iuuenes F erant semper familiariter communicantes cum Roboam, & volebant ei complacere in omnibus, & quia videbant, quòd Roboam non assentiebant responsioni senum, in qua humiliabatur, dederunt ei responsionem superbiæ, qualem ipse desiderabat. Secundum fuit, quia isti erant iuuenes, & propter paucam experientiam nesciebant, quid expediret fieri. Etiam isti nutriti erant semper in delicijs, & nunquam cognouerant aliquas aduersitates, sed in omnibus sequebantur cor suum, ideo etiam nunc sequi illud voluerant: Et quia videretur Roboam ex timore condescendere petitioni populi, & etiam videretur, quòd ipse erat minoris dignitatis, quam pater suus, scilicet, quòd ipse perciperet minora iura regni, quam pater, ideo noluerunt, quòd responderet humiliter iuxta consilium seniorum. Ista colliguntur 2. Paralipomenon 10. scilicet. At illi responderunt, vt iuuenes enutriti cum eo in delicijs. *Sic loqueris populo huic, qui locuti sunt ad te dicentes, Pater tuus aggrauauit iugum nostrum.* Scilicet, populus, qui talia petit, talem responsionem meretur, qualis est, quæ sequitur. Et dicitur, aggrauauit iugum nostrum, id est, imposuit super nos graue iugum. *Tu releua nos.* Id est, tu tolle modicum de iugo, imponendo minorem taxam tributorum. *Sic loqueris ad eos, Minimus digitus meus grossior est dorso patris mei.* Scilicet, vos putatis me esse virum parui animi, & parui honoris, & ob hoc vultis diminuere statum meum à statu patris mei, quia ad

A ipſum nunquam talia locuti eſtis, mihi autem loquimini. Ideo dico vobis, quòd non arbitremini hoc quia ego non ſum minoris cordis, nec honoris patre meo, ſed valde maior illo, nã minimus digitus meus eſt groſſior dorſo patris mei, id eſt, minima res mea eſt maior, maxima re patris mei. Et eſt conueniens Metaphora. Nam in toto corpore humano nullum membrũ eſt gracilius digito, & nullũ groſſius eſt tergo, & ſic cõparantur maxima & minima pertinentia ad Salomonem, & Roboam. *Et tunc pater meus poſuit ſuper vos iugũ graue, ego autẽ addam ſuper iugum veſtrũ*, .i. verũ eſt qp pater meus grauauit vos magnis tributis, & tamen ego nõ ſum minoris honoris, quam pater meus. Ideo ego non alleuiabo vos pluſquã ipſe alleuiauit, ſed addam maiorem grauitatem in tributis, quam ipſe poſuit, eo quòd maioris honoris ego ſum, quam ille. *Pater meus cecidit vos flagellis.* id eſt, percuſſit vos percuſſione dura, qualis eſt percuſſio flagelli. *Ego autem cædam vos ſcorpionibus*, id eſt, percutiam vos maiori cruciatu. Vocatur autẽ ſcorpio flagellum quoddam, quod in funiculis habet ſphærulas plumbi, & ſunt iſtæ ſphærulæ in fine ad hoc, quòd grauior percuſſio ſit. Et vocantur ſcorpiones, quia ſicut ſcorpio mordet cum cauda, ita iſta flagella in extremitate habẽt percuſſionem duram. Vel vocatur ſcorpio genus flagelli, quod in extremitate recuruatum eſt, ideo ex illa parte mordet, ſicut ſcorpio.

B *An peccauit Roboam reſpondendo durè populo.*

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, an peccauit Roboam reſpondendo iſta populo. Aliquis dicet, quòd non, quia Deus induxit eum ad dicendum hæc, ideo non peccauit. Iſtud patet infra, in litera. Reſpondendum, quòd Roboam ſic reſpondendo, & fuit valde ſtultus. Vnde vocatur ſtultus Eccl. 47. ſcilicet, Finem habuit Salomon cum patribus ſuis, & dereliquit poſt ſe de ſemine ſuo ſtultitiam gentis, & imminutum prudentia Roboam, qui auertit gentem conſilio ſuo. Item peccauit Roboam, quia mentitus eſt, nam dixit, Minimus digitus meus eſt groſſior tergo patris mei, in quo ſignificabat ſe maioris honoris, & dignitatis eſſe, quam pater ſuus. Sed iſtud eſt falſum, quia pater ſuus fuit excellentiſſimus in gloria, & honore, & diuitijs & ſapientia ſuper omnes reges, qui fuerant ante eum, & etiã ſupra omnes ferè, qui fuerunt poſt eum, ſupra 3. cap. Roboam autem erat, quidam vir inutilis, ſtultus, & carens omni perfectione, ſic patet 2. Paral. 13. ſcil. porro Roboam erat vir rudis, & corde pauido, nec potuit reſiſtere. Item peccauit, quia abſtulit honorem debitum patri. Nam dato, quòd filius ſit melior patre, tamẽ non debet dicere ſe eſſe meliorem illo, quia ſic non ſolum nullum honorem ei dat, ſed etiã dehonorat eum, dixit tamen Roboam, Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei, in quo patrem minorem ſe valde faciebat, ideo peccabat. Item Roboam locutus fuit verba iniuſta, & grauatoria populi, dicẽs, Pater meus cecidit vos flagellis, egò autẽ cædam vos ſcorpionibus, & pater meus poſuit ſuper vos iugum graue, ego autem addam ſuper iugum veſtrũ, ergo peccauit. Item Roboam locutus eſt ex ſuperbia, oſtentans ſe excellẽtem valde, ergo peccauit. Item Roboam per verba ſua cauſauit diuiſionem populi, & præſtitit occaſionẽ ad idololatriã, quã poſtea exercuerunt tribus Iſrael, vt colligitur Eccl. 47. ergo peccauit. Et quantum ad hoc ipſe meruit pro ſeipſo priuari regno, non ſolum quantum ad partem quandam, ſed etiam totaliter, Deus tamen non abſtulit ei totum regnum propter Dauid, vt patet præcedenti. cap. *Venit ergo Ieroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia.* Petiuerat inducias Roboam trium dierum, & populus manebat tũc in Sichem expectans tunc reſponſionem regis, vt viderent ex hoc, an coronãdus eſſet, vel non, & 3. die redierunt ad eum. Et ponitur Ieroboã tanquam princeps populi venientis ad Roboam, ex cauſa ſupra aſſignata. *Sicut locutus fuerat rex dicens.* Vocatur rex, quanquam nondum eſſet rex inſtitutus, fuit tamen poſtea rex ſuper Iudam. *Reuertimini ad me die tertia.* Iſtud dixerat à principio, quando petiuit deliberationem. *Reſponditque rex populo dura.* ſcilicet, quòd ipſe grauaret eos pluſquam pater ſuus. *Derelicto conſilio ſeniorum, quod ei dederant.* ſcilicet, quia illi volebant, quòd loqueretur populo blandè, quanquam non intelligeret ſic facere, & placaret eos ſic. *Et locutus eſt eis ſecundùm conſilium iuuenum*, ſcilicet, iuuenum, qui familiariter aſſiſtebant ei, & conſuluerunt ipſi, vt loqueretur ad populum ſuperbè, reſpondens ſe habere animum regalem. *Dicens, Pater meus aggrauauit iugum veſtrum*, id eſt, aggrauauit vos pluſquam à principio. Nam tempore Dauid, & Saulis omnes Iſraelitæ erant tributarij ipſorum regum, vt colligitur ſupra 1. libro, cap. 17. & tamen erat tunc tributum leue. Poſt autem Salomon impoſuit maiora tributa, & ſic aggrauauit iugum. *Ego autem addam iugo veſtro*, id eſt, adhuc ego imponam maiora tributa, quàm pater meus impoſuit. *Pater meus cecidit vos flagellis*, ſcilicet, ſubijciendo vos aliquibus laboribus, qui erant duri ſicut flagella. *Et ego autem cædam vos ſcorpionibus*, id eſt, imponam vobis maiores labores, qui erunt ſicut flagella ſcorpionum, reſpectu aliorum flagellorum ſimplicium. *Et non acquieuit rex populo*, ſcilicet, non conſenſit precibus eorum ad minuendum iugum. *Quoniam aduerſatus fuerat eum Deus*, id eſt, Roboam reſpondit male, quia Deus incitauit eum ad reſpondendum malè, ſcilicet, excæcando eum, ne aſſentiret ſano conſilio. *Vt ſuſcitaret verbum ſuum, quod locutus fuerat in manu Ahyæ Silonitæ ad Ieroboam filium Nabat*, id eſt, Deus excæcauit Roboam, vt compleretur verbum ſuum, quòd ipſe dixerat de Ieroboam, quòd futurus eſſet rex ſuper decem tribus Iſrael, & hoc dixerat in manu Ahyę Silonitæ, id eſt, per eum. Nam nihil per manum dicitur, cum non ſit manus organum interpretatiuum, ſed quia manus eſt organum generale, quicquid à nobis fit, dicitur per manum fieri. Sic dicitur ſæpe, Numeror. 9. quòd Deus loquebatur Iſraelitis per manum Möyſi. Et eſt ſenſus huius literæ, ſcilicet, ſi Deus non excæcaſſet Roboam ad accipiendum conſilium ſtultum iuuenum, non fuiſſet occaſio aliqua Iſraelitis, ad deſerendum Roboam, Deus tamen volebat, quòd diuideretur regnum tempore ſuo. Ideo excæcauit eum, vt non reſponderet benè, & ſic diuideretur regnum.

D

E

An Deus rectè egerit mouendo Roboam ad reſpondendum durè, & quomodo conſiſtit libertas in intellectu, & voluntate, & an Deus poſſit illam tollere.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, an potuerit peccare Roboam reſpõdendo ad populum dura, quæ locutus eſt, & an Deus rectè egerit inducendo Roboam ad malè reſpondendum. Aliquis dicet, quòd non peccauerit Roboam, quia non eſt in poteſtate hominis agere contra Dei voluntatem, ſed Deus volebat, quòd Roboam reſponderet ſic populo; ergo non poterat aliter reſpondere, patet 2. Paralipo. 10. ſcilicet, Erat enim voluntas Dei, vt compleretur ſermo eius, quem locutus fuerat per manum Ahyæ. Item aduerſari alicui, qui poterat agere bonum, vt malum agat, peccatum eſt, ſed Deus aduerſatus eſt Roboam: ergo malum fecit. Patet ſupra in litera, cum dicitur. Et non acquieuit rex populo, quoniam aduerſatus fuerat eum Deus, vt ſuſcitaret verbum ſuum, quòd locutus fuerat per manum Ahyæ Silonitæ. Item homo non poteſt agere bonum, ſine Deo, ſcilicet niſi Deus adiuuerit Ioan. 15. ſcilicet. Sine me nihil poteſtis facere, id eſt nihil bonum, vel meritorium, à fortiori ergo non poterit homo agere bonum, ſi Deus reſiſtit ei in agendo bonum, & tamen Deus reſtitit Roboam, cum dicatur hic, quòd aduerſatus eſt eum: ergo non erat in poteſtate eius bonum agere, & conſequenter non peccabat. Reſpondendum, quòd Roboam peccauit, & quòd Deus non malè egit aduerſando ei. Et quando dicitur, quòd nõ erat in poteſtate Roboam bene agere. Reſpondendũ, quòd Deus nulli homini abſtulit vnquã libertatẽ, quia nõ poteſt tolli libertas, dum homo habet potentiam volitiuam, & tamen neceſſe eſt hominẽ, dum homo eſt, ſemper habere voluntatẽ cum illa ſit pars animæ rationalis per quam homo ſubſtantiatur, ideo impoſſibile eſt hominem non eſſe liberum. Sciendũ tamen, quòd libertas operationis humanæ eſt in duobus, ſcil. in voluntate formaliter, & realiter, atq; cõpletur, in intellectu autẽ radicaliter, & principatiuè. Iſtud patet, quia voluntas habet actum volendi,

C

F

Libertas operationis humanæ in duobus.

A lendi,& nolendi,& potest habere actus contrarios circa eandem rem, quòd concludit necessario libertatem. Intellectus tamen habet radicem libertatis, quia voluntas non habet actum volendi, vel nolendi, eligendi, vel respuendi, nisi iudicetur bonum, vel malum esse id, circa quod voluntas debet elicere actum, quia voluntas non potest moueri circa aliquid nisi bonum sit, vel appareat, cum bonum sit obiectum voluntatis, ideo non poterit moueri in aliud: sicut potentia visiua non potest operari, nisi circa colorem, vel lucem, quia nulla potentia excedit obiectū suum formale, ideo voluntas nunquam mouebitur ad aliquid eligendum, nisi appareat sibi bonum, nec mouebitur ad aliquid respuendum, nisi appareat malum. Istud autem apparere, est per iudicium, scilicet, quia iudicatur res esse bona, vel mala, iudicare tamē, non est actus voluntatis, sed intellectus, ideo impossibile est, voluntatem velle, aut fugere, nisi intellectus prius iudicauerit esse bonum, vel malum id, quòd obijcitur, ergo quanquā libertas in voluntate sit, non potest ipse operari liberè, nisi opus intellectus præcedat, ideo dicitur radix, vel principiū libertatis esse in intellectu, quia ab eo præsupponitur actus per quem libertas est in operatione voluntatis. Item quod amplius est, voluntas naturaliter fertur in bonum, & istud debet iudicari per intellectum. Tanta autem est potestas intellectus in hoc quod si iudicat aliquod malum esse bonum,
B voluntas eliget illud, tanquam bonum, si autem iudicat intellectus aliquid esse malum, & illud bonum est, voluntas necessario respuet illud, tanquam malum, ideo libertas voluntatis ex intellectu principiatur, intantum quod si intellectus non habuerit aliquem actum intelligendi, impossibile est, voluntatem habere aliquem actū volendi, ideo rectè dicitur, quòd libertas formaliter, & realiter est in voluntate, radicaliter autem, & principatiuè est in intellectu. Et quia voluntas habet formaliter libertatem, & realiter, dicitur ipsa potentia libera, & actus eius vocatur liber. Intellectus autem, quia habet libertatem solum radicaliter, & principatiuè, non vocatur potentia libera, sed cæca, iuxta Aristot. & actus suus non est liber, hoc autem præsuppositō, constat ꝙ Deus non potest tollere homini actum nolendi, vel volendi, qui est formaliter liber, & ideo Deus nō cogit nos velle hoc, vel illud. Sed dicetur, quòd quanquam Deus non cogat actum voluntatis nostræ directè, & per se, tamen per accidens potest tollere libertatē nostram, scilicet, tollendo actū intellectus, in quo est principium, & radix libertatis, vt declaratum est. Respectu nostri tamen, nihil differt, quòd Deus tollat nobis libertatē volendi per se, vel per accidens. Respondendum, quòd verum est, quòd Deus potest aliquid agere contra libertatem nostram in nobis per accidens. Et hoc potest esse dupliciter, scilicet, priuatiuè, & positiuè. De primo patet, quia voluntas nostra non potest habere actum volendi, vel nolendi, nisi intellectus iudicauerit prius, aliquid esse bonum, vel malum, sed Deus potest impedire intellectum nostrum, ita quòd non habebat aliquem actum intelligendi: ergo sequitur, vt tunc non poterimus habere aliquem actum volendi, vel nolendi. Istud etiam potest fieri naturaliter, quia anima dum est coniuncta corpori, nunquā intelligit, nisi per species, quæ sunt in phantasia. Vnde quando illæ species perturbantur, sicut fit in dormientibus, quia repletur cerebrum fumositatibus surgentibus à stomacho, nihil potest intellectus intelligere. Sic etiā accidit in aliquibus ægritudinibus, ideo per accidens tunc tollitur omnis actus libertatis. De secundo modo patet, scilicet, quòd Deus potest positiuè tollere alicui actum libertatis, vtpote, aliquis secundum se erat indeterminatus ad volendum hoc, vel illud, Deus autem potest facere, quòd velit quodcunque ipse Deus vult, vtpotè si causat in intellectu eius, quòd intelligat bonum esse id, quod sibi obijcitur; tunc voluntas feretur in illud, & fortè si Deus nihil ageret in intellectum nostrum, voluntas nostra non mota fuerat ad id, ad quòd mota est, eo quòd intellectus nō iudicasset, sicut iudicauit, & quia Deus potest facere, quòd appareat intellectui nostro bonum, quodcunque ipse vult, potest facere, quòd velimus, quodcunque ipse vult. Item post facere, quòd omnia, quæ nunc volumus fugiamus: vtpote si intellectui nostro facit omnia ista mala videri: nam tunc necesse est voluntatem nostram fugere illa. Sic enim aliquando fecit Deus homini, quòd ap-

Licet Deus non cogat voluntatē per se, & directè, per accidens tamen potest dupliciter licet nunquam faciat

C pareat sibi malum, id quod prius bonum apparebat. Per istos modos Deus potest tollere libertatem nostram, & facere, ꝙ malū agamus, & tamen tunc non peccaremus, quia nō esset in potestate nostra agere contrarium, cum Deus possit mouere intellectū nostrum, aut voluntatem suam. Dicendū, tamen, ꝙ Deus non tollit nobis libertatem prædictis modis. Pro quo sciendū, quòd primo modo istorū non tollit Deus nobis libertatē, scil. priuatiuè, faciendo quòd nihil intelligamus, quia nunquā homo experitur in se, quòd aliquo tempore sit impeditus omnino intelligere, nisi impedimentum illud sit naturale, scil. propter ægritudinē, propter soporem, propter paruam, aut magnam ætatem. Dicendū tamē, quòd quanquam Deus isto modo priuaret hominem omni actu intelligendi pro aliquo tempore, non induceret eum ad peccandum, sed potius faceret eum pro tunc impeccabilē, quia peccatum est actus voluntarius, sed nō potest existere actus voluntatis, sine actu intellectus, ergo tunc non poterit peccare, & sic per accidens faceret Deus homini gratiā, tollendo omnem actum intelligendi. Secundus modus est, auferre libertatem positiuè, scil. determinando intellectū nostrum ad iudicandum aliquid esse bonum, quòd alias non iudicaret. Et istud potest esse tam ad bonum, quam ad malum, quia potest facere, quòd intelligamus bonum esse id, quòd malum est, vel quòd intelligamus malum esse id, quòd bonum est. Vel si nos intelligebamus esse aliquid bonū, & erat malum, poterit facere, quòd intelligamus, illud iam esse malum. Nunc autem dicendum, quòd Deus non facit alicui homini bono vel malo, intelligere bonum esse id, quòd malum est. Vel si homo ille prius aliquid bonū iudicabat, quòd bonum erat, & operabatur illud, nunquā faciet, quòd intelligat malū esse id, quòd bonū intillebat esse nam si Deus hoc faceret, non esset in potestate hominis bene agere, immo ꝙ peius est, cogeretur recedere ab illo bono, quòd prius agebat & istud est omnino nefariū, & iam impossibile esset hominē peccare, & Deus faceret iniustū. Interdū tamē Deus agit ecōtrario, scil. cum intellectus noster determinatus est ad iudicandum aliquid esse bonum, quòd malum est, voluntas nostra sequeretur intellectum, & faceremus malū, Deus autem sæpe mutat intellectum nostrum, faciendo quòd intelligamus illud bonum esse quòd bonum est, & isto modo Deus homines valde peccatores interdum subito mouet ad diligendum ipsum nimis, & per hunc modū mouet omnes homines, quos vult venire de peccato ad gratiam, quod patet, quia postquam homo est in peccato, ex seipso non habet aliquas vires resurgendi. Sed Deus mouet intellectum suum, faciendo quòd appareat ei illud opus, quod prius egit, esse detestabile, & tunc incipit dolere de illo. Et illud, quia Deus pulsat corda nostra, de hoc Apoc. 3. scil. Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum, & cænabo cū eo. Et intelligitur de pulsatione cordis, cui nos possumus assentire vel dissentire, si tamē Deus nō pulsaret cor nostrum, impossibile erat, nos surgere de peccato. Et sic intelligitur Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere .i. si ego nō pulsauero mouendo vos. Et quia Deus sēper pulsat, interdū tamē pulsat efficaciter, ita vt quasi necesse sit aperire ei, & interdum pulsat leuiter, & non mouemur ad illum, orare debemus Deum, vt semper efficaciter pulset, & moueamur in ipsum: ideo Salomomon quando erat deuotus nimis, orauit ad Dominum dicens; Inclinet Deus corda nostra ad se, vt ambulemus in vniuersis vijs eius, & custodiamus mandata eius, sit quoque cor nostrum perfectū cum domino Deo nostro supra 8. Sic etiam Deus dixit, Deut. 5. quòd Israelitæ susceperunt legem, & erant deuoti, scilicet, Bene omnia sunt locuti. Quis det eos talem habere mentem, vt custodiant omnia mandata mea? quasi dicat, ꝙ habere talem mentē ab aliquo prouenit, scil. à Deo. Istā autem, quæ dicta sunt frequentissimè apparent in hominibus manentibus in peccato, qui tamē nō ponunt obstaculum ad exeundum de peccato. Aliqui tamen sunt interdum, qui nolunt recedere de peccato, & volunt, ꝙ Deus nunquā eos moueat ad exeundum de peccato, sed potius, quòd maneant in eo, vt semper delectētur in ipso, sicut illi de quibus Iob 21. Qui dixerunt Deo recede à nobis, scientiam viarum tuarū nolumus. Et tamē Deus istos interdū mouet quasi violenter ad volendū contratriū, scil. faciēdo, ꝙ intelligāt, valde

Deus mutat intellectum nostrū (æve ad bonum

malum

malum esse id, quòd prius putabant valde bonum. Sic patet de Balaam, qui conabatur maledicere Israelitis, & orabat Deum, vt permitteret maledicere, vt sic lucraretur magnam pecuniam. Et tamen cum iret ad maledicendum, illicò Deus mouebat intellectum eius, faciendo, quòd appareret ei malum, maledicere illis, & incipiebat benedicere, vt patet Nu. 23. & 24. Per istos modos ergo Deus indirecte tollens libertatem nostram, mouet nos ad bene agendum, & nunquam ad male agendum, quanquã æque faciliter poterat nos mouere ad malum, sicut ad bonum. Et sic nullus potest conqueri de Deo, quòd ipse inclinet eum ad malum. Sed obijcietur, quia sæpe in scriptura dicitur, quòd Deus moueat nos ad malum. Sic patet Isa. 63. scilicet, Tu Domine pater noster, & redemptor noster. Quare errare nos fecisti de vijs tuis, & indurasti cor nostrum ne timeremus te? Respondendum, quòd ista auctoritas est nimis grauis in litera contra libertatem nostram, & tamen ista, & aliæ similes expositæ sunt Iosue 11. vbi latissimè actum est de prædestinatione, & præscientia Dei, an inducat necessitatem rebus. Sed breuiter dicendum, quòd Deus dicitur interdum indurare cor nostrum, & interdum excæcare, & aduersari nobis. Istud autem non est tollendo directè libertatem, quæ est in voluntate, quia istud impossibile est, vt declaratum fuit. Etiam non fit hoc, mouendo intellectum nostrum ad hoc, quòd intelligat bonum esse id, quòd malum est, & sic erremus, quia istud nunquam Deus facit, & si faceret, non peccaremus. Sed sciendum, quòd vltra voluntatem nostram, & intellectum, qui sunt duo principia ad causandum actum liberum, Deus operatur aliquid in nobis per modum intellectus, & per modum voluntatis. Nam sicut in moralibus voluntas, & intellectus sunt principia operationis, vt patet 6. Eth. & tamen ista non perfectè, & conuenienter mouent ad actus bonos moraliter, quousque intellectus perficiatur habitu prudentiæ, per quem determinatè sciat, quid bonum & quid malum est, & voluntas perficiatur habitibus virtutum, per quos faciliter, & delectabiliter inclinetur ad eligendum bonum moraliter, quanquam durum sit, & ad fugiendum malum moraliter, quanquam delectabile sit, quæ determinatè faciliter, & delectabiliter fieri non poterant, sine habitu 2. Eth. scilicet, Signum generati habitus est, delectationem aduenire operibus. Ita in operibus respectu Dei, facit ipse in intellectu nostro aliquid, mouendo illum, & determinando ad iudicandum bonum esse, quòd bonum est, & istud est illuminare. Ad voluntatem autem Deus agit aliquid, quòd mouet eam per modum habitus moralis, ad agendum, quòd bonum est, & ista est gratia pulsatiua, quæ alio modo vocatur gratia præueniens, & ista mollificat animam faciendo eam ad hoc, quòd velit aliquid, quòd bonum est, etiam si sit durum. Ista duo Deus facit nobis ex gratia, & liberalitate sua, ideo si interdum subtrahat illa nobis, potissimè ex culpa nostra, dicitur Deus nos excæcare, inquantum subtrahit illud lumen, per quid intellectus determinabatur ad iudicandum bonum. Dicitur etiam indurare cor nostrum, inquantum non apponit gratiam mollificantem, quæ faciliter moueret voluntatem nostram ad bonum. Et sic homo excæcatur, & induratur à Deo interdum. Et istud tetigit Isa. dicens in prælegata auctoritate, scilicet, Quare errare nos fecisti de vijs tuis, scilicet, excæcando intellectum nostrum, quia errare ad intellectum pertinet, & non ad voluntatem, & indurasti cor nostrum? Istud pertinet ad indurationem voluntatis. Dicendum ergo, quòd quando Deus nos excæcat, vel indurat, non facit iniuriam nobis, quia non tollit aliquid nostrum, nec perturbat intellectum nostrum aut voluntatem, sed manent in sua libertate naturali, sed solum cessat à conferendo gratis id, quid prius conferebat. Item quid maius est, Deus nunquam subtrahit istam illuminationem, & gratiam pulsatiuam, nisi propter magna peccata hominis, Et tunc sicut Deus poterat infligere aliam pœnam positiuam, ita infligit istam priuatiuã, scilicet, quòd cessat ab illuminando, & pulsando per gratiam. Et sic dicimus, quòd aliquando vnum peccatum est pœna alterius, scil. quia propter aliquod peccatũ graue, vel propter multa Deus cessat illuminare aliquem, & pulsare eum pẽr gratiã, & propter priuationẽ istam incidit iste priuatus in aliud peccatũ & illud est pœna peccatorum priorum. Ex hoc etiam sequitur, quòd mala, quæ aliquis agit postquam excæcatus à Deo, & induratus est, imputantur ei iustè ad pœnam; eo quòd manet ei plena libertas agendi, vel non agendi, cum Deus non priuet eum actu intellectus, & voluntatis, nec perturbet istos actus in illo, sed solum cessat ab illuminando, & mollificando, quòd prius faciebat ex mera libertate. Sic autem fuit in Roboam, quia Deus non perturbauit intellectum suum, ita vt intelligeret malum esse consilium seniorum, & bonum esse consilium iuuenum, nec etiam coegit, vel induxit voluntatem suam ad hoc, quòd eligeret consilium iuuenum, & non seniorum, sed solum subtraxit lumen suum, quòd prius præstabat ipsi Roboam, & per hoc dicitur excæcatus Roboam, & inclinatus fuit potius ad consilium iuuenum quam seniorũ. Dicendum tamen, quòd dato, quòd Deus excæcaret Roboam, subtrahendo lumen suum nõ cogebatur Roboam sequi consilium iuuenum, sed erat in libertate sua quid vellet sequi, homo tamẽ destitutus diuino adiutorio, facilius in malum, quàm in bonum inclinatur, ideo Roboam incliuatus fuit ad sequendum consilium iuuenum. Ad rationes in contrarium respondendum. Ad primam cum dicitur, quòd homo non potest agere contra Dei voluntatem. Dicendum, quòd voluntas Dei, quæ est permissionis, est contra, quam homo nunquam potest agere, sed bene agit contra voluntatem signi. In quo sciendum, quòd si nos possemus agere contra voluntatem Dei, esset Deus impotens, & ob hoc, siue malum, siue bonum faciamus, non est contra voluntatem Dei, quia vtrunque est à Deo volitum, sed bonum, quòd agimus, est volitum voluntate operationis, malum autem est volitum voluntate permissionis, non tamen aliquis meretur, vel excusatur à culpa, quia vult sicut Deus vult, immo semper peccat, quando vult sicut Deus vult voluntate permissionis. Cum autem dicitur, quòd homo non potest agere contra voluntatem Dei. Dicendum, quòd nõ est intelligendum, quòd homo cogatur velle aliquo modo determinato, quòd Deus vult, quia tunc benè tolleret libertatem. Sed est sensus, quòd qualitercunque homo velit, non poterit velle contra voluntatem Dei, quia si vult bonum, vult cum voluntate Dei operationis. Si autem, vult malum, conformatur voluntati Dei permissionis. Et sic fuit voluntas permissionis Dei, quòd Roboam malè responderet nunc. Et per istam responsionem habuit locum prophetia Ahyæ Sylonitę de regno Ieroboam. Ad secundum, cum dicitur, quòd aduersari alicui, qui bonum poterat agere, vt malum agat, peccatum est. Respondendum, quòd aduersari directè ad malũ, scilicet, consulendo malum, vel inducendo ad malum peccatum est. Quòd tamen per accidens interdum sequatur malum ex actu nostro, non est inconueniens, vtpote siquis aliquem indignum priuat cibo in pœnam alicuius delicti, & ille priuatus furatur, & alias non furaturus esset, præbetur ei occasio ad malum ex pœna inflicta, & tamen illa iustè inflicta est. Sic enim ex quacunque pœna, quantumcunque iustè inflicta, potest sequi malum in ipso punito, scilicet, saltem impatientia, & tamen non sequitur ex hoc, quin pœna iustè fuerit inflicta, & tamẽ iste iustè infligens potest dici, aduersari punito ad malum, quia præstat ei quandam occasionem ad malum. Ita Deus, cum priuat aliquem lumine, & gratia pulsatiua, excæcando & in durando eum, dicitur aduersari sibi, quia est in eo quædam pronitas ad peccandum, quæ nõ erat prius, & tamen ista excæcatio, induratio iustè infligitur pro peccatis præcedentibus, & sic fuit in Roboam. Vnde nõ fuit Deus iniustus aduersando ei. Ad tertium cum dicitur, quòd non potest homo bonum agere, nisi Deus moueat eum, concedendum, & tamen non cogitur agere malum, quanquam Deus eum non moueat. Cum autem dicitur, q̃ si Deus resistit homini, non potest bonum agere. Dicendũ, quòd resistere accipitur dupliciter. Vno modo pro perturbare, ita quòd Deus turbaret intellectum, vel voluntatem hominis, faciendo quòd non inclinaretur ad bonũ, & tunc impossibile erat, quòd moueretur homo ad bonum, sed ageret malum, & non peccaret. Alio modo dicitur Deus repugnare homini, scilicet, quia non adiuuat ipsum, quanquam non perturbet eum, & sic dixit Christus, Qui non est mecũ, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Et hoc modo resistit Deus homini interdum, scilicet, quando excæcat, & indurat eum, quia tunc non adiuuat ipsum, &

tamen

A

Deus indurare, & excæcare cor nostrũ & aduersari nobis quomodo dicitur.

B

C

An quãdo Deus indurat, & excæcat nos faciat nobis iniuriam.

D

Excæcatio seu indurat io Roboam in quo fuit.

E

F

Resistere dupliciter

A tamen tunc non cogitur homo malè agere. Apparet ergo ex prædictis, quòd quanquam Deus aduersatus est Roboam, tamen ipse peccauit loquendo ista ad populum.

An excæcatio seu induratio causata in Roboam fuerit propter peccata sua, vel propter peccata Salomonis.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm ista excæcatio & induratio, quæ vocatur aduersitas Dei, nunquam sit, nisi pro peccato, quare fuit in Roboam, & an potuit esse ex peccato Salomonis? Respondendum, quòd sicut præcedenti quęstione declaratum est, semper Deus mouet hominem illuminando, & mollificando, nisi propter peccata subtrahat interdum istã illuminationem, quia tamen homo non demeretur per actum alterius, sed per actum suum, non potest directè causari in homine excæcatio, vel induratio, nisi propter peccata sua. Sciendum tamen, quòd excęcatio, & induratio, sunt causa alicuius actus inordinati, sed iste actus potest esse dupliciter. Quia interdum est ad hoc, quòd homo perdat aliquod bonum temporale, vel incidat in aliquas aduersitates, & tamen peccet mortaliter, sicut homo interdum ex defectu consilij cadit in manus hostium, & poterat esse aliquis homo, qui communiter benè iudicabat, & tamen aliquando propter
B peccatum suum Deus subtrahat ei lumen, quod præstat ei, & tunc iudicabit insipienter, & incidet in manus hostium, & in alias calamitates, & tamen non est hic aliquod peccatum, sed pœna. Secundo modo excęcatio, & induratio sunt causa peccati mortalis, vt si quis à Deo adiutus prius benè iudicabat, & rectè operabatur: postea autem destitutus à Deo malum eligit, & malum operatur. De primo modo dicendum, quòd potest aliquis excæcari, & indurari propter peccata alterius, sicut potest temporaliter puniri filius pro patre, quantum ad Dei iudicium, Exodi 34. & Numer. 14. De secundo modo dicendum, quod non causatur excæcatio, & induratio in aliquo propter peccata alterius, sicut non punitur vnus pro alio æternaliter. Nunc autem in Roboam excæcato, & indurato fuit vtrumque istorum, scilicet, pœna temporalis, quia caruit maiori parte regni: fuit etiam peccatum mortale, quia ipse peccauit respondendo ista populo, vt probatum fuit supra in quadam quæstione. De primo dicendum, quòd Roboam excæcatus est, nõ propter se, sed propter Salomonem, quia Salomon meruerat diuidi regnum, vt patet præcedenti cap. & ibi dixit Deus, quòd quamquam ipse meruisset, tamen non diuideret regnum tempore eius, sed tempore filij sui: ergo filius propter patrẽ punitus, excæcatus & induratus fuit. De secundo dicendum, quòd Roboam peccauit per hãc indurationem, & quantum ad hoc non fuit causa Salomon; sed ipsemet Roboam fecerat aliqua peccata, quæ merebantur huiusmodi excæcationem.

C *Videns itaque.* Hic ponitur secundum huius cap. scilicet, ipsa regni diuisio, & dicitur: *Videns itaque populus, quòd noluisset eos audire Rex.* Id est, viderunt, quod nolebat exaudire. Et ponitur audire, pro exaudire. *Respondit ei dicens: Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hæreditas in filio Isai?* scilicet, si haberemus aliquã partem Dauid, ita quòd essemus de progenie eius, dato quòd Roboam nos grauaret, deberemus sustinere propter cognationem, quia tamen sumus extranei, nec habemus aliquam partem in eo aut in posteritate eius, non debemus sustinere istam aggrauationem, sed recedere à Roboam. Et dicitur quę pars est nobis in Dauid, & quæ hæreditas in filio Isai, pro eodem; quia Dauid, & filius Isai idem sunt, cùm Dauid esset filius Isai, supra 1. lib. cap. 16. Ista verba erant conuenientia ad causandam discessionem, ideo Seba filius Bochri, cùm voluit rebellare Dauid, dixit ad totum Israël, quæ nobis pars in Dauid, &c. præcedenti libro, cap. 20. & tunc totus Israël recessit per tribum Iuda, eodem cap. *Vade in tabernacula tua Israël.* Id est, non cures iam de Roboam, nec de posteritate Dauid, ad hoc, quòd obedias illi, vt Regi, sed vade in tabernacula tua, & curam age de rebus tuis. Ista sunt verba populi admonentis se ipsum, ad recedendum à Roboam. *Nunc vide domum tuam Dauid.* Possunt esse verba increpatoria, vel insultantium, scilicet, tu Roboam respondisti malè populo, ideo nunc vide domum tuam, id est, vide in quo consistit domus tua, quasi dicat, non manebit tibi honor, quem prius habebas principando omnibus tribubus. D

Aliter potest intelligi sine insultatione, scilicet, recede Israël in tabernacula tua, & tu Dauid vide domum tuam, id est quilibet sit iam habens curam de se ipso, scilicet, Israël de se ipso, & Dauid de domo sua, id est, de tribu Iuda, quæ est domus sua, & cognatio. *Et abiit Israël in tabernacula sua.* scilicet, omnes viri, qui erant congregati in Sichem de decem tribubus expectando responsum Roboam, audito hoc recesserũt in ciuitates suas, nolendo coronare Roboam in Regem. *Super filios autem Israël, quicunque habitabant in ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam*, scilicet, recesserunt omnes decem tribus nolentes constituere Roboam in Regem, sed factus est Roboam Rex super omnes Israëlitas, qui habitabant in ciuitatibus Iuda, scilicet, quia illi antequam recederent de Sichem, constituerunt eum in Regem. Et dicitur de habitantibus in ciuitatibus Iuda, scilicet, tam Iuda quàm Beniamin, quia etiam fuit Rex Roboam super tribum Beniamin, vt patet infra in litera. Et tamen omnes ciuitates Iuda, & Beniamin vocantur ciuitates Iuda, eo quòd accipitur Iuda pro regno Iuda, & non pro tribu, vel sorte.

An decem tribus peccauerint recedendo à Roboam, & an si non respondisset durè, potuissent licitè recedere.

QVÆSTIO VIII. E

QVÆRETVR an peccauerunt decem tribus Israël recedendo nunc à Roboam. Aliquis dicet, quòd non, quia Deus approbauit istam discessionem, & eo volente facta est, ergo bona fuit. Sed respondebitur, quod non concludit, quia omnia mala pœnalia, quæ aliquibus eueniunt, Deo volẽte eueniunt, eo quòd non est malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit, Amos 3. & tamen manifestum est, quòd multi infligunt alijs pœnas iniustè, & peccant. Sed adhuc dicetur, quòd quando aliquis præiudicat alteri, licèt Deus voluerit, quod præiudicaretur illi in pœnam, si tamen præiudicans voluerit satisfacere, dissoluendo grauamen, recipitur dissolutio grauaminis, imò iura humana compellunt ad dissoluendum talia grauamina, Deus tamen noluit, quod istud grauamen dissolueretur, quia cùm filij Iuda vellent pugnare contra decem tribus Israël, vt reducerent eas ad se, Deus dixit, quòd non pugnarent, vt patet infra in litera, quia ipse fecerat istam diuisionem: ergo non peccauerunt Israëlitę, recedendo à Roboam. Respondendum vno modo, quod Deus non prohibuit hic fieri satisfactionem, sed petere illam. Stat autem benè, quòd aliquis mereatur grauamẽ, quod suscipit, & tamen ille, qui infligit, non possit iustè infligere, ideo tunc qui grauatur, non poterit petere dissolutionem grauaminis, qui tamen grauauit illum, licitè poterit dissoluere grauamẽ, imò tenebitur dissoluere. Sic patet in proposito, quia Roboã F
merebatur quantum ad Dei iudicium priuari maiori parte regni propter peccata Salomonis, vt patet præced. cap. ideo, quòd populus recederet ab eo, iustũ erat quantum ad ipsum, & sic ipse nõ poterat petere dissolutionem grauaminis, quia verè non erat grauamen. Si tamen comparetur ad populum, qui recessit ab eo, fortè non habuit iustam causam recedẽdi, ideo populus tenebatur ad ipsum redire, quamquam ipse nõ posset petere, quòd populus rediret ad eum. Nunc autẽ Deus non dixit Israëlitis, quòd non redirent ad Roboam, quia fortè si ipsi voluissent redire, Deus acceptasset redditum, sed solùm prohibuit hic viros Iuda, volentes pugnare contra decẽ tribus Israël, ad reducendum eas ad vnitatem regni sicut prius, sed Roboam non habebat ius petendi hoc, vt dictum est, ideo non patet ex hoc, quòd peccauerint decem tribus, recedendo à Roboam, quamquam ipse non habuerit ius petendi vnitatem regni. Aliter dici potest, quòd adhuc dato, quòd Israëlitæ vellent redire ad Roboam, & Deus diceret, quod non redirent, nõ sequebatur, quòd non peccassent recedendo ab illo, quia ipsi egerunt sine causa, Deus autem vellet, non reintegrari vnionem ex aliqua causa in pœnam ipsius Roboam, sed id, quod ipsi nesciebant, non poterat excusare eos, ideo nõ excusantur, quin peccarent. Respondendum tamẽ, quod his non obstantibus, recesserunt Israëlitæ sine peccato à Roboam, & causa est, quia cuilibet est permissa defensio à Deo

Excæcatio semper est propter peccata, et aliquãdo propria, aliquando patris vel alteri.

Roboã excæcatus est propter se, & propter Salomonem.

Regni diuisio.

A legitimè habita, qui ergo non est seruus, non cogitur à Deo seruire alicui, sed Israëlitæ erant liberi, & habebãt reges super se, non vt dominos, sed vt rectores. Si igitur reges eorum vellent subijcere eos in seruitutem, vel grauare supra modum, licitè poterant recedere ab eis, sicut quælibet gens potest recedere à rege suo, quando fuerit valde iniustus, vt declaratũ est supra in quadam quæst. Roboam tamẽ volebat nimis opprimere Israëlitas: nã dixit: Pater meus cecidit vos flagellis, ego aũt cædam vos scorpionibus, pater meus posuit super vos iugum graue: ego autem addam super iugum vestrum, ideo populus poterat licitè recedere ab eo vt non reduceretur in seruitutem, cùm non obligaretur seruire ei, nec alicui alteri.

An licuisset decem tribubus decedere à Roboam si humanè respondisset.

Qvæstio IX.

Qværetvr vlteriùs, si non respondisset grauiter Roboam, an posset populus ab eo recedere licitè? Aliquis dicet, quod sic, quia Deus prædixerat, quod recederẽt decem tribus à Roboam, præced. cap. ergo poterant recedere, etiam si Roboam nõ responderet grauiter. Respondendum, quòd non licebat istis decem tribubus recedere à Roboam, nisi ipse aliquid egisset dignum discessione regni; Istud autem poterat esse, quandocunque nimis grauaret subditos suos. Vnde si à principio respondisset malè Roboam, sicut respondit, poterant licitè recedere ab eo, sicut fecerunt. Si autem non respondisset malè, non habebant tunc iustam causam recedẽ di. Si tamen postea grauaret subditos, quanquam à principio benè respondisset, poterant recedere ab eo, quocunque tempore grauaret illos. Istud autem non erat speciale in Roboam, sed etiam si Salomon, vel Dauid grauasset nimis populum tributis, vel seruitute alia, poterant recedere ab eo, licèt isti essent Reges vncti à Deo, quia populus non erat seruus eorum, sed subditus. Cùm autem obijcitur de prophetia diuisionis regni. Dicendum, quòd ista non dabat aliquod ius recedendi Israëlitis à Roboam, quia prophetia nunquam est mandatum de agendo, vel non agendo, sed est prænunciatio de euentu rerum, ideo nullum obligat, quia solum præceptũ est quod obligat. Vnde Israëlitis non debebat esse cura de verificanda prophetia Dei, quia cùm ipse prænunciasset hoc, ipse verificaret illud, & non egebat adiutorio Israëlitarum. Item Israëlitæ debebant intelligere, quòd ista prophetia dicta erat cum conditione, vel subintelligebatur conditio, scilicet, si Roboam grauaret populum, ideo si non reperirent aliquod grauamen, debebant intelligere, prophetiam non esse complendam, & sic quousque viderent causam rationabilem, non debebant recedere à Roboam. Item cùm sæpè prophetiæ intelliguntur secundùm comminationem, & non secundùm firmam Dei sententiam, vt patet Ierem. 18. & Ezech. 33. debebant interpretari Iudæi, istam prophetiam dictã esse secundùm comminationem, & ideo si non impleretur, non erat inconueniens, sed Deus, qui illam secundùm sentẽtiam firmam protulerat, verificaret eam. Si autem esset secundùm comminationem, non compleretur, ideo si Israëlitæ prætextu prophetiæ huius recederent à Roboam, nulla alia existẽte causa, cùm aliàs de iure communi, scilicet, ex promissione Dei facta ad Dauid, præced. lib. c. 8. peccarent, & tenerentur redire ad vnitatem regni.

An duæ tribus potuissent etiam recedere à Roboam.

Qvæstio X.

Vlterivs quæretur, an illæ duæ tribus, scilicet Iuda, & Beniamin, quæ manebant cum Roboam, potuissent recedere ab illo propter ista verba dura, quæ dixit. Aliquis dicet, quod non, quia non recederent ab eo, maneret posteritas Dauid sine regno, & tamen Deus dixerat quòd non auferretur regnum totaliter, sed diuideretur, ideo cogebantur istæ tribus manere cum Roboam. Item Deus dixit, quòd decem tribus solùm daret Ieroboam: ergo necesse erat, quòd duæ tribus manerent cum Roboam. Respondendum, quòd duæ tribus poterant recedere à Roboam sicut omnes aliæ, quia ista verba Roboam grauabant omnes de regno suo, cùm diceret, quod imponeret eis graue iugum, ideo quilibet poterat recedere ab illo. Nec obstat prophetia, quia sicut declaratum est supra, quòd decem tribus excusabantur, si propter solam prophetiam recederent à Roboam, ita nec duæ tribus obligarentur ad manendum cum Roboam ex sola prophetia, si aliàs haberent iustam causam recedendi, constat tamẽ, quod habebant iustam causam recedendi, quia Roboam dixerat, quod grauaret eos nimis, ideo non obstante prophetia, poterant licitè recedere ab eo. Imò dicendum, quòd si prophetia obligaret duas tribus ad manendum, non magis obligarentur manere tribus Iuda, & Beniamin, quæ manserunt, quàm oẽs aliæ, eo quòd prophetia nõ determinauit, quę tribus manere debebant cum Roboam, & quæ recedere, sed quælibet debebat putare, se obligatam esse ad manendum cum Roboam. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd illud erat prophetia, & non mandatum, ideo non obligabat Israëlitas, plus quàm si nunquam dicta fuisset, sed si nunquam dicta fuisset illa prophetia, liceret omnibus Israëlitis ex causa iusta recedere à Roboam: ergo etiam nunc licebat, non obstãte prophetia, ad Deum autem pertinebat verificare illam. Et sic erat, quia ipse mouit cor decem tribuum, vt recederent pro grauamine, quod Roboam promittebat se facturũ. Duas autem tribus Deus mouit ad permanendum, scilicet, quòd quanquam Roboam diceret, tamen vellent manere cum illo; Ipsæ tamen libertatem habebant ad recedendũ. Ad secundam rationem eodem modo dicendum, quòd prophetia erat, & non præceptum, ideo non obligabat. Si tamen obligaret, nõ magis istas duas tribus, quàm alias obligasset, vt suprà dictum est. *Misit igitur rex Roboam Aduram, qui erat super tributa.* scilicet, misit eum ad decem tribus, quæ recesserant ab eo, vt redirent ad pristinam vnitatem regni. Iste Aduram erat constitutus super tributa tempore Salomonis, & nunc volebat Roboam, quod esset super tributa tempore suo. Iste vocatur Adoniram, supra 4. ca. *Et lapidauit eum omnis Israël, & mortuus est.* scilicet, decem tribus, ad quas iuit Aduram, lapidauerunt eum, & mortuus est lapidibus.

Aduram ad quid missus est ad decem tribus.

Qvæstio XI.

Qværetvr, ad quid missus est Aduram ad decem tribus. Aliqui dicunt, quod missus est ad petendum tributa. Quod colligunt ex duobus. Primò, quia recesserant istę decem tribus à Roboam, & volebat ipse experire, an verè recessissent, & ad hoc iussit peti tributa regalia ab eis, vt si negarent tributa, pateret eas omnino recessisse à Roboam, & tunc sciret ipse, quid expediebat ei agere contra illas. Si autem tributa soluerent, manifestum erat eas non recessisse ab eo. Secundum est, quia dicitur hic, quòd misit Roboam ipsum Aduram, qui erat super tributa: ergo videtur quod mittebat eũ ad petendum tributa, quia aliàs frustra fieret mẽtio, quòd erat Aduram super tributa. Sed videtur dicendum, quòd non missus est Aduram ad petendum tributa, sed ad aliquid alterum: nam adhuc Israëlitæ erant in Sichem cũ ipso Roboam, ad quem locum venerant ad coronandum ipsum. Quod patet, quia quando Israëlitæ lapidauerunt Aduram, Roboam timuit, & ascendens super currum, fugit in Ierusalem, vt patet in litera, non ergo peteret tributa tam cito, sed expectaret aliquot dies, scil. postquã Israëlitæ irent in ciuitates suas. Item non est verisimile, quòd Roboam peteret tributa, quia nondum constitutus fuerat in Regem, ideo non debebantur ei tributa, & dato, quòd Israëlitæ denegarent illa, non ob hoc ostendebant se rebellare, sed agerent de iure suo, dicentes, se non esse obligatos ad soluendum, nisi Regi: Roboam autem nondum erat Rex. Dicendum igitur, quòd non missus fuit Aduram ad petendum tributa, sed solùm ad reconciliandum populum: nam cùm Roboam vidit totum populum contra se motum propter stultam responsionem suam, agnoscens culpam, voluit reconciliari populo, & ad hoc misit Aduram, qui erat vir honorabilis, vt ipse loqueretur populo ex parte Regis, quòd Rex ex inaduertentia, vel leuitate dixerat verba illa, & tamen non intendebat sic facere, sed quòd ipse assentiret petitionibus eorum. Sic ait Iosephus 8. Anti-

Prophetia non obligat aliquẽ.

quitatum,

A quitatum, ſcilicet, Aduram ſuper tributa non fuit miſſus ad petendum tributa, ſed ad concordandum animos Iſraëlitarum, vt parcerent leuitati regis iuuenili. Ad motiuum in contrarium dicendum, quòd non erat conueniens motiuum, qa cùm nondum Roboam eſſet Rex, non poterat licitè petere tributa, ideo dato, quòd non darent ei tributa illæ decem tribus, non oſtenderent ſe rebellare ei, ſed vterentur iure ſuo. Ad ſecundum dicendum, quòd non fuit miſſus Aduram ad colligendum tributa, ſed cùm eſſet vir ſenex, & honorabilis, cuius auctoritati populus cederet, faciliter reuocaret illos. Dicitur autem, quòd erat ſuper tributa, non ad ſignificandum, quod ibat ad petendum tributa, ſed ad denotandum, quis erat iſte Aduram, ſcilicet, quòd erat ille, qui colligebat tributa, quia ſupra 4. dicitur de iſto Aduram, quòd erat ſuper tributa.

Quare lapidauerunt decem tribus Aduram, & an peccauerint.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare populus occidit Aduram, & an peccauit occidendo eum? Aliqui dicunt, quòd Aduram ibat ad petendũ tributa, & quia in hoc præiudicabat illis, cùm non eſſet Rex, qui petebat tributa, commoti ſunt ira, & lapidauerunt eum. Aliter poteſt dici, quia præſupponitur, quod non iuerit ad petendum tributa, vt dictum eſt ſuprà, ſcilicet, quòd Iſraëlitæ tantùm fuerant concitati in iram contra Roboam, quod cùm viderent Aduram veniſſe ex parte eius, putantes, quod veniret ad fallendum eos, non potuerunt ſuſtinere, quin lapidarent eum; Vel poteſt dici, quòd Aduram cœperat perſuadere Iſraëlitis vt redirent ad Roboam, & quia ipſi valde exoſum habebant Roboam, nec poterant æquo animo ſubijci ei, aliqui de principibus huius ſeditionis irruerunt illicò in Aduram, opprimentes eum lapidibus, quia timebant, quòd ſi permitteretur Aduram finire orationem ſuam, multi de Iſraëlitis conuerterentur ad Roboam, & ſic ceſſaret ſeditio: Principes tamen ſeditionis huius nolebant, quod ceſſaret, ideo lapidauerunt Aduram. Cùm autem quæritur, an peccauerunt lapidando, non poteſt reddi determinata ratio, cùm non appareat cauſa motiua iſtorum ad occidendum Aduram: nam ſecundùm illam poterat iudicari, an iuſtè egiſſent, vel non. Videtur tamen dicendum, quòd ſi occiderunt eum, quia perſuadebat eis redire ad Regem, peccarent, quia non habebant iuſtam cauſam lapidandi eum, & ille habebat iuſtam cauſam exorandi eos. Si autem lapidauerunt eum, quia petebat tributa, videntur habere motiuum conuenientius, ſcilicet, quia ipſi nondum erant obligati ad aliqua tributa, cùm nondum haberent Regem, ideo offendebat eos Aduram petendo tributa, & conſequenter poterant vindicare iniuriam ſuam, lapidando eum. Sed magis videtur ſecundùm conſcientiam, quòd tenebantur Iſraëlitæ admonere Aduram, ne peteret tributa, & ſi monitus non deſiſteret, poterant eum iuſtè lapidare.

Peccauerunt occidẽdo Aduram.

Vtrùm ſi Aduram admonuiſſet Iſraëlitas redire ad Roboam petendo veniam de verbis duris, an tenerentur redire ad eum.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR vlteriùs, an Aduram admonente Iſraëlitas ex parte Roboam, quod redirent ad eum, petendo veniam de verbo ſtultè dicto, tenerentur redire ad eum. Aliquis dicet, quod ſic, quia Iſraëlitæ nõ habuerunt aliquod ius recedendi à Roboam, niſi quia ipſe ſtultè locutus eſt dicens, quod grauaret eos nimis, ideo ſi reuocaret dictum ſuum, & promitteret ſe non grauaturum Iſraëlitas: videtur, quod tenebantur redire ad eum, quaſi ſi nunquam locutus fuiſſet aliquid ſtultè contra Iſraëlitas.

Reſpondendum eſt ſecundùm quoſdam, quòd non tenebantur Iſraëlitæ redire ad Roboam, eo quòd Deus dixit infra in litera, quòd duæ tribus non conarentur pugnare cõtra decem tribus Iſraël, ad reducendum eas in vnitatem regni, quia ipſe fecerat hanc diuiſionem. Sed dicendum, quòd iſta ratio non ſtat, quia iſtud fuit dictum duabus tribubus, ſicilicet, quòd ipſæ non haberent ius repetendi vnionem, & pugnandi contra decem tribus pro vnione, eo quòd Roboam merebatur perdere illas decem tribus, & tamen non dictum fuit decem tribubus, quòd non redirent ad Roboam, quia fortè illæ iniuſtè receſſerant ab eo, & tunc non habebat ius Roboam petendi, illas redire in regnum ſuum. Dicendum igitur, quòd non obligabantur decem tribus, exorante Aduram, redire ad vnionem regni. Primò, quia iſtæ decem tribus iuſtè receſſerant à Roboam, vt declaratum fuit ſuprà. Poſtquam autem receſſerunt ſemel ab eo, iam non pertinebant ad ipſum vllo modo, ideo dato, quòd poſtea Roboam eſſet bonus, in poteſtate earum erat accipere eum in Regem, vel non. Sicut gentes illæ, quæ nullum Regem habent, quamquam inter eas ſit aliquis vir valdè bonus, non obligantur eum accipere in Regem, ita iſtæ decem tribus, ſemel iuſtæ ſolutæ à iugo regni, non obligabantur accipere in Regem Roboam, pluſquam aliquem alium. Et ſic quamquam nunciaretur eis, quòd erat iam valde bonus, non obligabantur redire ad ipſum. Secundum eſt, quia dato, quòd Roboam exiſtẽte bono, tenerentur Iſraëlitæ ad eum redire, tamen nunc non poterat conſtare eis, nec dari ſibi firma cautio, quòd Roboam benè ſe haberet ad eos, cùm à principio offendiſſet malam voluntatem ſuam. Nunc autem veriſimile erat, quòd nõ dicebat ex corde, quod benè ſe haberet ad populum, ſed ſolùm, vt reduceret illos ſemel ad ſe, & poſtea poſſet illos grauare, quantum vellet: non ergo tenebantur credere ſibi decem tribus, nec redire ad ipſum. Item confirmatur hoc, quia apparet, quòd voluntas Dei erat hæc, ſcilicet, quod maneret regnum Iſraël diuiſum, cùm promiſiſſet dare decem tribus ipſi Ieroboam, præcedenti cap. ideo non oportebat niſi vt Iſraëlitæ ex iuſta cauſa tranſirent ad Ieroboam, quia poſtea conſtabat, quòd ipſi complebant voluntatem Dei, & ſic ageret Roboam, & benè, quod requiritur ad perfectam rationem ipſius operis boni. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd non obligabantur redire decem tribus ad Roboam. Et quando dicitur, quod non receſſerunt ab eo, niſi quia erat malus: ergo ſi poſtea eſſet bonus, tenerentur redire ad eum. Dicendum, quòd falſum eſt, quia poſtquam ſemel recedebant ab ipſo, erant omnino liberati à iure regni, tanquam ſi nunquam habuiſſent Regem: ergo non tenebantur redire, quamquam eſſet bonus Roboam, quia ſi nunquam accepiſſent aliquem in Regem, dato quod conſtaret Roboam eſſe bonum, non tenerentur eum accipere in Regem. Sed obijcietur, quod tenebantur redire, quia de iure communi erant ſubiecti omnes Iſraëlitæ Dauid, & poſteritati ſuæ, cùm Dominus promiſiſſet Dauid regnum in æternum, præcedenti libro, cap. 7. ergo quamquam liceret aliquando propter culpam recedere à poſteritate Dauid, tamen poſtea, illa exiſtente bona, obligarentur Iſraëlitæ ad ipſam redire. Reſpondendum, quòd iam Iſraëlitæ liberati erant ab hac lege, eo quòd DEVS promiſerat dare Ieroboam decem tribus, & quòd manerent cum Roboam duæ tantùm, ideo dum haberent iuſtam cauſam Iſraëlitæ recedendi, poterant manere apud Ieroboam, quamquam Roboam vellet ei reconciliari. *Porrò rex Roboam feſtinus aſcendit currum, & fugit in Ieruſalem,* ſcilicet, poſtquam audiuit Roboam, quòd Aduram lapidatus erat, timens quòd etiam populus vellet eum lapidare, cùm eſſet nimis concitatus, aſcendit currum feſtinus, & fugit in Ieruſalem. Ex hoc patet, quòd adhuc Roboam erat in Sichem, cum omnibus tribubus Iſraël, quia aliàs non fugiſſet, ſi iam redijſſet in terram ſuam, vel ſi populus non eſſet congregatus in Sichem, quia nullus poſſet eum lapidare. *Factum eſt autem, cùm audiſſet omnis Iſraël, quòd reuerſus eſſet Ieroboam,* ſcilicet, quod reuerſus eſſet de Ægypto: nam ibi fuerat tota vita Salomonis, ex quo fugerat de terra eius.

Nõ tenebantur 10. tribus exorante Aduram redire ad vnionẽ regni.

Ad rationem in principio.

Sed dicetur, quomodo dicitur hic, quòd audiente populo veniſſe Ieroboam, miſerunt & vocauerunt eum, & conſtituerunt eum in Regem, quia iam ſuprà dictum fuerat, quòd ipſe Ieroboam venerat in Sichem, & iuerat ipſe cum cæteris Iſraëlitis ad petendum à Roboam, quòd alleuiaret iugum eorum, ideo non poterant nunc nouiter audire, quod veniſſet. Reſpondendum, quòd iſtud non refertur ad miſſionem, qua vocauerunt eum, vt eſſet Rex, ſed ad aliam miſſionem, qua vocauerunt eum, vt veniret cum eis ad petendum alleuiationem iugi impoſiti à Salomone. Et poſtea cùm diſcorda

A rent à Roboam, fecerunt eum Regem. *Miſerunt, & vocauerunt eum*, ſcilicet, vt cum eis veniret coram Roboam, ad petẽdum alleuiari iugum, quia ipſe erat Princeps, & famoſus in populo. *Congregato cœtu, & conſtituerunt eum Regem ſuper omnẽ Iſraël.* Id eſt, totus populus congregatus erat in Sichem, quãdo diſcordauit ab eis Roboam, & tunc decẽ tribus congregatæ cõſtituerunt Ieroboam in Regem. Et iſtæ decem tribus vocantur totus Iſraël, quia aliæ duæ tribus vocantur Iuda. *Nec ſecutus eſt quiſquam domum Dauid.* Id eſt, Roboam. Vocatur aũt domus Dauid, ipſa familia, & poſteritas eius. Nunc autem, quia Roboam erat princeps totius poſteritatis Dauid, quia ad eũ pertinebat regnum Dauid, dicebantur ſequi domum Dauid illi, qui ſecuti fuerunt Roboam. *Præter tribum Iuda ſolã*, id eſt, iſta tribus ſecuta fuit Roboam, eo quòd erat Dauid de progenie ſua, & indignum habebant, quod ſubijcerentur viro alterius tribus, ideo ad omnem euentum ſubijci voluerunt ipſi Roboam.

An ſola tribus Iuda ſecuta fuerit Roboam, vel etiam tribus Beniamin.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR, quomodo dicitur hic, quòd ſola tribus Iuda ſecuta fuit ipſum Roboam, quia etiã tribus Beniamin ſecuta eſt eum. Hic non poteſt reſponderi, ſicut reſpondebatur præced. c. cùm dicebatur, quòd vnica tribus manſit cum Roboam, quia ibi dicebatur, quòd intelligeretur de tribu Beniamin, quæ erat extranea à progenie Roboam, ipſa autem tribus Iuda non dicebatur dari Roboam, eo quòd ſua erat. Hoc autem nõ poteſt ſtare, quia dicitur, quòd ſola tribus Iuda ſequebatur Roboam. Aliqui dicunt, quòd à principio in conſtitutione regis Roboam, fuerunt omnes vndecim tribus Iſraël, & mãſit ſola tribus Iuda, quæ cum Roboam receſſit in Ieruſalem, & tamen poſtea tribus Iuda perſuaſit tribui Beniamin, quòd rediret ad Roboam, & redijt, & tunc fuerũt duæ tribus cum Roboam. Sed dicendum, quòd iſtud non eſt veriſimile, quia tunc vndecim tribus fuiſſent in vnctione Ieroboam, Deus tamen dixit, quod daret ei ſolum decẽ tribus: ergo nunquam pertinuit ad eum tribus Beniamin. Item ſi tribus Beniamin vnxiſſet cum cęteris Ieroboam in Regem, noluiſſet poſtea redire ad Roboam, & tamen videtur, quòd facillimè eam habuit Roboam. Nam immediatè vt venit de Sichem, incœpit facere bellum contra Ieroboam, & fuit cum eo tribus Beniamin: ergo videtur, quòd non fuerit aliquod tempus, in quo tribus Beniamin non fuerit cum Roboam. Item ſi tribus Beniamin vnxiſſet cum cęteris Ieroboam in regem, poſtea facta pace inter Roboam, & Ieroboam, haberet iuſtum bellum Ieroboam contra tribum Beniamin, propter hoc, quòd vnxerat eum in Regem, & poſtea receſſerat ab ipſo ſine cauſa, & tamen nunquam pugnauit, nec etiam petiuit illam tribum, ideo videtur, quod nunquam ad eum pertinuerit. Dicendum igitur, quòd à principio tribus Beniamin, & Iuda fuerunt cum Roboam, & ſolæ decem tribus vnxerũt Ieroboam in Regem. Dicitur tamen hęc ſola tribus Iuda, pro ipſa tribu Iuda, & Beniamin, quia eo, quòd Beniamin venit ad regnum Iuda, & non declinauit ad tribus Iſraël, vocata eſt iam tribus Beniamin, interdum tribus Iuda, tanquam ambæ eſſent vna tribus. *Venit autem.* Hic ponitur tertium, ſcilicet diuiſionis regni confirmatio, quia iuſſu Dei firmatum eſt, ne laboraretur ad vniendum regnum Iuda, & Iſraël. Et dicitur: *Venit autem Roboam in Ieruſalem*, ſcilicet, quando fugit de Sichem timens lapidari. *Et congregauit vniuerſam domum Iuda, & tribum Beniamin.* ſcilicet, congregauit illos ad pugnandũ contra decem tribus Iſraël. Iſtæ enim duæ tribus ſolùm relictæ fuerant ipſi Roboam. *Centum octoginta millia electorum virorum & bellatorum.* Id eſt, de Iuda & Beniamin collecta fuit iſta ſumma pugnatorum. Non eſt intelligendum, quòd iſti ſoli pugnatores eſſent in duabus tribubus, quia tempore Dauid cùm numeratus eſt populus, fuerunt de ſola tribu Iudæ quingenta millia virorum, præced. lib. ca. vlt. Sed intelligendum eſt, q̃ multi alij erant, qui poterant arma capere, iſti tamen centum octoginta millia erant electi bellatores, vt dicitur in litera: *Vt pugnarent contra domum Iſraël.* Id eſt, contra decem tribus, quæ vocantur domus Iſraël: nam iam aliæ duæ tribus non pertinebant ad domum Iſraël, ſed ad domum Iuda. *Et reducerent regnum Roboam filio Salomonis.* Id eſt, pugnabant ad reſtituendũ regnũ Roboam, q. d. illæ decem tribus priuauerant Roboam regno, ſubtrahentes ei obedientiam, ideo Roboam volebat, quòd ſibi reduceretur regnum.

An Roboam iuſtè poterat pugnare Iſraël.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, an Roboam iuſtè pugnare vellet contra decem tribus Iſraël. Reſpondendum, quòd non, quia Roboam non poterat repetere illas decem tribus: ergo non iuſtè pugnaret ad repetendum illas. Antecedens patet, quia ſupra declaratum eſt, quòd Roboam iuſtè perdidit illas, & illæ iuſtè receſſerunt ab eo, ideo non competebat reditus ad ipſas. Item patet, quia Deus prohibuit Roboam pugnare contra Iſraël, ſi tamen habuiſſet iuſtam cauſam pugnandi, Deus non priuaſſet eum iure ſuo, fauendo illis, qui habebant cauſam iniuſtam, ſed vetuit Roboam pugnare: ergo non foucbat iuſtum bellum. Sed aliquis dicet, quòd quamquam Deus vetuerit pugnare Roboam, non ſequitur ex hoc, quòd non habebat iuſtam cauſam pugnandi, quia latebat eum diuina ſententia, quæ poſtquam manifeſtata eſt, fuit ſimpliciter illicitum pugnare velle contra Iſraël, cùm tamen prius non eſſet illicitum. Dicendum, quòd etiam ante reuelationem illam erat illicitum ipſi Roboam, pugnare ad repetendum decem tribus, quia ipſe perdiderat eas iuſtè: ergo iam non competebat ei actio ad repetendum illas, iſtud autem conſtabat ſibi. Item ſi Roboam iuſtè pugnare poſſet ad reducendum tribus decem in regnum ſuum, illæ compellebantur redire ad eum, & tamen iſtud eſt falſum, quia ſupra declaratum eſt, quòd licitè receſſerunt ab eo, & non cogebantur redire: ergo non iuſtè pugnabat contra eas Roboam, quia tamen poterat eſſe aliquale dubium, ſcilicet, quòd Roboam putaret ſe fouere iuſtum bellum, Deus per Prophetam denunciauit, quòd nõ pugnaret.

An tribus Iuda, & Beniamin putabant ſe poſſe præualere, pugnando contra decem.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo tribus Iuda, & Beniamin audebant pugnare contra decem tribus, cùm eſſent paucæ multitudinis reſpectu illarum. Reſpondendum, quòd tribus Iuda, & Beniamin non ſolùm audebant pugnare contra decem tribus, immò etiam putabant, ſe poſſe præualere contra illas, & reducere eas ad poteſtatem Roboam. Iſtud autem fortè erat, quia putabant Iuda, & Beniamin ſe fouere cauſam iuſtam contra decem tribus, quæ receſſerant à regno Dauid, ideo putabant, quòd Deus adiuuaret eas contra totum Iſraël, etiam ſi eſſet maioris multitudinis. Sic pugnauit ſemel Abia filius Roboam contra Ieroboam, & fugauit totum Iſraël, occiditq́ue quingenta millia virorum, quanquam multo plures eſſent de Iſraël, quàm de Iuda, & Beniamin, 2. Paralipom. 13. Item tribus Iuda, & Beniamin erant bellicoſæ nimis, ſcilicet, omnibus alijs tribubus bellicoſiores, ideo etiam ſi haberent ſpeciale auxilium à Deo, putabant ſe poſſe congredi cum toto Iſraël: nam ſæpè ſic pugnauerunt, vt patet ex proceſſu huius libri, & ſequentis, & 2. Paralipom. Item non erat hoc admirandum inter Hebręos, quia non ſolùm iſtæ duæ tribus poſſent pugnare contra decem, & præualere, immò ſemel ſola tribus Beniamin, in qua erant viginti quinq̃ue millia pugnatorum ſolum, pugnauit contra vndecim tribus Iſraël, & præualuit bis, occiditq́ue in die vna viginti duo millia de Iſraël, & alia die octodecim millia, vt patet Iudicum 20. à fortiori ergo tribus Iuda, cum tribu Beniamin poſſent pugnare contra decem tribus Iſraël. *Factus eſt ſermo Domini ad Semeiam virum Dei.* Iſte Semeias erat Propheta, & Deus locutus fuit ad ipſum ad hoc, quòd impediret iſtud bellum. *Loquere ad Roboam filium Salomonis regem Iuda.* ſcilicet, denunciando ei ne pugnet contra Iſraël. *Et ad omnem domum Iuda, & Beniamin.* ſcilicet, ad omnes viros nobiles de tribu Iuda, & Beniamin, quorum conſilio, & viribus fieri debebat bellum

Diuiſionis regni confirmatio.

Tribus Iuda et Beniamin erant cæteris bellicoſiores.

A

lum istud. *Et ad reliquos de populo*, scilicet, ad omnes alios, qui sunt sub potestate Roboam.

An reliqui præter Iuda, & Beniamin dicuntur sacerdotes, & Leuitæ, vel illi, qui erant parui status.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR, qui erant reliqui præter Iuda, & Beniamin, quia nō habebat Roboam alias 10. tribus pter hæs. Aliquis dicet, quod intelligitur hoc de Leuitis, qui erant cū Roboam. Sed dicendum quod non stat, quia Leuitæ nondum fugerant de terra Israël, sed fugerunt postea, quando Ieroboam ædificauit duos vitulos aureos 2. Paralip. 11. Istud autem fuit ante ædificationem vitulorum, vt patet ex ordine literæ: nam immediatè post constitutionem Ieroboam in Regem, factum est. Ideo nondum habebat Roboam tribum Leui secum. Dicendum, quòd potuit intelligi dupliciter ista litera. Vno modo, quòd isti, qui vocantur hic reliqui, sint Leuitæ & sacerdotes, qui erant in tribu Iuda, & Beniamin. Nam post conflatos vitulos aureos à Ieroboam, omnes Leuitæ & sacerdotes de toto Israël, venerunt in terram Iuda, & tamen antequam isti venirent, erant in terra Iuda, & Beniamim multi sacerdotes, & Leuitæ: nam de tribu Iuda & Beniamin datæ fuerant eis multæ vrbes ad habitandum tempore Iosue, vt patet Iosue 21. & 1. Paralipom. 6. & de istis ciuitatibus nunquam recesserant, & sic erant in regno Roboam isti, prēter Iudam & Beniamin, & poterant vocari reliqui de populo. Aliter potest dici, quod vocantur reliqui de populo homines parui status, scilicet, quòd domus Iuda, & Beniamin accipiantur pro ipsis maioribus, & principibus, reliqui de populo vocentur illi, qui erant minores in tribu Iuda & Beniamin, & istud est verius. *Hæc dicit Dominus, Non ascendetis, nec bellabitis contra fratres vestros filios Israël.* Iam erant parati Israëlitæ ad bellandum, Deus autem voluit euitare istud, quia nolebat, quòd reuniretur regnum, & sic laborarent incassum Iuda, & Beniamin, & funderetur multus sanguis innoxius. Post hæc autem si pugnassent Iuda, & Beniamin contra Israël, peccarent. *Reuertatur vir in domum suam.* Id est, reuertatur quilibet in domum suam. Omnes enim erant iam accincti ad bellum, & desiderabant toto corde reducere decem tribus ad regnum Roboam. *A me enim factum est verbum hoc.* Id est, non expedit, quòd pugnetis contra decem tribus, tanquam reducturi illas ad vos, quia ego feci istam diuisionem, ideo frustra laborabitis, & nunquam poteritis reducere illas ad vos. Aliter potest intelligi, quòd Deus diceret, non pugnetis contra decem tribus Israël, tanquam illæ malè egerint recedendo à Roboam, quia voluntate mea factum est verbum hoc & non ex malitia ipsarū. Et dicitur à me factū est verbum hoc, id est res ista: nam ponitur sępè verbum pro ipsa re. *Audierunt sermonem Domini*, id est, obedierunt sermoni Prophetæ. *Et reuersi sunt de itinere, sicut eis præceperat*, scilicet, accincti ibant Israëlitæ ad pugnandum, & reuersi sunt, quia timuerunt, qui si irēt ad pugnandum contra voluntatem Dei, ipse traderet eos in manus hostium, etiam quia cùm facerent contra voluntatem Dei, non possent explere, quod desiderabant, ideo destiterunt ab inceptis. *Ædificauit autem.* Hic ponitur secundum principale huius capituli, scilicet vtriusque regis conditio. Et primò ponitur conditio Ieroboam, secundò conditio Roboam, infra 14. circa medium, ibi. *Porrò Roboam.* Prima in tres, quia primò ponitur Ieroboam præuaricatio, secundò præuaricationis reprehensio, seq. c. 3. ipsius punitio, infra 14. Circa primum dicitur: *Ædificauit autem Ieroboam Sichem in monte Ephraim.* Postquam Ieroboam cœpit pacificè possidere regnum decem tribuum, voluit ædificare vrbes in regno suo, quia putabat, quòd ipse, & Roboam semper habituri essent bellum, & etiam posteritates ipsorum super diuisione regni, ideo volebat omnia loca sua esse munita, & cœpit ædificare Sichem. Ratio huius fuit, quia ipse vnctus est in regem in Sichem, vt patet supra. Diligebat ergo locum illum Ieroboam, & ædificauit eum, non quidem nouiter, quia antequam Israëlitæ venirent in terram Chanaan, erat ædificata ciuitas Sichem, quia Iacob, quando venit de Mesopotamia, habitauit circa Sichem, Genes. 33. & 34. Sed dicitur, ædificauit, id est refecit, quia erat aliqua pars murorum dirupta. Etiam, quia Sichem erat in confinio terræ Beniamin, quæ pertinebat ad Roboam, ideo oportebat, nūc eam esse magis munitam, quā prius: sic enim est de omnibus vrbibus, quæ sunt in confinibus regnorum. Fuit etiam alia causa, quia Ieroboam fecit Sichem esse sedem regni, quia dicitur hic, quod habitauit ibi. Dicitur autem, quòd erat in monte Ephraim, id est, in sorte Ephraim, quæ vocatur mons, Ios. 20. & 21. Erat autem ista ciuitas sacerdotum, & vna de ciuitatibus refugij, vt suprà dictū est, & patet eisdem cap. *Et habitauit ibi*, scilicet in Sichem: ibi enim constituit sedem regni à principio, postea tamen habitauit in alijs vrbibus, scilicet in Therſa: nā ibi habitabat, quando misit vxorem suam ad consulendum pro salute filij, infra 14. habitauit autē Ieroboam in Sichem, propter duo: primò, quia ibi vnctus fuerat in Regem, & voluit honorare illum locum. Secundò, quia iste locus erat de tribu Ephraim, & ipse Ieroboam erat Ephrathæus, præced. c. ideo voluit potius sedem regni tenere in tribu sua, quàm in alia. Quòd autem Sichem esset de tribu Ephraim patet, Ios. 20. & 21. *Et egressus inde ædificauit Phanuel.* Iste est quidam locus in Orientali parte Iordanis, circa ipsum Iordanem, qui vocatus est Phanuel, id est facies Dei ab ipso Iacob, quia ibi luctatus est cum angelo, & dixit, Vidi Dominum facie ad faciem, Genes. 32.

D

Sacerdotes et Leuitæ, semper fuerūt cum regeluda

B

Cùm decem tribus recesserunt à Roboam, an poterant accipere in Regem alium quàm Ieroboam.

E

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR, cùm Israëlitæ de decem tribubus recederent à Roboam, an potuissent accipere aliūin Regē, quam Ieroboam. Aliquis dicet, quod non, quia Deus dixerat, quod daret decem tribus Israël ipsi Ieroboam, præcedenti cap. si ergo istæ decem tribus recederent à Roboam, & vellent accipere in Regem alium, quàm Ieroboam, viderentur manifestè agere contra voluntatem Dei iam expressam, ideo peccarent?

Respondendum, quòd poterant decem tribus accipere in Regem quemcunq; vellent, quia postquā ipsæ recesserunt à Roboam propter stultitiam eius, liberæ erant à iugo regni, ideo cùm nulli essent obligatæ, non magis tenebantur accipere in Regem istum, quàm illum. Cùm autē obijcitur, quòd agerent contra voluntatem Dei expressam, si alium acciperēt in Regem. Dicendum, quòd nō agerent, quia Deus nihil iussit Israëlitis super hoc, ideo dato, quod agerent quodcunque vellent, non peccarent. Illud autem, quod obijcitur, non est præceptum, sed prophetia denuncians euentum futurū, prophetia autem nullum potest obligare, cùm ipsa non sit præceptum de agendo, vel nō agendo, sed sit quædam denunciatio futurorum, ad Deum autem pertinet verificare prophetiam suam, & non ad Israëlitas: ideo si ipsi putabāt alium meliorem regem esse pro eis, quàm Ieroboam, poterant ipsum licitè accipere, Deus autem haberet curā de verificando prophetiam suam. Vnde dicendum, quòd decem tribus non elegerunt Ieroboam in Regem, tanquam volentes complere prophetiam Dei, sed Deus mouit illas ad desiderandum valde eligere Ieroboam in Regem, & sic ipse completurus erat prophetiam suam.

C

F

An poterant decem tribus licitè manere sine Rege.

QVÆSTIO XIX.

VLTERIVS quæretur, cùm decem tribus recesserunt à Roboam, an tenerentur accipere aliquem in Regem, vel possent manere sine rege. Respondendum, quòd poterāt licitè manere sine Rege. Quod patet, quia lex non obligabat Israëlitas ad habendum Regem, sed ex permissione concedebat, Deut. 17. Vnde cùm primò petiuerunt Regem Israëlitæ, offenderunt Deum, vt patet suprà 1. lib. c. 8. & 12. Deus tamē ex magna importunitate Israëlitarum petentium, concessit Regem, vt patet ibidem. Cùm ergo nūc Israëlitæ liberi essent à rege, non obligabantur à lege accipere regem: Nec etiā obligabātur ex debito alicuius personæ, quia istud esset ex promissione Dei facta ad illam personam, vel progeniem suam, per quam competeret ei ius regnandi, sed istud non erat, nisi

Ieroboam regis conditio.

A

ad Roboam, vel Ieroboam, quia Dauid, & progeniei ſuæ facta fuerat promiſſio de regnando, præced.lib.ca.7. Ieroboam autem fuit etiam facta promiſſio præced.ca. & tamen neutrũ iſtorum obligabantur Iſraëlitæ accipere in regem, ergo nullum regem obligabãtur accipere. Quod autem nullum iſtorum obligarentur accipere, ſupra declaratum eſt in quæſtionibus, ſi igitur non accepiſſent Iſraëlitæ nunc aliquem regẽ, non peccaſſent. Imò valde placeret Deo, ſi nullum vellent habere in regẽ, ſed quod ſubeſſent ipſi Deo immediatè, & quãtum ad quædam temporalia regerentur per iudices, quos cõſtituerent, ſicut fuit tempore Iudicum. Iſraëlitæ tamẽ noluerunt hoc, quia ſi manſiſſent ſine rege, putabant ſe non poſſe reſiſtere Roboam, qui confeſtim pugnaret contra eos, ad reducendum eos in regnum ſuum, ideo putauerunt regem ſibi neceſſarium, & immediatè acceperũt illum. Deus autem inclinauit eos ad hoc, vt impleret prophetiam ſuam de Ieroboam, ſi tamen ipſi Iſraëlitæ voluiſſent manere ſine rege, acceptabilius hoc Deo fuiſſet ſimpliciter. Sed dicetur, ſi Iſraëlitæ voluiſſent manere ſine rege, quomodo poterat cõpleri prophetia de Ieroboam, quòd haberet decem tribus? Reſpondendum, quòd ſi decem tribus manerent ſine Rege, non cõpleretur prophetia de Ieroboam, & tamen Deus, qui omnia præſentialiter videt vnico, & æterno intuitu, videbat tribus decẽ nullo modo velle manere ſine rege, ſed accipere Ieroboã in Regem, ideo prophetia de Ieroboam neceſſariò compleretur. Si tamen dicas omnino, quòd Iſraëlitæ vellent manere ſine Rege, Deus qui videt omnia, ad quæ voluntas noſtra ſe vertit, aut vertere poteſt, cognoſcit certiſſimum motum animæ noſtræ, & cognouiſſet, quòd Iſraëlitæ volituri erant manere ſine Rege, & conſequenter non prædixiſſet de Ieroboam, quòd habiturus eſſet decem tribus in regno ſuo. Quomodo autem poſſit ſtare prophetiæ denunciatio de futuro, cum ipſa libertate arbitrij, declaratum fuit Ioſue 11. *Dixitq; in corde ſuo.* Scilicet, habuit intra ſe conſilium, quid agere deberet, & egit iſtud, quod ſequitur: *Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem.* Scilicet, Ieroboam ſolicitus pro conſeruatione regni, quod nouiter acquiſierat, cogitauit intra ſe, quòd ſi permitteretur populus decem tribuum aſcendere in Ieruſalem ad faciendum ſacrificia temporibus debitis, recõciliaretur ipſi Roboam, & rediret totum regnum ad domum Dauid, ſicut prius erat. *Et conuertetur cor populi huius ad dominum ſuum Roboam regem Iuda,* ſcilicet, reconciliabitur ei, quando aſcenderit in terram ſuam, quia templum erat in terra Roboam. Et dixit ad dominum ſuum, ſcilicet, ad dominũ ſuum naturalem, vel antiquum, qui erat Roboam, cui ex progenie competebat regnare. Ipſe autem Ieroboam non erat dominus antiquus, cui competeret ex progenie, ſed nouiter perturbato populo, factus fuerat Rex, ideo credebat, quòd ceſſante perturbatione, rediret populus ad priſtinum dominũ. *Interficientq; me, & reuertentur ad eum.* ſcilicet, poſtquam recõciliati fuerint ipſi Roboam, interficient me, quaſi ego deceperim eos, vt repugnarent ipſi Roboam, vel etiam, quia Roboam recõciliatus eis, perſuadebit ipſis, vt occidant me, quia ego offendi ipſum, vel quia me viuente, non erit ipſe ſecurus de Iſraëlitis, quòd velint ei verè ſubijci. *Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos,* id eſt cogitauit, quòd ipſe poſſet euadere inconueniens ſupra poſitum, ſcilicet, faciendo duos vitulos aureos, quos decem tribus colerent, & ſic non oporteret, quòd Iſraëlitæ aſcenderent in Ieruſalem ad faciendum ſacrificia, nec reconciliarentur ipſi Roboam.

Quæſt. præced.

B

Quare Ieroboam motus eſt ad faciendum vitulos aureos.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR, quod fuit fundamentum Ieroboam ad faciendum vitulos aureos?

Reſpondendum, quòd Iſraëlitæ habebant legem, quòd ter in anno, ſcil. in feſto azimorũ, & Pentecoſtes, & tabernaculorum aſcenderent Iſraëlitæ in locum Sanctuarij, & quòd non eſſet aliquis maſculus in toto Iſraël, qui non aſcenderet, Exod.23.& 34. & Deut.16. erat autem locus Sanctuarij nunc in Ieruſalem, poſtquam Salomon ædificauerat templum, ideo in Ieruſalem omnes Iſraëlitę aſcendere debebant. Erat autem Ieruſalẽ in regno Roboam, ſcil. in confinio Iudæ & Beniamin: ſi ergo decem tribus aſcenderent illuc ter in anno, reconciliarẽtur Roboam. Iſtud autem erat propter multa. Primò, quia ſacerdotes, qui erant in Ieruſalem, & erant magnæ auctoritatis in populo, perſuaderent decem tribubus, quòd redirent ad Roboam, quia ille erat verus dominus, quia Deus promiſerat manere regnum Dauid in ſempiternum, præcedenti libro, cap. 7. populus autem faciliter aſſentiret ſacerdotibus. Secundò, quia populus reliquerat Roboam ex perturbatione quadam ſubitanea, cùm autem multoties aſcenderent in terram Roboam, & ille loqueretur eis pacificè, & oſtenderet ſe velle eis complacere, reconciliarẽtur ei. Tertiò, quia Roboam erat dominus antiquus, cùm ipſe & pater ſuus & auus ſuus eſſent reges Iſraël, & Deus promiſerat eis regnũ in ſempiternum. Ieroboam autem non erat dominus naturalis, ideo faciliter redirent ad dominum priorem, & hoc tetigit Ieroboam, cùm dixit: Conuertetur cor populi huius ad dominum ſuum Roboam Regem Iuda. Quartò, quia quando Iſraëlitę de decem tribubus aſcenderent omnes in Ieruſalem peregrinãdo, poterat habere Roboam viros armatos de tribu Iuda, & Beniamin, qui opprimerent, & interficerent eos, niſi reconciliarentur Roboam. Quintò, quia non dimitteret eos exire de regno ſuo, vel ſaltem non permitteret introire in Ieruſalem, ſi non reconciliarentur ei, ipſe tamen populus erat cupidus religionis, ſcilicet ad obſeruandum legem de eundo ter in anno in Ieruſalem, ideo reconciliarẽtur Roboam, vt permitteret eos introire pacificè, & non infligeret multa alia damna, quæ inferre poterat. Si autem decem tribus reconciliarentur Roboam, ad mandatum eius occiderẽt Ieroboam, ideo ipſe neſciebat aliquem modum, per quem conſeruaret regnum, niſi vt iuberet decem tribubus non aſcendere in Ieruſalem ad ſacrificia, & quia populus aſſuetus erat ter in anno ſacrificare, aſcendendo in locum Sanctuarij, præter alia ſacrificia neceſſaria, quæ erant in lege, de quibus Num.28.& 29. & per totum Leuiticum, & in Deut. ideo ſtatuit eis duos vitulos aureos, in duobus locis Iſraël, in quibus facerent omnes cæremonias legales, quas facturi erant in Sãctuario Domini.

C

An peccaret Ieroboam faciendo vitulos.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauit Ieroboam faciendo iſtos vitulos aureos, vt non aſcenderet populus in Sanctuarium Domini. Aliquis dicet, quòd non, quia Deus promiſerat ipſi Ieroboam facere domum fidelem, id eſt, regnum ſemper durans, præced. cap. ergo licebat ei facere omnia illa, ſine quibus non poterat regnum eſſe perpetuum. Si tamen Ieroboam permitteret decem tribus aſcendere in Ieruſalem, non poſſet regnum ſuum permanere, quia ſi conuerterentur ſubditi ſui ad Roboam: ergo permittebatur ei facere vitulos aureos, quos non faciendo deperderet regnum: ſic enim eſt in iure humano, quia ſi cui delegatur cauſa examinãda, committuntur omnia, ſine quibus cauſa non poteſt examinari, etiam ſi iſta non exprimantur. Extr.de offic.deleg.c. præterea. Reſpondendum, quòd grauiter peccauit Ieroboã. Quod patet, quia à Deo increpatus fuit valde, ſeq. c. & infra 14.& in toto iſto lib.& ſeq. & 2.Paral. ſæpiſſimè dicitur de Ieroboam, quòd peccauit, & peccare fecit Iſraël. Fuit autẽ peccatum Ieroboam in duobus. Primò, quia fabricauit vitulos aureos: nihil tamen erat magis prohibitum in lege, quàm fabricare idola, Exod.20.& Deut.4.& 13.& 17. nec erat aliquid, quod tantùm Deus abominaretur, aut tam grauiter puniret, ſicut ipſum peccatum idololatriæ, vt patet per totam legem. Secundò peccauit, quia vetuit populo ire in locũ Sanctuarij: Deus tamen iuſſerat, quòd omnes maſculi de Iſraël aſcenderent ter in anno ad locum Sanctuarij, Exod.23.& 34.& Deut. 16. primum tamen erat grauius, quia eſt contra primum præceptum morale, ſecundum autem erat cæremoniale, ſed cæremonialia nõ tantùm obligabant, ſicut moralia, cùm ipſa moralia obligent ſecundùm naturã, etiamſi non imponãtur à legiſlatore, vt patet ad Rom.2. ſcil. Gentes, q̃ legem non habẽt, naturaliter ea q̃ legis ſunt faciũt, dictante eis conſcientia. Ad rõnem in cõtrarium, ſcil. q̃ cũ promitteretur Ieroboã regnũ

D

E

F

Grauiter peccaſſe Ieroboã faciendo vitulos.

decem

decem tribuum, permittebant ei agere omnia illa, sine quibus non posset conseruare illud,& sic erant vituli aurei. Dici potest vno modo,quòd non iubebatur Ieroboam, quòd haberet regnum decem tribuum, sed solùm permittebatur ei quasi in gratiam, vnde non erat obligatus ad suscipiẽdum illud,sed poterat licitè viuere vita priuata,si vellet, ideo à fortiori,si ipse videret aliquid, per quod non poterat regnum tenere,quin offenderet Deum, vt sibi videbatur, tenebatur dimittere illud. Aliter dici potest, quod Ieroboam non cogebatur perdere regnum, aut facere vitulos aureos,quos coleret populus, quia etiamsi solùm consilio humano ageret, nullam spem habendo in Deo,poterat facere meliùs,scilicet quòd ædificasset vnum templum, sicut erat in Ierusalem, licèt non esset ita sumptuosum,& ibi faceret fieri per sacerdotes omnes cæremonias, quæ fiebant in templo Salomonis, & cogeret populum,non ascendere in Ierusalem: tunc enim tolleretur inconueniens,quod ipse volebat, scilicet quòd nõ reconciliaretur populus Roboam, & ipse leuiùs peccaret, scilicet solùm in præcepto cæremoniali, faciendo quòd extra templum fierent sacrificia, & tamen non faceret vitulos, sed coleretur Deus,sicut in Ierusalem, & tunc Deus faciliter remitteret istud peccatum, quia ante tempora Salomonis populus sacrificabat in excelsis, & tamen Deus non puniebat istud peccatum,licèt dicatur, quòd esset peccatum suprà 3. Aliter etiam potest dici, quòd si videret Ieroboam,quod necesse erat ipsum perdere regnũ,& mori,si non faceret contra legem,tenebat non facere contra legẽ,scilicet nõ fabricando vitulos, nec etiã vetando populo ire in Sanctuariũ Domini. Vnde licèt esset parua præuaricatio, nõ permitteret populũ ire in Sanctuariũ, faciẽdo aliud Sanctuarium,& nõ colendo idola,tamen etiã potiùs debuisset mortem subire Ieroboam, quàm vetare populo ire in Sanctuariũ. Aliter etiã dici potest, quod peccauit Ieroboã faciens idola, qa non credidit Deo: nã Deus dixit ei,quòd si ipse ambularet in mãdatis eius,sicut ambulauit Dauid, faceret ei domum fidelem: credere debebat ergo certissimè Ieroboam, quòd promittendo populum ire in templum ad adorandum Deum, non poterat perdere regnũ,quia Deus promiserat ei regnum æternũ,si coleret ipsum,ideo non solùm peccauit Ieroboam in idololatria,& faciendo,quòd populus non iret in Sanctuariũ,sed etiam peccauit tertiò, diffidendo de Deo, qui promiserat ei conseruare regnum,si coleret ipsum.

Quomodo potuisset regnum Ieroboam conseruari,etiamsi ascendissent in Sanctuarium.

QVÆSTIO XXII.

VLTERIVS quæretur, quomodo poterat conseruari regnum Ieroboam,permittendo ascendere decem tribus in Sanctuarium, quia sequerentur tunc oĩa motiua,quæ suprà assignata sunt, ad reducẽdum ipsum populum ad Roboam. Respondendum,quod ex hoc Ieroboam deliberauit facere vitulos aureos, qa videbatur ei difficile, quod populus iret in Ierusalem, & non cõuerteretur ad Roboam. Fuit tamen consiliũ Ieroboam,tanquã hominis diffidẽtis de promissione Dei,qa Deus promiserat ei cõseruare sibi regnũ si coleret eum,præced.cap.ideo credere debebat,qꝫ ipse daret modũ,quòd licèt populus ascẽderet in Sanctuariũ,non conuerteret ad Roboã. Item dato,quod Deus non promisisset ei quòd cõseruaret sibi regnum, si coleret eũ,credere debebat, quod Deus,qui dederat ei regnũ, cùm nõ esset de progenie regum,cõseruaret ei illud,dũ coleret ipsum. Modus aũt erat ex parte Dei, quòd ipse incuteret tantũ timorem Roboã, vt nõ auderet repugnare Israëlitis veniẽtibus in Sanctuarium, nocendo eis in aliquo: nec auderet persuadere eis, quòd redirent ad ipsum. Vel potiùs moueret cor Roboam ad diligendum Ieroboam, ita vt nullo modo desideraret subtrahere ei subditos suos,& contentus esset habere duas tribus;quas habebat. Istud autẽ facile erat Deo,quia in manu eius sunt corda nostra,& potest mouere illa quocunq; voluerit, Prou.21. scilicet,Cor regis in manu Domini,& quocũq; voluerit vertet illud. Vnde aliquando inclinat nos Deus in amorem,vel timorem,aut in alias passiones, sicut ei placet,vt patet Leuit. 29.& Deut.28. Istud autem maximè apparet, quia quolibet anno Deus faciebat maiora in Israel, scilicet, quia ter in anno quolibet ascendebant omnes masculi de Israel in locum Sanctuarij, & manebant vrbes eorum vacuæ,vel saltẽ manebant ibi solæ fœminæ, & tamen hostes, qui erant in circuitu Israel,scientes vrbes esse vacuas, nunquàm ascendebant ad capiendũ illas,quia vel non audebant, Deo incutiente eis timorem,aut non desiderabãt pro tunc capere illas,quia Deus mouebat illos ad non desiderandum, vt patet Exod.34.scilicet, Cùm tulero Gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos,nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendẽte te,& apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno. Multis alijs modis Deus facere poterat, quod quanquàm ascenderent decem tribus in Ierusalem,non perderet Ieroboam regnum. *Et dixit eis*,scilicet ad decem tribus. *Nolite vltrà ascendere in Ierusalem*, scilicet hucusque consueueratis ire in Ierusalem ad sacrificandum Domino, nunc autem non eatis. *Ecce dij tui Israel,qui eduxerunt te de terra Ægypti*, id est, hactenùs ibatis in Ierusalem ad adorandum Dominum, sed nunc habetis hic Deos vestros, qui eduxerunt vos de terra Ægypti propinquos,ideo non oportet,vt eatis in Ierusalem,& frustrà laboretis. Dixit autem, qui eduxerunt de terra Ægypti, quia istud est maximum beneficium, quod Deus fecerat Israelitis, & pro hoc colebant eum, ideo si isti erant dij, qui eduxerant Israel de Ægypto, frustrà erat ire ad alium locum ad colendum Deum. *Posuitq; vnum in Bethel,& alterum in Dan*, id est, posuit vnum de illis vitulis in vrbe Bethel, & alterum in vrbe Dan.

Bethel,& Dan,in quibus posuit Ieroboam vitulos aureos, quæ loca erant.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR de istis locis,quæ loca erant. Quidam dicunt,quod erant duo capita montium sibi propinquorum,& in vno erat vnus vitulus aureus, & in alio alius. Sed istud non stat, quia Dan erat quædam ciuitas maximè aquilonaris in terra Israel, vt patet Iosu.19. & Iudic. 18. ideo quando scriptura sæpè vult ponere terminum aquilonarem,& meridianum terræ Israel,ponit Dan & Bersabee,precedenti libro,cap.17. & 24. & suprà 4. scilicet, Bersabee erat in parte meridiana, & Dan in parte aquilonari. Bethel tamen est versus meridiem terræ Chanaan,ideo non erant ista duo loca simul. Sed dicendum, quod erant duæ vrbes maximè distantes in terra decem tribuum Israel, scilicet Dan ad aquilonem, & Bethel ad meridiem. Sed tunc dicetur, quomodo poterat esse vnus vitulus aureus in Bethel,quia Bethel erat ciuitas in tribu Beniamin,vt patet Ios.18.sed tribus Beniamin non erat subdita Ieroboam, sed ipsi Roboam,ideo nõ poterat ibi poni vitulus. Aliqui dicunt, quod Bethel non accipitur hic,pro nomine proprio ciuitatis,sed pro communi,scilicet,quòd vocaretur Bethel,quod interpretatur domꝰ Dei,eo quod positum fuerat ibi idolum,quod vocabãt Deus decem tribuum. Patet etiam hoc,quod ista ciuitas interdum vocatur Bethauen, vt patet sæpè in Prophetis minoribus, & dicitur Bethauen, id est, domus idoli, eo quod erat ibi idolum. Sed dicendum secundùm quosdam, quod nullum istorum erat nomen proprium illius ciuitatis, sed erat quoddam aliud nomen. Sed dicendum,quod non stat,quia tunc nõ solùm vocarẽ vna ciuitas istarũ Bethel, sed etiam ambæ, quia ambæ erant domus idoli. Item litera ponit hic illas,tanquàm duas ciuitates sub nominibꝰ suis proprijs,cùm dicit,qꝫ posuit vnum vitulũ in Dan,& aliud in Bethel. Aliter igitur dicendũ vt quidã volunt, scil.quòd istud idolum esset in Bethel,id est apud vrbẽ Bethel:nam Bethel erat in fine terræ Beniamin in latere aquilonari eius, & latus meridianum terræ Ephraim coniungitur lateri aquilonari Beniamin, ideo poterat esse idolum istud in aliquo templo in fine terræ Ephraim, & esset apud Bethel, & sic interdum dicitur aliquid esse in aliquo loco, quia est apud illud. Sed istud non multum stat, quia Bethel videtur esse ciuitas, vt patet sequẽti cap. cùm dicatur de falso Propheta, quod habitabat in Bethel. Etiã rex habitabat in Bethel,ideo videt quod ista erat ciuitas:sic enim patet seq.lib.cap.23.scil. Altare,quod erat in Bethel,destruxit Iosias. Dicendũ tamẽ,quod Bethel ista erat quedã ciuitas, sed

A dicunt ab illa Bethel, quæ erat in sorte Beniamin, sicut Bethleem est in tribu Iuda, Matth.2.& Mich.5.& etiam est in tribu Zabulon, Ios.19. Sic etiam Assor est ciuitas in sorte Iudæ, Ios. 15.& etiam est alia Assor in tribu Nephtali, Ios.19. Aliter aũt potest dici, ꝙ ista Bethel erat illa met, quæ est in tribu Beniamin, & ista est in qua erat idolum, habuerunt tamen eam viri Ephraim; quia fortè ipsi tradiderunt aliquam vrbem suam viris Beniamin,& viri Beniamin tradiderunt ei Bethel. Sic enim Ierusalem erat de sorte Beniamin, Ios. 18. & tamen habitauerunt eam filij Iuda, & ipsi pugnauerunt contra Gentiles habitatores istorum locorum, Iosue 15. & Iudic.1. Et istud tenetur communiter, & de hoc declaratum est Iosue 7.

Ieroboam quare fecit duos vitulos, & non vnum tantum.

Qvæstio XXIV.

VLterius quæretur, quare voluit Ieroboam facere duos vitulos, quia sufficiebat, quod faceret vnum quẽ colerent Israelitæ. Item videtur, quod ipse potiùs debuisset facere vnicũ vitulum, & ponere illum in vnico templo, ad quod conuenirent omnes Israëlitæ, & patet hoc, quia Ieroboam transferebat Israëlitas à cultu Dei ad cultum idolorum, & hoc solùm, vt non haberent occasionem ascendendi in Ierusalem, & reconciliarẽtur Roboam: debebat ergo ab hoc transferre eos, quãto minùs posset tenendo aliquã similitudinem cum cultu Dei, ne Israëlitæ abhorrerẽt, omnimodam mutationem subitò fieri. Cùm ergo inter Israëlitas esset vnicus locus, vbi fierent sacrificia, Leuit.17.& Deut.12. ita debuisset Ieroboam constituere vnicum locum, & ibi ponere vnicum vitulum. Respondendum, quod Ieroboam voluit plures facere vitulos propter duo, eo quòd duo motiua erãt, propter quæ simulabat ipse se facere hoc. Pro quo sciendum quod Ieroboam secundùm veritatem non mouebatur ad faciendum ista idola, nisi, vt populus non ascenderet in Ierusalem, & conuerteretur ad Roboam, vt patet in litera: illud motiuum tantùm nõ dixit ipse rex populo, sed intra se cogitauit, vt patet suprà. Finxit autẽ, quod nolebat populũ ire in Ierusalẽ propter duo. Primũ, quia superuacuum erat, innuẽs quòd determinatio legis, s. quòd esset vnicus locus Sãctuarij, nõ esset necessaria, qa Deus vbiq; est, ideo non magis in vno loco quã in alio coli potest. Ad hoc aũt conueniebat potiùs, quòd ipse faceret multa tẽpla quàm vnicũ, vt sic innueret, in multis locis & vbiq; posse Deum æqualiter coli. Si autem vnicum templum fecisset, videretur coincidere, cũ positione legis, s. quod Deus conueniẽter colebat solũ in vno loco: fuit ergo conueniens, quòd ad minùs faceret duo tẽpla, & poneret duos vitulos. Secundum motiuum erat, quia significabat
C Ieroboam, quod faciebat hoc ad tollendum laborem populi, scilicet quia difficile erat, & laboriosum, quòd de toto Israel congregarentur in Ierusalem ad festiuitates, ideo posuit duo loca, vt quædam pars regni iret ad vnum locum, & alia ad alium, & sic esset facilè cuilibet ire in sanctuarium: fuit ergo conueniens poni ad minus duo loca, & fuerunt ista Bethel, & Dan, eo quòd vnum erat in extremitate meridiana decem tribuum, scilicet Bethel, & aliud erat in parte aquilonari, scilicet Dan. Et conuenienter in vrbe Dan positum fuit idolum, quia ibi consueuerat à principio haberi idolum, scilicet idolum Michæ. Nam ex eo die quo filij Dan acceperũt ciuitatem illam de manu Laisenorum posuerunt ibi idolum, quod rapuerant de domo Michæ, & mansit ibi vsq; ad diem captiuitatis ciuitatis illius, Iudic.18. scilicet, mansit vsque ad tempora Samuelis, vt ibi declaratum est: nunc ergo conuenienter ibi idolum poneretur, quia non haberent illud molestum viri Dan. Ad rationem in contrarium, scilicet quòd deberet esse vnicum templum, & vnicus vitulus factus à Ieroboam. Dicendum, quòd Ieroboam non intendebat concordare legi, scilicet quòd Deus in vnico loco coleretur, sed potiùs volebat innuere, quod sicut Deus vbique est, ita vbique potest coli, & ad istud conueniẽtiùs erat fieri multa templa, quàm vnicum.

D *Quare Ieroboam potiùs fabricauit vitulos, quàm alias imagines deorum Gentilium.*

Qvæstio XXV.

VLterius quæretur, cùm Ieroboam vellet deducere populum ad colendum imagines, cur potiùs fabricauit eis vitulos, quàm aliquam aliam imaginem, cùm essent tunc apud Gentiles dij multarum figurarum. Respondendum, quod magis propinquum fuit hoc rationi, quàm facere Deos alterius figuræ. Voluit enim Ieroboam tales Deos Israëlitis fabricare, de quibus verisimiliter possent cogitare, quòd erant dij, est autem Deus, secundùm omnes æstimantes aliquid viuens, & operans, ideo id, quod magis accedit ad naturam viuentis, faciliùs credi potest esse Deus. Israëlitę aũt in Ægypto, qui viderant Deum Apim, qui apud Ægyptios singulis annis apparet, & ante eos currit, & de manu eorum cibum sumit, & aliqua futurorum signa ostendit, & cum vna die apparuerit in anno, non apparet postea in toto illo anno: Est autem dies certus, in quo apparet, & tunc Ægyptii præsto sunt celebrare magnam festiuitatem, & occurrere ei cum omni genere vasorũ musicorũ de quo latè dictum est, Exod. 2.& 32. inter Ægyptios ergo nullus Deus in cõparatione huius habetur in aliqua veneratione ideo Israelitæ, qui in Ægypto fuerunt multo tempore, sæpe viderunt istum Deũ Apim E
in forma bouis præcedentem Ægyptios, & ipsi eum coluerũt cũ cæteris Ægyptijs. Et ista fuit causa, quare in exitu de Ægypto nondum plenis quatuor mensibus ab exitu cùm Moyses esset cum Deo in monte, accipiendo legem, Israelitæ fabricauerunt sibi Deum, & nullam aliam formam fecerũt nisi vitulum, Exo.32. Ita ergo nũc memoriam habentes illius Dei Ægyptiorum, quem verisimilius Deum putabant, fabricauerunt mandato Ieroboam vitulos. Item istud factum esset, introducendo auctoritatem Aaron, qui erat summus sacerdos, & Deo acceptabilis, & tamen ipse fabricauit vitulum Exo.32. Item plurimi Israelitarũ putauerũt, quod cum iste esset Deus viuens, potens moueri ante eos, iste erat, qui eduxisset eos de Ægypto, & ob hoc fabricato vitulo per Aaron cantauerunt: Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti, Exo.32. Nunc igitur tenentes eandem opinionem, fabricauerunt vitulos, & dixerunt, Ecce dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti, vt patet in litera: Nulla ergo alia imago conuenientior visa est.

Ieroboam quomodo persuasit Israelitis, adorare Deum in duobus locis.

Qvæstio XXVI.

VLterius quæretur, quomodo potuit Ieroboã persuadere Israelitis, quod colerent Deum in duobus templis, nam secundum legem Leuit. 17. & Deut.12. statutum erat vnicum esse locum sanctuarij. Respondendum secundum Iosephum 8. Antiquitatum, quod persuasit hoc quadam ratione quasi naturali: dixit enim quod Deus vbique est: ideo non magis in vno loco, quam in alio coli potest; si enim Deus esset vt homo, qui vnicum locum habet, conueniens erat in eodem loco eum solum coli: quia tamen Deus vbique est, non magis potest impendi ei cultus in vno loco, quam in alio. Et si forte aliquis de populo diceret, cur Deus iussit in vnico loco fieri templum. Responderet Ieroboam, istud factum fuisse ad maiorem solennitatem, vt omnis populus appareret ibi: & tamen nihil prohibet Deum vbique coli: & quia sine maiori laborare erat, in multis templis eum coli, quam in vnico, voluit constituere multa templa. Forte etiam Ieroboam dixit Israelitis, quod tribus Iuda, & Beniamin erant hostes ipsorum: & si ascenderent in terram eorum ad Sanctuarium, possent eis nocere: ideo licitum erat ipsis colere Deum in terra sua. Ista autem satis sunt colorata. Sed potius videtur, quod Ieroboam manifestè transferret Israelitas ad idolatriam: nam non solùm fecit esse multa templa, sed etiam constituit sacerdotes quoscunque de populo, qui non erant de filijs Leui, F

vt patet in litera: sed istud contra legem erat, Numeri 3. & 16. & 18.

Quomodo persuasit adorare vitulos.

QVÆSTIO XXVII.

VLTERIVS quæretur, quomodo Israëlitæ potuerunt perduci ad hoc, quòd colerent vitulos. Respondet Iosephus, quòd inducti sunt ad hoc sub nomine religionis, scilicet, tanquàm colerent Deum in effigie illorum vitulorum, sicut nos Sanctorum habemus imagines. Sed objicitur, quia dicitur hic, Ecce Dij tui Israel: & sic vocauit plures Deos, & tamen contra cultum Dei est plures nominari Deos, Exodi 20. & Deuteronom. 4. & 5, Sed dicunt quidam, quòd accipitur plurale pro singulari ex conditione idiomatis Hebraici, sic patet Exod. 32. Scilicet, Ecce Dij tui Israel, & tamen ibi vnicus vitulus erat. Sed istud non stat: quia si intendisset Ieroboam Deum colere in vitulo, vel innuere populo, quòd in vitulo Deum colerent, non deberet facere duos vitulos, sed vnicum, vt significaretur vnitas Dei: fecit tamen duos vitulos, & dixit, Ecce Dij tui Israel: ergo videtur, quòd voluit innuere plures Deos. Item Ieroboam sciebat, quòd Deus puniuisset valdè Israëlitas, quando fabricauerunt vitulum in deserto: ideò si ipse vellet colere Deum, non debuisset fabricare imaginem vituli. Sed videtur, quòd Ieroboam rationabiliter debuisset facere vnicum templum in terra sua, & ibi nullam ponere imaginem, sed facere omnes cæremonias legales, quæ fiebant in Ierusalem, & tunc nõ erraret à lege, nisi quia extra vnicum locum Sanctuarij faciebat sacrificia. Ad istud autem ipse poterat ostendere causam rationabilem, aut verisimilem, scilicet quòd propter hostilitatem, quam habebant decem tribus cum Iuda, & Beniamin, non deberent ire in Ierusalem, & ob hoc, quòd liceret eis in terra sua facere templum ad colendum Deum. Ieroboam tamen omninò deuiauit à lege, scilicet quia constituit imagines, tanquàm Deos, quod erat potissimè contra legem. Etiam fabricauit templa in diuersis locis: Etiam cõstituit sacerdotes non de Leuitis, sed quilibet de populo efficiebatur sacerdos. Vnde nihil de lege videbatur custodiri. Dicendum igitur rationabiliter, quod Ieroboam voluit totaliter detrahere intentionem Israëlitarum à tempore Ierusalem, ne illuc euntes reconciliarentur Roboam. Istud autem visum est sibi, non posse facere, nisi deducendo populũ ad opinionem totaliter contrariam. Erat autem positio legis, quòd Deus in vno coleretur, & sine imagine: si autem Israëlitæ habuissent vnicum locum, & sine imagine in terra Ieroboam, putarent aliquid sibi deesse ad obseruationem legis, scilicet, quia non colebant in illo loco, in quo Deus statuerat, scilicet in Ierusalem: ideo desiderarent ire in Ierusalem: voluit ergo totaliter Ieroboam agere contra legem, scilicet introducendo imagines, & multa templa: Et tunc, cùm Israëlitæ viderent se nihil seruare de lege, quam olim seruabãt: sed totaliter esse in opinione contraria, non inclinarent ire in Ierusalem, tanquàm illud sibi deesset ad complemẽtum legis: Sed voluit Ieroboã, quòd sicut populus Israel, & Iuda erant nũc hostes: ita modi colendi Deum inter ipsos essent nimis diuersi. Ideo putandũ est, quòd Ieroboam voluerit ostẽdere, illos vitulos esse Deos, qui eduxerunt Israëlitas de Ægypto: & quia in lege Moysi nõ fuerat introductus talis modus deitatis; consequenter non oportebat fieri aliquem modum cæremoniarum istis Dijs, de cæremonijs illis, quæ iubebantur in lege Moysi. *Et factum est verbum hoc in peccatum.* Id est, Ista fabricatio vitulorum reputata est Ieroboam ad magnum peccatum. *Ibat enim populus ad adorandum vitulum vsq; in Dan.* Id est, Ibat vsque ad ciuitatem Dan: quia ibi erat vnus de vitulis, vt patet in litera. Et non est intelligẽdum, quòd omnis populus decem tribuum iret in Dan, sed quædam pars eius. Nam propter hoc posuerat duos vitulos, vnũ in Dan, & alterum in Bethel, vt sic pars populi iret ad vnum templum: & pars populi ad alterum. *Et fecit phana in excelsis.* Id est, Fecit templa, & altaria in montibus, & collibus. Possunt vocari excelsa ista duo templa, scilicet, in Dan, & in Bethel, intelligendo, quòd nulla alia templa, vel altaria in tota terra essent Ieroboam. Et vocantur excelsa, secundùm consuetudinem legis, omnia loca, in quibus fiebant sacrificia, præter ipsum templum Dei. Sic patet suprà tertio, cùm dicitur, quòd populus immolabat in excelsis, & quòd in Gabaon erat maximum excelsorum: & tamen Gabaon ciuitas erat, in qua erat altare Domini, vt patet ibidem. Aliter potest intelligi, quod præter ista duo templa magna Dan, & Bethel, in quibus erant vituli, essent multa alia altaria in montibus, & collibus, vt haberet populus opportunitatem, faciendi sacrificia in multis locis. Istud etiam fuit in tribu Iuda, & Beniamin, vt patet ex processu libri istius, & sequentis. *Et sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filijs Leui.* Id est, Fecit sacerdotes, qui non erãt de stirpe Leui, sicut lex iusserat, sub pœna mortis imponens, ne quis accederet ad altare, præter filios Leui, Nume. 3. & 18. Ipse autem constituit sacerdotes de extremis populi, id est, de minoribus viris totius populi. Extremum enim est duplex, scilicet, superabundans, & deficiens: extremum superabundans vocantur viri multum honorati, & quasi principes populi: extremum deficiens sunt infimi de toto populo: ideo possunt hic accipi extremi de populo, id est, principes, & optimi: & est sensus, quòd noluit, Leuitas esse sacerdotes, sed principes populi fecit sacerdotes. Et huic consonat, quòd ipsemet Rex factus est sacerdos. Nam ipse offerebat sacrificia super altare, tanquàm sacerdos, vt patet sequenti cap. Vel potest intelligi, quòd minores de populo facti sunt sacerdotes: & istud videtur esse, vt posset haberi copia sacerdotum, quòd non fieret, si soli principes magni efficerentur sacerdotes: & huic consonat, quod habetur 2. Paralipomenon 13. Scilicet, Quicunque venerit, & initiauerit manum suam in tauro, in bobus, & arietibus septem, fit sacerdos eorum, qui non sunt Dij.

Quomodo Ieroboam persuasit populo, quòd essent sacerdotes de populo, & non de Leuitis.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR, quomodo potuit Ieroboam persuadere Israëlitis, quòd essent sacerdotes de populo, & non de Leuitis, sicut erant in Ierusalem. Respondendum est, quòd Ieroboam faciliter hoc persuasit: nam cultus vitulorũ differebat nimis à cultu Dei, secundùm legem Moysi: ideo non solùm in ritu colendi, sed etiam in ministris poterat esse differentia: nam variato principali, scilicet Deo, qui colebatur, poterant reliqua variari. Etiam quia populo hoc placeret quòd essent sacerdotes de omnibus tribubus. Item, quia sic fuerat à principio, & fiebat inter omnes gẽtes, quòd ipsi primogeniti haberent præcipuum honorem in sacrificãdo; cæteris tamẽ licebat facere sacrificia. Item argueret quadam ratione quasi naturali, scilicet Deus nõ est acceptor personarũ, Deut. 1. & 10. Ideo quicunq; voluerit recto ãnimo colere ipsum, acceptabitur ab eo, sed sacerdotes colebant Deum specialiter, ideo ad quemcunq; poterat pertinere fungi sacerdotio. Ista ratione vtebatur Chore, & socij sui contra Moysen, & Aaron, pro summo sacerdotio Aaron: & pro sacerdotio minori stirpis suæ: quia volebant isti, quòd ad totum populũ pertineret, eo quòd oẽs erant viri Sancti. Vnde dixerunt ad Moysem, & Aaron: Sufficiat vobis, qa omnis multitudo Sanctorum est, & in ipsis est Dominus: cur eleuamini super populũ Domini, scilicet accipientes vobis sacerdotiũ, Num. 16.

Quo motiuo Ieroboam fecit sacerdotes de populo.

QVÆSTIO XXIX.

VLTERIVS quæretur, quod fuit motiuum Ieroboam ad faciendum sacerdotes de populo, & nõ de filijs Leui. Respondendum, quod istud poterat esse, ad faciendam diuersitatem inter cultum, quem ipse nunc introducebat, & cultum Dei, qui præexistebat: nam cultus prior erat per sacerdotes de stirpe Leui: nunc autem voluit Ieroboam, de omni populo esse sacerdotes. Secundò hoc esse potuit, quia fortè interdum deficerent sacerdotes de Leuitis: & tunc populus, vt haberet ministros, iret in Ierusalem ad sacrificia, quæ ibi fiebant: ideo vt nunquàm deessent sacerdotes, cõstituit eos de populo. Tertiò hoc potuit esse: qa oẽs Leuitæ re-

cesserunt

A

cesserunt de terra decem tribuum propter vitulos factos: si tamen sacerdotes essent solùm de Leuitis, oporteret populum ire in terram Iuda ad sacrificia: ideo constituit de populo in defectum eorum. Istæ causæ secundùm quosdam sunt verisimiles, & isla vltima videtur potissima, & tamen non est: quia non constituit Ieroboam sacerdotes de populo, quia recesserunt Leuitæ: nam antequàm recederent, constituit sacerdotes de populo: immò ista fuit causa, quare recesserunt Leuitæ de decem tribubus, scilicet, quia iam ipsi non ministrabant in officijs suis, & consequenter non habebant redditus aliquos, sed populares vsurpauerant hęc, sic patet 2. Paralipomenon 11. scilicet, Sacerdotes, & Leuitæ, qui erant in vniuerso Israel venerunt in Ierusalem, eo quòd abiecisset eos Ieroboam, & posteri eius, ne Sacerdotio Domini fungerentur. Dicendum igitur, quod motiuum Ieroboam fuit, vt placeret populo. Erat enim sacerdotium magni honoris inter Israëlitas, & magnorum reddituum: ideo Israëlitæ pugnauerunt contra Moysen, & Aaron, quòd ipsi vsurparent sibi sacerdotium, & per hoc dominarentur super populum, Num. 16. Deus autem abstulit ibi istam contentionem. Erat igitur populus cupidus sacerdotij, sed non audebat vsurpare illud propter legem, & principes vetantes. Nunc autem Ieroboam, vt posset populum inducere ad alia, quæ ipse volebat, voluit complacere ei in hoc, scilicet quòd essent sacerdotes de popularibus.

B

Quare Deus non puniuit Israëlitas, vsurpantes locum sacerdotum.

Qvæstio XXX.

Vlterivs quæretur, quomodo Deus non puniuit Israëlitas de decem tribubus, vsurpantes locum sacerdotum. nam Deus dixerat, quòd quicunque accederet ad ministrādum, si non esset de stirpe Aaron, moreretur, Nume. 3. & 18. Item patet hoc in exemplo: quia Chore, & ducenti quinquaginta socij sui voluerunt vsurpare sacerdotium, offerendo thus coram altari, & omnes simul cremati fuerunt, Nume. 16. Rex quoque Ozias, qui alio nomine vocatur Azarias, voluit offerre thymiama, & percussus est lepra in fronte, fuitq; leprosus vsque ad mortem, sequenti lib. cap. 16. & 2. Paralip. 26. Responderi potest vno modo secundùm quosdam, quòd istud factum est ex misericordia Dei, qui expectabat conuersionem Israëlitarum: vnde misit Prophetam ad eos, sequenti cap. & si voluissent reuerti ad eum, libenter remisisset eis præterita mala. Sic etiam tolerauit multo tempore, quòd idola colerent, mittendo ad eos Prophetas, quos non exaudierunt, quousq; facta est insanabilis plaga eorum, & fecit illos duci de terra sua in terram Medorum, & Persarum, sequenti libro, cap. 17. Sed dicendum, quòd ista responsio potest esse conueniens, si quæratur, quare Deus non puniuit illos cùm colerent idola: nam ex sola misericordia tandiù expectauit. Et tamen de sacerdotibus non est eadem responsio.

C

Vnde dicendum, quòd dato, quòd Deus vellet se rigorosè habere cum Israëlitis, non debebat eos occidere propter hoc quòd efficiebantur sacerdotes: quia lex data, Nume. 3. & 18. Non se extendebat ad istos: sed solùm ad illos, qui vellent in templo Domini coram altari suo ministrare, si non essent de stirpe Aaron: isti tamen non ministrabant Deo, sed idolis: etiam non ministrabant in templo Domini, sed in templis prophanis: ideo non obligabat eos lex illa, & sic non magis peccarent Israëlitæ, quòd populares facerent sacrificia illis vitulis, quàm quòd sacerdotes facerēt: sed peccabant in hoc, quòd colebant idola.

Constituitq; diem solennem. Scilicet, Magnæ festiuitatis, in quo conueniret populus ad sacrificia. *In mense octauo, quintadecima die mensis.* Iste est mensis October, qui secundùm Hebræos est octauus, eo quod incipiunt menses suos in Martio.

In similitudinem solennitatis, quæ celebrabatur in Iuda. Id est, Quæ celebrabatur in Ierusalem, vbi erat templum, & seruabantur cæremoniæ legis. Dicitur festiuitas ista similis festiuitati terræ Iuda, scilicet, festiuitati tabernaculorum: quia sicut illa celebrabatur die quintadecima mensis: ita ista cœpit die quintadecima. Et tamen differebat: quia illa erat in mense septimo. Leuitici vigesimotertio, & Numeri vigesimonono. Ieroboam autem celebrauit nunc in octauo mense solennitatem.

D

Quare mutauit Ieroboam Deum colendi ritum.

Qvæstio XXXI.

Qværetvr, quomodo potuit celebrare octauo mense solennitatem, quæ erat in mense septimo: & cùm vellet eam celebrare, cur non celebrauit tempore suo. Ad primum dicendum, quòd Ieroboam mutata deitate vera in vitulos aureos, mutauerat etiam ritum colendi. Sicut igitur fecit esse multa templa, & sacerdotes de popularib⁹, quod erat contra legem: ita etiam ferè mutauit omnes alias cæremonias. Inter istas erat constitutio certi temporis ad celebrandum festiuitates, de quibus Leuit. 23. & Numer. 28. & 29. Ieroboam autem iam non seruauit istas solennitates: nam non celebrauit festum azymorum, Pentecostes, clangoris, propitiatiōis, tabernaculorū, & neomeniarū, sicut à lege cōstitutū erat: sed cōstituit solēnitates, quot voluit, & qñ voluit: ideo extra tempora determinata à lege celebrauit solennitates. Patet hoc, quia dicitur: Constituitq́ue diem solennem, scilicet, non celebrauit diem solennem, qui ex lege constitutus erat, sed ipse ex corde suo constituit festiuitatem, quando voluit. Ad secundum dicendum, quòd Ieroboam fortè voluit istam solennitattm facere, eo modo, quo fiebat in templo Domini in terra Iuda: & tamen non occurrit sibi tunc celebrare. Causa huius fuit: quia vt dicit Iosephus 8. Antiquitatum, fuit constitutus Ieroboam in regem, paulò ante festum scenopegiæ, siue tabernaculorum, quod idem est: & tunc populus ascensurus erat in templum Domini in Ierusalem: ipse autem timuit, quòd conuerterentur ad Roboam, vt dictum fuit suprà: ideo excogitauit facere vitulos, quos colerent Israëlitæ; & quia non potuit istos facere ante festum tabernaculorum, quod erat die quintadecima mensis septimi, transtulit ad alium mensem, scilicet, octauum, & celebratum est festum die quintadecima mensis eius, sicut celebrabatur in mense præceden. Simile enim fiebat interdum secundùm legem, scilicet, quòd illi, qui non poterant celebrare phase tempore suo, scilicet, die quartadecima mensis primi, propter immunditiam, vel peregrinationem, celebrarent die quartadecima mensis secundi, vt patet Numer. nono. Non tamen multum curabat Ieroboam de hoc: nam secundùm legem solum festum phase poterat transmutari de tempore suo: licèt Ieroboam, qui non seruabat legem, celebrabat quando volebat. *Et ascendens, altare similiter fecit in Bethel.* Id est, Ascendit Ieroboam in vrbem Bethel, & fecit ibi altare. *Vt immolaret vitulis, quos fabricatus fuerat.* Illos enim vitulos Israëlitæ verè colebant, & non Deum: licèt Iosephus velit, quòd colebatur Deus in vitulis. Vnde sacerdotes Ieroboam vocantur sacerdotes dæmoniorum, & vitulorum, 2. Paralipomenon vndecimo. Si tamen coleretur Deus in vitulis, non vocarentur sacerdotes isti dæmoniorum, sed Dei. Sed dicetur, quomodo immolaret Ieroboam vitulis in Bethel: quia solùm erat ibi vnus vitulus, & alius in Dan, vt patet suprà in litera. Dicendum, quod intelligitur, quòd fecit altare in Bethel, id est, non solùm in Bethel, sed etiam in alijs locis: & ista altaria fuerunt ad immolandum vitulis. Nam vbicunque essent aliqua altaria in terra Israel, illa erant ad colendum vitulos, quos fecerat Ieroboam. Aliter potest dici, quòd quanquàm vnus vitulus fuit in Bethel, & alius in Dan, & tamen in ista prima solennitate, quam celebrauit Ieroboam mox, vt facti sunt vituli, ambo erant in Bethel: quia nondum fuerat vnus eorum portatus in Dan: & sic immolauit ambobus vitulis nunc in altari Bethel. *Constituitq; in Bethel sacerdotes excelsorum, quæ fecerat.* Excelsa vocantur quæcunque altaria ad immolandum præter illud, quod erat in templo Domini, vt patet suprà 3. Fecerat autem Ieroboam multa altaria in Bethel, & pro illis constituit sacerdotes, qui illis ordinariè ministrarēt. Scien dum tamen, quòd præter istos erant alij sacerdotes non ordinarij, qui poterant immolare in quocunque loco. Nam

E

F

Excelsa, quæ sint.

quicun-

A quicunque volebat effici ſacerdos, initiabat manum ſuam in vitulis, & arietibus, & efficiebatur ſacerdos, 2.Paralipomenon 13. *Et aſcendit ſuper altare, quod extruxerat in Bethel.* Iſtud erat altare præcipuum: nam multa alia altaria fecerat. Et aſcendit ipſemet rex ad immolandum factus pontifex, & hoc ad honorandum ſacerdotium. *Quintadecima die menſis octaui.* In illa die celebrauit ſolennitatem ad ſimilitudinem ſolennitatis Iuda. *Quæ finxerat de corde ſuo.* Id eſt, Iſtam ſolennitatem, & cæremonias eius finxit Ieroboam de corde ſuo: quia lex non impoſuerat, aliquam ſolennitatem fieri menſe octauo. *Et fecit ſolennitatem filijs Iſrael.* Id eſt, Tunc congregauit decem tribus, & fecit ſolennitatem ad dedicationem vitulorum. *Et aſcendit ſuper altare, vt adoleret incenſum.* Scilicet, Ipſemet rex aſcendit ſuper altare ad cremādum in eo thymiama. Sic etiam credendum eſt, quòd ipſe fecerit alia ſacrificia de carnibus animalium occiſorum cum libamentis ſuis.

CAPVT XIII.

ET ecce vir Dei venit de Iuda in ſermone Domini in Bethel, Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente. Et exclamauit contra altare in ſermone Domini, & ait:
4. Reg. 23. B *Altare, altare, hæc dicit Dominus, Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine, & immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum.*

Deſcripta in præcedentibus Ieroboam tranſgreſſione: hic agitur de tranſgreſſionis reprehenſione. Et diuiditur in quatuor: quia primò pœna futura prędicitur, ſecundò rex, rebellans diuinæ monitioni, percutitur ibi. *Cùm audiſſet rex.* Tertiò Propheta Domini ab iniquo Propheta ſeducitur, ibi. *Prophetes autem quidam.* Quartò rex Ieroboam obſtinatur ibi. *Poſt hæc verba.*

An ordo continuus, & immediatus ſit.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR, an iſta, quæ habentur hic, habeant continuatum ordinem ad præcedentia, & an fuerint facta immediatè. Ad primum dicendum, quod eſt rectus ordo: quia præcedenti cap. dicebatur, quomodo Ieroboam fecerat idola, & altaria: hic autem agitur de reprehenſione illa, quæ ſecuta eſt propter iſtam præuaricationem: ideo neceſſariò fuit poſita. Ad ſecundum dicendum, quod iſtud fuit immediatè poſt præcedentia: immò in eadem die, quia præcedenti cap. dicitur, Quomodo fecit Ieroboam ſolennitatem, & aſcendit ſuper altare ad cremandum incenſum: hic autem dicitur, quòd ille Propheta, qui venit ad increpandum eum, inuenit ipſum in altari ponentem incenſum; ideo inter iſta, & præcedentia nullum tempus intercidit: ſed eſt hiſtoria continuata, & ſolùm ſit diſtinctio propter diuerſas particulas hiſtoriæ, & non propter diuerſa tempora, in quibus acciderint. *Et ecce vir Dei.* Id eſt, Propheta. Vocantur Prophetæ viri Dei, quia Deus loquitur ad illos. *Venit de Iuda.* Id eſt, De regno Iudæ: nam ibi colebatur nunc Deus, & erant ibi Prophetæ, & ſacerdotes, quia omnes fugerant de terra decem tribuum. *In Bethel.* Quia in loco iſto erat nunc rex faciens ſolennitatem cum toto Iſrael. *In ſermone Domini.* Id eſt, Ex parte Dei, ſcilicet Deus dixit ei, quòd veniret in Bethel, & eſt iſte modus loquendi in ſcriptura: ſic dicitur, quòd Propheta quidam Michæas dixit ad quēdam virum in ſermone Dei, quòd percuteret eum, id eſt, dixit ei ex parte Dei, infrà 20. *Ieroboam ſtante ſuper altare, & thus iaciente.* Id eſt, Tunc quādo venit Propheta erat Ieroboam ſuper altare, ponendo thus in ſacrificijs: & etiam ponendo adipes, & libamenta. *Et exclamauit contra altare.* Scilicet, Verba ſua direxit ad altare, & non ad aliquem hominem. *In ſermone Domini.* Id eſt, Locutus fuit iſta verba, quæ ſequuntur ex parte Dei, & non confinxit illa de corde ſuo. *Et ait, Altare, altare, hæc dicit Dominus.* Scilicet, Deus locutus eſt contra te, & apparebunt in te iſta ſigna, quæ ſequuntur.

Quare Propheta locutus eſt contra altare, cùm non eſſet res altare percipiens verba.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, quare Propheta locutus eſt hic, contra altare, cùm non eſſet altare res percipiens verba. Reſpondendum, quod locutus eſt ſic: quia interdum ſacra ſcriptura dirigit verba ad res inanimatas, vocando eas in teſtes eorum, quæ fiunt. Sic patet Deut. 32. Cùm dixit Moyſes in cantico contra Iſrael: Audite cœli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Sic etiam quidam tempore Machabæorum, inuocauerunt cœlū, & terram in teſtes, dicentes, Teſtes ſunt ſuper nos cœlum, & terra, quod iniuſtè perditis nos. Hic autem Propheta non loquebatur ad altare, vt eſſet teſtis: nec etiam loquebatur ad illum, tāquàm perciperet verba, quę dicebantur: ſed quia loquendo contra altare, loquebatur contra regem, & populum. Fuit autem conueniens propter duo fieri locutionem ad altare. Primò, quia apparituram erat ſignum in altari, ſcilicet, quòd diuideretur, & effunderetur cinis. Secundum erat, quia iſta mala, quæ prędicebat Propheta, euentura erant propter altare, ſcilicet, ideo ſacerdotes occidendi erant, & cremanda oſſa: quia in altari illo fiebant ſacrificia. *Ecce filius naſcetur domui Dauid, Ioſias nomine.* Iſte fuit rex valdè Catholicus, & zelator circa cultum Dei, perſecutusq; D E eſt valdè idololatras, vt latè patet ſequen. lib. cap. 23. Iſte Ioſias fuit de domo Dauid: quia fuit rex Iuda filius Ammon, qui erat rex valdè malus, ſequen. lib. cap. 21. Et filius ſuus Ioſias fuit valdè bonus, eod. lib. cap. 22. & 23. *Et immolabit ſuper te ſacerdotes excelſorum.* Scilicet, Iſte Ioſias zelo legis occidet ſacerdotes idolorum ſuper altare iſtud, vt in eo in quo peccauerant, punirentur. Iſtud autem ipſe fecit, quòd exquiſiuit omnes idololatras, qui erant in terra ſua, & idola, & cremauit idola, & ſacerdotes occidit ſuper iſtud altare, ſequen. lib. cap. 23. Vocantur autem ſacerdotes excelſorum, id eſt, altarium, quæ erant præter altare, quod erāt in ſanctuario Domini. *Qui nunc in te thura ſuccendunt.* Non eſt intelligendum, quòd aliqui de ſacerdotibus, qui nunc erant quando Propheta locutus fuit iſta, occiſi fuerint à Ioſia: quia ab iſto tempore vſq; ad Ioſiam fuerunt multi anni: nam fuerūt quaſi octo, vel nouem reges de Iuda, & plures de Iſrael, vt patet computādo ex ſucceſſione libri iſtius, & ſequentis: ſed intelligitur, quòd occideret ſacerdotes, qui tempore ſuo offerrent thus ſuper altare. De ſacerdotibus autem iſtius temporis non dicitur, quòd immolaret eos, id eſt, occideret: ſed quòd immolaret oſſa eorū cremādo. Vtrumq; enim fecit Ioſias: nam ſacerdotes illos, quos viuentes reperit, occidit ſuper iſtud altare: alios verò mortuos exhumauit, & cremauit oſſa eorum ſuper altare, ſeq. lib. cap. 23. *Et oſſa hominum incendet ſuper te.* Ioſias exhumauit mortuos, quos reperit de idololatris, & cremauit oſſa eorū ſuper F iſtud altare. Et iſtud erat propter duo. Primò in pœnam, & deteſtationem iſtorum idololatrarum. Secundò ad contaminationem altaris: quia iſtud altare fuerat dedicatum ad offerendum in eo ſacrificia: quicquid tamen cōtingebatur oſſibus mortuorum, pollutum erat. Vnde ſi quis tetigiſſet cadauer, aut oſſa humana iacentia in agro, vel alibi, immundus erat, Num. 19. A fortiori ergo cùm cremarētur oſſa mortuorum in aliquo loco, efficiebatur locus ille valdè immundus. *Dedit ergò in die illa ſignum, dicēs.* Id eſt, immediatè, vt locutus fuit iſta, dedit ſignum ad probandum, quòd euentura erant, quæ prædixit. Nam Propheta iſte loquebatur de tempore valdè longinquo, ſcil. de tempore Ioſiæ: & quia adhuc futuri erant multi reges ante Ioſiam, non crederetur huic; ſubdidit ſignū. Sic enim Deus iuſſerat Prophetis, quod ad probationem eorum, quæ dicebant prēmitterent ſigna: & ſic populus teneretur eis credere, Deuteron. 13. & 18. Sic igitur fuit in iſto Propheta, qui dedit ſignum illicò. *Hoc erit ſignum, quod locutus Dominus.* Id eſt, Per iſtud ſignum, quod nunc videbitis, cognoſcetis, quòd Deus locutus fuit iſta, quæ prædixi. *Ecce altare ſcindetur, & effundetur cinis, qui in eo eſt.* Super altare cremata fuerant multa ligna, & ſacrificia, ideo erat plenum cinere in ſuperficie, & quando ſciſſum eſt altare cinis diffuſus fuit.

Scißio altaris, an fuerit ſufficiens ſignum Prophetam vera dicere.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR, an fuerit iſtud ſignum ſufficiens ad probationem eorum, quæ dicebat Propheta, & quis diuiſerit altare. Reſpõdendum, quòd ſi Iſraëlitæ vellẽt malignari, non crederent iſtud ſignum eſſe ſufficiens: eo quòd poterat fieri ſine operatione Dei: nullũ tamen eſt ſufficiens ſignum, niſi quod à Deo manifeſtè eſt. Patet hoc, quia altare illud poterat ſcindi ſubito opere dæmonũ: quia iſta erat operatio circa corpus: dæmonibus autẽ ſubeſt operari, quicquid velint circa corpora: dum tamẽ Deus non prohibeat eos: eo quòd vires ſuæ ſunt maiores viribus rerum naturalũ: & tamẽ ipſi dæmones ſunt mendaces: quamquàm ergo nunc altare ſcinderetur, non ſequebatur verum eſſe, quod Propheta dicebat: quia poterat eſſe, quòd dæmones ſcinderent iſtud altare, ad probationem mendaciorum, quæ confingerent. Dicendum, quòd quanquàm iſtud ſignum non importabat probationem ſimpliciter neceſſariam; quia potèrat eſſe à dæmonibus, tamẽ contra ipſos Iſraëlitas erat probatio ſufficiẽs. Sicut aſſumptis principijs falſis in bono ſyllogiſmo, nõ fit aliqua probatio neceſſaria: & tñ cõtra ipſũ cõcedentẽ principia falſa, ꝓbatio eſt neceſſaria, ſicut ſi principia eſſent vera. ſed Ieroboam, & Iſraëlitæ præſupponebãt ſe colere Deum verum: & tamen contra Deum verum, dæmones non habent aliquã poteſtatem agendi etiam res minimas: quod patet in magis Pharaonis, qui non potuerunt facere ciniphes, ſicut faciebat Moyſes, & dixerunt, Digitus Dei eſt hic, id eſt, poteſtas Dei impedit nos iſta facere: ergo ſi altare diuideretur, neceſſe erat vnum de duobus, ſcilicet quod aut Iſraëlitæ non colebant Deum verũ, & ſic poterãt dæmones contra illos facere ſigna iſta: aut ſi colebãt Deum, quod iſtud ſignũ à Deo veniret, cũ dæmones nõ poſſent agere contra Deum. Poterat etiã ſequi, ꝙ ipſi non colebant Deum, & quòd Deus faciebat contra eos iſtud ſignum: ſed iſtud ipſi minus concedent, neceſſe eſt ergo, vt quocunque modo dicant, confiteãtur ſignum iſtud eſſe à Deo, niſi dicant, quod colebant dæmonem, & dæmones faciebant iſta ſigna. Si autem iſtud concedant, confitentur turpitudinem ſuam: & ſatis erat, quòd ipſi concederent iſtud ad hoc, quòd deberent recedere à cultu idolorum. Sed adhuc dato, quòd vellent iſtud confiteri, non ſtat. Primò, quia iſta Prophetia admonebat Iſraëlitas ad bonum: dæmon tamen nunquàm incitat ad bonum; ideo non erat à dæmone. Secundò patet, quia dæmones non ſunt inter ſe diuiſi, ita quòd aliqui ſunt contrarij alijs: ſed omnes concordant ad malum: non ſtat ergo, quòd cùm quidam dæmones conentur fallere homines, vt colant Deos, quòd alij conarentur reducere homines à cultu idolorum, faciendo ſigna contra illos. Iſta ratione vtitur Chriſtus contra Phariſæos, cùm ipſi dicerent, quòd Chriſtus eijciebat dęmonia in poteſtate Beelzebub, Matth. 12. Scilicet, Omne regnum diuiſum contra ſe deſolabitur: & ſi Satanas Satanam eijcit, aduerſus ſe diuiſus eſt: quomodo ergo ſtabit regnum eius? quaſi dicat, Non poteſt ſtare ſi diuiſus eſt: & tamen Satanas, & regnum ſuum ſtat: ergo non eſt diuiſus. Neceſſe eſt igitur, quòd iſtud ſignum non fieret à dæmone, ſed à Deo: & conſequenter prophetia erat vera.

An iſtud ſignum potuit eſſe à Deo, vel ab Angelo.

QVÆSTIO IIII.

VLTERIVS quæretur, quis fecit iſtud ſignum. Hic non quæritur, an Deus, vel dæmon egerit: quia iam probatum eſt, quod non fuit à dæmonibus. Sed ſtat dubium, cùm fuerit ex parte Dei, an fuerit à Deo, vel ab Angelis. Ratio dubij eſt: quia quædam interdũ fiunt ex parte Dei, quæ neceſſe eſt à Deo ſolo fieri, ſicut ſi aliquis à morte ſuſcitetur. Alia autem ſunt, quæ à Deo fieri non poſſunt; eo quòd includunt imperfectionem motus, & ſucceſſionis, quę in Deum non cadunt. Dicendum eſt, quod iſtud ſignum potuit vtroque modo euenire, ſcilicet, à Deo, vel ab Angelis: nam poterat iſtud altare ſubitò diuidi: operationes autem ſubitaneæ ſatis Deo competunt: eo quòd non dicunt in eo aliquam imperfectionem: potuit etiã fieri per Angelos: quia iſta operatio erat in materia corporali, & non erat infiniti vigoris, ideo per Angelos expleri poterat, quocunq; ergo modo dicatur, non eſt inconueniens.

Cum decem tribus colerent idola, an tribus Iuda, & Beniamin tenebantur ex lege pugnare contra illas.

QVÆSTIO V.

VLTERIVS quæretur, cùm Iſraëlitæ colerent idola, an poſſent tribus Iuda, & Beniamin pugnare contra illos, & an tenerentur ad hoc. Aliquis dicet, quòd non poterant pugnare: eo quòd Deus vetuerat, præcedenti cap. Iſraëlitis pugnare contra Iſrael. In contrarium videtur, quòd poſſent, quia Deuteron. 17. dicitur, quòd cùm aliquis coleret idola, lapidaretur: & nõ ſolùm ſi eſſet vnica perſona: ſed etiam ſi eſſet ciuitas, pugnandum erat contra eam, & delendi erant, qui manebant ibi, Deuter. 13. Item non ſolùm ſi eſſet vna ciuitas, ſed etiam ſi eſſent duæ tribus, vel tres, vel maior pars Iſrael pugnandum erat contra eam. Sic patet, quando duæ tribus, & dimidia fecerũt altare magnum apud Iordanem: nam reliquæ tribus voluerunt pugnare contra eas, Ioſue 22. Et pugnaſſent, niſi illæ duæ tribus, & dimidia, legitimè ſe purgauiſſent de crimine eis obiecto, vt patet ibidem. Aliquis dicet, quòd tribus Iuda, & Beniamin poterant pugnare contra decem tribus, & mererentur valdè, tamen non obligabantur pugnare, eo quòd Iſraëlitæ erant multi, & ipſi pauci: Dicendum, quòd iſta excuſatio non ſtat: quia tribus Iuda, & Beniamin audebant pugnare contra decem tribus pro reintegratione Regni, & pugnauiſſent, niſi Deus vetuiſſet, præcedẽti cap. Ergo non excuſarentur pugnare pro cauſa idololatriæ. Reſpondendum eſt, quòd Iſraëlitæ à principio erant vnus populus, & tunc rectores totius Iſrael debebant ſolicitè agere, ne in aliqua parte terræ ſuæ colerentur idola, & ſic Deus loquitur, Deuteron. 13. & 17. Tanquàm Iſrael eſſet vnus populus, cùm dicitur: Si audieris in vna vrbiũ tuarum, tunc Iſraëlitæ obligabantur cõtra quantamcunq; partẽ populi pugnare, reducendo eam ad cultum Dei, vel occidendo oẽs delinquentes. Nunc autem Iſrael non erat vnus populus; ſed regnũ Iuda erat ꝑ ſe; & regnũ Iſrael ꝑ ſe & fuerat cõfirmata iſta diuiſio ex ſententia Dei, præceden. cap. Ideo iam nulla cura erat viris de regno Iuda de Iſraëlitis, quòd colerent Deum, vel non, & ſic non obligabantur pugnare contra illos pro idololatria. Item patet, quia ſi obligarentur pugnare contra eos, peccauiſſent, ſi non pugnaſſent, & tamen aliqui reges fuerunt boni inter Iſraëlitas, de quibus dicitur, quod in omnibus benè ſe habuerunt, præterquàm quòd non abſtulerunt excelſa, vt dicitur de rege Aſa, infrà 15. Sic etiam fuit de Ezechia, ſequenti lib. cap. 18. Et tamen iſti non pugnauerunt contra decem tribus Iſrael pro idololatria: ergo videtur, quod non obligabantur. Alioquin diceretur de eis, quòd non pugnauerunt contra Iſrael, ſicut dicitur, quòd non abſtulerunt excelſa. Dicendum tamen, quod licebat eis pugnare contra Iſrael pro hac cauſa, & facerẽt aliquod opus ſupererogationis, in quo valdè mererẽtur. Ad rationem pro prima parte, Dicendum, quòd Deus vetuit ibi pugnare contra decem tribus, eo quòd non pugnabatur pro idololatria, ſed pro reintegratione regni. Etiam quia nondum Iſraëlitæ fecerant vitulos, in quibus idololatrauerunt; poſt idololatriã autem non vetuit pugnare contra illos: Vnde ſi Beniamin, & Iuda voluiſſent pro hac cauſa pugnare contra Iſrael, non ſolùm non fuiſſent prohibiti, ſed etiam fuiſſent à Deo valdè adiuti, ſi tamen vellent iſtæ duæ tribus pugnare contra Gentiles, quia colebant idola, licèt Gentiles peccarent colendo idola, tamen Iſraëlitis non liceret pugnare contra eos ex hac cauſa, eo quòd Deus iſta peccata non puniebat nunc, niſi in Iudæis: quia dederat illis legem. In alijs autem Gentibus, quibus non erat data lex, puniebantur iſta peccata in alio ſæculo. Iſtud colligitur Amos 3. Scilicet, Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: iccirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. Quaſi dicat, Vos cognoui, dando vobis ſpecialiter legẽ, & non alijs Gen-

tibus:

A tibus: ideo puniam omnes iniquitates vestras hic, & iniquitates aliarum Gentium non puniam hic. Item patet, quia Israëlitæ non habebant ius pugnandi contra aliquam gentem, pro peccatis eius, nisi inquantũ lex iubebat, & tamen lex non concedebat Israëlitis pugnare cõtra Gentes pro idololatria, quia tunc contra omnes Gentes, & omni tempore licuisset eis bellum, quod falsum est, ideo solùm erat istud inter Israëlitas. Ad rationem pro alia parte dicendum, quòd Israëlitæ obligabant pugnare cõtra quoscunq; idololatrãtes, q essent pars populi ipsorum, & tamen decẽ tribus erant nunc, vt populus distinctus, ideo nõ tenebantur pugnare cõtra illas viri de regno Iuda. *Cumq; audisset.* Hic ponitur secundum huius cap. In quo rex, rebellans diuinæ monitioni, percutitur: voluit enim rex tenere Prophetam illum, tanquàm offendentem se, & percussus est. Et dicitur. *Cumq; audisset rex sermonem hominis Dei.* Scilicet, Postquàm audiuit, iratus est, quia ista verba dicebantur in præiudicium, & cõtemptum eius. *Quem inclinauerat contra altare in Bethel.* Scil. Sermo Prophetę nõ dirigebat ad regẽ, nec ad aliquẽ de populo, sed cõtra solũ altare, & tamẽ redundabãt in pręiudiciũ regis, & omniũ Israëlitarũ. *Extendit manum suam de altari.* Erat enim rex in altari tunc, ponendo thura, & sacrificia, quando loquebat Propheta, & audito sermone, iussit eum teneri. *Dicens apprehendite eum.* Dixit hoc, quia fortè volebat occidere eum. Nam multi reges ponebant Prophetas in carceribus, vel occidebãt eos, quia prophetabant cõtra ipsos. Sic fuit de Isaia, quia per medium serratus est à rege Manasse. Sic etiam fuit de Ieremia, qui positus fuit in lacu, & in carcere, vt sæpè patet in libro suo. Sic etiam fuit de Amos Propheta, qui propter hoc, quod prophetabat cõtra Israel, percussus vecte in capite, occisus est. De his Hieronymus in prologis super singulos Prophetas, & in libro suo de Illustribus viris. Et Isidorus in libro de Ortu, & obitu patrum. *Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum.* Scilicet, Illicò, vt extendit manum exaruit, & nõ potuit retrahere eam ad se. Istud factum est, vt cognosceret Ieroboam, quòd Propheta ille à Deo veniebat. *Nec valuit retrahere eã ad se.* Istud fuit signum perfectæ ariditatis, scilicet, quia mansit manus ita immobilis, ac si fuisset lapidea. Sed adhuc dicendũ, quòd istud poterat fieri à dæmonibus. Nam poterat dæmon reddere brachium, ita stupidum, quòd non posset illud mouere Ieroboam: istud autem esset, quia dæmon teneret brachium inuisibiliter, & videretur ipsi Ieroboam, quòd nõ tenebatur ab aliquo, sed quod ipse nõ poterat mouere illud, & putabat quòd deficerent vires in brachio, & tamen secũdùm veritatẽ sanũ esset. Sic enim legitur in vita B. Bartholomæi, & alibi, quòd dæmones sanarent aliquos ab ægritudinibus, nõ quidẽ quòd verè sanarent, sed quia ipsi dæmones vexabant eos, & posteà cessabant vexare, & per hoc dicebantur sanare. *Altare quoq; scissum est, & effusus est cinis de altari.* Scilicet, Rege manente super altare, scissum est ipsum altare, & tamen non cecidit Rex, eo quòd non fuit ruptum per partem illam, in qua erat Rex. *Iuxta signum, quòd prædixerat vir Dei in sermone Dei.* Id est, Istud factum est illicò, vt compleretur signum, quod prędixerat Propheta in sermone Domini, id est, ex parte Dei. *Et ait Rex ad virũ Dei.* Cognouit Rex manifestè, quòd iste Propheta loquebat ex parte Dei, cũ ostenderet tot signa, & pugnaret Deus pro ipso, ideo petijt, quòd oraret pro se ad Dominum. *Deprecare faciem Domini Dei tui.* Id est, Deprecare corã illo, vt me sanet. Dixit aũt Domini Dei tui, nõ quòd significaret Ieroboam, aliũ esse Deum suum, & alium Deum illius Prophetæ, sed dixit Deum tuũ, scilicet qui tibi specialiter gratus est, vel q specialiter pro te pugnat. Sic enim dixit Saul ad Samuelẽ, suprà 1. lib. cap. 15. scilicet, Pepercit populus meliori bus ouibus, & armẽtis, vt immolarent Dño Deo tuo, id est Domino, quẽ tu specialiter diligis, vel qui tibi specialiter loquit. Nam etiã ille erat Deus Saulis, cùm Saul nõ esset idololatra. *Et ora pro me, vt restituatur manus mea mihi.* Id est, Ora, vt restituatur manus mea in officiũ suum, q a non poterat eam retrahere ad se, & erat quasi nõ habens manum. *Orauit vir Dei faciem Domini.* Id est, Orauit corã Deo. Iste modus loquẽdi venit ex cõsuetudine, q a consueuimus dicere, quòd aliquis exorauit aliũ, quando conuertit eũ ad misericordiã, & quia ista apparet in vultu, scilicet q p quando aliquis habet vultum placidum, assentit, & quando habet vultum tristem, non cõdescendit: ideo nihil aliud est, quòd aliquis impetret, nisi quòd

Multi Prophetæ occisi, quia dicebãt veritatẽ.

B

C

D inclinet faciem alterius ad misericordiam. Et istud est orare faciem Domini, in quo ista nõ sunt, tamen nos loquimur de Deo, vt de hoĩe. *Et reuersa est manus eius ad eum.* Scilicet, Potuit eam ad se retrahere: quia prius erat extenta, & immobilis. *Et facta est, sicut prius.* Id est, Potuit eam mouere ad omnem partem, sicut prius mouebat, & facere quicquid prius faciebat.

Quomodo exaruit manus Ieroboam, & sanata etiam est, & quæ sunt illa, quæ potest facere Deus, & non possunt facere Angeli, & cur hoc.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, quomodo causata fuit ista ægritudo à Deo, & quomodo fuit inducta sanitas. Respondẽdum, quòd istud poterat fieri dupliciter. Primo modo, non causando veram ægritudinem, nec veram sanitatem, sed apponendo impedimentum, & tollendo illud. Secundo modo, causando veram ægritudinem, & veram sanitatem. De primo patet, vt si dicam⁹, quòd Deus nõ subtraxit aliquas vires brachij Ieroboã, nec dissoluit compages eius, sed solũ ligauit illud, ne posset moueri, quia tamen Ieroboam non videret, quomodo erat ligatus, putaret se verè carere viribus brachij, & esse ablatam omnẽ harmoniam neruorum, & musculorũ ad motum, & posteà orante Propheta, Deus non adderet aliquas vires brachio Ieroboam, nec reduceret aliquam harmoniam, quæ ibi non esset, sed solùm cessaret impedire motum brachij. Vtpotè si brachiũ alicuius ligaretur funibus, nõ posset illud mouere, ac si esset carẽs viribus, & ablatis vinculis moueret illud. Nam ibi nõ erat aliqua ægritudo, aut sanitas; hic autẽ sic esset. Sed solùm differret, quia vincula ista, & solutio videntur: vinculum autem inductum à Deo, vel solutio non videtur, ideo putatur ibi causata ægritudo, vel sanitas. Secũdo modo potest hoc intelligi, quòd Deus verè abstulisset vires brachij Ieroboã, & omnem harmoniam motus, & reliquisset brachiũ deficcatum, velut si esset mortuum, & tunc si maneret brachium in illa dispositione, non posset aliquo opere naturali curari. Cùm verò Deus restituit brachium ipsi Ieroboam fuit; quòd supernaturaliter causaret sanitatem, dando vim motiuam, & harmoniam ipsi brachio, & carnositatem, quam prius. Primus modus istorum sanitatis, vel ægritudinis poterat per dæmones, & per Angelos fieri: nam ibi non erat aliqua sanitas, nec ægritudo, sed solùm tenere brachium violenter, ne moueatur, & cessare ab illa detentione. Secundus autem modus non poterat fieri per dæmones, vel per Angelos, quia isti non possunt causare immediatè, & per se aliquam sanitatem, immò nec possunt aliquã ægritudinem causare. Quod patet, quia isti sunt spiritus, & non habent aliquas vires, nisi pertinentes ad intellectum, & voluntatem, & ad motum, ideo si causant aliquam naturalem qualitatem, vt calorem, frigus, albedinem, nigredinem, ægritudinem, sanitatem; necesse est, quòd aut istud sit per creationem, scilicet creando illam qualitatem, sine aliqua dispositione materiæ, aut sit per aliquod principium operatiuum, per quod limitantur ad productionem illius qualitatis, sicut ignis per calorem determinatur ad calefaciendum, & desiccandum, & homo per virtutem generatiuam determinatur ad producendum hominem, & nihil aliud: sed Angeli nullo modo istorum possunt producere, ergo impossibile est, quòd causent aliquam qualitatem naturalem. De primo patet, quia nullus concedit Angelos posse creare, cùm creare sit infinitæ potentiæ, ideo nec rem magnam, nec paruam creabunt: quia non est maioris potestatis creare mundum, quã creare muscam, cùm vtrunq; sit infinitum, & vnũ infinitum nõ ast maius alio, nec minus. De secũdo modo patet, q a Angeli nõ habent aliquod principiũ productiuũ, per quod determinent ad producendum aliquas qualitates, quia ista principia solùm sunt in corporibus, & rebus corporeis: Angeli autem sunt puri intellectus, ideo solùm habent vim intellectiuam, & volitiuam, & vires impulsiuas ad mouendũ aliquid localiter, vel resistendum motui; istæ tamen vires nõ sunt principium productiuum alicuius qualitatis, nisi intellectionis, & volitionis, & motus, quæ non sunt qualitates naturales, sed actiones, & passiones, vel saltem non pertinent ad species naturalium qualitatum. Item patet, quia

E

F

Angeli quid possunt producere.

A hoc,quia Angelus ſimilatur homini,quantum ad intellectũ, & voluntatem,& potentiam motiuam,ſcilicet,quòd ſicut anima noſtra mouet corpus, ita Angelus poſſet mouere,licèt nõ ſit vnitus corpori formaliter.Differunt aũt, quantum ad magis,& minùs in actibus iſtis, ſ.quia Angelus plura, & perſpicaciùs poteſt intelligere, & rectiùs poteſt velle, & maiores magnitudines poteſt mouere, & portare; & tamen Angelus nõ poterit per intellectũ, niſi intelligere, & per voluntatem ſolùm poterit velle,& per potentiam motiuam mouere. Sicut homo nõ poteſt per intellectum ſuum, aut vires corporales cauſare aliquam qualitatem naturalem, nec diſpoſitionem ad illam, ideo Angelus non poterit cauſari, cùm ſolùm habeat eadem principia tria. Dicendum igitur,quod impoſſibile eſt, Angelos quantumcunque potentes cauſare aliquam naturalem qualitatem, vel diſpoſitionem ad illam;ſed ſolùm cauſabunt applicando actiua naturalia paſſiuis, ſicut Medicus agit, & in hoc non excedunt homines, niſi ſicut excedit Medicus ſapientiſſimus Medicum imperitum, quia Angeli cognoſcunt omnia ſecreta naturæ, nos autem rara cognoſcimus, ideo illi poſſunt facere opera naturalia mirabilia,quæ nos putaremus eſſe potiùs miraculosè facta, quàm naturaliter, etiam curarent ægritudines faciliter, quas nos putamus incurabiles. De Deo autem dicendum, quod ipſe non cauſat aliquam naturalem qualitatem, tanquàm habens principium determinatum in ſe ad qualitatem illam: quia iſtud impoſſibile eſt eſſe, niſi virtutem corpoream.

B Deus tamen cauſat virtutem naturalem creando: vnde per idem principium cauſat frigiditatem, & calorem, ſcilicet, per ſolam infinitam potentiam. His viſis, patet, quòd dæmones non poterant, aut Angeli, ſecundo modo cauſare ſanitatem iſtam, aut ægritudinem in brachio Ieroboam: quia tunc cauſarent ibi veram ægritudinem, & veram ſanitatem, & cauſarent eam naturaliter, ſcilicet, applicando aliquas res naturales cauſatiuas ægritudinis, vel ſanitatis: & tamen natura nunquàm operatur in inſtanti, vel ſubitò, ſed in ſucceſſione:iſta tamen ægritudo, & ſanitas brachij Ieroboam fuerunt ſubitò cauſatæ: ideo non potuerunt per dæmones,aut Angelos,iſto ſecundo modo cauſari: ſed ſolùm primo modo.A Deo autem poterant cauſari vtroque modo. *Locutus eſt autem rex ad virum Dei.* Vidit enim, quòd per eum ſubitò ſanatus eſt,& ſubitò etiam ægrotauerat: ideo voluit eum honorare nimis.*Veni mecum domum,vt prandeas.* Erat enim ciuitas Bethel, in qua erat nunc Propheta, & ibi habebat Ieroboam domum: & inuitauit Prophetam, vt iret illuc. *Et dabo tibi munera.* Voluit rex ſatisfacere ſibi in aliquo:quia non ſolùm, inquantum erat vir Dei, honorandus erat, ſed etiam, quia curauerat ipſum, debebat ei ſpecialiter retribuere gratiarum actiones.

Ieroboam an ſit propter hæc ſigna conuerſus ad Deum.

C

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR, an Ieroboam per hæc conuerſus eſt ad Deum, vel quare non conuerſus fuit. Reſpondendum, quòd Ieroboam, vel fuit pro tunc conuerſus, proponens renunciare idololatriæ, vel ſaltem fuit facilis ad conuerſionem:quia patet,quòd ipſe honorabat nimis virum Dei, volendo dare munera, & inuitando ipſum: ſi tamen non eſſet facilis ad conuerſionem,non feciſſet hæc:quia conditio eſt ipſorum, nolentium aſſentire doctrinæ, quòd non ſolùm doctrinam fugiant, ſed etiam ipſos Doctores oderint:cùm verò quis diligit ipſum, qui bona prædicat, facilè eſt,vt etiam verba ſua diligat, & conuertatur. Cùm autem dicitur: quomodo non conuerſus eſt Ieroboam. Dicendum,quòd Propheta malus peruertit ipſum, innuẽdo,quòd Propheta primus non venerat à Deo. Etiam, quia ipſe vidit,quòd ille Propheta occiſus eſt à leone: ſi tamen verum eſſet,quod dixit, & Deus miſiſſet eum, nõ potuiſſet leo eum occidere. Quis autem fuerit modus, quo Propheta malus Regem peruertere potuit, infrà declarabitur. *Reſpondit̃, vir Dei ad Regem, ſi dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum.* Non aſſenſit vir Dei conuiuio, quia per Deum fuerat prohibitus: ideo dixit, quòd ſi daret ei mediam partem domus ſuæ, non faceret: immò ſi daret totam domum, & quicquid in orbe erat: quia non debemus tranſgredi præceptum Dei pro omnibus, quæ in orbe ſunt. Etiam ſi voluiſſet Ieroboam accidere Prophetam,niſi veniret ad conuiuium cum ipſo, tenebatur mortem ſubire, ne iret ad conuiuium,quod Deus vetuerat. Simile dixit Balaam ariolus ad nuncios Balac Regis. Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti,& auri, non potero præterire ſermonem Domini Dei mei, Nume. 24. *Non veniam tecum,nec comedam panem,nec bibam in loco iſto.* Omnia iſta vetita fuerant:ideo nihil licebat ei facere iſtorum. D

Quare vetuerat Deus Prophetæ,ne comederet,vel biberet in Bethel.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quare Deus vetuerat Prophetæ comedere, vel bibere in loco illo. Reſpondendum, quòd hoc fuit ad magnam deteſtationem idololatriæ virorum,qui erant in loco illo, vt ſignaretur, quod Deus habebat illos exoſos: & ipſi erant iam deteriores Gentilibus:quia cum Gentilibus licebat aliquando comedere,& bibere: cum ipſis autem non licebat. Item fiebat hoc, vt verecundarentur,& conuerterentur,reſpicientes abiectionem ſuam. Sic enim fit in excommunicatis, quia vt faciliùs redeant ad cor, nullus eis communicat: & ſic ipſi erubeſcunt, quòd ſint indigniores cæteris hominibus: & rubore confuſi, tædio affecti,conuertantur, & obediant Eccleſiæ. Aliter poteſt dici, quod fiebat ad deteſtationem loci illius,in quo erat idolum. Et iſtud adhuc apparet veriùs:quia non vetuit Deus iſti Prophetæ,comedere, aut bibere in tota terra decem tribuum: ſed ſolùm in loco illo, vnde in alijs locis comedere poterat. Cauſa huius eſt: quia ciuitates in quibus colebantur idola, debebant eſſe ſub anathemate, ita quòd cremarentur,& delerentur: & tamen nihil acciperent inde Iſraëlitæ ad cibos, vel ad alios vſus ſuos;alioquin efficerentur ipſi anathema,ſicut ipſæ ciuitates,vt patet Deuteronom.13. Nunc autem ciuitas, ad quam iuit Propheta: erat idololatrarum: ideo erat tanquàm anathema: & non licebat ei aliquid accipere de illa ad cibum,vel aliàs. Et quia nulla alia ciuitas erat nunc in toto Iſrael habens idola, niſi iſta, non erat aliqua ſubiecta anathemati,niſi hęc.Patet hoc:quia iſta fuit prima dies,in qua Iſraëlitæ coluerunt idola ſub Ieroboam: ideo illa die fecit Ieroboam ſolennitatem magnam ad dedicationem idolorum. Et ſic nondum erant facta altaria per terram Iſrael,nec erat portatus vnus de vitulis in vrbem Dan: ſed erant tunc ambo in Bethel:ſola ergo iſta ciuitas erat ſuppoſita interdicto: in alijs verò locis terræ illius non erant idola: ideo nec anathema,& poterat ibi Propheta comedere, & bibere. Sciendum tamen,quòd iſta fuit ratio diuini mandati:ſi enim Deus non prohibuiſſet Prophetæ comedere ibi,dato q̃ eſſent ibi idola, liceret comedere,& bibere ibi.Nam tẽpore quo Iſraëlitæ ſeruabant legem, & ponebant ciuitates idololatrarũ in anathema,licebat viris Iſrael communicare cum habitatoribus illarum ciuitatum,in omnibus contractibus, & in cibo,& potu, quouſq; per ſententiam iudicum ſubijcerent ciuitates anathemati, & denunciaretur pugnandum contra illas; ideo mandatum Dei ſolùm obligauit hic Prophetam. E F

An liceret Prophetæ accipere munera à Ieroboam.

QVÆSTIO IX.

VLTERIVS quæretur,an liceret iſti Proophetæ recipere munera à Ieroboam. Reſpondendum,quod aut dubitatur hic,an poſſet recipere ex eo, quòd erat Prophe ta,& non eſt pro pretio diuinandum; & de hoc declarabitur ſequen.cap.Aut quæritur ſi liceret ei accipere,eo quòd Deus vetuerat ei comedere,vel bibere in loco illo.Et dicendum,q̃ nõ erat illicitũ Prophetę accipere munera à Ieroboã,eo quòd Propheta non obligabatur, niſi ad ea, quæ Deus iuſſerat. Deus tamen ſolùm dixit, quòd non comederet, nec biberet in loco illo:ideo ad hoc ſolùm obligaretur. Si tamen crederetur,quòd illa vrbs erat verè ſubiecta anathemati,nõ liceret ei accipere munera de rebus, quæ in loco illo erãt:quia poſt-

quàm

A quàm ciuitas subijciebatur anathemati, omnia, quæ in ea erant, illicita reputabantur, & nulli licebat aliquid accipere de illis, alioquin efficeretur ipse anathema, Deuteron. 7. & 13. Et deberet occidi, sicut Acham lapidatus est, quia accepit aliqd de anathemate Iericho, Iosue 7. Nõ erat tamen hic verè anathema: sed Deus reputabat locum illum, tãquàm anathema, quantum ad aliqua, ideo solùm erant illicita ad accipiendum ea, quæ ipse vetuerat expresè, sed non vetuit accipere munera, ideo poterat Propheta accipere illa. Qui tamen accipiendo illa, aliquo modo approbaret ipsum dantem, & hoc reputaretur in peccatum, noluit accipere.

An in casu famis liceret Prophetæ comedere, & quomodo mandata Dei interdum non recipiunt expositionem, bene tamen mandata hominum.

QVÆSTIO X.

VLTERIVS quæretur, si accidisset illi Prophetæ in Bethel subita fames, vel sitis, ita vt videretur moriturus, nisi comederet, vel biberet, an liceret ei comedere, vel bibere in Bethel. Aliquis dicet, quòd sic; quia omnes leges humanæ, & mandata quorumcunque dominorum sic intelliguntur obseruanda, inquantum ex eis non sequitur mors, vel magnum damnum ipsius obseruantis. Vtpotè de
B ieiunio, non obligabitur ille, qui incidit in tale periculum, quòd moritur? sit, nisi comedat. Intelligi ergo debebat istud præceptum, si non accideret Prophetæ aliquis casus, in quo moriturus esset, nisi comederet. Respondendum, quòd etiamsi talis casus euenisset, vt appareret Prophetam manifestè moriturum, nisi comederet, non debebat comedere, nec bibere, sed exponere se morti, expectando, quicquid de illo Deus agere vellet. Cùm autem arguitur, quòd leges humanæ, & mandata sic intelliguntur, vt non seruentur, quando obseruatio vertitur in magnum damnum ipsius obseruantis. Dicendum, quòd in legibus, & mandatis humanis istud obseruandum est: eo quòd recipiũt interpretationem, leges autem diuinæ non recipiunt interpretationem in omnibus casibus. Pro quo sciendũ, quòd leges humanæ, & mandata; aut dantur vniuersaliter, ita quòd non exprimantur in eis omnes circunstantiæ obseruationum suarum, aut dantur particulariter, quantum ad omnes cæremonias, vel circunstantias obseruationis. Si primo modo, recipiunt interpretationem; ita quòd in quocunq; casu ex obseruatione legis malum eueniat, non obseruetur; quia interpretari debemus, quòd legislator in casu illo noluerit obseruari; & tunc vtimur epijkeya, quæ est directiua iusti positiui, vt patet 5. Ethicorum. Si autem secundo modo, lex non suscipit interpretationem; cùm constet de omnibus circũstantijs, quas legislator voluit obseruari, & tamen si ex obseruatione legis sequatur magnum malum, non obligabitur aliquis ad illam legem in tali casu, eo quòd simpliciter est iniusta, & illa definit esse lex, nec legislator potuit obligare subditos ad seruãdum aliquid, in quo sequebatur magnũ malum ipsorum. Et ideo in casu isto, non vtimur epijkeya, interpretando tale mandatum, vel legem; quia non potest suscipere interpretationem, sed omninò contemnitur, tanquàm nõ habens vires ad obligandum. Si autem loquamur de lege, aut mandatis diuinis; aut illa dantur generaliter, ita quòd non exprimantur omnes circunstantiæ obseruationis in eis, & tunc permittitur nobis interpretari legem Dei, scilicet, quòd in quocunque casu reperiamus malum sequi ex obseruatione, non obseruemus; quia rationabile est intelligere, quod in tali casu Deus non intellexerit. Si autem mandatum Dei est particulariter datum, & exprimit omnes circunstantias obseruationis, est obseruandum ad omnem euentum, siue bonum, siue malum sequatur nobis inde. Vtpotè si Deus dixerit alicui, iubeo, quòd hodiè eas vsque ad talem locum: dato, quòd iste incipiens ire reperiat hostes in via; & si vult transire verisimiliter præsumit, quod morietur, nisi Deus eum miraculosè custodiat: dico, quòd debet se exponere morti, & transire. Si tamen aliquis dominus temporalis, etiamsi esset Papa iuberet alicui, quòd iret hodiè vsque ad talem locum, & reperiret hostes, non tenebitur transire. Quod patet, quia interpretandum est mandatum istud, scilicet, quod intelle-

Lex humana, & diuina diuersimodè obligãt

C

xit Dominus ille in casu, in quo iste commodè poterat ire; & si fortè constet, quòd intellexerit, quòd iret ad omnem euentum, etiamsi exponeret morti certissimæ, non tenebatur ire; quia nullus homo potest obligare alium hominem ad talem casum. De Deo autem dissimilitudo est in duobus. Primò, quia non possumus dicere, quòd fortè Deus non præcogitauit, an essent ibi hostes in via: & ob hoc iussit ire, sicut si esset mandatum alicuius hominis, qui posset non aduertere istum casum: non ergo poterit recipere interpretationem, istud præceptum Dei, scilicet, quòd ego tenerer ire hodiè ad illum locum, nisi sequeretur aliquod malum mihi eundo: quia Deus benè nouerat, quòd hostes futuri essent in via, vel quæ alia pericula mihi accidere poterant; & tamen iussit, quòd irem. Ergo ita intelligendum est istud præceptum, ac si diceret Deus, in via sunt hostes, & tamen iubeo, quòd vadas. Secundò differt præceptum Dei à præcepto hominum: quia si quis hominum quantæcunque potestatis iussit alteri facere id, ex quo manifestè sequitur mors sua, vel valdè magnum damnum, non tenetur ad illud, eo quòd nullus potest obligare alium ad tale, etiamsi sit seruus suus. Deus autem potest obligare eum ad quodcunq; vult: nam etiam sinè aliquo demerito potest ipsum occidere iustè: ideo potest nos obligare ad faciendum illa, in quibus moriamur, & præceptum est iustum. Nunc autem in proposito de isto Propheta. Dicendum est, quod cùm Deus dedisset ei præceptum limitatum, quantum ad omnes circunstantias, dicens,
E Non comedes, nec bibes in loco isto, non licebat ei comedere, aut bibere, etiamsi accidisset ei fames, vel sitis ad mortem: sed tolerare debebat, quicquid eueniret, quia Deus, quando imposuit istud præceptum ei, benè nouerat, an sitis, vel fames ei inciderent, & tamen hoc non obstante iussit, quòd non comederet, nec biberet ibi: ergo tenebatur non comedere, nec bibere ad omnem euentum. Item Propheta iste debebat sic arguere intra se. Deus quando imposuit mihi istud præceptum, sciebat an fames, vel sitis mihi inciderent, & hoc non obstante posuit præceptum: ideo ipse liberabit me de hac fame, vel siti, non comedendo, nec bibendo. Si autem Deus nollet liberare, scire debebat Propheta, quòd Deus volebat ipsum fame, vel siti perire; quia ipse sciebat, quid ei accidere debebat, tamen iussu hoc etiam liberare poterat, & non liberabat, ideo intelligere debebat, quod Deus volebat eum sic perire. Sed quicquid Deus de nobis disponat, nos debemus patienter tolerare; ergo Propheta debebat pati famem, vel sitim ad mortem, si illam incideret. Sic enim responderunt Sidrac, Misac, & Abdenago Regi Nabuchodonosor, dicentes, quòd Deus, quem colebant, poterat eos liberare de camino ignis, & tamen adhuc si nollet liberare illos, non colerent ob hoc Deos Nabuchodonosor, sed potiùs vellent mori in igne, Daniel. 3. *Sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis.* Scilicet, Deus iussit hoc mihi, quando declarauit ea, quæ dicere debebat ibi, ideo nullo modo præuaricabor. *Non comedes panem, nec bibes aquam.* F Scilicet, In loco ipso. Sic enim dixit suprà Propheta, Non comedam panem, nec bibam in loco isto. Per panem, & aquam intelligũtur omnia genera ciborum, & potuum: ideo quicquid comederet, vel biberet Propheta ille in Bethel, peccaret. Patet, quia suprà 1. libro, cap. 14. dixit Saul: Maledictus qui comederit panem vsq; ad vesperam: Ionathas autem comedit modicũ de melle, & incidit in maledictionem illam, vt patet ibidem: ergo nomine panis intelligitur mel, & quicquid gustabile est. *Nec reuerteris per viam, qua venisti.* Sed eliges aliam viam de nouo. *Abijt ergo per alteram viam, & non est reuersus per iter, quo venerat in Bethel.* Voluit quantum ad omnia seruare præceptum Dei: ideo elegit aliam viam, quæ nullo modo coincideret cum priori.

Quare Deus iußit Prophetam reuerti per aliam viam.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quare Deus iussit, quòd iret per aliam viam, & per aliam veniret: quia istud nihil videbatur agere ad cognitionem peccati Israëlitarum, vel reprehensionem eius. Aliqui dicunt, quòd Deus fecit hoc, ad hoc, quòd viri, qui erant in Bethel, nescirent per quam viam re-

Differentia legis diuinæ ab humana.

D

A dibat iſte Propheta, & non poſſent inſidiari ad mortem. Sed iſtud non ſtat: quia viri Bethel non potuerant nocere iſti Prophetæ, quando erat in Bethel: nam cùm Rex iuſſiſſet eum teneri, exaruit manus eius, & ad preces eius ſanata eſt, ſuprà in litera: non igitur erat veriſimile, quòd aliqui viri de Bethel auderent ei ponere inſidias in via. Item dato, quòd ponerent inſidias, non prævalerent contra eum, quia Deus percuteret illos, ſicut percuſſit Ieroboã. Item dato, q̃ ad iſtum finem daretur iſta cautela, non ſufficeret: quia licèt per aliam viam reuerſus eſt, tamen filij Prophetæ mali viderunt eum recedere, & poſteà pater illorum ſecutus eſt eum per eandem viam: ideo non erat ad hunc finem. Item ſi eſſet ad occultandum iter, non propalaſſet Propheta iter ſuum: tamen ipſe dixit, quod Deus iuſſerat ei, quòd non rediret per eandem viam: & ex hoc manifeſtabat magis iter ſuum, quia dabat incentiuum viris Bethel conſiderandi, per quam viam ibat: ergo non fuit ad hunc finem. Alij dicunt, quod hoc fuit, ad hoc, quòd Propheta denunciaret multis, quod Deus iuſſerat admoneri Iſraëlitas, recedere ab idololatria: ideo eundo per vnam viam denunciaret eis, qui erant in via, & redeũdo per aliam denunciaret eis, qui erant in alia via: quòd non faceret, ſi per eandem iret, & rediret. Sic enim dicunt Hebræi de Elcana patre Samuelis, de quo dicitur ſuprà 1. libro, cap. 1. Quòd ſingulis annis aſcendebat ad templum Domini in Silo: & dicũt, quòd non aſcendebat in vno anno per viam, per quam aſcendebat in alio: ad hoc, quòd eundo per diuerſas

B vias, prædicaret multis de Iſrael, quòd aſcendere deberent ad templum Domini. Sed iſtud ſatis videtur carens pondere: quia non poterat iſto modo multis prædicari aduentus Prophetæ in Bethel, ſed magis prædicaretur poſteà ex euentu: ideo dato, quòd per eãdem viam iuiſſet, & redijſſet Propheta, ſciretur poſteà in toto Iſrael, & Iuda propter miraculum manus aridæ, & ſanatę, & altaris ſciſſi, & effuſorum cinerum. Alij dicunt aliter, ſcilicet, quod Deus dixit hoc ipſi Prophetæ ad cautelam, ne falleretur à falſo Propheta, qui erat in Bethel, ſcilicet, ne ille veniret poſt eum, & falleret ipſum cognita via eius: quòd non faceret redeundo per aliam viam. Sed dicendum, quod iſtud non ſtat: quia tunc Propheta occultaſſet iter ſuum in redeundo, & tamen ipſe publicauit, cùm dixit, quòd per aliam viam reuerſurus erat, & per hoc dedit incentiuum viris Bethel, vt cognoſcerent per quam viam redibat, ideo non erat ad hunc finem. Item non proficiebat iſta cautela: quia quanquàm eam ſeruauit Propheta Dei, ſciuit Propheta malus viam eius, & ſecutus eſt eum. Item non eſt rationabiliter dictum: quia ſi ad hunc finem daretur, debuerat Deus dicere Prophetæ, quòd caueret à Propheta malo, qui erat in Bethel, alioquin per iſtam cautelam ſolam nihil proficiebat ei: quia poterat decipi, ſicut deceptus eſt: ideo non fuit ad hunc finem. Sed dicendum,

C quòd Deus iuſſit hoc in deteſtationem idololatriæ virorum Bethel, ſicut iuſſit, quòd non comederet in eodem loco, nec biberet, ſcilicet, quòd tanta erat abominatio virorum Bethel, quod etiam Deus nolebat, quod Propheta, qui iuerat in Bethel, rediret per eandem viam, per quam venerat. Sed dicet aliquis, iſta cæremonia non pertinebat ad aliquam deteſtationem ſecundùm ſe. Dicendum, quod honor, & dehonoratio conſiſtunt in opinione ſola, ideo quando aliquid de omnibus reputatur pertinere ad honorem, eſt homo per illud honoratus, & ſi illud idem, alio tempore, vel in alio loco, putetur pertinere ad dehonorationem, erit homo per illud inglorius: quod ergo volunt homines fieri ad honorem, cauſat honorem: & quod volunt fieri ad dedecus, cauſat dedecus. Sed iſta cæremonia redeundi per aliam viam, & non per quam venerat, iubebatur à Deo fieri in deteſtationem ipſorum virorum Bethel: ideo quanquàm ipſa ſecundùm ſe non pertineret ad honorem, nec dehonorationem, tamen hic pertinebat ad dehonorationem: quia Deus faciebat illam propter dehonorationem: Et patet hoc, quia poſita fuit iſta cæremonia, cum alijs pertinentibus ad dehonorationem, ſcilicet, quòd non comederet Propheta in eodem loco, nec biberet: ergo etiam iſta pertineret ad dehonorationem. Item patet, quia Propheta denunciauit Iſraëlitis, quod Deus iuſſerat ei, vt rediret per aliam viam, ſi tamen nõ pertineret hoc ad dehonorationem virorum Bethel, non reuelaſſet eis. Sic enim quãdo Eccleſia anathematizat aliquos, facit multas cæremonias, quæ ſecundùm ſe non ſignificant aliquam honorationem, vel dehonorationem: & tamẽ, quia Eccleſia facit illas ad deteſtationem eorum, qui anathematizantur, videntur illi per has cæremonias eſſe dehonorati, vel valdè deteſtabiles. D

Prophetes autem. Hic ponitur tertium huius capituli, in quo Propheta Dei à falſo Propheta ſeducitur. Et diuiditur in tria: primò viri Dei ſeductio: ſecundò pœnæ prophetizatio, ibi. *Cumq; ſederent.* Tertiò eiuſdem mors, & tumulatio, ibi. *Et ecce viri.* Et dicitur. *Prophetes autem quidam ſenex habitabat in Bethel.* Iſte Propheta erat malus, q̃a fauebat regi in cultu idolorum. *Ad quem venerunt filij ſui.* Admirati fuerant de ijs, quæ fecit vir Dei: ideo venerunt ad patrem ſuum, narrantes ei quid egiſſet. *Et narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei die illa in Bethel.* Scilicet, Quomodo fecit ſcindi altare, & effundi cineres, & arefacta eſt manus regis propter eum, & ipſo orante ſanata eſt. *Et verba, quæ locutus fuerat ad regem, narrauerunt patri ſuo.* Scilicet, Quomodo locutus fuit priùs cõtra altare, in quo erat rex: deinde rege inuitante eum, & promittente munera, reſpondit, quòd etiamſi daret ei medietatem domus ſuæ, non comederet, nec biberet in loco illo: ſed recederet per aliam viam, ſicut Deus ei dixerat. *Et dixit eis pater eorum, Per quam viam abijt?* Iſte Propheta erat ſenex, & nõ iuerat ad ſacrificia ſolennia, quæ fecerat rex, ideo non vidit ea, quæ fecit vir Dei. Nunc autem auditis ijs, deſiderauit videre ipſum: ideo quæſiuit per quam viam iuerat. *Oſtenderunt ei filij ſui viam, per quam abierat vir Dei.* Scilicet, Filij illius E Prophetæ conſideraverunt, per quam viam recederet vir Dei: nam ipſe dixerat, quòd non reuerteretur per viam, per quam venerat, ideo reſpexerunt per quam viam iret. Nam mox, vt locutus fuit iſta ad regem receſſit de Bethel. *Qui venerat de Iuda.* Scilicet, De regno Iuda. Nam ibi erant tunc Prophetæ, & ſacerdotes, & omnes viri boni. *Et ait filijs ſuis, Sternite mihi aſinum.* Aſcendit ſuper aſinum iſte Propheta, quia erat ſenex, vt patet ſuprà, & non poterat pedeſter ambulare. Vel fortè, quia erat mos Prophetarum equitare ſuper aſinos. Sic enim patet de Balaam Propheta, qui ſuper aſinum venit de terra ſua ad Regem Moab, Nume. 22. Sic etiam iſte vir Dei venit ſuper aſinum. Nam quando occidit eum leo in via, non tetigit aſinum, vt patet infrà in litera. *Qui cùm ſtraſſent, aſcendit, & abijt poſt virum Dei.* Non iuerunt cum iſto Propheta filij ſui, ſed ipſe ſolus iuit, vt magis auferret ſuſpicionem ab eo, ad quem fallendum ibat. Si enim iuiſſet cum filijs ſuis, fortè putaſſet vir Dei, quod illi inſligauerant eum ad veniendum, & oſtenderant ei viam. Nunc autem ipſe ſolus veniebat, vt crederetur, quòd Deus mittebat eum, & ipſe per ſe ſciebat viam, per quam veniebat homo Dei. *Et inuenit eum ſedẽtem ſubtus terebinthum.* Vir Dei, cùm receſſiſſet de Bethel, & aliqualiter fuiſſet elõgatus à loco, ſedit in nemore ſub quadam terebintho. Significat enim terebinthus quercum, vel ilicem. Vnde eadem dictio ponitur in Hebræo, ſcilicet, F Elom, vbi nos ponimus ilicem, vel quercum, aut terebinthum. Sic patet Geneſ. 18. Vbi nos dicimus ilicem Mambre. Et vbi nos ponimus terebinthũ, ſicut apparet hic: Et etiam vbi ponimus quercum, vt patet ſuprà 1. lib. cap. 10. Et ſatis apparet, quòd accipiatur pro ilice, vel quercu; quia Iſa. 6. dicitur. Et erit in oſtenſione, ſicut terebinthus, & ſicut quercus, quæ extendit ramos ſuos.

Prophe ta Dei ſeductio.

Ad quid iuit Propheta ſenex ad fallendum Prophetam Dei, & an fuerit Propheta malus, vel bonus.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR, ad quid volebat iſte Propheta ſenex ire ad virum Dei. Reſpondendum, quod ibat ad fallendum eum. Quod apparet, quia mentitus eſt ei, vt induceret eum ad peccandum, & comederet contra Dei prohibitionem. Sed dicetur, ad quid deſiderabat iſte Propheta ſenex fallere virum Dei? Reſpondendũ, quod iſte putauit, per hoc magnum honorem ſibi euẽturum. Nam Ieroboam timens ne reconciliarentur decem tribus Domino ſuo Roboam, vetuit illis ire in Ieruſalem in templum: & ad hoc fecit duos vitulos, quos adorarẽt, per quos putabat poſſe regnum tenere. Si autem induceretur populus ad eundum in Ieruſalem,

A

ſalem,perderet regnum:& quia nunc ad verba iſtius viri Dei, Rex erat iam quaſi conuerſus ab idololatria, vt ſuprà declaratum eſt,timeret perdere regnum. Credidit igitur iſte Propheta ſenex, quòd ſi oſtenderet, vel ſaltem perſuaderet verba viri Dei fuiſſe falſa, ita, vt rex maneret ſecurè in ſua idololatria,mereretur magnum honorem apud regem:quia per hoc putaret rex, ſibi regnum manſurum ſecurè, ſi poſſet in ſua idololatria manere, non permittendo populo ire in Ieruſalem ad templum. Hoc autem credidit ſufficienter perſuadere iſte Propheta ſenex,ſi faceret,quòd vir Dei moreretur: quia per hæc oſtenderet eum fuiſſe mentitum, & quòd propter iſtud Deus fecerat eum occidi, ſcilicet, quia in nomine ſuo mentitus fuerat;& tunc rex nihil timeret, credens, quòd verba viri Dei fuerant falſa. Credidit autem Propheta ſenex,quòd deduceret ad mortem virum Dei, ſi induceret eum ad agendum contra mandatum Dei,ſcilicet ſi comederet,vel biberet in Bethel, ideo finxit ſe fuiſſe miſſum à Deo, ad denunciandum ei,quòd comederet in Bethel:& ſic reduxit eum,& comedit,atq; peccauit.

An iſte eſſet verus Propheta.

QVÆSTIO XIII.

B

QVÆRETVR vlteriùs de iſto Propheta, an eſſet verus Propheta.Aliqui dicunt,quòd nõ erat verus Propheta, ſcilicet,Propheta Dei,ſed idolorum: nam erant aliqui arioli,& augures, qui necromanticè, & per artes ſuperſtitioſas prædicebant interdum aliqua futura, & denunciabant aliqua abſcondita: & propter occulta, quæ reuelabant, vocabantur Prophetæ,ſicut Prophetæ Dei. Iſtud autem apparet: quia iſte morabatur cũ idololatris, quos Deus valdè deteſtabatur:ſi tñ fuiſſet Propheta Dei, fugeret de medio illorũ: cum viro Dei iuſſum eſſet, quòd non comederet, nec biberet in loco illo. Item patet, quia iſte conatus eſt decipere virum Dei ad occidendum ipſum, & decepit eum, atque fecit mori. Reſpondendum eſt, quòd iſte erat verus Propheta ſuſcipiens reuelationes à Deo,ſicut vir Dei,qui venerat ad Ieroboam: vnde non magis poterat vocari vnus Propheta, quàm alius. Patet hoc,quia iſte accepit à Deo reuelationem: nam dicitur infrà, quòd cùm ſederent ad menſam iſti duo, factus eſt ſermo Domini ad Prophetam,qui reduxerat eum, & dixit ad virum Dei: Quia inobediens fuiſti ori Domini, non inferetur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum. Et iſtud ſic euenit. Item iſte Propheta ſenex dixit filijs ſuis,quòd quando moreretur, ſepelirent eum, iuxta ſepulchrum, in quo erat vir Dei:& quòd omnia, quæ prædixerat vir Dei euenirent, & tamen ſic factum eſt, ſequenti libro,cap.23. Ideo erat iſte verus Propheta. Cùm autem arguitur, quòd aliqui ſunt Prophetæ dæmonum. Reſpondendum,quod nullus poteſt eſſe Propheta dæmonum: quia Propheta eſt, qui recipit à Deo reuelationem abſconditorum: ſi autem per alias artes inquirat occulta, non vocatur Propheta Dei, nec dæmonum: ſed vocabitur ariolus, vel magus, aut pythonicus, vel alijs nominibus ſuperſtitionis. Cùm autem dicitur, quod iſte erat ſic, eo quod habitabat in loco idololatrarum. Dicendum,quod ex hoc ſolùm concluditur,quod erat malus vir,& tamen non concluditur, quòd non erat Propheta Dei: quia ſatis ſtat eſſe Prophetam, & eſſe virum malum: immò poterat colere idola, & vacare aribus ſuperſtitioſis,& eſſe Propheta Dei. Quod patet de Balaam: quia ipſe erat Propheta Dei, cùm fierent à Deo multæ reuelationes ei,& prædixerit multa de futuris,Numeri 23. & 24. Et tamen iſte colebat idola, faciendo eis ſacrificium, obſeruabatq; ſuperſtitioſas artes, vnde vocatur ariolus Deuteron.23. Ad ſecundum cùm dicitur, quod iſte inſidiatus eſt viro Dei, vt induceret eum ad peccandum, & ad mortem. Reſpondendum, quòd ex hoc ſolùm probatur, quòd erat vir malus, volens fauere regi idololatranti, & volens oſtendere verba Dei eſſe falſa,& inuidens viro Dei ad mortem; & tamen cum omnibus his malis ſtat Prophetia; quia non repugnat ſpiritus propheticus alicui peccato, ſicut repugnat habitus charitatis cuicunque vitio; erat ergo verus Propheta. *Et ait illi,Tu ne es vir Dei,qui veniſti de Iuda?* Propheta ſenex non cognoſcebat virum Dei,quia non viderat illũ in Bethel; ideo cùm vidit eum ſub terebintho, quæſiuit an eſſet ipſe. *Reſpondit ille,Ego ſum.* Putauit enim fortè,quòd eſſet aliquis de viris Bethel,qui veniret ad quærendum de aliquo dubio. *Et dixit ad eum.* Scilicet,Propheta ſenex ad virum Dei. *Veni mecum domum,vt comedas panem.* Oſtendebat iſte Propheta ſenex, quòd veniret ad exhibendum humanitatem viro Dei, & veniebat ad fallendum ipſum. *Qui ait,Non poſſum reuerti, nec venire tecum.* Non eſt ſenſus, quòd vir Dei peccaret redeundo in Bethel: quia poterat redire, dum tamen non comederet, nec biberet ibi, quia ſolùm Deus veterat hoc. Dixit tamen non poſſum reuerti, ſcilicet, ad comedẽdum,vel bibendum: nam ad hoc ſolùm vocabat eum Propheta ſenex. *Nec comedam panem,nec bibam aquam in loco iſto.* Id eſt,Nihil comedam, aut bibam in loco iſto. Cætera autem comeſtibilia,vel potabilia intelliguntur per hæc. *Quia locutus eſt Dominus ad me in ſermone Domini.* Scilicet, Deus locutꝰ eſt ad me in ſpiritu prophetico,qui vocatur ſermo Domini.

Iſte ſenex erat verus Propheta, licèt malus vir.

C

An licuiſſet viro Dei comedere extra Bethel de cibis ex ea ablatis.

QVÆSTIO XIIII.

D

QVÆRETVR, ſi Propheta ſenex duxiſſet cibos de Bethel pro ipſo viro Dei,an poſſet comedere illos ſub terebintho:& an potuiſſet iſte vir Dei emere cibos in Bethel,vt comederet eos in via. Reſpondendum eſt,quòd verba iſta ſolùm videbantur obligare virum Dei ad non comedendum in Bethel: quia ipſe dixit, Non comedam panem, nec bibam in loco iſto: ſic enim mandatum eſt mihi: ergo poterat cibos ſumptos de Bethel comedere. Pro hoc tamen conſiderãdum eſt, quòd Deus dicendo iſta Illi viro,aut ſubijciebat vrbem anathemati,aut non. Si ſubijciebat. Dicendum, quod nõ licebat viro Dei ſumere inde cibos, quia quæ erant in vrbe anathematizata, erant anathema, & non licebat alicui quicquam tollere de illa, Deuter.13. Si autem non eſſet per verba iſta ciuitas ſubiecta anathemati,liceret viro Dei comedere de quibuſcunque cibis, qui eſſent in Bethel, dum tamen non comederet in Bethel,quia Deus hoc vetuerat.Et hoc videtur intellexiſſe Propheta ſenex, q noluit ducere cibos viro Dei de Bethel,vt comederet in itinere,ſed inſtigauit,vt veniret ad comedẽdum cum ipſo in Bethel,quaſi alias non incideret in pœnam, vel non ageret contra mandatum Dei. Satis tamen videtur dicendum, quòd non liceret viro Dei emere cibos in Bethel, vt comederet illos extra Bethel: nec etiam liceret cibos ab alio ei oblatos, & ductos de Bethel comedere, quia ſic fieret fraus mandato Dei: nam ipſe iuſſerat iſtud, ad oſtendendam deteſtationem magnam contra viros Bethel:ſi tamen ſumeret cibos inde,approbaret res eorum: ideo videtur, quòd non licebat emere cibos,vel accipere gratis oblatos, ad comedendum extra Bethel. *Non comedes panem,& non bibes ibi aquam.* Scilicet,Nihil comedes, aut bibes. *Nec reuerteris per viam,qua ieris.* Iſtud nunc obſeruabat vir Dei:quia per aliam viam reuertebatur,vt patet ſuprà, *Qui ait illi,Et ego ſum Propheta ſimilis tui.* Id eſt, Ego Propheta ſum,& reuelatur mihi voluntas Dei, ſicut tibi: ideo non debes dubitare ire mecum, quia ego ſcio, quod Deus vult. In hoc enim non mentiebatur iſte ſenex, quia ipſe verus Propheta erat,ſicut vir Dei. *Et Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini.* Id eſt,Apparuit mihi Angelus, & locutus eſt mihi ex parte Dei. Sic enim ſolet fieri,quando Deus reuelat aliquid, quia Angeli loquuntur illud Prophetis, & non ipſe Deus: cùm Deus non poſſit loqui, vt declaratum eſt ſæpè: mentiebatur tamen ipſe ſenex: quia Angelus Domini non fuerat ei locutus,ſed ipſe dicebat hoc,ad fallendum virum Dei.

E

Dicens reduc eum tecum in domum tuam,& comedat panem, & bibat aquam Id eſt,Comedat,& bibat de quibuſcunque appoſitis. Iſtud autẽ videbatur eſſe veriſimile, ſcilicet,quòd Deus compateretur illi Prophetæ,vt non cruciaretur fame: ſed liceret ei redire in Bethel ad comedendum. *Fefellit eum,& reduxit ſecum.* Scilicet, Deus non iuſſerat hoc, & reduxit eum, tanquàm Deus mandaſſet. *Comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam.* Scilicet,Comedit, & bibit de omnibus ſibi appoſitis.

F

An peccauerit iſte vir Dei, redeundo cum Propheta ſene ad comedendum.

Qvæstio XV.

QVÆRETVR, an peccauerit iſte vir Dei, redeundo cum Propheta ſene ad comedendum. Aliquis dicet, quòd non, quia iſte vir Dei noluit comedere, aut bibere in Bethel, nec recipere munera, rege inuitante eum: nunc autem non redijt ad comedendum, & bibendum, quaſi ex deſiderio cibi, & potus, ſed ſolùm, quia putauit ex parte Dei ſibi iuſſum, ſicut dixerat ille Propheta ſenex: ideo non peccaret, bona fide agens. In contrarium videtur, quòd peccauerit, quia leo occidit eum pro hac cauſa, vt patet infrà in litera. Item iſte Propheta ſenex dixit viro Dei ex parte Dei, quòd non inferretur cadauer ſuum in ſepulchrum patrum ſuorum, quia inobediens fuerat ori Domini: ergo peccauit. Reſpondendum, quod iſte vir Dei peccauit comedendo in Bethel: quia egit contra mandatum Dei, contra quod agere non debebat, ſicut ipſe ſuprà dixerat, Etiamſi Rex daret ei dimidium domus ſuæ. Dicunt tamen quidam, quòd peccauit ex deſiderio cibi, ſcilicet, quia faciliter inclinatus eſt ad veniendum cum Propheta ſene propter cibum. Sic tenet Nicolaus. Iſtud autem ſatis rationabile eſt: quia tamen vir iſte apparuit valdè continens, abſtinendo à conuiuio Regis, & à muneribus ſuis, dicendo, quòd etiam medietatem domus ſuæ accipere nollet; non videtur omninò imponendum eſſe huic viro, quòd ex deſiderio cibi venerit. Sed dicendum, quòd fuit motus perſuaſione ſenis dicentis, quòd Deus iuſſerat, quòd rediret cum eo. Poteſt autem dici, quod huic perſuaſioni fortè non tam faciliter aſſenſiſſet, niſi deſiderium cibi tenuiſſet eum. Ad rationem in contrarium dicendum, quod ipſe non tenebatur credere huic Prophetæ ſeni: quia in illis in quibus periculum eſt, ſi aliquis agat, non debet faciliter credere, eſſe bona ad agendum, ſed debet diligenter ſe certificare, an bonum ſit quod dicitur. Sic enim dicitur prima Ioan. cap. 4. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. Sed iſte vir Dei poterat incidere in periculum mortis, & violationis præcepti diuini, ſi conſentiret comedere in Bethel, ideo debebat nimis circa hoc cogitare, & non faciliter condeſcendere. Item patet hoc potiſſimè: quia Deus locutus fuerat ipſo viro Dei, quòd non comederet in Bethel, ideo non debebat credere contrarium, quouſque tam clarè conſtaret ſibi, quòd Deus dixiſſet iſtud, ſicut conſtabat ſibi, quod Deus dixerat, quòd non comederet in Bethel, ſed illud conſtabat ſibi per reuelationem manifeſtam: ergo quouſque conſtaret iſtud per ſimilem reuelationem, non tenebatur credere. Item populares, qui audiebant verba Prophetarum, non obligabantur credere illis, niſi Prophetæ oſtenderent ſigna: ergo à fortiori, cùm iſte Propheta audiſſet à Deo, quòd non deberet comedere in Bethel, non debebat credere, niſi oſtenderet manifeſtum ſignum Propheta ſenex, qui loquebatur ei, ſed ille nullum ſignum oſtendit, nec iſte petiuit, ſed immediatè credidit, ideo peccauit credendo, & propter hoc occidit eum leo.

Quicitò creditur, eſt leuis.

Quomodo iſte bonus Propheta potuit perſuaderi à falſo.

Qvæstio XVI.

VLTERIVS quæretur, quomodo poterat vllo modo credere iſte vir Dei, quòd Deus dixiſſet alteri Prophetæ, quòd reduceret eum in Bethel ad comedendum panem, quia ipſe ſciebat certiſſimè, quod Deus dixerat ſibi contrarium. Reſpondendum, quod ſatis potuit hoc ſibi perſuaderi, quia Deus mutat ea, quæ dicit: nam ſubitò dicit vnũ, & confeſtim dicet cõtrarium, vt patet Ierem. 18. & Ezech. 33. In quo ſciendum, quod quædam dicuntur à Deo, ſecundùm firmam ſententiam eius, & alia dicuntur ſecundùm diſpoſitionem, quę eſt ex parte creaturæ. Quæ dicuntur primo modo à Deo, nunquàm variantur, quæ autem ſecundo modo, variantur ſecundùm variationem ſtatus noſtri, & quia ſubitò mutantur merita, & demerita noſtra, ſubitò Deus mutat prophetiam, ſic dicitur Ieremiæ 18. Subitò loquar de Regno, & de Gente, &c. Et quia nos neſcimus, quãdo prophetia dicitur ſecundùm firmam Dei ſententiam, & quando ſecundũ diſpoſitionem noſtram, niſi Deus reuelet, poſſumus ſemper dubitare, & aliqualiter credere, prophetiam dictam ſecundùm diſpoſitionem noſtram, ideo eſſe mutabilem, quouſque conſtet eſſe dictam, ſecundùm firmam Dei ſentẽtiam. Et ſic, cùm Deus dixiſſet iſti viro, quòd non comederet in Bethel, poterat credere dictum eſſe ſecũdùm diſpoſitionem ex parte ſua, ideo cùm alius Propheta denunciaret ei, Deum dixiſſe, quòd comederet in Bethel, poterat credere illud eſſe verum. Item iſtud erat ſatis veriſimile, ſcilicet, quòd Deus compateretur iſti viro patienti famem: ideo, quòd relaxaret ei mandatum, de non comedendo in Bethel.

Quis fuit iſte Propheta Dei, qui venit ad Ieroboam.

Qvæstio XVII.

VLTERIVS quæretur, quis fuerit iſte vir Dei, qui venit ad Ieroboam. Aliqui reſpondẽt, quòd iſte fuit Abdo Propheta: eo quod iſte fuit contemporaneus Roboam, vt colligitur ex ſecundo libro Paralipomenon. Iſtud tenet Nicolaus. Sed non ſtat, quia Abdo Propheta vixit toto tempore Roboam regis Iuda, & tempore Abiæ filij eius: nam ipſe ſcripſit omnia geſta Abiæ, vt patet 2. Paralipomenõ 13. ſcilicet, Reliqua autem ſermonum Abiæ viarumque, & operum eius ſcripta ſunt diligentiſſimè in lib. Abdo, & tamen iſtud accidit in principio regni Roboam, & Ieroboam, ſcilicet, in primo anno, quando Ieroboam fabricauit vitulos: ergo multo tempore poſt mortuus eſt Abdo. Aliqui volunt iſtum fuiſſe Semeiam Prophetam, quia iſte fuit contemporaneus Roboam: nam ipſe venit ad Roboam, & viros Iuda in principio regni Roboam, quando volebant pugnare contra Ieroboam, & dixit, quòd non pugnarent, præcedenti cap. Sed dicendum, quod non fuit Semeias: quia iſte vir Dei mortuus eſt in principio regni Roboam, & Ieroboam: Semeias tamen viuebat poſt mortem Roboam, vt patet 2. Paralipomenon 12. Quia ipſe ſcripſit omnia geſta regni Roboam: cùm dicitur: Opera verò Roboam prima, & nouiſſima, ſcripta ſunt in libris Semeiæ Prophetæ, & Abdo videntis: non fuit ergo Semeias. Sed dicendum, quòd fuit iſte vir Dei aliquis Propheta temporis illius, cuius nomẽ incognitum eſt: ſic enim interdum alij Prophetæ miſſi ſunt, quorum fuerunt nomina incognita, ſicut ſuprà 1. libro, cap. 2. Dicitur, quod venit vir Dei ad Heli, & denunciauit ei de ruina domus ſuæ, & tamen non habetur nomen Prophetæ illius: Ioſephus tamen 9. Antiquitatum dicit, quod vocabatur Ladau. *Cumq; ſederent.* Hic ponitur ſecundum huius partis, ſcilicet, pœnæ denunciatio. Nam vir Dei peccauerat, quia contra mandatum Dei comederat in Bethel: ideo ille Propheta malus, qui fefellerat eum, denunciauit ei nunc mortem. Et dicitur. *Cumq; ſederent ad menſam: factus eſt ſermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum.* Iam enim peccauerat vir Dei, ſedendo ad menſam in Bethel, & comedendo; ideo priuſquàm de menſa ſurgeret, denunciata fuit ei pœna: quia Deus reuelauit illam Prophetæ malo, & ille clamauit illicò ad virum Dei.

Quomodo facta fuit iſta reuelatio Prophetæ ſeni, ſedenti ad menſam, & quot modis Deus reuelat aliquid Prophetis.

Qvæstio XVIII.

QVÆRETVR, quomodo facta fuit iſta reuelatio illi Prophetæ. Reſpondendum, quod poterat fieri multipliciter. Primò per apparitionem in effigie aſſumpta, & realem locutionem, ſcilicet, quòd Angelus Domini aſſumeret figuram humanam, & apparens loqueretur iſti Prophetæ. Sic enim locutus eſt Angelus Gedeoni, Iudicum 6. Sic etiam locutus eſt patri, & matri Samſonis, Iudicum 13. Secũdo modo poterat hoc fieri, ſcilicet, quòd loque-

retur

A retur Angelus Domini ad Prophetam iſtum, non aſſumpta aliqua effigie humana, in qua apparet, ſed audiretur ſola vox, ſicut factum eſt in datione legis, Exodi 20. Nam tunc audiebatur vox, & non videbatur aliqua figura, Deuter. 10. Tertio modo poterat eſſe per immutationem phantaſiæ, ſcilicet, quòd Deus immutaret phantaſiam iſtius Prophetiæ in ſomnis: ſic enim conſueuerat Deus loqui, vt communiter Prophetis veteris Teſtamenti, Num. 12. ſcilicet, Si quis Propheta Domini eſt inter vos, aut in viſione apparebo ei, aut per ſomnium loquar ad illum. Quarto modo poterat fieri per immutationem intellectus, ſine apparitione aliqua exteriori, & ſine voce, & ſine ſomnio, & tamen in ecſtaſi, ſcilicet, quòd homo ſuſcipiens reuelationem, ſit omninò priuatus operatione ſenſuum. Quinto modo poterat fieri per immutationem intellectus, ſine ecſtaſi. De præcedenti modo patet exemplum in beato Paulo, cui reuelata ſunt arcana verba, quæ non licet homini loqui. 2. Corinth. 12. Et tamen ipſe fuit in ecſtaſi, ita quòd neſciebat, an eſſet in corpore, vel extra corpus, vt patet ibidem: & iſta eſt ecſtaſis. De iſto modo vltimo patet in Eliſæo, cui coram duobus Regibus factum eſt verbum Domini, canente citharista, ſequenti libro, capite 3. Et ibi non fuit, niſi immutatio intellectus, quia alij modi prophetiæ non conueniebant ei pro tunc, vt ibidem declarabitur. Dicendum autem, quòd primus modus iſtorum nō conueniebat iſti Prophetæ: quia tunc non ſolùm ipſe vidiſſet Angelum, ſed etiam vir Dei, qui erat cum ipſo ad menſam, vt patet hic: & tamen ipſe ſolus cognouit prophetiam, & clamauit ad virum Dei, vt patet hic: ergo non fuit apparitio Angeli in corporali effigie. Secundus modus non fuit: quia tunc fieret vox alta, quam audiret Propheta, & non ſolùm audiret eam Propheta, ad quem fiebat, ſed etiam vir Dei. Sed iſtud eſt inconueniens; quia pro tunc non magis vnus, quàm alius prophetaret, cùm vterque immediatè à Deo audiret illam vocem. Etiam non oporteret, quòd vnus Propheta reuelaret alteri: & tamen clamauit Propheta ſenex ad virum Dei, illicò, vt facta eſt ad Deum prophetia: vt patet hic: ergo non fuit facta in voce. Tertius modus non ſtat, quia iſte ſolùm eſt in dormientibus, & tamen Propheta ille tunc non dormiebat, quia erat ad menſam cum viro Dei. Item quartus modus non ſtat, quia quando aliquis fit in ecſtaſim, concurrunt duo. Primum eſt, quòd reuelatur aliquid valde ſuperexcellens, ſicut diuina eſſentia. Et illud non poteſt cognoſci ab anima vacante alijs operationibus: quia cùm diuiditur in multas operationes, minoris efficacię eſt ad quamlibet illarum, ideo vt perfectè cognoſcat rem illam magnam, quæ præſentatur, oportet vt totaliter deſiſtat ab operationibus corporalibus, & tunc efficitur homo quaſi mortuus, ceſſante omni operatione ſenſitiua, & naturali, & cadit in terram, & quaſi nullum ſignum vitæ apparet in eo. Sic enim fuit in beato Paulo, qui eleuatus eſt ad cognoſcendum altiſſima, ſcilicet, arcana verba, quæ non licet homini loqui, ideo oportuit, vt raperetur extra ſe, ita, vt neſciret an eſſet in corpore, vel extra corpus, 2. ad Corinth. 12. Et durauit iſtud tribus diebus, quibus non comedit, nec bibit, ſed fuit quaſi mortuus, Actuum 9. Hic autem non reuelabatur iſti Prophetæ aliquod magnum, ideo ſine ecſtaſi fieri poterat. Secundum, quod eſt in ecſtaſi, eſt ipſa immutatio corporis, ſcilicet, quòd ceſſent omnes actus corporis, & homo cadat in terram, ſed non fuit ſic nunc, quia iſte Propheta ſedebat cū alio ad menſam, & ſubitò locutus eſt ei, non facta alia immutatione, ideo non fuit in ecſtaſi.

B

C

In ecſtaſi duo cō-curruūt.

Sed dicendum, quòd fuit quintus modus, ſcilicet, per ſolam immutationem intellectus, illuſtrando illum ad cognoſcendum aliquid ſupernaturaliter. Et iſte modus fit ſine aliqua exteriori mutatione, & ſic homo, loquens cum alio, poterit immutari propheticè: ſic enim fuit hic; quia iſti duo Prophetæ ſedebant comedentes, & colloquentes ad mēſam, & ſubitò Propheta ſenex cœpit loqui ad virum Dei propheticè. *Et exclamauit ad virum Dei, qui venerat de Iuda.* Cùm vir Dei peccaſſet permittendo ſe decipi per Prophetam ſenem, voluit Deus, vt per eundem denunciaretur ei pœna peccati ſui. *Hæc dicit Dominus, quia inobediens fuiſti ori Domini.* ſcilicet, Deus præcepit tibi ſpecialiter, ne comederes in loco iſto, & comediſti; ideo fuiſti inobediens. Et tanto iſta inobedientia erat maior, quanto præceptum Dei erat certius, ſcilicet, quia non audierat iſte vir Dei iſtud præceptum ab alio Propheta, ſed Deus per ſe, vel per Angelum ſuum reuelauerat ei, & tamen contemnebat; ideo inobedientia fuit magna. *Et non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus.* Iſtud eſt ſolùm de non comedendo, nec bibendo in Bethel: Nam aliud mandatum de non redeundo per viam, qua venerat, ſeruauerat vir Dei, vt patet ſupra, & dicitur: Dominus Deus tuus, non quidem, quòd non eſſet Deus iſtius Prophetæ, qui loquebatur: ſed dicitur, Dominus Deus tuus, id eſt, qui ſpecialiter deſtinauerat te, vt venires ad Ieroboam. *Et reuerſus es.* Non peccauit vir Dei ex hoc ſolo, quòd reuerſus eſt, ſed quia reuerſus fuit, & comedit: nam reuerti ſolùm non erat ei prohibitum. *Et comediſti panem, & bibiſti aquam in loco, in quo præcepi tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam.* ſcilicet, Iuſſi tibi, quòd nihil comederes, nec biberes in Bethel, & tamen comediſti ibi, & bibiſti ibi. *Non inferetur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum.* ſcilicet, Sepelieris extra terram tuam. Iſtud enim erat pœna; quia omnes Iudæi conſueuerant ſepeliri ab antiquo in ſepulchris patrum ſuorum, & cùm non contingebat alicui ſepeliri cum patribus ſuis, videbatur eſſe quoddam infortunium. Sic enim fuit in iſto viro Dei, quia occiſus fuit in via à leone, & ſepultus fuit in Bethel, nec reductus fuit in terram ſuam. Nam poſtea tempore Ioſiæ Regis, cùm ipſe cremaret oſſa mortuorum, ſuper altare Bethel, & exhumaret ſacerdotes idolorum, venit ad ſepulchrum iſtius viri, & comperto titulo, non exhumauit eum, nec cremauit oſſa eius.

D

E

Quomodo intelligebat iſte vir Dei prophetiam ad ſe dictam.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR, quomodo intelligebat iſte vir Dei prophetiam ad ſe dictam.

Reſpondendum, quòd aliter Deus intellexit, quàm Propheta ille, qui locutus eſt, & quàm vir Dei, ad quem factus eſt ſermo: nam Deus intellexit, quòd iſte vir Dei non inferretur in ſepulchrum patrum ſuorum, id eſt, quòd occideretur in via à leone apud Bethel, & ſepeliretur ibi, & non duceretur in terram ſuam. Ipſe autem non intellexit, quòd occidendus à leone, vel alio modo violenter, ſed quòd moreretur naturaliter aliquando, ſicut aliàs moriturus erat, & tunc in pœnam huius delicti, nō ſepeliretur in ſepulchro patrum ſuorum. Motiuum autem iſtius viri Dei fuit, quia apud Hebræos reputabatur magnum infortunium, quòd aliquis ſepeliretur extra terram ſuam, & extra ſepulchra patrum ſuorum. Quod patet, quia omnes Iudæi cum magno deſiderio petebant ſepeliri in ſepulchris patrum ſuorum. Sic patet de Berzelai Galaditæ, cui cùm diceret Dauid, quòd veniret cum eo in Ieruſalem, & gauderet ibi in bonis regni: dixit Berzelai, Obſecro, vt reuertar, & moriar in ciuitate mea, & ſepeliar iuxta ſepulchrum patris mei, & matris meæ, præcedenti libro, capite 19. Sic etiam Achitophel Gilonites, cùm intenderet ſe occidere, quia non ſuſceptum fuerat conſilium eius, noluit ſe occidere in curia Abſalonis, ſed venit in ciuitatem ſuam, & ibi ſe occidit, vt poſſet ſepeliri in ſepulchro patrum ſuorum, vt patet præcedenti libro, capite 17. Iſta etiam erat opinio apud Gentiles, quòd infortunium erat aliquem mori extra terram ſuam. Vnde Ouidius in libro de Ponto dixit:

F

Mollius oſſa cubant, manibus tumulata ſuorum.

Et quia peccatum iſtius viri Dei videbatur eſſe paruum, eo quòd ſeductus ab alio Propheta peccauerat, putauit, quòd Deus non daret ſibi in pœnam ſufficientem, quòd non ſepeliretur in ſepulchris patrum ſuorum. Quòd autem ſic intelligeret patet, quia ſi putauiſſet, quod leo occidere debebat eum in via die illa, non exiuiſſet de Bethel, vel habuiſſet ſecum comites, & tamen quaſi ſecurus, mox vt finiuit cœnam receſſit de Bethel, & illicò leo occidit eum in via: ideo videtur quòd ipſe nō intelligebat, quòd leo occiſurus eſſet eum. Item Propheta ille, qui locutus fuit iſta non intellexit, quòd vir Dei occidendus eſſet, vel ſaltem, quòd non eſſet illicò occidendus: nam aliàs perſuaſiſſet ei, quòd non exiret de Bethel, vel quòd cautè ſe haberet, ducendo ſecum comites, ne

A in via occideretur, ſicut prænunciatum fuerat, & tamen ipſe neſciebat hoc, ſed erat quaſi inopinatus. Et quando dictũ eſt ei, quòd mortuus eſſet, & iaceret in via vir Dei, dixit, quòd hoc fuerat, quia inobediens fuit ori Domini, & ſic neſciebat, quid euenturum eſſet de morte illius.

An iſte ſenex potuit vocari Propheta, prænunciando mortem viri Dei, & quid requiruntur ad hoc, quòd aliquis ſit propheta.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR, an iſte potuit vocari Propheta, prænunciando iſta viro Dei? Aliquis dicet, quòd non: quia ad hoc, quòd aliquis ſit Propheta, neceſſe eſt, quòd intelligat ea, quæ dicit: nam intelligentia opus eſt in viſione, Danielis 10. Ideo quidam, ad quos facta eſt reuelatio Dei, non vocantur Prophetæ: quia non intellexerunt ea, quæ ſibi reuelata ſunt, ſicut Pharaoni reuelatum eſt à Deo ſomnium de ſeptem annis vbertatis, & totidem ſterilitatis, Geneſ. 41. Nabuchodonoſor quoque reuelatus eſt ſtatus futurorum temporum in ſtatua, quam vidit, ſicut dixit Daniel, ſcilicet, Tu Rex cœpiſti cogitare in ſtrato tuo, quid futurum eſſet poſt hoc, & qui reuelat myſteria, oſtendit tibi, quæ futura ſunt, Danielis 2. Et tamen iſti duo non vocantur Prophetæ: quia indiguerunt
B expoſitoribus: nam Pharao accepit expoſitionem per Ioſeph, & Nabuchodonoſor per Danielem, vt patet eiſdem capitulis.

Reſpondendum, quòd iſte Propheta ſenex fuit nunc Propheta in actu iſto: nam ſcriptura vocat eum ſemper Prophetam, & etiam nunc vocauit Prophetam dicens: Factus eſt ſermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum. Etiam dicendum, quòd iſte intellexit viſionem ſibi dictam, quia intellexit, quòd non erat vir Dei ſepeliendus in ſepulchro patrum ſuorum, & ſic fuit. Sciendum tamen, quòd aliquem intelligere reuelationem, quæ à Deo fit ſtat tripliciter. Primo modo, quòd intelligat reuelationem in ſenſu parabolico, & non in literali, vel hiſtorico. Secundò, quòd intelligat reuelationem in ſenſu hiſtorico, non tamen totum, quod Deus intendit ſignificare, ſed ſolum id, quod poteſt colligi ex verbis in vero ſenſu intellectis. Tertiò, quia intelligat reuelationem in ſenſu hiſtorico, non ſolùm quantum ad ea, quæ poſſunt colligi ex litera in vero ſenſu, ſed etiam intelligat omnia, quæ Deus voluit intelligi per verba illa. Primus modus intelligẽdi non conſtituit Prophetam: ſecundus autem facit Prophetam: tertius facit Prophetam. Abundantiſſimum exemplum, patet in ſomnio, quod ſæpè vidit Daniel: nam aliquando videbat ventos pugnantes, & aliquando beſtias, & multa alia, de quibus Daniel. 7. vſque ad 11. Tunc intelligebat illa, quæ à Deo oſtendebantur, quantum ad parabolam: quia parabola
C eſt dicere aliquid occultum, quod aliter intelligendum eſt, quàm dicatur, ſicut Chriſtus ſæpè dicebat, vt de ſeminatore, & de fermento, & de grano ſinapis, & de multis alijs, Matth. 13. Et in alijs locis Euangeliorum. Illi enim, qui audiebant, intelligebant illas parabolas, ſic vt dicebantur, & tamen ſic intelligentes, nihil intelligebant, quouſque declararetur ſibi parabola, ideo dicitur eodem cap. Quòd Chriſtus loquebatur ſic, vt audientes non intelligerent. Ita Daniel videns ventos, & beſtias, intelligebat eſſe ventos, & beſtias, & iſta à Deo ſibi reuelabantur, & tamen intelligendo ſic, nihil adhuc intelligere dicebatur, nec erat Propheta; ideo Deus mittebat Angelum ad declarandum ſibi, vt intelligeret in eo ſenſu, quem facere intendebat per iſtas parabolas. Sic patet Daniel. 8. Factum eſt, cùm ego Daniel viderem viſionem, & quærerem intelligentiam, ſtetit in conſpectu meo, quaſi ſpecies viri, & clamauit, & ait, Gabriel fac intelligere iſtam viſionem. idem patet Daniel. 9. & 10. Et poſtquam Angelus iſte reuelabat Danieli intelligentiam ſomniorum, dicebatur ipſe Propheta, ſic patet Danielis 10. ſcilicet, Anno tertio Cyri Regis Perſarum verbum reuelatum eſt Danieli, intellexitque ſermonem: & ſubditur; Intelligentia enim opus eſt in viſione, id eſt, ad hoc, quòd Daniel vocaretur videns, vel Propheta, oportebat, quòd intelligeret in ſenſu, quem Deus intelligebat; & iſte eſt ſecundus ſenſus, qui vocatur literalis, & conſtituit Prophetam. Tertius ſenſus eſt, ſi diceretur aliqua parabola, & Propheta intelligeret id, quod Deus volebat intelligi per illam parabolam, & tamen ſi vltra id, quod ipſa parabola ſecundùm ſe poterat ſignificare, Deus vellet intelligi aliquid aliud, quanquam Propheta nõ intelligeret illud, vocaretur Propheta. Idem enim erit, ſi interdum fiat Prophetia in verbis claris, ſine parabola: & Propheta intelligat, ſicut illa verba ſonant, & nihil amplius erit Propheta; poteſt tamen aliquid ſignificari vltra id, quòd verba expreſsè ſignant. Sic fuit hic, quia Deus dixit, quòd vir Dei non ſepeliretur in ſepulchro patrum ſuorum. Iſta verba ſunt ſine parabola: ideo intelligendo ea, vt iacent, erat iſte Propheta, quia illud Deus intendebat ſignificare: & tamen per iſta verba poterat aliquid vltra intelligi, quòd verba non ſignificant, ſcilicet, quòd vir Dei occideretur eadem die à leone in via, & ſepeliretur in Bethel. Intelligere autem iſtud, non eſt de neceſſitate Prophetiæ, ſed pertinet ad ſuperabundantem Prophetam. Cùm autem arguitur de Nabuchodonoſor, & Pharaone, quòd non fuerunt Prophetæ, quamquam facta eſt reuelatio eis, quia non intellexerunt. Dicendum, quòd iſti intellexerunt in primo modo, ſcilicet parabolicè, & non in ſecundo modo, ſcilicet, in literali: & quia Deus non intendit ſignificare, ſicut ſonat parabola, iſti dicuntur non intelligere, & conſequenter non ſunt Prophetæ. De iſto autem Propheta ſene apparet, quòd iſte intellexerit ſecundo modo, ſcilicet, in ſenſu literali, ſicut Deus intelligebat: erat ergo Propheta in iſto actu, quamquam non intelligeret quicquid Deus ſignari volebat per illa verba.

Intelligere reuelatiõ diuiſiõ tripliciter

Quare Deus noluit reuelare diſtinctè mortem Propheta. Et Oracula Apollinis, quare dabantur ambiguè.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm Deus intelligeret, quòd vir Dei occidendus eſſet eadem die à leone in via, & quòd ſepeliretur in Bethel: quare non dixit iſtud ſic, ſed ſolùm dixit, quòd non inferretur cadauer ſuum in ſepulchrum patrum ſuorum.

Reſpondendum, quòd Deus volebat iſta immediatè cõpleri: & quia impediretur completio, ſi reuelaretur eo modo, quo Deus intelligebat inferre pœnam, non debuit declarari niſi ſub quodam ambiguo: erat enim quodam modo iſtud oraculum tale, ſicut oracula Apollinis, qui reſpondebat ita ambiguè, vt in quemcunque euentum res laberetur, putaretur vera dixiſſe. Sed illud erat propter ignorantiam ipſius Apollinis, qui dæmon erat: & neſciebat aliquid futurum, niſi ex coniectura: ideo vt nõ videretur mentitus, cùm eſſet perſpicaciſſimi ingenij, quia dæmon erat, excogitabat tales modos reſpondendi, vt ad quemcunq; euentum res deduceretur, videretur reſponſio coaptari illi euentui. Deus autẽ nunc reſpondit ambiguè, non tanquam futurorum inſcius, ſed vt F
ambiguitate oraculi falleret virum Dei: nam poterat interpretari iſtud oraculum, quòd iſte vir Dei viueret magno tempore, ſicut alias victurus eſſet, ſi non peccaſſet, & tamen in pœnam, mortuo ipſo, cadauer ſuum non ferretur in ſepulchrum patrum ſuorum. Vel poterat interpretari, quòd occidendus eſſet extra terram ſuam, & ſepeliendus. Vir autẽ Dei accepit in ſenſu fauorabiliori, licèt contrario res diffinita eſſet. Hoc autem fuit, quia ſi ſciuiſſet, ſe illa die occidendum in via, fortè noluiſſet exire de Bethel, vel fortè ſemper maneret ibi. Et etiam Propheta ſenex, qui iſta prædicebat, conſuleret ei, non exire de Bethel. Deus autem voluit eadem die, qua peccauit, punire virum Dei: ideo expediens fuit, quòd obſcurè loqueretur.

Quare Deus reuelauit Prophetæ ſeni viri Dei mortem.

QVÆSTIO XXII.

VLTERIVS quæretur, cùm Deus vellet occultè iſti viro Dei mortem ſuam, quare reuelabat aliquid contra ipſum Prophetæ ſeni: quia per iſtud poterat ipſe habere ſuſpicionem de morte ſua, quòd citò ventura eſſet: cùm dictum illud poſſet interpretari pro vtraque parte, vt ſupra dictum eſt; illi tamen qui timent, ſemper conſueuerunt interpretari

A pretari in deteriorem partem: nam prudentia iubet hoc iudicandum, vel ſuſpicandum in rebus dubijs, & ſic nollet exire de Bethel; & non compleretur Prophetia Dei, quando ipſe volebat. Reſpondendum, quòd decens fuit prænunciari contra iſtum virũ Dei, quòd non inferretur cadauer ſuum in ſepulchrũ patrum ſuorum: nam ſi nihil prænunciatũ fuiſſet contra eum, & poſtea reperiretur in via occiſus, non putaretur, quòd Deus intuliſſet ei pœnam illam pro peccato ſuo, ſed à caſu veniſſet, vel ſaltem propter aliud peccatum, & non propter illud; cùm poſſet interpretari, quòd non peccaſſet in illo, cùm ſeductus fuiſſet à Propheta ſene. Iſtud autem fuit contra intentionem Dei propter duo. Primò, quia ipſe volebat oſtendere vindictam, quam inferebat pro peccatis, & ſic magis timeretur, & nullus putaret, quòd poſſet peccare impunè, cùm iſtud peccatum tam leue, quod commiſit iſte vir Dei, ſeductus à Propheta malo tam atrociter vindicatum ſit, vt illicò à leone laceraretur; quanto maior vindicta Dei erit in alijs peccatis grauiſſimis, quæ ex nequiſſima intentione fiunt, nullo ſuadente, vel impellente? Secunda cauſa fuit, vt non poſſet confirmari mala opinio Ieroboam, ſcilicet, quia dictum eſt ei, quòd iſte Propheta falſum locutus fuerat, & Deus non miſerat eum; & quòd ob hoc à leone laceratus ſit. Si autem Deus non prænunciaſſet contra eum aliquid, ex quo poſſet comprehendi mors eius, poſſet haberi color ad intelligendum, quòd ille Propheta non venerat à Deo, & mentitus fuerat. Nunc autem cùm Deus prędixiſſet, quod non inferretur cadauer ſuum in ſepulchrum patrum ſuorum, colligebatur ex hoc, quòd Deus tacitè intellexiſſet de morte eius. Et ſic probabantur duo ex iſta prænunciatione. Primum erat, quòd non occiſus fuerat iſte vir Dei à caſu, vel propter aliud peccatum, ſed quia egerat contra mandatum Dei, comedendo in Bethel. Secundum erat, quòd Deus locutus fuerat iſti viro, & miſerat eum in Bethel ad loquendum contra Ieroboam. Nam in prænunciatione iſta dictum eſt, quòd iſte vir fuerat inobediens ori Domini, & comederat in loco, quem Deus vetuerat: ergo videtur, quòd miſerat eum illuc, & iuſſerat, quòd non comederet ibi. Et ſic conſequenter ea, quæ prænunciata fuerant per virum Dei contra Ieroboam, confirmabantur per alium Prophetam ſenem; decuit ergo fieri iſtam prænunciationem. Cùm autem arguitur, quòd per hoc daretur occaſio ipſi viro Dei ad ſuſpicandum de morte ſua. Dicendum, quòd verum eſt, quòd ſatis ipſe poterat ſuſpicari, tamen Deus inclinauit eum ad iudicandum in meliorem partem, contra conditionem timentium, vt expleretur in illo voluntas ſua.

Quare Deus non prænunciauit mortem viri Dei illo abſente. Et quòd decuit, quòd iſta prænunciatio fieret viro Dei.

C

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm Deus vellet prænunciare aliquid contra virum Dei ex cauſa ſupra aſſignata, quare ſaltem non prænunciauit illo abſente. Nam poſtquàm recederet vir Dei de Bethel, poterat prænunciare mortem ſuam per Prophetam ſenem, qui eam diceret viris Bethel: & ſic exiſterent illa duo, quæ Deus volebat, & poſita ſunt præcedenti quæſt. Et non daretur ipſi viro Dei occaſio ſuſpicandi de morte ſua?

Reſpondendum, quòd non fuit conueniens, ſed decuit, quòd iſta prænunciatio pœnæ fieret ipſi viro Dei propter duo. Primum eſt, vt intelligeret ſe peccaſſe: nam prius nõ credebat ſe peccaſſe: quia Propheta ſenex dixerat ei, quòd Deus iuſſerat, quòd reduceret eum ad comedendum in Bethel; ideo credebat ſe licitè egiſſe, ideo vt crederet ſe reum, decuit ſibi denunciari peccatum, & prænunciari pœnam. Secundum erat, quia cùm vir Dei videret leonem ad ſe venientem, & non eſſet conſcius ſibi alicuius peccati, putans diligenter cõpleuiſſe mandatum Domini, exaſperaretur nimis contra Deum, ſcilicet, cur Deus iſta ageret: nunc verò videns leonem ad ſe venientem, cognoſcens peccatum ſuum, & pœnam ſibi prænunciatam, ſciret à Deo mitti illum, & humiliaretur, atque veniam peteret, & patienter mortem toleraret, eſſetque illa ſibi ſufficiens pœna pro peccato: aliàs autem exaſperaretur, & impatiens eſſet, nullius peccati ſibi conſcius, & iſtud reputaretur ei in peccatum, ideo debuit ei principaliter reuelari pœna futura ſibi. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd præſupponit falſum, quia reuelando pœnam iſtius viri Dei alijs, & non ipſi, complerentur illa duo, quæ Deus volebat, & habentur præced. quæſtio. tamen non tollerentur iſta duo inconuenientia, quę aſſignata fuerunt hic, ideo ad tollendum illa, fuit decens reuelari pœnam viro Dei. Itẽ dato, quòd reuelaretur ei, non ex hic pręſumeret aliquod malum de morte ſua, quia Deus inclinabat eum ad iudicandum in meliorem partem.

D

Si ſenex ſciret mortem viri Dei, an liceret ei conſulere viro Dei, vt non egrederetur.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR vlteriùs, ſi Deus reuelaſſet mortem iſtius viri Dei Prophetæ ſeni, an liceret ei conſulere viro Dei, quòd non egrederetur de Bethel, ne occideretur à leone in via: vel an peccaret in hoc? Aliquis dicet, quod peccaret, quia agere contra voluntatem Dei notiſſimam, expreſſam per verba, videtur eſſe peccatum, & tamen iſte Propheta ſciebat voluntatem Dei, quæ ſibi reuelata erat, ideo conſulendo cõtra illam, peccaret.

Reſpondendum, quòd non peccaret, quia multotiens Prophetæ prænunciabant aliqua mala aliquibus ventura, ex parte Dei, tamen poſtea dabant conſilium ad euadendum illa mala. Sic patet de Ioële, qui prænunciauit contra Iudam, & Beniamin locuſtas, & erucam, brucum, & auruginem, & multa alia mala, Ioel. 1. Prænunciauit etiam bellum, vt quidam volunt, Ioel. 2. Poſtea tamen dedit conſilium eis, quomodo conarentur euitare iſta mala, ſibi euentura, ſcilicet, faciendo ſacrificia, oblationes, ieiunia, orationes, & afflictiones animæ ſuæ, Ioelis 2. Sic etiam Daniel prænunciauit contra Nabuchodonoſor, quòd conuerteretur in beſtiam ſeptem temporibus, poſtea tamẽ ex corde ſuo dedit conſilium ipſi Nabuchodonoſor ad euadendum hoc, dicens: Quamobrem conſilium meum rex placeat tibi, & peccata tua eleëmoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, Danielis 4. Et tamen iſti Prophetæ non peccabant, ſed potius laudantur tanquam viri ſancti. Sic dicendum, quòd ſi iſte Propheta prænunciaſſet viro Dei mortem à leone in via, poterat licitè conſulere ipſi, vt non exiret de Bethel die illa, & vſque ad aliquot dies: & interim fortè placaret Deum orationibus, & afflictione cordis ſui. Sciendum autem vlteriùs, quòd ſicut ſuprà declaratum eſt in quadam quæſtione, quædam Prophetia eſt ſecundùm certam ſententiam Dei, alia autem eſt ſecundùm merita noſtra. Prima non eſt variabilis, ſecunda autem ſic. Et quia nos neſcimus, quando ſit ſecundùm certam ſententiam, & quando ſecundùm merita noſtra, debemus ſemper putare dictum eſſe ſecundùm merita noſtra: & ſic debemus conari, quantum poſſumus prudentia humana, & omni conatu noſtro, vt non compleatur contra nos Prophetia Dei, quæ fortè compleretur, nobis negligentibus aliquid agere de eo, quod poſſumus, & non compleretur, nobis agentibus ſecundùm totum conatum, ad auertendum illam, ſic autem Propheta ſenex, per quem Deus iſta reuelauerat, neſciebat, an dicta eſſent ſecundùm ſententiam, vel ſecundùm merita viri Dei: ideo licitè conſuleret ei, ad euitandum iram Dei. Sed ponatur, quòd iſte Propheta ſenex cognoſcebat iſtud dictum eſſe, ſecundum firmam Dei ſententiam, vtpote, quia Deus ſibi reuelauerat, intelligi ſic prophetiam. Dicendum, quod tunc peccaret, ſi conſuleret viro Dei manere in Bethel, quia tunc peccaret per infidelitatem, vel contumaciam. Patet, quia tunc intelligeret, ſententiam Dei firmam eſſe tranſmutabilem conſilio humano, vel precibus, aut ſciret eſſe intranſmutabilem, & tamen vellet dare conſilium contra illam. Si primo modo, erat nefas, & infidelitas magna credere, quòd id, quod apud Deum firmiter definitum eſt, & determinatè volitum, poſſit euitari, vel Deus poſſit contrarium velle, ita quòd aliquando illud velit. Si ſecundo modo, erat magna contumacia, & repugnantia contra Deum: cum ſciret voluntatem Dei eſſe imperuertibilem, & daret cõſilium, ad peruertendum ab ea volitum,

E

Prophetia dupliciter dicitur q. 16.

F

litum, & euitandum illud. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd quando Propheta vult, & consulit aliquid contra id, quod Deus dicit, si nescit, an sit voluntas Dei determinata, vel sit secundùm merita nostra, non dicitur agere contra voluntatem Dei: & sic esset de isto Propheta. Si autem sciat esse voluntatem Dei determinatam in eo, quod significatur per prophetiam, dicitur agere contra voluntatem Dei, si contrarium consulat, & sic non faceret iste Propheta.

Si reuelaretur viro Dei, quòd occidendus erat in via, an liceret sibi, non egredi de Bethel, ne occideretur, vel peccaret, sic manendo, vel exeundo.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR vlteriùs, si reuelaretur isti viro Dei, quòd occidendus erat in via à leone, an liceret sibi manere in Bethel, ne occideretur, vel peccaret. Aliquis dicet, quòd peccaret, quia conabatur agere contra voluntatem Dei, sicut fuit de Iona, cui Deus iussit ire ad prædicandum in Niniue, & ipse fugiebat, ne iret in Niniuem, eundo in Tharsis, Ionæ 1. Respondendum, quòd licebat ei manere in Bethel, & non recedere inde etiam per multos dies: dum tamen non comederet ibi, nec biberet: quia hoc Deus vetuerat. Hoc patet, quia multotiens Deus prædixit aliqua contra viros sanctos, & ipsi conabantur auertere illa, vt non euenirent contra eos. Sic fuit de Moyse, contra quem prędixit Deus, quòd non introiret in terram Chanaan, Numer. 20. Et tamen ipse sæpè orauit Dominum, vt ingrederetur illuc, Deuteronom. 3. Et in hoc volebat auertere à se sententiam Dei, & tamen non peccabat. Sic etiam fuit de Rege Ezechia, cui prædictum est, quòd disponeret domui suæ, quia moriturus erat in breui: ipse autem orauit Dominum contra hoc, vt non moreretur, sequenti libro, capite 20. Sic etiam fecerunt Niniuitæ, nolentes, quòd impleretur in eis subuersio ciuitatis, Ionæ 3. Et tamen nulli istorum peccauerunt: ergo nec peccaret vir Dei, quantum posset, auertendo diuinam sententiam. Item licet alicui pro alio facere, quantum potuerit, vt auertat ab illo prophetiam dictam contra ipsum: ergo à fortiori licebit homini pro se ipso: quia plura licent homini pro se ipso, quæ non licerent pro alio. Quòd autem liceat vni pro altero: patet, quia Samuel prædixerat contra Saulem, quòd Deus auferret regnum ab eo, supra 1. libro, cap. 15. Et tamen ipsemet Samuel orauit nimis cum lachrymis, & magno tempore, quòd Deus non auferret regnum Sauli, eodem cap. Ergo à fortiori liceret Sauli pro se, vel isti viro Dei pro se. Sciendum autem vlteriùs, sicut diximus præcedenti quæstione, quòd ista prophetia poterat esse dupliciter dicta, scilicet, secundùm Dei certam sententiam, vel secundùm exigentiam meritorum viri Dei. Si primo modo, non esset mutabilis. Si secundo modo poterat mutari. Et quia vir Dei non esset certus, secundùm quem modum intelligebatur, licebat ei semper agere, quantum posset, vt non compleretur in eo diuina sententia. Ad argumentum in contrarium respondebitur sequenti quæstione.

An teneretur exire vir Dei de Bethel, si sciret prophetiam de morte eius esse, secundùm firmam sententiam.

QVÆSTIO XXVI.

VLTERIVS quæretur, si iste vir Dei sciret, quòd Prophetia de morte sua in itinere, dicta esset secundùm firmam Dei sententiam, an liceret ei manere in Bethel, non recedendo, vt non occideretur in via. Aliquis dicet, quòd tenebatur recedere de Bethel, vel saltem non poterat ex hoc manere in Bethel: quia constabat sibi de voluntate Dei, quòd immutabilis esset, ideo si ipse maneret in Bethel, quia conabatur ex hoc mutare voluntatem Dei, videretur peccare. Item ista est sententia communis, quam in multis locis confirmauimus, scilicet, quòd quamdiu dubium est de prophetia, an sit secundùm firmam Dei sententiam, vel secundùm merita nostra; licitum est Prophetæ orare in cõtrarium: cùm verò cognitum est, sententiam Dei firmam esse, non licet in cõtrarium orare. Sic patet de Moyse, qui sæpè orauit, vt Deus permitteret eum intrare in terram Chanaan, quousq; Deus ostendit ei firmam sententiam suam in hac re, dicens: Sufficit tibi, nequaquã loquaris vltra ad me de hac re, Deut. 3. & post hoc si Moyses conatus fuisset orare, peccasset mortaliter. Sic etiam patet de Samuele, qui sępè orauit Deum, vt non priuaret Saulem regno, sicut prædixerat, & non peccabat, de quo supra 1. lib. c. 16. Postea autem cùm sæpè oraret, dixit ei Deus, firmam sentẽtiam suam esse, Saulem carere regno, inquiens: Cur tu luges Saul, cùm ego abiecerim eũ, ne regnet super Israël? Et tunc non licuit Samueli orare pro Saule, nec vltra orauit. Ita ergo postquam iste cognosceret firmam Dei sententiam, non debebat repugnare, alioquin peccaret. Item supra declaratum est in quæst. præced. quòd si Propheta senex nesciret prophetiam istam dictã secundùm Dei sententiam firmam, vel secundùm merita viri Dei, poterat consulere ei, ne exiret de Bethel: si tamen sciret dictum esse secundùm sentẽtiam Dei certam, non licebat consulere ei: ita ergo nõ liceret isti viro repugnare prophetiæ, non exeundo de Bethel, postquam sciret illam dictam esse secundùm firmam Dei sententiam. Respondendum est, quòd etiam si iste vir sciret sententiam Dei firmam contra se, non tenebatur exire de Bethel, & consequenter non peccabat, non exeundo. Patet hoc, quia quilibet homo scit esse firmã Dei sententiam, quod ipse moriatur, iuxta illud Apostoli ad Hebr. 9. Statutum est hominibus semel mori, & tamen licèt homo desideret semper viuere, vel esse immortalis, non peccat: & non solùm si desideret, nunquam mori, sed etiam si laboret semper viuere, vtendo rebus conseruatiuis, non peccat. Item non tenetur homo cõformare voluntatem suam voluntati diuinæ in volito, sed in modo volendi. Et intelligitur istud de voluntate beneplaciti, quam nos vocamus firmam sentẽtiam, eo quòd voluntas beneplaciti semper impletur, ideo licet vellet Deus istum mori, non tenebatur ipse velle mori.

Item conformare voluntatem nostram voluntati Dei in volito, interdum est peccatũ mortale, sicut si Deus vult quòd pater meus moriatur, vel quòd iste homo pereat æternaliter, non teneor velle illud, immò si volo illud, pecco mortaliter, quia volo contra charitatem, nõ igitur aliquis obligatur velle mortem suam, cùm Deus non iubeat istud, sed si iste vir Dei sciens, quod occidendus erat in via, vellet egredi de Bethel, desideraret aliquo modo mortem suam, quia festinabat ad illam, ideo non tenebatur exire. Ad rationem in contrarium, quæ fuit facta præced. quæst. dicendum, quòd non erat simile de Iona & de isto viro Dei, quia Deus iusserat expresè Ionæ, quòd iret in Niniuem, ipse autem fugit: ideo peccauit, non tanquam repugnans voluntati Dei, sed tanquam transgressor præcepti illius. Isti autem viro Dei non fuit datum aliquod prẽceptum, quod egrederetur de Bethel, sed solùm in casu posito diceretur ei, quòd certissimè leo occisurus erat in via eum, & quòd hoc Deus volebat. Nihil autem obligat hominem ad agendum, vel non agendum, nisi mandatum, sed istud non erat mandatum, sed prænunciatio de euentu futuro, ideo non tenebatur ad illam vir Dei, nam verificare eam, non pertinebat ad ipsum, sed ad Deum, qui prænunciauerat. Si tamen Deus iussisset ei, quod egrederetur die illa de Bethel, dato quòd prænunciaretur ei, quòd in via occidendus erat à leone, tenebatur exire, vt probatum fuit supra in quadam quæstione.

Ad rõnem in principio præced. q.

Quæst. 25.

Ad primam rationem factam in quæstione ista, scilicet, quòd si nollet exire de Bethel, conaretur facere contra volũtatem Dei, & peccaret. Dicendum, quòd non peccat homo in hoc, quòd agit contra voluntatem Dei, nisi agat contra præceptum illius, ideo dato, quòd ego sciam Deum velle aliquid, non tenebor velle illud, nisi ipse iusserit mihi illud velle, imò aliquando peccabo volendo illud, vt declaratum fuit supra in exemplis.

Sed dicetur, ad quid deberet velle iste vir manere in Bethel, quia si constaret voluntatem Dei esse, quòd ipse moreretur illa die in via, necesse erat eum mori, quia dato, quòd nollet exire de Bethel, Deus pararet ei aliquem tam magnum timorem ex aliqua re subitò accidenti, quòd cogeretur fugere de vrbe, & ipse fugere vellet ad euitandum illud malum, & tunc egresso eo de vrbe, obuiaret ei leo, & occideret ipsum.

Istud

A Istud simpliciter concedendum est, quia si Deus vult aliquem occidere, dato quòd homo conetur nimis effugere mortem, non poterit, quia cùm voluerit effugere de vno periculo, incidet in aliud. Sic patet Amos 5. Væ desiderantibus diem Domini, id est diem in qua Deus vult facere vltionem de peccatis, & sequitur: Dies Domini ista, tenebræ, & non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus, & ingrediatur domum, & innitatur super parietem manu sua, & mordeat eum coluber? Quasi dicat, talis est dies Domini, in qua vult punire aliquem, quia cùm velit fugere de vno periculo, incidet in aliud. Dicendum igitur, quòd iste vir Dei in casu dato, si vellet manere in Bethel, non ideo maneret, tanquam manendo posset effugere mortem, quia credere debebat, quòd cùm Deus vellet secundùm firmam sententiam, quod moreretur illa die in via, quòd necesse erat eum mori in via ipsa die, sed solùm maneret propter hoc in Bethel, quia multum differt, quòd aliquis expectet mortem, vel quod eat ad eam: nam eundo ad eam, videtur adiuuare ipsum occisorem, expectando autem non adiuuat, & in quibusdam peccatum est ire ad mortem, & non est peccatum expectare mortem, quia vnum est voluntarium, alterum necessarium. Ad secundam rationem, cùm dicebatur de Moyse, dicendum, quòd Moyses peccasset si orasset Deum postquam cognouit firmam sententiam suam, quòd ipse non introiret in terram Chanaam, non quia agebat contra firmam
B Dei sententiam, sed quia agebat contra mandatum eius, nam dixit: caue ne vltra loquaris ad me de hac re, Deut. 3. transgressor autem præcepti semper peccat mortaliter. Sed ponatur, quòd Deus non dixisset Moysi, quod non oraret vltra, sed declararet ei, voluntatem suam esse determinatam, quòd non introiret in terram Chanaam. Tunc dicendum, quòd non erat peccatum absolutè orare, vt introiret in terrā Chanaam, erat tamen superfluum, & inordinatum, quia aut oraret, tanquam putans, voluntatem Dei firmam posse moueri, & ista erat infidelitas, aut oraret, putans illam non posse moueri, & tunc esset insania, ideo dicendum, quòd in tali casu Moyses non debebat orare, dato quòd Deus non vetaret eū orare, tamen poterat Moyses licitè desiderare ire in terram Chanaan, licèt sciret nunquam se illuc iturum, & dolere, quia non poterat illuc ire, & sic fecit. Nam cùm Deus dixit ei hoc, Deut. 3. ostendit illicò dolorem suum, Deut. 4. dicens ad populum, Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem, vos transibitis, & possidebitis terram egregiam. De viro Dei non erat sic, quia non datum fuit ei præceptum, quod exiret de Bethel, ideo poterat ibi manere, licèt sciret, quòd Deus volebat eum mori illa die in via. Ad exemplum autē de Samuele. Respondendum est omninò sicut diximus de Moyse, quia etiam Deus vetuit ei orare pro Saule, supra 1. lib. c. 16. dicens, vsque quo tu luges Saul, cùm ego proiecerim eum, ne regnet super Israël? Ad tertiam rationem dicendum, quòd peccasset propheta senex consulendo viro Dei manere in Bethel, cognita voluntate Dei immutabili, & tamē non peccaret vir Dei manendo in Bethel, cognita eadem voluntate. Ratio est, quia consilium datur ad aliquid agendum, vel fugiendum in ijs, quæ possibilia sunt, & accidentia, nam de impossibilibus, aut de necessarijs non est consilium, vt patet 3. Ethic. vir autem Dei manendo in Bethel, non ageret ad euitandum diuinam
C sententiam, sed vt ipse non iret spontaneus ad illam, & hoc licitum erat.

Cognito, quòd vir Dei moriturus erat in via, si exiret de Bethel, an peccaret exeundo de vrbe.

QVÆSTIO XXVII.

VLTERIVS quæretur, cognito quòd vir Dei necessario moriturus erat illa die in via, an peccaret spontè exeundo de Bethel. Aliquis dicet, quod peccaret, quia dato q̄ aliquis sciat mortē sibi necessario futuram, nō debet ad illam festinare. Vt si aliquis est in tali dispositione, quòd necesse sit eum occidi ab alio, si ipse eat ad mittendum se per gladiū, impatiens moræ, antequam alius velit eum occidere, peccat. Itē patet hoc, quia quilibet homo scit se aliquando moriturum necessario, & tamē quantumcunq; homo sit senex, & in quātumcunque graui ægritudine, tenetur semper conari viuere, scil. adhibendo ea, quæ potest, quæ sunt conseruatiua vitæ. Et D si aliquando quis putans se necessario moriturum aliquo tēpore, non curet adhibere circa se necessariam solicitudinem, quantum honestas vitæ, & professionis suæ patitur, peccat mortaliter, ita ergo iste vir Dei, licèt sciret se necessario moriturum, debebat adhibere circa se curam, quantam posset, vt non moreretur. Respondendum, quòd licèt non teneretur iste vir Dei exire de Bethel in casu dato, tamen si exiret nō peccabat, sed potius merebatur, quia volebat sponte subijci pœnæ, quam Deus ei volebat inferre. Sic enim est de omnibus angustijs, quas Deus homini immittit, quia non tenetur eas desiderare, si tamen sponte suscipiat illas, eo quòd ipse meretur eas, & quia Deus vult illas inferre, meretur in hoc. Nō est tamen sic respectu aliarum personarum, quia licèt Deus velit occidere patrem meum, quia meretur, nō teneor velle illud, imò non debeo, quia quamquam iustum sit illum mori, ego debeo dolere, quia moritur, alioquin pecco, si gaudeo. Ratio diuersitatis est, quia per mala, quæ Deus mihi infligit pro peccatis meis, possum mereri, patientur tolerando, ideo bonum est, quòd aliquis gaudeat in pœnis, quæ sibi à Deo inferuntur, & tamen in pœnis, quæ inferuntur alteri, siue patienter, siue impatienter illas toleret, ego non possum mereri nec demereri, ideo non debeo gaudere, quòd alius puniatur, sed potius tristari, quia pœna absolutè mala est. Dicendum tamen, quòd non erat sic de isto viro Dei, quia ipse circa se ipsum po
E terat libenter tolerare pœnas, ideo magis mereretur exeundo in viam, vt occideretur à leone, quàm manēdo in Bethel, expectando, quòd Deus aliter expleret sententiam suam in ipso. Item patet hoc potissimè: quia vir Dei manens in Bethel, etiam si non occideretur à leone, vel ab alio malo extrinseco, necesse erat, quod moreretur breuiter per se ipsum, eo quòd nō licebat ei comedere, aut bibere in Bethel, cùm Deus vetuisset, & sic si non exiret de Bethel, moreretur fame, & siti, si autem exiret, occideret eum leo, ideo melius erat, quòd ipse libenter exiret, vt occideretur à leone. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd non est simile, quia ille, qui impatiens moræ, misit se per gladiū, directè agit ad mortem suam, cùm alius non ita citò vellet occidere eum. Immò quod maius est, iste non dicitur occidi ab alio, sed occidere se ipsum. Non erat autem sic de viro Dei exeunte de Bethel, qa ipse non irritaret leonem ad hoc, quod occideret eum citius, sed leo irrueret in ipsum, ad occidendum eum. Sed dicetur, quòd adhuc iste egit aliquid ad mortem suam, quia exibat de Bethel ad viam, in qua occidendus erat. Dicendum, quòd si ipse manens in Bethel posset euadere mortem, peccaret exeundo in viam, sed necesse erat eum occidi, siue maneret in Bethel, siue exiret, & fortè citius moreretur manens, quàm exiens. Ad secundum dicendum, quòd non est simile, quia tamdiu homo debet agere curam de salute sua, quamdiu viuere potest, sed quantumcunque aliquis sit senex, adhuc potest viuere magis, quàm vixit, quousque compleat periodum F suam. Et dato, quòd compleuerit illam, nescit an compleuerit, ideo quamdiu homo viuens est, curam debet habere de salute, quia nescit an maiori tempore viuere possit. Sed in casu dato est contrarium, quia cùm determinatum esset, quòd necesse erat mori virum Dei die illo, ideo non oportebat, quod ageret curam de salute sua.

Quando aliquis est perplexus, scilicet, quod scit necessario se moriturum fame, si non egrediatur de domo vallata ab hostibus, & si egrediatur, scit se occidendum certissimè, an egrediatur, vel manebit.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm supra dictum sit, quòd potius deberet iste vir Dei exire, & mori in via, quàm manere in Bethel, & perire fame, si accidat alicui, quòd sit perplexus, scilicet, quòd sit obsessus in aliqua domo, in qua nullum alium habeat, & si exit, occidetur ab hostibus, & si non exit morietur fame, quid istorum potius agere debet? Aliquis dicet, quod debet agere sicut supra diximus de viro Dei, scilicet, quod exeat, & moriatur, & non pereat fame. Respondendum, quòd aut iste, qui obsidetur, si exit, scit se omni casu occidendum, ita quòd non credit vllatenus posse esse

locum

A locum euasionis,aut credit, quòd aliquo modo possit euadere,licèt de hoc multum dubitet. Si primo modo dicendum videtur,quòd potius iste vir debet pati,quod moriatur fame, quàm quòd egrediatur,& moriatur,& occidatur,quia in primo casu ipse agit aliquid ad mortem suam,in secundo autem non agit aliquid,sed solùm mortem patitur. In patiendo,autem id,quod necessarium est, nullum peccatum est, in agendo autem potest peccatum interuenire:ideo potius debet fame mori,quàm egredi. Si autem suspicatur, quòd exiens poterit aliquo modo euadere, dato quòd certiorem putet sibi mortem, quàm vitam, debet egredi, quia manendo est certissima mors, exeundo autem est vita dubia, ideo potius eligenda est vita dubia, quàm mors certa, quia minus malum est.Si tamen manens nolit egredi,sed potius mori, non multum videtur diffiniendum contra ipsum, quòd sit homicida sui ipsius,quòd vtrinque angustiæ sunt ad euadendum. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd non est simile, quia vir Dei,qui erat in Bethel, siue maneret ibi,siue egrederetur moriturus erat,& non erat magis certa mors in Bethel, quàm in via,hic autem aliquando est certior mors manendo quàm exeundo.

Quomodo falsus propheta senex non verecundatus est dicere ista viro Dei.

B QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo iste propheta senex voluit dicere viro Dei, quòd peccauisset agendo contra mandatum Dei, quia debuisset in hoc verecundari, quia ipse dixerat viro Dei, quòd Deus iusserat, quod reduceret eum secum in Bethel, & nunc dicendo, quòd fuerat inobediens ori Domini, ostendebat se mentitum fuisse, ideo videtur,quod debuerat subticere.

Respondendum,quòd si Deus illustrasset istum prophetam ad hoc,quòd diceret viro Dei pœnam,quam passurus erat,peccaret mortaliter,quia repugnaret mandato Dei, nam illustrando cor eius ad dicendum aliquid, mouebat etiam voluntatem, & erat istud loco præcepti, sed tenetur homo ad præceptum Dei, ideo tenetur propheta quilibet reuelare ea, quæ Deus ei ostendit, si ad reuelandum ostendit, sed adhuc istud non sufficiebat pro propheta sene, quia ille erat malus,ideo non curaret, quod peccaret mortaliter. Sed dicendum,quòd dato, quod nollet, Deus compelleret eum ad dicendum,sic patet de Balaam, qui conabatur maledicere Israëlitis,& orabat Deum,vt permitteret ei maledicere,& cùm aperiret os ad maledicendum, Deus cogebat eum benedicere, vt patet Numerorum 23. & 24. Ita ergo quemlibet alium prophetam Deus compelleret ad loquendum, si nollet dicere ea, quæ Deus volebat, sic fortè fuit in isto propheta, qui C cùm malus esset,& mentitus fuisset præ rubore nollet dicere ea,quæ Deus ostendebat ei: tamen Deus compelleret ipsum. *Cumque comedisset,& bibisset,strauit asinum suum propheta, quem reduxerat.* scilicet vir Dei scito, quod peccasset, non credens quod occidendus esset, strauit asinum suum, quem secum duxerat,ad recedendum se parans.*Qui cùm abijsset,inuenit eum leo in via,& occidit.* scilicet, paulo postquam exiuit de Bethel, occurrit ei leo de saltu,& occidit eum, Deus enim parauerat illum leonem, vt egrederetur ad occidendum prophetam, qui peccauerat. *Et erat cadauer eius proiectum in itinere.* Vir Dei occisus fuit à leone in medio itineris egresso leone de sylua, quia in terra illa sunt multi leones, & visi. *Asinus autem stabat iuxta illum.* Asinus erat apud cadauer viri Dei non recedens propter leonem.*Et leo stabat iuxta cadauer.* Leo erat ibi obseruando cadauer,ne quis tangeret illud.

Quare voluit Deus virum istum occidi à leone.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR quare facta sunt ista? Respondendum, quòd Deus voluit ostendere, quòd iste vir Dei fuerat propter transgressionem præcepti sui, & ex hoc consequenter volebat probare verum fuisse, quod dixerat ille vir ad Ieroboam,fuit enim occisus à leone, & non ab homine, quia si homo occidisset eum, putaretur, quod egisset, quia fortè propheta offenderat eum aliquando, & non quia Deus mouebat eum ad puniendum peccatum viri Dei. Item leo occidens eum non comedit cadauer,nec lacerauit, sed solùm tetigit virum ad occidendum eum. Nam si comedisset, sequerentur duo inconuenientia. Primum erat, quia tunc putaretur, quòd leo non egisset istud motus à Deo in vindictam peccati, sed propter desiderium cibi.Secundum erat, quia si comedisset cadauer fortè non mansisset ibi aliquid, per quod cognosceretur an fuisset vir Dei à leone occisus,vel aliquis alius. Nunc autem cùm maneret cadauer integrum, existente ibi leone,mirabile erat, quòd non comederet de illo, quia animal vorax est, & comedit de præda, quam occidit. Item non solùm leo occidit, & non comedit, sed etiam mansit apud cadauer in via, & istud fuit ad demonstrandum idem. Nam si leo occidens recessisset nesciretur an à leone, vel ab homine fuisset vir Dei occisus, & tunc putaretur, quòd aliquis vir occidisset eum, & non attribueretur diuino iudicio. Item mansit ibi leo ad seruandum cadauer, ne bestiæ venientes lacerarent ipsum cadauer, & sequeretur inconueniens, quod supra,scilicet,quòd totum cadauer laceraretur, & nesciretur cuius erat, & tamen Deus volebat, quod sciretur illud esse viri Dei,ad ostendendum iustitiam eius. Item si laceraretur à bestijs, dato quod maneret aliqua pars, per quam cognosceretur cùm putaretur factum esse à bestijs non Deo E impellente illas ad vindictam peccati, sed ipsis concitatis ex fame.Item fuit hoc ad ostensionem diuini miraculi, scilicet, quod videretur leo diu manere apud cadauer, & non lacerare,nec gustare aliquid de illo,quia manifestè appareret,quòd Deus ponebat ibi leonem ad custodiam. Item mansit ibi asinus,& non fuit læsus à leone, vt in hoc manifestè ostenderetur Dei vindicta, quia si leo moueretur ad occidendum virum Dei desiderio cibi non solùm occidisset eum, sed etiam asinum,non tamen tetigit asinum, in quo erat vir Dei: ergo manifestè mouebatur à Deo leo ad occidendum solum virum. Item mirabile erat, quòd asinus vellet manere apud cadauer.Nam dato,quòd leo nollet tangere asinum,tamen asinus est animal timidum valde, & viso leone illicò fugeret, nunc autem manebant leo,& asinus apud cadauer, tanquam essent duo asini nihil habentes feritatis. Item mirabile erat, dato, quòd asinus non læderetur à leone, nec timeret eum,quomodo vellet consistere apud cadauer,quia animalia ista cùm à nullo tenentur discurrunt hinc, & inde, nunc autem quod maneret semper apud cadauer, quousque aliquis veniret ad capiendum illud à Deo,videbatur esse in testimonium rei gestæ.

Item si asinus recessisset putaretur, quod fortè leo incitatus fame occidisset asinum, & virum Dei, comedisset tamen asinum in alio, & occidisset ibi virum, & non comederet, quia fortè saturatus esset, ideo vt appareret plenum testimonium de morte viri Dei,debuerũt manere tam asinus, quàm F leo apud cadauer, quousque aliquis veniret ad accipiendum cadauer.

Quid iudicandum sit de viro Dei occiso à leone, an perierit æternaliter,vel saluus sit.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlteriùs, quid iudicandum sit de isto viro occiso,scilicet,an perierit æternaliter,vel saluatus sit? Respondendum, quòd de hoc nullum iudicium certum dari potest,eo quod multa,& varia accidere possunt. Nam aliquis, qui in multis peccauit etiam subitò moriens potest consequi vitam æternam,quia leue est sibi dolere, & quasi in instanti est sufficiens cõtritio ad delendum omnem culpam, & aliquis in vnica culpa moriens potest perire æternaliter, si fortè non dolet de isto. Ideo de isto viro Dei iudicare non possumus, quia nescimus an ipse ante hoc in multis peccasset,vel solùm in isto. Etiam dato, quòd in vno vel in multis peccasset, nescimus an doluerit, vel non, vt haberet remissionem solùm: ergo possumus loqui per coniecturas. Et videtur dicendum, quòd iste vir saluus fuerit, & non solùm saluus, imò mox, vt occisus est, volauerit ad Lymbum

sancto-

A

Pro iniustis & condenatis Deus non facit miracula post mortẽ.

sanctorum patrum non tolerata aliqua pœna in igne purgatorio, & si fuisset aperta ianua vitæ æternæ sicut nunc mox euolasset ad vitam æternam. De primo patet, scilicet, quòd nõ damnatus fuerit in peccato mortali moriens. Quia sicut orationes iniustorum à Deo non exaudiuntur Ioan. 9. ita & pro iniustis Deus non facit miracula, & potissimè pro condemnatis, quia qui iniusti sunt nondum condemnati possunt pertinere aliquando ad ciuitatem Dei, qui autem condemnati sunt nunquam pertinebunt ad Deum : ideo non faciet pro eis miracula, nisi quæ sint ad damnum ipsorum, sicut in inferno Deus facit miraculum pro malis, scilicet, ꝙ semper crementur igne acerrimo, & tamen carnes eorum nunquam consumantur, & istud est, vt semper grauius puniantur. Deus tamen ostendit miraculum pro isto viro occiso à leone, scilicet, quòd non laceraret eum, nec comederet quidquam de illo, nec etiã recederet inde, sed custodiret cadauer, ne laceraretur à bestijs, & ista ostendebant quandam eminentiam illius, qui mortuus fuerat, scilicet, quòd Deus haberet curam de eo, quia alioquin relinqueret eum lacerandum, & comminuendum, & deuorandum vsq; ad ossa, sic patet de viris illis, qui accusauerunt Danielem, vt poneretur in lacu leonum Nam cum ipse fuisset ibi illæsus, accusatores sui proiecti sunt in lacum leonum, & dicitur, ꝙ non peruenerunt vsq; ad pauimentum laci, donec arriperent eos

B

leones, & omnia ossa eorum comminuerent Dan. 6. Iterum etiam Daniel positus est in lacu leonum, & quia non fuit læsus manens ibi per 7. dies proiecti fuerunt in lacum accusatores sui, & in momento deuorati sunt, Dan 14. non ergo potest dici rationabiliter, quòd iste vir perijsset æternaliter, pro quo post mortem talia miracula ostendebantur. Item ad probandũ aliquem esse sanctum, ita vt canonizetur per Ecclesiam sufficit, quòd probentur vera miracula de illo, dico autem vera, scil. quòd non fiant opere dæmonum, nec etiam fiant propter solam fidem credentium, quia ista duo faciunt interdum apparere miracula, & tamen ista non concludunt sanctitatem alicuius, sed hic fuerunt miracula vera, scil. non facta opere dæmonis, sed Dei, nec Deus immisit leonem ad occidendum istum virum sicut dixit alius propheta, vt patet infra in litera. Ipse ergo Deus qui fecit illũ occidi, fecit eum custodiri à leone. Item nõ erant ista miracula ex fide alicuius sicut interdum quidam sanantur ab ægritudinibus, vel liberantur à periculis ex fide, & debita deuotione, quã ad Deum habent, & cum fecerint aliquas cæremonias ad consequendum istam salutem putant esse in cæremonijs illis virtutem aliquam sanandi, & tamen nulla est, sed in sola fide, hæc tamen non fuit fides alicuius ad hoc, quòd Deus faceret cadauer illæsum esse, & leonem esse custodem eius, quia ista nemine sciente, & vidente facta sunt, & postea publicata sunt, ideo ista miracula sufficienter probabant istum esse saluum, & habere gradum magnum in gloria. Secunda pars dicti patet, scil. quòd iste vir mox euolauerit ad Lymbũ Sanctorum, vel ad sinum Abrahæ, quòd idem est, non tolerando aliquã pœnam in purgatorio. Quod patet, quia tunc aliquis tolerat ignem purgatorium aliquo tempore, cum aliqua pars pœnæ debitæ pro peccato non est hic sufficienter sublata, quia tunc necesse est explere in purgatorio, iste vir tamẽ sufficienter punitus est pro peccato suo, quia peccatũ fuit satis leue, cum non egerit contra Deum ex praua voluntate, vel ex desiderio passionali, scilicet, motus concupiscentia cibi, sed solo errore, scilicet, quia deceptus fuit à propheta sene, vt patet supra. sufficiens ergo fuit pœna mors ista pro peccato suo, ita vt nihil tolerandum relinqueretur in purgatorio. Et intantum fuit sufficiens, quòd non solum non manebat aliquid tolerandum post mortem, sed etiam mors, & ea, quę circa mortem erant superabundabant ad pœnam debitam pro peccato ipsi viro Dei. Vnde solum mors inflicta est.

C

Quòd euolauerit ad Lymbum sanctorum.

Laceratio autem, & alia, quæ atrocitatem mortis augere poterant, non secuta fuerunt, quia nunquam Deus aliquem vltra debitum punit, licet vltra merita remuneret.

An possit persuaderi, quòd iste vir non fuit missus à Deo quia leo ipsum occidit.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR vlterius, an ex hoc, quòd iste vir Dei occisus est à leone persuadeatur aliqualiter saltem coloratè, quòd ipse non fuerit missus à Deo, & verba eius non fuerint vera. Respondendum, quòd sicut Iosephus dicit 8. Antiquitatum propheta senex habitans in Bethel persuasit Ieroboam regi istum virum Dei mentitum fuisse, & quòd verba eius nõ fuissent à Deo, & hoc probauit, quia occisus fuerat à leone tanquam in vindictam mendacij occisus fuisset, vel quòd si Deus misisset eum non permisisset eum occidi à leone. Dicendum, quòd ista persuasio nullum habet colorẽ, quia sufficienter probatur, ꝙ iste vir missus fuerit à Deo, & ad hoc nõ obstat mors. Patet istud, quia iste vir cum venit ad Ieroboam posuit signum ad probationẽ verborum suorum, scil. quòd scinderetur altare, & effunderetur cinis, & sic illico factum est. Non requirebatur autẽ aliquid vlterius ad probandum se missum à Deo. Istam probationẽ dat Deus ad cognoscendũ verum, & falsum prophetam Deut. 18. Nec obstat si aliquis velit dicere, quòd istud non erat signum sufficiens, cum posset fieri à dæmone, quia supra probatum est, quòd nõ potuerit fieri à dæmone. Item erat probatio ad hoc, quia nihil dicente ipso viro Dei cum Ieroboam iuberet eum teneri, illico exaruit manus, quam contra eum extenderat, nec valuit eam ad se retrahere, si tamẽ iste non fuisset à Deo, & mentiretur, Deus non pugnaret pro eo arefaciendo manũ regis. Item rex cognouit manifestè istum virũ missum fuisse à Deo, ideo petijt, quòd ipse oraret Deũ pro eo, & restitueretur manus sua sibi. Item satis hoc patuit, quia mox, vt orauit iste vir manus regis reddita est in priorem statum, Deus tamen non exaudit orationes peccatorum. Ioan. 9. ergo iste acceptus erat Deo, si tamẽ mentiretur se missum esse à Deo, & non esset, peccaret, & nõ audiretur oratio eius à Deo, ideo videtur quod Deus miserat eum. Item satis apparet, quòd mors inflicta à leone non impediat istũ à Deo fuisse missum, quia poterat iste peccare postquam missus esset à Deo, & pro illis peccatis inferretur ei mors à leone. Item ipse propheta senex ostendit, quòd vir Dei nõ fuerat occisus tanquã mentitus fuisset, sed quia fuit inobediens ori Domini. Nam ipse dixit, quòd non inferretur cadauer suum in sepulchrũ patrũ suorũ, quia comederat, & biberat in loco vetito à Deo. Ex quo apparebat per prophetiam senis, quòd iste missus fuerat à Deo cum dicat, quòd fuerat inobediens ori Domini, & ꝙ Deus iusserat ei non comedere in loco illo. Etiam patet, ꝙ solum occisus fuerit, quia comedit in Bethel. ergo non peccauerat in aliquo alio, pro quo occideretur, nisi quia comedit in Bethel. Item patet hoc, quia quando mortuus est Deus fecit miracula circa ipsum in leone, qui custodiuit eum, vt supra declaratum est, si tamen non fuisset missus à Deo, & mentiretur se missum, non fecisset Deus miracula pro eo, sed potius exercuisset in ipso duram vltionem : ergo videtur, quòd missus fuit à Deo. Item ille propheta senex, qui erat in Bethel confessus fuit postea hoc, dicens, quòd ille vir Dei fuit inobediens ori Domini, & tradidit eum Deus leoni. Vnde non poterat iste senex persuadere conuenienter regi illum virum nõ fuisse missum à Deo, nisi negaret ea, quę prius confessus fuerat. *Et ecce viri.* Hic ponitur tertium huius partis, scil. viri Dei tumulatio, & dicitur. *Et ecce viri transeuntes.* Scilicet, per locum, in quo occisus fuerat vir Dei. *Viderunt cadauer proiectum in via.* In medio viæ occisus fuerat vir Dei, quia in illo loco occurrit ei leo : & illi autem, qui viderunt cadauer aspexerunt à longe, quia non ausi sunt accedere propter leonẽ, ideo non cognouerunt, cuius erat cadauer, sed solum, quòd erat ibi quidam occisus, vt patet immediatè. *Et leonem stantem iuxta cadauer.* Manebat ibi ex rationibus supra assignatis, & non solum viderunt leonem, sed etiã asinũ iuxta cadauer, sed non fit mentio de illo. Postea tamen dicitur, quòd quando iuit iste propheta senex pro cadauere, erat ibi leo, & asinus. *Et venerunt, & diuulgauerunt in ciuitate, in qua propheta senex ille habitabat.* Scilicet, in Bethel, nam ibi morabatur iste propheta, vt patet supra in litera. Isti vir erant extranei, scilicet, non de ciuitate Bethel, quia tamen ill[i]

D

E

F

A cadauer erat propinquius ciuitati Bethel, quam alteri loco, iuerunt ad denunciandum in Bethel, ipsi tamen nesciebant quis erat ille occisus, sed propheta senex cognouit, vt patet ex verbis suis. *Quod cum audisset propheta ille, qui reduxerat eum de via.* Audiuit quia diuulgabatur in ciuitate esse occisum quendam in via. *Ait, vir Dei est.* Nullus alius sciebat, quis posset esse ille occisus solus autem propheta senex cognouit, & ratio fuit, quia ipse sciebat, quòd peccauerat ille vir Dei, comedendo in Bethel. Etiam per eum Deus prænunciauerat, quòd non inferretur cadauer suum in sepulchrum patrũ suorum. Nunc ergo intellexit, quòd prophetia intelligenda erat de morte illius viri, scil. quòd occideretur extra terram suam, & non sepeliretur in sepulchro patrum suorum. *Qui inobediens fuit ori Domini.* Scilicet, comedendo, & bibendo in Bethel contra præceptum Dei. *Et tradidit eum Dominus leoni.* Scilicet, propter peccatum suum Deus tradidit eum in manu leonis. Et sic cognouit iste propheta senex, quòd non occisus fuisset ab aliquo homine ex causis quibus homines occidi solent, sed quòd Deus fecerit eum occidi à leone. *Et confregit eum, & occidit.* Confregit corpus eius, & occidit. Non accipitur hic confractio pro laceratione, quia non fuit laceratum cadauer, sed mansit integrum, sed vocatur confractio vulneratio ad occidendũ, quia non poterat occidi, quin vulneraretur. *Iuxta verbum, quod locutus est ei.* Id est, Dominus
B prædixit ei mortẽ, & intulit. Ex hoc patet, quòd per illa verba, scil. non inferretur cadauer tuũ in sepulchrũ patrum tuorum, non solũ intelligebatur, ꝙ ille vir non esset sepeliendus in terra sua, sed quòd occidendus erat extra terrã suam, istud tamen nõ significabant verba illa expresse, sed Deus voluit illud intelligi per ista verba, ideo dato, ꝙ propheta ille qui dicebat, non intelligeret istud, non tollitur quin esset propheta in isto actu, vt declaratũ fuit supra in quadã quæstione. *Dixitque ad filios suos, sternite mihi asinum.* Cum nullus esset, qui officium funeris isti viro Dei impendere, vellet, eo quòd erat de terra aliena, & quasi hostili, scil. de terra Iuda, voluit iste propheta senex tumulare eum, & strauit asinum ad portandum cadauer viri Dei, vel ad eundum illuc quia cum senex esset, non poterat pedibus incedere. *Qui cum strauissent, & ille abijsset inuenit cadauer eius proiectum in via.* In eodem loco manebat, in quo occisus fuerat, quia nullus ausus fuerat illuc accedere propter leonem. *Et asinum, & leonem stantes iuxta cadauer.* Ambo simul stabant quasi duo asini essent nullam feritatem habentes ad ostendendũ miraculum ex causis supra assignatis. *Et non comedit leo de cadauere, nec læsit asinum.* Vt ostenderetur, quòd Deus incitauerat leonem ad occidendũ virum Dei solum, & non motus fuerat desiderio cibi, ideo non agebat contra id, quòd Deus iusserat seruans præceptũ ad vnguem.

C *Quomodo ausus est propheta senex ire pro cadauere, cum sciret leonem esse apud illud.*

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR quomodo ausus est propheta senex ire pro cadauere cum denunciatum fuisset ei, ꝙ leo staret apud cadauer, & alij non audebant accedere. Aliquis dicet, quòd cum esset propheta Dei auderet ire contra leones, & & omnes feras fultus Dei adiutorio. Sed dicendũ, quòd hoc nõ stat, quia iste propheta erat vir pessimus. Nã ipse seduxit virum Dei, & occideretur, vt patet supra: etiam ipse fauebat regi in idololatria, vt declaratum est. Non ergo confideret meritis suis, quòd coram leone consistere posset illæsus. Aliquis forte dicet aliter, scil. quòd propheta senex audiuit leonem esse apud cadauer, & tamen intellexit forte, quòd dum ipse iret illuc recederet leo, & non inueniret ibi leonem. Sed dicendum, quòd etiã hoc non stat, quia hic dicitur, quòd iste senex inuenit leonẽ, & asinum apud cadauer, & tamen non obstante hoc, accessit, & tulit cadauer. Dicendum igitur, ꝙ iste propheta mox, vt audiuit cadauer esse in via, & leonem apud illud, cognouit, quòd erat cadauer viri Dei, vt patet supra, & intellexit, quòd Deus voluerat, quòd occideretur solum, & non laceraretur etiã putauit, quòd leo, qui ibi manebat non erat, vt comederet aliquando de cadauere illo, cum nondum læsisset asinum nec cadauer, sed quod ibi manebat iussu Dei, vt custos cadaueris, ne laceraretur à bestijs, D aut volucribus, ideo credidit, quòd cum aliquis iret ad accipiendum illud vt sepeliret leo, non noceret ei, sed permitteret accipere cadauer Deo inclinante illũ ad hoc, & sic ausus est ire illuc propheta iste, quanquam ipse nõ esset bonus vir, & cum accessit circa cadauer reperit ibi leonem, & asinum, vt patet in litera, & tamen nõ propter hoc timuit, nec recessit, sed accessit, & tulit cadauer. Credendum autẽ, quòd antequam accederet iste propheta ad locũ cadaueris per aliquantum spacium, leo quasi sentiens istum venire ad tollendũ cadauer recesserit, locum dans, vt non timeret propheta accedere. Istud autẽ satis verisimile est, quia sicut omnia alia egit leo instinctu Dei, vt supra probatũ est, ita & nunc instinctu Dei moueretur ad recedendum, quia iam officium suum nõ erat necessarium, nec opportunum circa cadauer. Si tamen expediuisset leonẽ ad aliquid manere ibi, veniente propheta, mansisset, & humiliatus fuisset in terrã iussu Dei, ne propheta timeret, & tamen non erat necessariũ officium suum. Sic patet de leone illo, qui venit ad adiuuandũ abbatem Zosimam ad sepeliendum corpus Mariæ Ægyptiacę sanctissimę fœminæ in deserto, vbi senex Zosimas solus erat, & non poterat sepulchri locum parare, tum quia grauante senectute ad laborem illũ impotens erat, tum quia nullius instrumenti ad hoc apti erat sibi copia. Parauit ergo Deus sibi leonem in cõsortem, qui humiliter deposita omni feritate apud Zosimam veniens sanctissimo cadaueri sepulchri locum vngularum officio fodit, & sic Zosimas, & leo tanquã duo consortes illi religiosissimæ fœminæ pium officium funeris impenderunt, quo expleto recessit leo. Sic etiam sæpe leones Deo iubente feritatẽ deposuerunt, vt patet bis in Daniele posito eis ad vorandum Dan. 7. & 14. Sic etiam patet in vita beati Hieronymi.

An lex Deut. fuerit hic obseruata in isto cadauere.

QVÆSTIO XXXIIII.

VLTERIVS quæretur, an circa istud cadauer obseruata fuerit illa lex, quæ habetur Deut. 21. Pro quo sciendum, quòd quando reperiebatur aliquid cadauer hominis occisi, & non reperiebatur occisor, & egrediebantur iudices Israel, & manente cadauere in loco suo considerabant cui ciuitati cadauer illud esset propinquius loco, & tunc egrediebantur seniores ciuitatis huius tollentes vitulã de armento, quæ non traxisset iugum, nec arasset vnquam, & ducebant eam ad vallem asperam, & saxosam, quę nunquã arata fuisset, nec suscepisset semina, abscindebant caput vitulæ illius, & accedentes sacerdotes cum maioribus ciuitatis illius, quæ propinquior erat veniebant ad interfectum, lauabantq; manus suas super vitulam occisam, dicentes, manus nostræ non F effuderunt sanguinem hunc, nec viderunt oculi nostri, propitius esto Domine populo tuo Israel, quem redemisti, & nõ reputes sanguinem innocentẽ populo tuo. Hoc facto erant liberi omnes de Israel à noxa occisionis illius. Alioquin Deus exigebat ab eis pœnam illius sanguinis effusi, quanquam ipsi non effudissent eum Deut. 21. Dicendum, quòd hic nõ fuit obseruata ista cæremonia: quia ad hoc, quòd obseruaretur, oportebat, quòd maneret cadauer in loco occisionis quousque egrederentur seniores ciuitatis, & lauarent manus super vitulam occisam apud cadauer, vt patet allegato. c. hic tamẽ propheta iste senex mox, vt audiuit iacere cadauer in via, iuit, & asportauit illud, ideo non factæ sunt cæremoniæ circa illud. Sed aliquis fortè dicet, quòd antequam iste propheta duceret cadauer, factæ sunt cæremoniæ, licet hic non exprimantur. Dicendum, quòd non stat, quia quando iuit iste propheta pro cadauere inuenit leonem, & asinum apud cadauer: ergo videtur, quòd nullus adhuc accesserat ad cadauer, quia leo non permisisset eum accedere, & tamen ad explendum istas cæremonias necesse erat, quòd accederent seniores ad cadauer, & lauarent manus suas iuxta illud Deut. 21. ergo nondum iuerant illuc. Dicendum etiam, quòd non obligabantur Israelitæ facere has cæremonias circa istud cadauer, quia istæ cæremonię fiebant, quando ignorabatur occisor Deut. 21. sed hic cognitum erat, quòd leo occiderat illum virum Dei, ideo non oportebat nec debebant, fieri

A

cæremoniæ circa eum. Item ratio iſtarum cæremoniarum erat, quia quando aliquis erat occiſus, & neſciebatur occiſor, videbatur hoc accidiſſe ex negligentia iudicum terræ illius, qui non purgabant prouinciam malis hominibus, & quia illa ciuitas, quæ propinquior erat, videbatur habere maiorem culpam ſeniores eius egrediebantur & faciebant cęremonias iſtas, quaſi facerent ſacrificium pro peccato, vt remitteretur eis peccatum negligentiæ ſuæ circa occiſionem illius, & quia hoc non accideret iſta mors propter negligentiã Iſraelitarũ, cum conſtaret occiſum fuiſſe virũ iſtum præcepto Dei à leone, non oportuit fieri iſtas cæremonias. *Tulit ergo propheta cadauer viri Dei.* Scilicet, accepit illud de via. *Et poſuit illum ſuper aſinum.* Non ibat iſte propheta ſolus, ſed ipſe, & filij ſui, quia cum ipſe eſſet ſenex non poſſet conuenienter imponere cadauer ſuper aſinum, & ducere illud in ciuitatem, ſed iuerunt filij ſui qui erant iuuenes cum eo. *Et reuerſus intulit in ciuitatẽ prophetæ ſenis.* Scilicet, ipſemet propheta duxit cadauer in ciuitatem ſuam. *Vt plangerent eum.* Ad ſepeliendum non oportebat, quòd duceretur ad ciuitatem, quia ſepulchra nõ erant intra ciuitatem, ſed extra, vt tamen fieret ſolennitas funeris in plangendo, ductum eſt cadauer in ciuitatem, quia ibi fiebant iſtæ ſolemnitates, & poſtea expletis eis, duxit cadauer extra vrbem ad ſepeliendum in ſepulchro ſuo.

B

An licuerit ducere cadauer ad ſepeliendum in ſepulchro ſuo in Bethel.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR, an licuit iſti prophetæ ſeni ducere cadauer viri Dei ad ſepeliendum in ſepulchro ſuo in Bethel. Aliquis dicet, quòd non quia apud Iudæos quaſi lex erat ſepeliri quemlibet in ſepulchris maiorũ ſuorum, ſic enim conſuetum fuerat ex tempore Abrahæ, qui ſepultus fuit cum filijs, & nepotibus ſuis, & vxore, ſua, & filiorum ſuorũ in eodem ſepulchro Geneſ. 49. ideo debebat ſepeliri iſte in terra ſua, & nõ in ſepulcro ſenis in Bethel. Reſpondendum quod nõ peccauit iſte propheta ſenex ſepeliendo cadauer viri Dei in Bethel, ſed potius exhibuit humanitatẽ, quia ille vir mortuus eſt in terra aliena, & quaſi hoſtili, & nullus vellet ſepelire eum, ſed maneret ibi lacerandus beſtijs, & auibus, etiam nullus vellet ducere illum in terram ſuam, ideo iſte non peccauit exhibendo pietatem, quã potuit. Item Deus dixerat de iſto viro, quòd non inferretur cadauer ſuum in ſepulchrum patrum ſuorum, ſupra in litera, ideo intellexit, quòd voluntas Dei erat ſepeliri ipſum in terra illa. Ad rationem in contrarium dicendũ, quòd conſuetudo erat apud Iudæos antiquata, & quaſi pro lege, quòd ſepeliretur quilibet in ſepulchris maiorũ ſuorum, ſi tamen moriebatur aliquis extra terram ſuam, non oportebat, quòd duceretur in illam ad ſepeliendum, ſed poterat ſepeliri vbicunque moreretur, potiſſimè, quando nullus erat in loco illo, ad quem defunctus attineret, & qui teneretur pro eo aliquid facere, quia tunc extranei ſatis pietatis impendebant ſibi ſi facerent ei officium funeris vbicunque hoc eſſet, & ita erat in iſto viro Dei, qui alienigena erat, & nullus erat cum eo de terra.

C

An propheta ſenex peccaſſet ducendo cadauer in terram ſuam.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR vlterius ſi iſte propheta ſenex vellet ducere cadauer viri Dei in terrã ſuam exhibendo ei hanc humanitatem, an peccaret. Aliquis dicet, quòd non, quia faciendo bonum opus nemo demeretur, ſed ducere cadauer iſtud in ſepulchra maiorum ſuorum erat pietatis quoddam opus, ideo nõ demerebatur propheta faciendo illud. In contrarium dicet aliquis, quòd demerebatur, quia agebat contra voluntatẽ Dei, nam Deus dixerat, quòd non inferretur cadauer ſuum in ſepulchrum patrũ ſuorum. Reſpondendum videtur, quibuſdã ꝙ non peccaret propheta, quia illud verbum Dei non fuit mandatum, ſed prophetia de futuro, prophetia autem neminem obligat, cum non pronuncietur per modum obligandi, ſcil. imperando, ſed indicando, ſed ſi iſta prophetia nõ fuiſſet contra virum Dei, licuiſſet cadauer eius duci in terram ſuam, ergo etiam nunc liceret. talem modum arguendi ſæpe poſuimus, ſupra 11. & præced. c. & etiam hic. Dicendum, quòd hoc non obſtante nõ licebat huic prophetæ ducere cadauer in terrã ſuam, quia agebat contra voluntatem Dei. Cum autem dicebatur ſæpe ſupra, quòd licebat facere contra voluntatem Dei, dum tamen non faceremus contra mandatum eius. Dicendum, quòd hoc intelligitur, quando id quod Deus vult eſt nobis, vel alicui alteri valde pænale, quia cum teneamur compati cuilibet, poſſumus conari agere contra voluntatẽ Dei, vbi tamen agendo ſecundum voluntatẽ Dei non præiudicatur alicui, etiam ſi non ſit mandatũ Dei ſuper hoc, peccatũ eſt agere contra voluntatẽ Dei, ſiue illa ſit voluntas certæ ſententiæ, vel ſolum ſecundũ merita noſtra. Ita igitur, ꝙ ſi Deus velit, quòd ego moriar, vel aliquis alius, ſi hoc non iubet non teneor velle illud, ſed licet mihi facere quantum potuero ad euitandum id quod Deus contra me, vel cõtra alium prædixit. Hic tamen, quòd ſepeliretur vir Dei extra terram ſuam non præiudicabat ei, nec alicui alteri, ideo cognita voluntate Dei de non ſepeliendo illum in terra ſua, ſi iſte propheta vellet illuc cadauer eius ducere, peccaret. Item ſciendũ, quòd quandocunq; aliquid prænunciatum eſt à Deo contra aliquem, & non apparet an dictum ſit ſecundum firmam Dei ſententiam, vel ſecundum merita illius, contra quem prænunciatur, licitum eſt conari in contrarium, & etiam vtile, quia per actus noſtros orando Deum, & adhibendo alias cautelas poteſt euitari malũ, quòd prænunciatũ eſt, & verè euitabitur, ſi ad hoc conemur, Si autem negligamus, incidemus in malum, quòd prænunciatum eſt. Si verò ſciamus prænunciatum eſſe contra nos ſecundum firmam Dei ſententiam, non poteſt euitari pœna illa per quoſcunque actus noſtros, & tunc quamuis ſit licitum contrarium velle, tamen omnino ſuperuacuum & ſtolidum eſt conari ad euitandum, quòd prænunciatum eſt. Iſtud autem quòd prænunciatũ fuerat contra virũ Dei non apparebat à principio an eſſet ſecundũ firmam Dei ſententiam, vel ſecundũ diſpoſitionẽ viri Dei, ideo licebit ei adhibere circa ſe diligentiam, ne impleretur in eo prophetia Dei. Nunc autem cum occiſus fuiſſet illico poſt prænunciationẽ propheticam, apparebat manifeſtè dictam fuiſſe prophetiã illam ſecundũ firmam Dei ſententiam, ideo ſuperuacuum, & ſtultum erat conari in contrariũ. Dicendum igitur, quòd ſi iſte propheta conatur fuiſſet ducere cadauer viri Dei in terram ſuam non potuiſſet, quia Deus percuſſiſſet eum, vel impediuiſſet taliter, quòd illuc non poſſet ire, quia cum eſſet contra voluntatem Dei, impoſſibile erat fieri. Etiam peccaret, quia ſine cauſa aliqua conaretur agere contra voluntatẽ Dei manifeſtam, ſi autem aliquis alius conaretur ducere cadauer viri Dei in terrã ſuam, non peccaret, eo quòd neſciret voluntatẽ Dei ſicut ſciebat ille propheta, & tamen nunquã poſſet ducere cadauer in terrã ſuam, quia impediretur à Deo ſic oporteret illud alibi ſepeliri. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd portare cadauer illud in terram ſuam abſolutè bonum erat, quia tamen erat voluntas Dei cognita ab iſto propheta, quòd non duceretur in terram ſuam, non erat opus bonum ducere illud illuc.

D

E

Non tenemur ſemper idem velle quod Deus vult.

F

An propheta ſenex meruerit ſepeliendo prophetam mortuum.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR vlterius, an propheta iſte meruit ducendo cadauer, & ſepeliendo in ſepulchro ſuo. Reſpondendum, quòd iſte propheta exhibuit opera bona circa cadauer illius viri Dei, ducendo illud de itinere, deinde plangendo ſolenniter in vrbe ſua, poſtea autẽ ſepeliendo illud honorabiliter in ſepulchro ſuo. Et non eſt dubium, quin in iſtis aliquis ſatis mereri poſſit, quia de ſe ſunt opera bona, ſic etiam Tobias de hoc opere præcipuè laudatur, quia ſolicitam agebat curam circa ſepulturam eorum, qui inhumati erant, ſic patet in principio libri ſui, ſcil. c. 1. & 2. De iſto tamen propheta dubium ſatis eſt, an meruerit, quia erat vir malus continuè manens in peccato, ipſe quippe fecit occidi virum Dei fallendo eum, vt tranſgrederetur præceptum Dei, & moreretur, vt patet ſupra, etiam ipſe fauebat regi in idololatria. Item quod magis attinet ad cauſam, ipſe non exhibuit iſtud opus humanitatis cadaueri, quaſi compateretur naturæ, &

ageret propter proximum, sed egit propter vtilitatem suam, vt infra declarabitur in quæstione proxima. Cum tamen aliquis agit quippiam sola vtilitate sua inspecta, quantũcunq; opus sit bonũ non meretur, quia deficit potissima causa merendi. scil. bonus finis mouens, & habitus charitatis impellens, quę duo faciunt actum meritorium. *Et posuit cadauer eius in sepulchro suo.* Id est, in sepulchro, quòd fabricauerat pro se. *Et planxerunt eum heu, heu mi frater.* Ista est, mutatio ordinis, quia prius planxerunt eum, quam sepelirent, & plangentes dicebant Heu, Heu mi frater. Istud principaliter pertinebat ad prophetam, quia ipse vocabat virum Dei fratrem, quia erant ambo prophetæ.

Quare voluerit sepelire virum Dei in suo sepulchro.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRETVR, quare iste propheta sepeliuit virum Dei in sepulchro suo. Aliquis dicet, quòd fecit hoc ad honorandum eum, eo quòd erat propheta Domini, sicut fecit, quòd plangeretur solenniter. Sed dicendum, quòd nõ stat, quia solum fecit iste propheta propter vtilitatem suam, scil. ille vir Dei prænunciauerat, quòd Iosias rex Iuda cremaret super altare Bethel ossa sacerdotũ idolorum, & omnia, quæ essent in Bethel. Iste autem propheta senex cognouit verum esse, quòd prædixerat vir Dei, ideo timuit, quòd ossa sua cremarentur cum ossibus aliorum super altare, & ad hoc fecit, quòd sepeliretur vir Dei in sepulchro suo, vt ossa amborum essent mixta, & propter ossa illius reseruaret Iosias ossa sua. Quòd autem istud intenderet apparet in litera. Nam dixit filijs suis cum mortuus fuero, sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est, profecto enim veniet sermo, quem prædixit contra altare, quòd est in Bethel, & contra omnia phana excelsorum, scilicet, quòd cremabuntur super illa ossa mortuorum, sicut prædixit iste vir Dei. Sciendum autem, quòd licet in eodem sepulchro sepulti fuerint isti duo, scil. propheta senex, & vir Dei, tamen titulus sepulchri non fuit positus pro propheta sene, sed pro viro Dei, & hoc fecit ipse ex industria, quia si titulus sepulchri nomini eius ascriberetur, cremar entur ossa sua, & ossa viri Dei, ideo fecit, vt esset titulus sepulchri ex nomine viri Dei, vt sic propter alium ossa sua manerent incõbusta. Istud patet sequenti lib. c. 23. vbi cum combureret Iosias ossa sepulchrorum, ait ad viros Bethel, quis est titulus iste, quem video? Responderunt ei ciues vrbis illius sepulchrũ est hominis Dei, qui venit de Iuda, & prædixit ista, quæ fecisti, & ait Iosias dimittite eum, nemo moueat ossa eius, & intacta manserunt ossa eius cum ossibus prophetæ, qui venerat de Samaria. Vocatur autem iste propheta senex propheta veniens de Samaria eo, q̃ forte inde venerat ad habitandum in Bethel, & sic iste propheta cautè sepeliuit virum Dei in sepulchro suo, & tamen consecutus est vtilitatem, quam intendebat, scil. quòd non cremarentur ossa sua à Iosia. *Cum mortuus fuero sepelite me in sepulchro, in quo vir Dei sepultus est.* Postquã sepultus est vir Dei dedit propheta senex istam doctrinã filijs suis, vt sepelirent eum in eodẽ sepulchro, forte enim licet propheta iste fecisset sepulchrum illud pro se, quia tamen sepeliuerat ibi virũ Dei, putarent filij sui, quòd nollet ipse ibi sepeliri, & conderent ei sepulchrum nouum, & quia si hoc facerent timebat cremari ossa sua à Iosia iussit sepeliri se in eodẽ sepulchro. *Iuxta ossa eius ponite ossa mea.* Scilicet cum ossibus suis, quia in eodẽ sepulchro vtrumq; cadauer futurum erat, & ossa mixta post resolutionẽ, vt non cognosceretur quæ ossa erant vnius, vel alterius, & sic vtraq; intacta manerent. *Profecto enim veniet sermo, quem prædixit.* Id est, certissimè complebitur prophetia, quam prędixit iste vir Dei. Ista fuit causa propter quam motus fuit iste propheta senex ad sepeliendum virum Dei in sepulchro suo, scilicet, quia sciuit ossa cremanda esse super altare, sicut prædixerat vir Dei, si autem putasset illum falsum locutum fuisse, non curaret sepelire illum in sepulchro suo, immo forte non sepelisset eum in aliquo sepulchro. *In sermone Domini.* Id est, ex parte Dei prędixit ista, ideo ventura sunt. *Contra altare, quòd est in Bethel.* Istud erat quoddam altare magnum excellentius cæteris altaribus, in quo erat Ieroboam ponendo thura, quando iuit ad eum vir Dei, & illud scissum fuit, & effusi fuerunt cineres eius. De hoc patet sequen. lib. cap. 23. scil. & altare illud excelsum destruxit atq; combussit. *Et contra omnia phana excelsorum.* Id est, etiam prædixit vir Dei contra omnia templa idolorum, quæ erant in tota terra decem tribuum, quia in omnibus illis fuerunt cremata ossa mortuorum, & fuerunt altaria destructa seq. lib. c. 23. Vocantur autem phana excelsorum, id est, templa in montibus, nam Israelitæ secundũ consuetudinẽ Gentilium in omnibus locis vmbrosis, & multarũ arborum constituebant altaria, & faciebant ibi sacrificia, & propter vmbras arborum, & opacitatem erant loca conuenientia ad vacandum libidini post sacrificia, & si aliquando non habebant loca arborũ constituebant altaria in locis subterraneis, vbi propter tenebras libidini accommodè vacaretur, vt patet infra 15. & ob hoc habebant lucos, id est, montes multarũ arborum, qui obscuri erant propter multitudinẽ arborum, & ibi erant omnia sacrificia. *Quæ sunt in vrbibus Samariæ.* Id est, contra omnia phana, quæ sunt in tota terra decem tribuum Israel, nam tota illa vocatur Samaria tanquam à capite suo.

Quomodo iste senex sciebat certissimè euenturum, quod prædixerat vir Dei.

QVÆSTIO XXXIX.

QVÆRETVR quomodo iste propheta senex sciebat, quòd certissime euenturũ erat id, quòd dixerat vir Dei. Aliquis dicet, quòd sciebat hoc per reuelationem, scil. quia Deus reuelauerat ei, quòd venturum esset, quòd dixerat vir Dei. Istud non est inconueniens, quia cum iste senex esset propheta, vt patet in litera, satis poterat ei reuelari id, quòd reuelabatur viro Dei, quia sæpe eadem res, & secundum eadem reuelabatur duobus prophetis. Sic patet Num. 14. nam Balaam prædixit multa futura, quæ habentur eodem cap. & Moyses omnia illa descripsit sicut locutus est Balaam, vt patet ibidem, & tamen nunquam Moyses locutus est cum Balaam postquã prædixit illi Balaam, qui erant hostes, & satis patet Num. 12. vsq; ad 25. quòd nunquã Moyses viderit Balaam, sed vt declaratũ est num. 24. Balaam illa dixit spiritu prophetico principaliter, quia ei cõmittebatur, vt reuelaret. Moyses autem sciebat spiritu prophetico ad scribendum illa in memoriam posterorum. Et tamen, quia istud nõ constat, videtur alius modus conuenientior, scil. quòd non acceperit ista spiritu prophetico, ita quòd ista sibi reuelarentur spiritualiter, sicut reuelata fuerant viro Dei, sed cognouit illa indirectè per prophetiam, scil. quia Deus reuelauit isti prophetæ seni, quòd vir Dei non inferretur in sepulchrum patrum suorum, eo quòd inobediẽs fuerat ori Domini, vt patet supra, & sic apparet quod Deus miserat eum ad denunciandum aliquid in Bethel, & tamen vir Dei nihil denunciauit, nisi contra altare de crematione ossium mortuorũ super illud: ergo illud à Deo dictum fuerat, & necesse erat euenire, & per istum modum certificabatur propheta iste, per quẽ non certificabantur alij homines.

Quomodo dictum fuit, quòd euenirent omnia contra vrbes Samariæ cum adhuc Samaria non esset.

QVÆSTIO XL.

QVÆRETVR vlterius, quomodo dictum fuit hic, quòd euenirent omnia, quæ locutus est iste vir contra vrbes Samariæ, nam tempore quo vir Dei locutus est nondum erat condita ciuitas Samariæ, quòd patet, quia aliquanto tempore post cõdita fuit, scil. à rege Amri infra 26. & ille fuit sextus rex incipiendo à Ieroboam, vt colligitur cõputando omnes reges à Ieroboam vsq; ad Amri ab isto loco vsq; infra 17. ca. Aliquis dicet, quòd nondum erat condita ciuitas Samariæ, & tamẽ quando scriptus fuit iste liber per Ieremiam erat iam condita, ideo potuit ille ponere. Sed dicendũ, quòd nõ stat, quia hic dicitur, quòd vir Dei locutus fuerit contra phana Samariæ: ergo non superaddidit istud Ieremias. Aliquis dicet, quòd tempore viri Dei nondum erat ciuitas Samariæ, & tamẽ vir Dei prophetauit de illa. Nam ipsa futura erat caput regni decem tribuũ, & omnes ciuitates Israel vocarentur ciuitates Samariæ, & de altaribus illarum prædixit vir Dei,

quanquam

A quanquam ipsa nondum esset. Sed dicendum, quòd hoc non stat, quia si vir Dei prænunciaret aliquid contra ciuitatem, quæ nondũ erat,& non nominaret illam futurã esse nõ intelligerent Israelitæ, quid prophetaret, prophetia tamen semper dicitur taliter, vt intelligatur ab eis pro quibus, vel contra quos dicitur, quia aliàs esset inutilis,ideo non prædiceret vir Dei aliquid cõtra ciuitatẽ, quæ nondũ erat,cum nõ nominet illã futuram. Item patet efficacius,q̃ iam esset ciuitas, quia seq. lib.c.23. vbi dicitur,q̃ ossa istius prophetæ senis nõ cremata fuerunt propter ossa viri Dei, dicitur q̃ intacta manserunt ossa viri Dei cum ossibus prophetæ, qui venerat de Samaria & vocatur propheta veniens de Samaria iste, qui sepeliuit virũ Dei in sepulchro suo, vt patet ibidẽ, ergo tempore istius prophetæ senis, & viri Dei erat ciuitas Samariæ. Aliquis dicet, q̃ Samaria accipitur dupliciter. Vno modo pro ciuitate Samariæ. Alio modo pro tota terra decem tribuum, primo modo, q̃ nõ esset tempore viri Dei Samaria, sed postea fuerit ædificata per regem Amri, qui fuit sextus à Ieroboam. Secundo modo, q̃ esset Samaria tẽpore viri Dei, quia tunc erat terra decẽ tribuum. Sed dicendũ, quòd non stat ista distinctio. Primò, quia Samaria est propriũ nomen vrbis, & quando accipitur Samaria pro tota terra decem tribuum, non vocantur ibi vrbes Samariæ, nisi quia ciuitas Samariæ erat caput omniũ ciuitatũ decem tribuum, & sic non posset accipi Samaria. Secundo modo quousq; esset ciuitas B Samariæ cõstructa, & sic quocunq; modo accipiatur Samaria, necesse est constructam esse iam ciuitatẽ Samariæ. Item patet hoc efficacius, quia seq. lib.c. 23. dicitur quod iste propheta, qui sepeliuit virum Dei, venit de Samaria, ibi tamen non potest accipi Samaria pro tota terra decẽ tribuũ,quia ille propheta venit ad habitandũ in Bethel, & Bethel erat in terra decem tribuũ cum ibi cõstrueret altaria Ieroboam, ergo necesse est accipi Samariam pro aliqua ciuitate, quæ vocaretur Samaria, quæ existeret tempore viri Dei. Dicendũ igitur, q̃ Samaria ciuitas erat tempore viri Dei, & de illa venit propheta senex ad habitandũ in Bethel, & contra illam, & omnes ciuitates quarũ tũc ipsa caput erat, aut futura erat, prophetauit vir Dei. Cum autem dicitur, q̃ Samaria postea fuit ædificata à rege Amri. Dicendum, quòd non fuit nouiter ædificata, licet ampliata, vel restaurata,de quo declarabitur infra 16.

Ieroboam obstinatio.

Post hæc verba. Hic ponitur quartum huius c. scil. Ieroboã obstinatio, scilicet, quia licet fuerit admonitus à viro Dei, non recessit ab idololatria. Et dicitur. *Post hæc verba.* Id est, postquam occisus fuit vir Dei non est reuersus Ieroboam de via sua pessima, scil. non recessit ab idololatria pessima,quam inceperat, quia mortuus est vir Dei. *Sed è contrario.* Id est,potius deterioratus est, quia cum maiori confidentia colebat post hæc idola quàm prius antequàm vir Dei admoneret eũ. *Fecit de nouissimis Sacerdotes.* Id est non constituit sacerdotes C de tribu Leui, sed de nouissimis populi, id est,infimis dignitate, hos enim cõstituit sacerdotes dans licentiã cuicunque, vt fieret sacerdos, & isti vocantur extremi de populo præcedenti cap. *Quicunq; volebat implebat manum suam,& fiebat sacerdos excelsorum.* Id est, non erat assignata aliqua progenies, de qua essent sacerdotes sicut Deus assignauerat perMoysen sosos filios Aaron Numer.3. & etiam 18. patet etiam istud,quia quando positæ sunt virgę pro omnib⁹ tribubus, vt videretur cui proueniret sacerdotium, floruit virga Aaron, & filijs suis datum est sacerdotium inconcusse. Num. 17. hic autẽ Ieroboam dederat licentiã quibuscunque, vt fierent sacerdotes. Istud autem fuit, vt placeret populo suo,sicut declaratum est præced. cap. solum autem iubebat, quòd implerent manum suam, & sic fiebant sacerdotes.

Implere manum ad accipiendum sacerdotium, quomodo intelligitur.

QVÆSTIO XLI.

QVÆRETVR quid erat implere manum ad accipiendum sacerdotium. Aliqui dicunt, quòd implere manũ erat dare pecuniã in munere, per quã implebatur manus Ieroboam, & sic est sensus, quòd iste vendebat sacerdotia, & erat publice statutũ precium pro sacerdotio, sic multi Sancti exposuerunt. Sed ista expositio non multum cõuenit litere, D quia manus sua non intelligitur hic de manu Ieroboam, sed de manu eius, qui volebat effici sacerdos. Item patet, quia in libro 2. Paral.ponitur de ista impletione manus,& tamẽ non accipitur ibi pro dare pecuniam, sed pro quibusdã cæremonijs, quas faciebant isti,qui volebant effici sacerdotes,sic patet de consecratione Aaron, & filiorũ suorum,quia Exo. 29. & Leu. 8. dicitur, q̃ Moyses initiauit manus Aaron, & filiorum suorum, & ibi dicitur in Hebræo,quòd cõpleuit manus eorum, & ponitur ibi eadem dictio, quæ hic. Ibi tamen vocatur completio manuũ, id est, sanctificatio illarũ per quasdam cæremonias, quas faciebat Moyses, scil. quia tingebat pollices manuũ ipsorũ sanguine effuso de sacrificio, vt patet ibidem. Etiam vocatur initiatio, vel completio manuum, q̃ Aaron, & filij sui acciperent animalia offerenda, & panes, & ducerent coram Moyse, & istud erat initiare eos, ita isti, qui volebant effici sacerdotes tempore Ieroboam portabant in manibus suis aliquid ad offerendũ,& ipsi offerebant illud,& faciebant cæremonias sacrificiorum in illis animalibus, quæ ipsi offerrebant, & per hoc manus eorũ erant cõpletę, id est, consecratæ ad faciendum postea quæcunq; sacrificia. Erat autẽ determinata summa animaliũ, quæ aliquis offerre deberet ad hoc,q̃ efficeretur sacerdos,scil. vnus taurus, & duo boues ad minus, & septem arietes vt patet 2. Paral. 13. quando rex Abias exprobrauit Ieroboam, & populo suo, quòd haberent idola, & sacerdotes sacrilegos,dicens,& feciſtis vobis sacerdotes,sicut omnes populi terrarum quicunq; venerit, & initiauerit manum suam in tauro,& in bobus, & arietibus septem fit sacerdos eorum, qui non sunt dij. E

Quare Ieroboam accepit istum modum constituendi sacerdotes.

QVÆSTIO XLII.

VLTERIVS quæretur, quare Ieroboam accepit istum modum constituendi sacerdotes, scilicet, quòd offerrent animalia supradicta, & efficerentur sacerdotes. Respondendum, quòd motiuum principale ipsius Ieroboam fuit, quia voluit complacere populo dando ei sacerdotium, & ad hoc conatus fuit inuenire modum conuenientem, & istud fuit, quòd quilibet, qui vellet effici sacerdos, offerret animalia supradicta. Motiuum fuit, quia primus sacerdos inter Hebræos fuit Aaron,& ante ipsum nõ erat facta distinctio tribuũ, vel familiarum ad accipiendum sacerdotiũ,consecratiq; sunt in sacerdotes ipse,& filij sui offerendo coram Moyse animalia immolanda cum libamentis suis, ideo etiam apud ipsum poterat fieri sacerdos quicunq; vellet seruata hac cæremonia. Istud motiuũ dicit fuisse eius Iosephus 8. Antiqui. *Et propter hanc causam peccauit domus Ieroboam.* Scilicet, quia fecit altare ad colendum idola, & fecit sacerdotes de popularibus, & dicitur, quòd peccauit domus Ieroboam,quia non solum ipse, sed etiam filij sui, & omnes de familia sua peccauerunt fauendo ei nimis in hoc.*Et euersa est, & deleta de superficie terræ.* Scilicet, quia peccata sua multiplicata sunt nimis,factaq; est domus eius incorrigibilis Deus subuertit illam, & accipitur domus pro cognatione, posteritate. Nam tota posteritas domus Ieroboam deleta est, quia solum regnauit vnus de filijs eius, scilicet Nadab, & iste cum regnasset duobus annis occisus est per insidias à quodam nomine Baasa de tribu Issachar, qui regnauit pro eo infra 15. & sic cessauit regnum de domo Ieroboam regnantibus solũ patre, & filio, & post hoc omnes de domo eius occisi sunt. F

Quomodo Ieroboam conuersus est ad idola post admonitionem viri Dei, & quid induxit eum.

QVÆSTIO XLIII.

QVÆRETVR quomodo Ieroboam conuersus est ad idola post admonitionem viri Dei,quia per illam videbatur reductus ad cessandum, quia aliqualiter placuerat ei vir Dei.

Dicendum quòd Ieroboam videns signa, quæ fecit vir Dei territus est, ideo erat iam facilis ad recedendũ ab idololatria: postquã tamen mortuus est vir Dei redijt ad colendũ idola, sicut prius, scil. mansit in sua intentione confirmata.

A Dicit autem Ioſephus 8. Antiq. quòd ille propheta ſenex, qui erat in Bethel peruertit regem confirmando eum in idololatria oſtendens, quòd illa, quæ fecerat vir Dei, non erant ſigna ſufficientia, & ipſe non miſſus fuerat à Deo. Hoc autem probabat quia in eadem die occiſus fuerat à leone vir Dei: & dicebat iſte propheta ſenex, quòd ideo occiſus fuerat, quia mentitus fuit regi, dicens ſe veniſſe à Deo, cum non miſſus fuit ab eo. Etiam dicebat, quòd ſi ille miſſus fuiſſet à Deo, Deus ſeruaſſet eum à leone, quia tamen nõ fuerat ab eo miſſus, traditus eſt leoni. Cum autem obijciebatur, quòd iſte feciſſet ſignum rumpendo altare, & effundendo cinerem: dicebat propheta ſenex, quòd iſtud factum fuerat pondere ſacrificiorum multorum, quæ erant ſuper illud. Cum autem dicitur de manu regis ſubito arefacta & precibus viri Dei reſtituta. Dicebat propheta ſenex, quòd iſtud naturaliter euenerat, quia rex acceperat in manu multa ſacrificia, & pondere illorum brachium obſtupuit ad modicum tempus: deinde ipſum per ſe reſtitutum eſt, & non precibus viri Dei, & ſic rex iſta friuola perſuaſione admonitus manſit in errore ſuo primo confidenter colens idola. Iſta motiua aliqualiter colliguntur ex litera ſaltem quantũ ad primum, ſcil. quòd propter mortem viri Dei Ieroboam obſtinatus fuerit in malitia ſua, quia dicitur ſupra in litera. Poſt hæc verba non eſt reuerſus Ieroboam de via ſua mala, id eſt, poſtquam ſciuit mortẽ
B viri Dei non eſt reuerſus à peccato, ſcil, quia propter mortẽ ſuam factam eodem die, quo contra Ieroboam locutus fuerat, occiſus eſt. Etiam quia dicitur ibidem, ſed è contrario, id eſt, non ſolum ceſſauit ab idololatria, ſed etiam confidentius poſtea coluit idola quam prius reſtituendo eis cæremonias cultus.

Probationes & reſponſiones ſenis ad confirmandum Ieroboam in idololatria an efficaciam habebant.

Qvæstio XLIIII.

Qværetvr vlterius, an iſtæ probationes, & reſponſiones prophetæ ſenis ad confirmandum Ieroboam in idoſolatria eſſent aliqualiter efficaces, vel ſaltem apparentes.

Reſpondendum quòd nihil habebant efficaciæ, quia falſæ erant: falſum autem licet aliquando poſſit habere apparentiam, habere tamen exiſtentiam eſt impoſſibile,

Dicendum etiã, quòd non habebant aliquam apparentiã, de prima probatione patet, ſcil. quòd ex eo ꝙ vir Dei occiſus fuit à leone, non fuiſſet miſſus à Deo. Nam ipſe probauerat per ſufficientia ſigna ſe miſſum fuiſſe à Deo, vt ſupra declaratum eſt. Quòd autẽ poſtea occideretur à leone poterat eſſe propter aliquid peccatũ, quòd poſtea egiſſet: potiſſimè quia iſte propheta ſenex prænunciauit illi viro Dei propheticè de
C morte ſua, quia non obedierat ori Domini. Ergo non poterat negare iſte propheta ſenex miſſum fuiſſe à Deo virũ illũ. De ſecundo patet ꝙ eſſet friuolũ, ſcil. quòd altare deuideretur pondere ſacrificiorũ, quia altare erat valde magnũ, vt patet ſequen. lib. cap. 23. quomodo ergo erat veriſimile, quòd quædam baſis ampla de lapidibus, vel terra ſcinderetur impoſitis ſupra carnibus, & lignis ad cremandũ, cum vna baſis lapidea teneat vnam magnam domũ ſupra ſe, & non diuidatur. Item quòd maius eſt iam ſacrificia impoſita erant ſuper altare: & rex erat ſuper illud, & nõ apparebat aliquod ſignũ diuiſionis futuræ, & illico vt vir Dei prædixit diuiſionem, ſubſecuta eſt. De tertio friuolum eſt, quòd dicitur: nam rex ponebat thura ſuper altare quando introiuit vir Dei, & mouebat tunc bene manũ, & illico vt extendit eam cõtra virum Dei arefacta eſt, ideo non eſt veriſimile, quòd ex aliquo pondere prẽterito obſtupeſceret. Item rex non poterat ad ſe manum retrahere vllatenus: & dixit viro Dei, quòd oraret pro illo, & illico vt orauit reſtituta eſt: ergo non fuit modo naturali, quia tunc tam obſtupefactio quã reſtitutio eſſent ſecundum quandam ſucceſſionem, ideo iſtæ cauſæ ſunt nimis ridiculæ, ſed Ieroboam, quia deſiderabat nimis colere idola, vt populus non iret in Ieruſalem, & reconciliaretur regi Roboam aſſenſit eis, quia faciliter aſſentit quis ille ſententiæ, quæ ei fauorabilis eſt, quanquam iniuſta ſit.

D

Caput XIV.

In tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam. Dixitque Ieroboam vxori ſuæ; Surge, & commuta habitum, nec cognoſcaris, quòd ſi vxor Ieroboam, & vade in Silo, vbi eſt Ahias propheta, qui locutus eſt mihi, quòd regnaturus eſſem ſuper populum hunc.

Dicto in præcedentibus de Ieroboam increpatione: hic agitur de eius punitione. Fuit autem punitio Roboam dupliciter, ſcilicet, in præſenti & in futuro, in præſenti quidem, quia filius eius mortuus eſt: in futuro autem, quia denunciatur hic euerſio totius domus Ieroboam, continet autem iſtud capitulum duo principaliter. Primo ea quæ pertinent ad Ieroboam. Secundo ea quæ pertinent ad Roboam, ibi. *Porro Roboam.* Prima diuiditur in tres partes, quia primo prædicitur prophetia de ſtatu filij, in quo de eius ſtatu inquiritur: ſecundo durè de eo reſpondetur ibi. *Cum ergo illa.* Tertio filius moritur ibi. *Surrexit itaque.* *De punitione Ieroboam.*

An ordo ſit continuus.

E

Qvæstio I.

Qværetvr circa primum an ea, quæ habentur hic habeant continuatum ordinem ad præcedentia, vel ſit aliqua mutatio ordinis, & an immediatè fuerint iſta facta poſt præcedentia, vel interciderit aliquantum tempus.

Ad primum dicendum, quòd hic eſt ordo continuus: nam ſupra poſitum fuit de principijs malorum, pro quibus Ieroboam increpari meruit: hic autem ponitur quomodo poſt continuationem magnam in malis punitus fuerit, & neceſſe eſt ea, quæ habentur ſupra præcedere ad iſta ſecundũ tempus, quia præcedenti cap. dicitur de prima die, qua Ieroboam cæpit colere idola: nam illud fuit poſtquam vnctus eſt in regem, & mox fabricauit duos vitulos aureos, conuocauitque totum populum ad ſolennitatem dedicationis illorum, & iſtam ſolennitatem celebrauit 15. die menſis octaui, vt patet ſupra 12. ipſa autem die prima ſolennitatis cum rex faceret ſacrificia, & eſſet ſuper altare ponendo thus, acceſſit vir Dei ad loquendum contra eum, vt patet præced. cap. iſta autem, quæ habentur hic fuerunt poſtquam Ieroboam nimis præuaricans in cultu idolorum, fecit etiam nimis peccare populum, vt patet in litera, ideo oportet quòd iſta fuerint poſt illa. Ad ſecundum dicendum, quòd non conſtat quanto tempore fuerit iſtud poſt præcedentia. Et ſatis videtur dicendum, quòd fuerint aliquot anni, ſcilicet, circa finem regni Ieroboam: nam cum factum fuit iſtud erat Ahias propheta valde ſenex, ita quòd præ ſenectute videre non poterat infra in litera: ipſe tamen ambulabat in agro, & erat ſatis potens, quando reuelauit ipſi Ieroboam de regno futuro, & diuiſit pallium ſuum in 12. partes ſupra 11. & tamen non multo tempore poſt illud mortuus eſt Salomon, & aſſecutus fuit regnum decem tribuum Ieroboam. Nunc autem erat ita ſenex ꝙ præ ſenectute videre non poterat, & iacebat in lecto: ergo videtur quòd aliquot anni de regno Ieroboam tranſiuiſſent quando iſtud factũ eſt: id tamen quod habetur præced. cap. fuit in principio primi anni regni Ieroboam, ideo videtur, quòd aliquantum tempus fuerit inter hæc, & illa: & tamen nõ fecit Ieroboam in medio tempore aliquid quod notabile eſſet vacans ſemper idolis, niſi ſolum bellum quod habuit contra Abiam regem Iudæ, in quo perierunt multi de Iſrael, & non conſtat an illud bellum fuerit factum ante mortem iſtius pueri, de quo hic dicitur, vel poſtea. De hoc bello habetur 2. Paral. 13. cap. Poteſt tamen aliquis dicere, ꝙ iſta fuerunt immediatè poſt præcedentia, quia dicitur hic in principio literæ: In tempore iſto ægrotauit Abia & refertur ad præcedentia. Dicendum quòd præceden. cap. ponuntur duo: primum eſt id, quòd factum fuit de viro Dei, ſecundum fuit communicatio praua, quã habuit Ieroboam poſtea toto tempore, quo vixit, ſcilicet, quòd immolabat ſemper idolis,

A idolis, & constituebat in sacerdotes quoscunque de populo, & in hac cõmunicatione peruersa finiuit vitam suam. Cum autem dicitur hic in principio literæ : In tempore illo, non refertur ad primum, scilicet, ad ea, quæ acciderunt de viro Dei, quia illa fuerunt in principio primi anni regni Ieroboã, vt supra dictum est, sed refertur ad secundum, scilicet, ad prauam communicationem, quam habuit tota vita sua Ieroboam, & ista ponitur in fine præceden. cap. cui continuatur principium istius, & dicitur: In tempore illo, scil. dum sic Ieroboam male viueret immolando idolis,& constituendo sacerdotes de populo: accidit, vt ægrotaret filius eius, & tunc verũ est, quia dato quòd in vltimo anno regni Ieroboã mortuus fuisset filius eius: erat verum, quòd in illo tempore accidebat, scilicet,tempore quo Ieroboam erga idola male se habebat. Et dicitur. *In tempore illo.* Scilicet, in tempore, quo vocabat Ieroboam cultui idolorum, non curans de admonitione viri Dei.

Ægrotauit Abia filius Ieroboam. Ex hac ægritudine mortuus est, vt patet in litera. Alius etiam filius erat regis Roboam, qui vocatur Abia, & successit ei in regno, vt patet sequen.ca. *Dixitque Ieroboam vxori suæ.* Locutus est ad eam, nolens, quòd alius iret præter ipsam.

Surge, & commuta habitum ne cognoscaris, quòd sis vxor Ieroboam. Mutatio habitus erat in duobus: primò in vestibus,scilicet, ne referret vestes regias: secundò in familia, ne ferret secum multos viros, & fœminas iuxta consuetudinem reginarum, sed sola iret, & hoc vt non cognosceretur.

B

An volebat Ieroboam vxorem suam non cognosci à propheta, vel à populo.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR à quo volebat Ieroboam vxorem suam non cognosci, & cur volebat eam non agnosci. Respondendum quòd volebat Ieroboam non agnosci vxorem suam tam ab ipso propheta Ahia ad quem cõsulendum ibat, quam à quolibet de populo. Patet hoc,nam volebat non cognosci à propheta, inquantum ipsa non erat itura cum familia magna, sicut regina, nam cum Ahias audiret eam solam venientem, non poterat imaginari quòd esset regina. Etiam voluit eam non agnosci à populo, & quantum ad hoc iussit mutare vestes:nam quantũ ad ipsum prophetã Ahiam, non oportebat quod mutaret vestes, quia ipse erat cæcus, vt patet infra in litera, & non posset videre vestes, sed solum posset iudicare de illa per auditum: si audiret multos venientes cum illa posset concipere, quòd erat regina: mutatio ergo vestium solum fuit, vt non cognosceretur à popularibus,& sic vtrisque maneret in cognita. Volebat autem Ieroboam non cognosci vxorem suam, qui volebat, quòd nullus sciret, quòd ibat ad consulendum Dominum pro filio suo.

C

Quare noluit Ieroboam, quòd vxor sua cognosceretur à propheta Ahia.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR quare voluit non agnosci, quòd iret ad consulendum Dominum, & quid noceret si agnosceretur.

Respondendum, quòd noluit quòd agnosceretur à propheta Ahia propter duo. Primò quia nollet ei respondere, quia cum declinasset à Domino colens idola non merebatur habere responsum à Deo, sed recurreret ad idola sua, vt responderent ei, & adiuuarent eam, & virũ suum in ægritudine filij sui. Sic enim respondit Elisæus propheta Ioram regi Israel, quando quæsiuit ab eo de euentu belli, scilicet, Quid mihi, & tibi? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ sequenti lib. cap. 3. istud autem dixit, quia Ioram & prædecessores sui colebant idola, & habebant prophetas idolorum. sed si Ahias nollet respondere,nescirent respondere prophetæ idolorũ ipsi Ieroboam, ideo voluit quòd non cognosceretur vxor sua ab ipso, & sic responderet. Secundum erat, quia si Ahias cognouisset illam esse vxorem Ieroboam, dato quòd respondere vellet, increparet eam nimis. Et responderet dure propter hoc quòd Ieroboam conuersus erat ad idola, ideo voluit eam esse incognitam, vt sic blande responderet. Sic enim prophetæ consueuerant durè respondere regibus idololatris,& patet de rege Achab infra 22.nam dixit rex Iuda, an esset aliquis propheta Domini, per quem interrogaret, & respondit Achab rex Israel, remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum, sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum, & sic fecit postea cum interrogaretur, vt patet ibidem.

D

De populo autem noluit, quòd aliquis cognosceret vxorem suam ire ad consulendum Dominum propter tria. Primum fuit, quia aliqui scientes hoc præcederent eam, & denunciarent Ahiæ, quòd regina veniebat ad consulendum Dominum per eum, & sic perturbaretur, quod volebat Ieroboam, scilicet, quia Ahias cognosceret eam esse vxorem suam, & sequerentur inconuenientia supra posita. Secundũ erat,quia si agnosceretur,vt regina à popularibus non posset excusare se, quin aliqui comitarentur eam euntẽ ad Ahiam, & tunc præ multitudine familiæ cognosceretur, quòd esset regina. Tertium erat, & principale, quia Ieroboam cauebat concitare populum ad eundum in Ierusalem, ne reconciliarentur regi Roboam, vt dictũ est supra 12. & quia Ieroboam instituerat cultum vitulorum relicto cultu Dei, & habebat prophetas idolorum fauentes ei in idololatria sua, sicut rex Achab habebat quadringentos prophetas Baal infra 22. si autem populus videret, quòd ipse pro statu filij sui mittebat ad consulendum prophetas Domini scandalizaretur videns quòd melior erat cultus Dei, quàm idolorum, & quòd prophetæ Dei sciebant veritates,prophetæ autẽ idolorum mendacium loquebantur, ideo summa diligentia cauit, ne cognosceretur quòd vxor sua ibat ad consulendum Dominum per Ahiam prophetam.Nam ille erat de prophetis Dei, & populus si sciret, desideraret redire ad cultum Dei relictis vitulis, videns quòd ipse rex, qui instituerat eos, videbat eos nihil esse, & sic vellent ire in Ierusalem ad colendum Dominum obseruando cæremonias legis, & tunc sequeretur inconueniens, quod intendebat euitare Ieroboam, scilicet, quòd decem tribus conuerterentur ad Roboam regem Iuda, ideo non fuit sibi securum quòd agnosceretur vxor sua à populo.

E

Quomodo vxor regis poterat esse ignota prophetæ.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR vlterius quomodo poterat ignotum esse prophetæ Domini, quòd illa erat vxor Ieroboam, quia illa volebat consulere eũ super statu filij sui,ideo necesse erat, quòd Ahias cognosceret quis erat ille, de quo quærebatur, & sic oporteret, quòd cognosceret eum esse filiũ Ieroboam ipsam esse matrem suam.

F

Respondendum, quòd si ista mulier se occultauerat nimis, poterat ignota esse ipse Ahiæ, & responderet ei, atque nesciret, cui respondebat, aut super qua persona. Patet hoc quia Deus instruxit Ahiam antequã veniret vxor Ieroboam, dicens, quòd ventura erat ad eum vxor Ieroboam mutato habitu, & responderet ei,sicut habetur infra,si tamen necesse esset,quòd ex modo interrogationis,& responsionis Ahias cognosceret vxorem Ieroboam, quando quæreret ab eo de statu filij non oporteret, quòd Deus præmoneret eum de aduentu vxoris Ieroboam,quia ipse postea cognosceret hoc, dato quòd Deus nunc non diceret: ergo videtur, quòd aliter non posset cognoscere. Item patet hoc per consulationem,quam fecit Achimelech sacerdos pro Dauid: nam consuluit Dominum pro eo, vt patet supra 1. lib. cap. 22. & respondit ei, & tamen nesciuit, quid erat illud super quo Dauid consulebat Dominum, & mentitus est sæpe Dauid ipsi Achimelech dicens, quòd mittebatur à Saule, & quòd pueri præcedebant eum, & multa alia mendacia, de quibus supra 1. lib.cap.21. & tamen Achimelech non putauit aliquod istorum esse mendacium,& etiam Dauid satis putabat quòd poterat mentiri impunè, scilicet,quòd quanquã mentiretur,& consuleret Achimelech Dominũ,pro eo,non posset cognoscere ex respõsione Dei,an mentiebatur,alioquin erubuisset

A Dauid mentiri coram Abimelech. Dicendum autem quòd sacerdotes, vel prophetæ, per quos consulebatur Deus à populariibus, non poterant scire statum ipsorum interrogantium, nec determinatè res ipsas, de quibus interrogabatur: dato quòd acciperent à Deo responsum super interrogatione. Causa huius erat, quia responsio Dei formabatur iuxta tenorem interrogationis, & si esset interrogatio in generali fiebat responsio in generali, & sic non intelligebat ipse propheta, vel sacerdos, per quem fiebat responsio statum rei, de qua quærebatur: vtpote si duo colloquantur sibi per verba nimis vniuersalia indicando suos affectus, & illa verba dicantur per nuncios intermedios, vel interpretes nihil intelligent ipsi nuncij, vel interpretes de re, de qua agitur: licet intelligant significatū verborum. Exemplum patet de modo interrogandi: nam vxor Ieroboam accederet ad Ahiam mutato habitu, & diceret, quære à Domino an filius meus sanabitur de hac ægritudine, & tunc Ahias quæreret: & Deus responderet ei, sanabitur, vel morietur, & sic non cognosceret Ahias, quę mulier erat illa quę inquirebat, vel quis erat ille per super cuius statu quærebatur: ideo, vt cognosceretur, quòd illa erat vxor Ieroboam, & responderetur ei dure, sicut merebatur Ieroboam, Deus reuelauit Ahiæ venturam esse vxorem Ieroboam, vt quando veniret agnosceret eam. Sic etiam fuit de Dauid, pro quo consuluit Dominum Achimelech. Nam Dauid diceret ei consule Dominum an prosperabor in via mea, in qua vado, & Dominus responderet ei: prosperaberis vel non, & sic non intellexit Achimelech, ad quid ibat Dauid, vel vnde veniebat. & quando quæsiuit ab eo in particulari, mentitus est ei Dauid, dicens se missum fuisse à Saule, ad quędam negocia nimis secreta, & quòd pueri præcedebant eum, & erat vtrunque falsum. Istud autem dixit Dauid ad Achimelech antequam consuleret Dominum pro illo, & postquam consuluit non intellexit, an mentitus fuisset sibi prius Dauid, quòd autem proponerentur sic interrogationes in vniuersali ad consulendum Dominum, patet de viris tribus Dan, qui ibant ad inquirendū vrbem, in qua habitarent, & orauerunt Leuitam, vt consuleret pro eis. Iudic. 18. & dicitur: Rogaueruntque eum, vt consuleret Dominū, & scire possent si prospero itinere pergerent, & res haberet effectum, & sic non expresserunt ibi particulariter ad quid ibant, vel super quo consulebant Dominum. Quòd etiam responsio Dei fieret in vniuersali, sicut quæstio patet, quia immediatè respondetur ibi, scilicet, ite in pace Dominus respicit viam vestram, & iter quo pergitis, & sic poterat occultare se vxor Ieroboam, & recipere ab Ahia responsum Domini, ideo voluit Ieroboam, quòd mutaret habitum, vt non agnosceretur.

Quare Ieroboam noluit mittere alium quam vxorem.

C

Qvæstio V.

Qværetvr vlterius, quare Ieroboā nō misit aliquem alium ad consulendum Dominum per Ahiam, & posset ita occultari negocium sicut eunte vxore sua, & ille cognosceret veritatem, & honestius iret quam vxor sua.

Respondendum, quòd Ieroboam noluit, quòd alius iret, nisi vxor sua propter tria. Primo quia non confisus est alicui tantum, sicut vxori suæ: putans quòd forte alij reuelarent Ahiæ se ire ex parte Ieroboam, & tunc sequebantur incōuenientia duo, quæ supra assignata sunt in secunda quæstione huius cap. Secundum erat, quia quemcunque alium mittendo poterat esse scandalum, scilicet, quòd ille videret Ieroboam intelligere cultum vitulorū nihil esse, & prophetas idolorum falsa respondere: ideo mittebat ad prophetam Domini, & ex hoc scandalizaretur ille, qui iret, & forte reuelaret alijs, quòd mittebatur à Ieroboam ad consulendum Ahiam, & scandalizaretur populus, desideraretque redire ad cultum Dei, & ire in Ierusalem ad templum secundum præcepta legis, & sequeretur inconueniens de reconciliatione populi ad Roboam Regem Iudæ. Tertium erat, quia si mitteretur aliquis præter ipsam vxorem Ieroboam non posset formare conuenienter quæstionem, quin cognosceretur ab Ahia quis erat ille, pro quo quærebatur. Nam si iret vxor Ieroboam poterat quærere, an sanabitur filius meus? si autem iret alius quæreret, an sanabitur filius regis, vel filius Ieroboam, vel filius Domini mei, & quocunque modo palliaret non poterat fieri quæstio ita occultè, sicut si quæreret vxor Ieroboam, vel ipse Ieroboam, ideo non debuit mitti alius sed solum vxor sua. D

Quare Ieroboam non iuit ipse ad consulendum Ahiam.

Qvæstio VI.

Qværetvr vlterius, quare non iuit ipse Ieroboam ad consulendum Ahiam. nam ipse poterat quærere, & non cognosceretur si solus iret, & diceret an sanabitur, vel morietur filius meus.

Respondendum quòd non iuit Ieroboam, quia forte recessus eius ad Ahiam magis manifestaretur quam recessus vxoris suæ, eo quòd reges consueuerunt semper præsentiam suam militibus exhibere, & si iret in Silo ad Ahiam cognosceretur recessus. Reginæ autem non tantum apparent populo, ideo satis poterat celari recessus suus. Secundò forte fecit hoc, & principaliter, quia si ipse iret, cognosceretur ab Ahia licet mutaret habitum: nam in voce cognosceretur eo quòd Ahias solitus fuerat loqui sæpe cum Ieroboā, antequā caligarent oculi eius: & nunc retineret speciem vocis eius & cognosceret eum etiā post multa tempora: sicut apparet in cæcis à natura, qui per vocem distinguūt homines, cum quibus aliquando assuefacti sunt loqui, licet per multa tempora eis nō locuti fuerint. Idem etiā fit in eis, qui orbantur lumine postquam aliquando viderunt, & sic nō esset securum Ieroboam ire. Tertium erat, quia ita commodè poterat responderi quærente vxore sua, sicut quęrente ipso: ideo potius voluit iubere vxori, quam quòd ipse iret. B E

Et vade in Silo, vbi est Ahias propheta. Ista est quædam ciuitas, in qua fuerat templum Domini antequam ædificaretur templum Salomonis: & ibi fuit positum tabernaculum Moysi per Iosue & omnes Israelitas, cum cessauerunt à bellis, nec in aliquo loco prius fixum fuerat ad manendum, vt patet Iosue 18. Est autem Silo in tribu Ephraim, in qua tribu habebat ciuitatem habitationis suæ Ieroboam. Nam habitabat tunc in Thersa, vt patet infra in litera. Est autem Silo coniuncta vrbi Sichem, & apud vrbem Bethel, vt patet iudicum vltimo. ibi autem habitabat Ahias propheta.

Quare misit Ieroboam potius ad Ahiam, quàm ad alium prophetam.

Qvæstio VII.

Qværetvr quare misit potius Ieroboam ad consulendum Ahiam, quam aliquem alium prophetam. F

Respondendum, quòd hoc potuit esse propter duo. Primum fuit, quia voluit Ieroboam consulere Dominum per prophetam Dei. Nam prophetæ idolorum falsa loquebantur, & quia forte de prophetis Domini nullus manserat in terra Israel præter Ahiam, quia cæteri fugerant ad regnum Iuda cum sacerdotibus, & Leuitis, postquā cæpit Ieroboam colere idola faciens vitulos.

Secundum fuit, quia Ahias prænunciauerat bonum ipsi Ieroboam. Nam prædixit ei, quòd regnaturus esset super decem tribus, ideo putabat, quòd etiam nunc ei bona prænunciaret.

Tertium potest addi, scilicet, quòd Ieroboam volebat quærere ab illo propheta, de quo certior esset, quòd verum ei diceret, Ieroboam non credebat aliquem prophetam esse tam veracem, sicut Ahias Silonites erat: ideo misit ad eum. Veritatem autem eius expertus fuerat Ieroboam, qui ipse prædixerat ei, quòd regnaturus esset super decem tribus, & sic factum est, & ista fuit causa principalis mittendi ad eum, sic patet ex litera sequentia, scilicet. *Qui locutus est mihi, quòd regnaturus essem super populum hunc.* Scilicet, ipse mihi prænunciauit regnum, & sic factum est: ita nunc eueniet quidquid ipse dixerit. *Tolle quoque in manu tua decem panes.* Isti erant ad dandum ipsi Ahiæ postquam prenunciaret quid euenturum esset de puero. *Et vas mellis.* Vtebantur Iudæi melle ad multos cibos ideo tanquam liquorem communiter

necessarium

A *Cruſtula quid* neceſſarium tulit vxor Ieroboam mel ad prophetam. *Et cruſtulam.* Aliqui dicunt, quòd iſta cruſtula erat quædam lamina auri, quam ferebat vxor Ieroboam ad prophetam quaſi in munus reſponſionis. Sed iſtud ridiculum eſt, quia cruſtula eſt panis quidam tenuis valde, & amplus, qui oleo frigitur, & eſt ad delitias ſaporis. ſic patet Exod. 29. cùm dicitur: tolle vitulum de armento, panesque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſit oleo. Iſta vocatur aliquando collyrida, vt patet Leuit. 8. vbi cum ponantur eædem cæremoniæ, & ſacrificia in conſecratione ſacerdotum, quæ poſitæ fuerant Exod. 29. ponitur collyrida, vbi in Exodo ponitur cruſtula. Idem etiã patet Leuit. 7. vbi ponuntur in libamentis ſacrificiorum pacificorum collyridæ, & idem nomen eſt apud Hebræos pro collyrida, & cruſtula. *Et vade ad illum.* Scilicet, vade ſecretè. *Ipſe indicabit tibi, quid euenturum ſit huic puero.* Id eſt, ſine aliquo errore prænũciabit tibi quid de puero futurum ſit, quia ſicut prænunciauit mihi regnum, & nihil defuit de verbis eius, ita hic verum loquetur.

An vxor Ieroboam peccaret ferendo munera Ahiæ pro conſultatione.

QVÆSTIO VIII.

B QVÆRETVR, quare vxor Ieroboam ferebat iſta, quæ dicta ſunt ad Ahiam prophetã, & an peccabat ferendo. Reſpondendum quod conſuetudo erat apud Iſraelitas, quòd quandocunque aliquis iret ad conſulendum Dominum per ſacerdotes, vel prophetas, ferret aliquid ad dandum illis, quia aliàs rubor erat coram eis apparere, ſic patet de Saule, quando iuit ad conſulendum Samuelem ſuper aſinabus patris ſui, quæ perditæ erant. Nam erubeſcebat ire ad eum cum nihil haberet quid daret ei, vt patet ſupra 1. lib. c. 9. Scilicet, dixitq; Saul ad puerum ſuum: ecce ibimus, quid feremus ad virum Dei? panis defecit in ciſtarcijs noſtris, & ſportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quidquam aliud: & tunc dixit puer ad Saulem, ecce inuenta eſt in manu mea quarta pars ſtateris argẽti, demus homini Dei, & tunc dixit Saul optimus eſt ſermo tuus, quaſi dicat, nunc eſt bonum, quia poterimus ire ſine verecundia offerendo ei aliquid, alioquin eſſet rubor. Item patet de Naaman Syro, qui poſtquam ſanatus eſt per Eliſæum prophetam obtulit ei munera ſequen. lib. cap. 5.

Ad ſecundum dicet aliquis, quòd Iſraelitæ peccarent dando munera prophetis, & ſacerdotibus, vt conſulerent Dominus pro illis: quia hic erat ſimonia cum daretur temporale pro ſpirituali.

Reſpondendum, quòd non erat peccatum, nec erat ſimonia aliqua, quia Iſraelitæ non dabant hoc in commutationem quaſi tantũ valeret munus, quod dabant ſicut reſponſio, quã accipiebant. Etiam nõ dabant pro labore cõſulendi ſicut mercenario datur pro labore preciũ, ſiue id q̃ ipſe agit plus valeat quàm precium vel minus, quia ſolum attenditur ad laborem. Etiam non accipiebant prophetæ aliquid ex conuentione, quaſi non prophetarent, niſi tantum eis precium daretur, quia hoc modo ſimonia eſſet, cum nunquam in ſpiritualibus debeat interuenire aliqua pactio, etiam non petebant ſacerdotes, aut prophetæ precium pro illa conſultatione Domini, ſiue multum, ſiue paucum: ſed populus ſponte dabat quod volebat in donum, & ſi nihil daret nihil petebant prophetæ: hoc modo cuicunque recipere licet temporalia cum confert ſpiritualia, ſiue recipiat illa antequam conferat ſpirituale, ſiue poſtquam contulerit: verum eſt tamẽ q̃ ſuſcipere ante collationẽ ſpiritualiũ periculoſius eſt, quia poteſt moueri voluntas ipſius qui conferre debet ad cõferendũ ei cui alias nõ collaturus erat ꝓpter munera quæ dantur q̃a munera habẽt magnã vim immundanti cor: ideo ſtatutũ eſt, q̃ cũ aliquis conferre debet ſpiritualia, vt beneficium, vel ordines ante collationẽ nonſuſcipiat aliqua munera niſi valde parua, de quibus veriſimiliter præſumitur, quòd non poterunt mouere animum conferentis, vt patet extra de ſimonia. c. & ſi quæſtiones. Poſt collationẽ autem magis licitum eſt recipere, dum tamen non interueniat fraus, vel collator habuerit animũ, quòd poſt collationẽ daretur ei aliquid, quia tunc ita eſt ſimonia dare poſt collationem, ſicut antea tam ex parte dantis quam accipientis, aliàs autẽ non eſt iniuſtum, quòd aliquid conferatur. Sic Iſraelitæ dabant aliqua munera non in commutationẽ, non pro mercede, non ex conuentione, non petentibus prophetis, aut ſacerdotibus, ſed mera liberalitate, & inſuper iſta munera erãt parua, ita vt non poſſent mouere animos prophetarũ, ideo non erat ſimonia. Patet hoc, quia Saul ſolũ ferebat quartam partem ſtateris argenti, quæ cõputata ſecundũ tempus illud comparatum ad pecuniã noſtram non accedebat ad preciũ octo morabitinorũ. Iſtud autem nullũ hominem moueret. Iſtud probatũ eſt ſupra 1. lib. cap. 9. ſic etiam vxor Ieroboam, quanquam regina eſſet, paruum munus ferebat prophetæ, ſcilicet, decẽ panes, & vnam cruſtulam, id eſt, panẽ frixum, & vnum vaſculum mellis. D

Quomodo liceat temporalia recipere conferendo ſpiritualia.

C

An prophetæ & ſacerdotes peccarent accipiendo munera, quando prophetabant: & de modis committendi ſimoniam.

QVÆSTIO IX.

VLTERIVS quæretur an peccarent prophetæ, & ſacerdotes ſuſcipiendo iſta munera, quando prophetabant. Aliquis dicet, quòd non, quia populus non peccabat dando eis: ergo ipſi non peccabant ſuſcipiendo. E

Sed dicendum, quòd quidquid ſit iſta ratio non probat, quia aliquando licet alicui dare, & alteri non licet accipere, ſicut licet alicui dare pecuniam ad redimendum vexationem ſuam, ſiue vexetur à iudice, ſiue à parte: dum tamen ipſe nõ dubitet ſe fouere iuſtam cauſam, quia alioquin iniuſtũ eſſet, quia non daretur pecunia tunc ad excuſandã vexationem, vel redimendo ius ſuum, ſed ad emendum ius de nouo: & iſtud eſſet ſimonia in ſpiritualibus: & tamen ipſi aduerſario, vel iudici, à quo aliquis vexatur, non licet accipere munera, vt ceſſet à vexatione, quia tunc eſt peccatum cum iſti accipiant munera ſuper innocentem, & hoc non licet, vt patet Pſalm. 14. Scilicet, & munera ſuper innocentem non accepit. Sic etiam à quocunque homine quis grauetur ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium, licet ei dare pecuniam, & quidquid habuerit, vt non vexetur iniuſtè, quia pellem pro pelle dabit homo, & vniuerſa, quæ poſſidet pro anima ſua, ſcilicet ad conſeruandum vitam, quæ vocatur anima, & tamen omnes iſti accipientes iniuſte accipiunt.

In contrarium autem videtur, quòd non liceat prophetis accipere aliqua munera, vt conſulant Dominum, vel vt faciant opera ſanitatis per virtutem Dei, & apparet hoc de Eliſæo, qui munera ſibi gratis oblata ſuſcipere noluit à Naaman Syro ſequenti libro capitulo quinto. Item patet, quia Deus increpat prophetas per Micheam, cap. 3. dicens principes eius in muneribus iudicabant, & ſacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in precio diuinabant. *Quæſt. 15.* F

Nõ peccabant communiter prophetæ accipiendo munera. Simonia dupliciter cõmittitur & quãdo.

Reſpondendum quòd non peccabant communiter prophetæ ſuſcipientes munera, quando prophetabant, nec cõmittebatur ibi ſimonia, quia ſimonia committitur cum intercidit aliquis modus cõmutationis temporalium pro ſpiritualibus directè, vel indirectè, ſed iſti non accipiebant illa dona in commutationem directè, nec indirectè, ideo non erat ſimonia. Patet hoc quòd ſimonia eſt, cum quis dat ſpirituale pro temporali, quaſi tantum valeat temporale, ſicut ſpirituale, & cadat ſpirituale ſub appreciatione, & tunc non ſolum ſimonia eſt peccatum, ſed etiam eſt hæreſis, quia male ſentit de fide ille, qui iudicat ſpirituale poſſe appreciari, & venire in commutationem: ſic enim peccauit Simon Magus offerens pecuniam, vt daretur ei gratia Spiritus ſancti. vnde Petrus dixit ei: pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri Actuum octauo.

Alio modo committitur ſimonia, & non eſt hæreſis, ſed ſolum ſimonia, vt cum quis putat gratiam Dei non poſſe appreciari pecunia, & tamen ipſe dat pecuniam, vt ſibi detur, & etiam conferens vult accipere pecuniam, vt conferat illam gratiam, quia tunc poterit ipſe conferens velle pecuniam, quaſi pro labore ſuo, & tamẽ iſtud eſt inconueniens quia poteſtas conferendi gratiam Dei ſine labore accipitur,

ideo

A ideo ſine precio danda eſt, & hoc ſiue ſit in docendo id, quòd aliquis conſecutus eſt à ſolo Deo, ſicut in prophetis eſt, ſiue in ſanando egritudines per virtutem à Deo ſuſceptã, & ſic de omnibus ſimilibus. Nam omnia iſta, cum ſine labore noſtro accepta ſint, peccatum eſſet pecuniam pro illis accipere, ſiue pro eorum valore, ſiue pro labore conferentium. Sic patet Matth. 10. Scilicet, Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, dæmones eijcite, gratis accepiſtis, gratis date, id eſt, ſine aliqua pecunia, & labore, vel ſtudio veſtro ſuſcepiſtis poteſtatem curandi infirmitates, & ſuſcitandi mortuos, & faciendi omnia ſimilia, ideo ſine pecunia dabitis. Item ſimonia eſt, ſiquis non pro valore rerum ſpiritualium, nec pro labore in conferendo illas pecuniam petit, ſed quia ipſe cupidus eſt, & non vult dare rem ſpiritualem, niſi conueniatur cum eo de dando certam pecuniam, quia tunc venditio eſt, licet non attendatur ad æqualitatem valoris rei datæ, & ſuſceptæ.

Item ſimonia eſt, ſiquis non conueniens ſuper certa ſumma pro re ſpirituali, petit tamen aliquid ſibi dari relinquendo in arbitrio dantis, quantum velit dare, & tunc ſiue det ſpirituale, etiam non data pecunia, ſiue nolit dare ſine aliquanta pecunia cum petierit, ſi ſibi detur, ſimonia eſt, & in his omnibus caſibus eſt ſimonia realis, & tenetur ipſe ſuſcipiens reſtituere id, quòd ſuſcepit, licet non teneatur reſtituere danti, eo quòd turpiter dedit, & perdidit dominium.

B Eſt autem ſimonia mentalis ſiquis deſideret accipere pecuniam pro ſpirituali quod conferet, & tamen non peccat: ſi poſtea ſibi detur pecunia, vel aliquod munus, & ſuſcipit ſimonia eſt. In hoc tamen differt, quia quidam volunt iſtam ſimoniam eſſe realem, eo quòd aliquid receptum eſt, & ideo quòd teneantur illi ad reſtitutionem. Alij autem volunt iſtam ſolum eſſe mentalem, eo quòd licet aliquid recipiatur, non fuit expreſſa conuentio, vel petitio. Ad ſimoniam tamen realem requiritur realis, & expreſſa pactio, vel petitio, & non ſufficit ſuſcipere cum voluntate recipiendi, ſi nihil horum interuenerit, & iſtud videtur ſentire extrà de ſimonia. cap. mandato, & videtur eſſe æquius: ſi tamen aliquis vult omnino ſatisfacere conſcientiæ pecuniam ſic receptam reſtituat. Alio modo dicitur eſſe ſimonia mentalis ſiquis deſideret accipere aliquid pro re ſpirituali, quam cõfert, & det cum hac intentione, vt aliquid accipiat non conueniendo, nec petendo expreſſe, nec per ſigna: ita vt alius intelligat, & tamen nihil ſibi detur: ex illo enim deſiderio ſolo conſtituitur ſimoniacus mentaliter.

Simonia duplex.

Aliqui tamen tenent, quòd iſta nec ſit ſimonia mentalis, nec realis, ſed ſit peccatum aliquod, ſcilicet, iniuſta volitio, & iſtud tenet Bernardus extra de ſimonia. cap. conſuluit. & cap. mandato. Nullo autem iſtorum modorum prophetæ, qui boni erant, ſuſcipiebant munera. Nam non credebant

C tanti valoris eſſe munus, quod accipiebant ſicut reſponſionem Dei, quam dabant: etiam non recipiebant munera illà tanquã pro labore, quia nihil laborabant, aut ſtudebant ad habendum à Deo reſponſum. Etiam non accipiebant munera ex conuentione: nam non conueniebant ſuper certa ſumma cum ipſis petentibus ab eis reſponſum. Etiam nihil petebant indeterminatè, ita vt dicerent date nobis aliquid quantum volueritis, alioquin non prophetabimus, ſed nihil petebant, ideo non erat ibi ſimonia aliqua realis. Etiam non erat ibi ſimonia mentalis, quia non prophetabant cum intentione ſuſcipiendi aliquid, & poſtea quod ſuſciperent illud, ſed ſimpliciter, & abſolutè exercebant officium ſuum, nihil petentes, nec ſperantes. Deinde ſiquis daret eis aliquid gratis ſuſcipiebant illud, ſicut ſi dediſſent munera prophetis nihil quęrendo ab eis. Nam tunc manifeſtum eſſet, quòd non erat aliqua ſimonia, ita ergo ſi prophetæ reciperent aliquid poſtquam prophetabant non habentes intentionem ſuſcipiendi à principio, nec propter munera prophetantes, non peccabant.

Alij autem erant prophetæ mali, qui nolebant prophetare niſi precium ſibi realiter traderetur, aut conueniretur ſuper ſumma, & de hoc intelligitur Michęæ tertio, ſcilicet, Prophetæ eius in pecunia diuinabant: & ſi interdum populus nollet dare iſtis pecuniam, prænunciabant bella, & fames, & multa mala ventura cõtra populum, vt ſic populus timens daret eis aliquid, vt orarent ad Dominum, & auerteretur ira ſua, & ſi darent aliquid rurſus prophetæ illi prænunciabant bona futura populo, ſic patet Micheæ tertio, ſcilicet, Hæc dicit Dominus ſuper prophetas, qui ſeducunt populum meum, qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem, & ſiquis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium, id eſt, denunciant prælium futurum ſuper illum. Alij autem prophetæ erant, qui videntes quoſdam homines promptos ad dandum eis aliquid, laudabant illos ex parte Dei dicentes, quòd erant viri boni quanquam eſſent mali. Et ſi aliqui nollent eis dare quidquam, quanquam eſſent boni dicebant, quòd Deus habebat illos exoſos, & facturus erat mala ſuper eos, & contriſtabant illos, ſic patet Ezechiæ decimotertio, ſcilicet, Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, viuificabant animas eorum: & violabant me ad populum meum propter pugillũ hordei, & fragmentum panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt: mentientes populo meo credenti mendacijs.

D

Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd licebat Eliſæo ſuſcipere munera à Naaman Syro præſtita ſanitate: ita tamen, vt nõ reciperet illa ex cupiditate, vel quòd non habuiſſet à principio intentionem recipiendi: voluit tamen facere opus ſupererogationis nihil recipiendo, & iſtud erat magis meritorium, vt omnino videretur dari donum Dei ſine precio: alias autem licebat recipere: maximè autem cum ille, qui laborat circa ſpiritualia nihil aliud agere poteſt vnde viuat, quia tunc licet ipſe nõ debeat petere tanquam ſibi debitum, tamen ipſi quibus miniſtrat tenentur ei prouidere de temporalibus alioquin peccant, vt ſatis probat Apoſtolus prima ad Corinth. 9. iſtud autem verum eſt, niſi quis ſolum prædicet propter ventrem ſatiandum, & ad quæſtum pecuniarum, quia iſti non prædicant legem, & crucem Chriſti, ſed potius dehonorant eam, & ſunt inimici eius, vt patet ad Philip. 3. ſcilicet, Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis: nunc autem, & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt. Ideo iſtis ſubtrahenda eſt occaſio prædicandi non miniſtrando eis temporalia vt cogantur aliunde iuſtè acquirere.

E

Eliſæus autem licet videret ſibi eſſe licitum ſuſcipere munera Naaman, tamen vt non daret occaſionem prophetis malis petendi munera, quòd illicitum eſt: voluit etiam ab eo, quòd ſibi licitum erat, abſtinere. Sic enim fecit Apoſtolus, qui probat ſibi licitum eſſe immo debitum miniſtrari temporalia ab eis, quibus miniſtrabat ſpiritualia, & tamen dicit ibi, quòd vt non faceret iniuriam Euangelio, ſcilicet, dando occaſionem alijs prædicandi propter quæſtum, nihil accipiebat, aut petebat, ſed manibus ſuis ſe ſuſtentabat, cum

F eſſet peritus in arte ſcenofactoria. Sic enim dicit ipſe Actuũ 20. quòd non fuit moleſtus Epheſijs accipiendo aurum, vel argentum alicuius, ſed ad ea, quæ ſibi neceſſaria erant, & illis, qui ſecum erant manus ſuæ miniſtrauerunt, & iſta fuit ſecunda cauſa, quare non accepit Eliſæus munera à Naaman.

Tertia cauſa potuit eſſe, quia Naaman erat gentilis, & neſciebat mores prophetarum: ſi autem ſuſcepiſſet Eliſæus munera gratis oblata, putaſſet quòd vendebantur pro precio miracula facta à Deo, ideo vt auferretur ei locus cogitandi ſic, noluit ſuſcipere pecuniam. Si autem Naaman fuiſſet Iudæus, fortè ſuſcepiſſet ab illo Eliſæus munera, quia Iudæi iam ſciebant conditionem prophetarum.

Ad ſecundam rationem videtur dicendum, quòd illud dictum Michææ intelligitur de illis prophetis, qui nolebant prophetare, niſi facta conuentione ſuper precio dando, vel expreſſe petebant certam ſummam ſibi dari. Et hoc ſonat litera dicens, & prophetæ eius in pecunia diuinabant, & ſacerdotes in mercede docebant. Merces autem non vocatur niſi quando fit ex conuentione, & ſecundum appreciationem. Etiam quia dicitur pro pecunia, vel in pecunia diuinabant: & ibi in, vel pro dicit habitudinẽ cauſæ finalis, & ſic ad minus erat ibi ſimonia mentalis: prophetæ tamen boni non ſuſcipiebant aliquid ex pacto, nec petentes, nec habentes intentionem ſuſcipiendi, ideo non peccabant.

Sed

A Sed obijcietur, quòd non liceret prophetæ ſuſcipere munera, etiam ſi gratis offerrentur. Nam Naaman ſponte obtulit munera Eliſæo, & poſtea ſuſcepit illa Giezi, tamen peccauit accipiendo: nam Eliſæus maledixit ei, & venit lepra ſuper eum, & poſteros ſuos ſequenti lib. cap. 5.

Dicendum quòd Giezi non ſuſcepit ſponte munera, ſed petiuit: nam Naaman voluit dare munera Eliſæo, & ipſe nõ acceptauit: deinde cum receſſiſſet Naaman ſecutus eſt eum Giezi, & petiuit veſtes, & talenta argenti, & ſuſcepit, eo. cap. & ſic peccauit Giezi quia petiuit, & etiam quia mentitus eſt imponens Eliſæo, quod ipſe petiuiſſet. *Fecit vt dixerat vxor Ieroboam.* Scilicet, parauit ſe ad eundum in Silo ſicut dixerat Ieroboam. *Et conſurgens abijt in Silo.* Ibi enim habitabat Ahias, & hoc vocatur Ahias Silonites, id eſt, de vrbe Silo ſupra 11. & 12. *Et venit in domum Ahiæ.* Scilicet, mutato habitu, vt non cognoſceretur. *At ille videre non poterat.* Scilicet quanquam introiret vxor Ieroboam in qualicunque habitu ad Ahiam non agnoſceret eam, quia videre non poterat, ideo ad hoc, quòd cognoſceret eam oportebat, quòd à Deo ſibi reuelaretur, & ſic factum eſt. *Quia oculi eius caligabant præ ſenectute.* Scilicet, non euenerat iſta cæcitas Ahiæ à natiuitate nec etiam à caſu fuiſſet excæcatus, ſed præ ſenectute defecerat in eo virtus videndi, quia ingroſſantur humores, & debilitatur virtus in pupilla. Sic enim dicitur de Iſaac, quòd ſenuit Iſaac, & caligauerunt oculi eius. Gen. 27.

B *Dixit autem Dominus ad Ahiam: ecce vxor Ieroboam ingreditur.* Præmonuit enim Deus Ahiam, vt cognoſceret eſſe vxorem Ieroboam, eam, quæ veniebat.

Quare Deus voluit reuelare Ahiæ, quòd illa eſſet vxor Ieroboam, qua venerat ad conſulendum eum.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR ad quid oportuit, quòd Deus præmoneret Ahiam de aduentu vxoris Ieroboam, quia ſiue ſciret eam eſſe, quæ veniebat, ſiue putaret eſſe aliam eodem modo reſponſurus erat. quod patet quia propheta non erat locuturus de corde ſuo, ſed id quod Deus ſibi iuberet ſecunda Petri cap. 2. ſcilicet, non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu Sancto dictante locuti ſunt ſancti Dei homines. Sed ipſa diſpoſitio Dei, & ſententia de ſalute, vel morte filij Ieroboam non mutaretur propter hoc, quòd Ahias ſciret, vel ignoraret illam eſſe vxorem Ieroboam: ergo nihil differebat in reſponſione agnoſcere, vel agnoſcere eam.

Reſpondendum, quòd multum differebat, quia ſi Deus non reuelaſſet Ahiæ illam eſſe vxorem Ieroboam ipſe neſciret, & illa peteret an filius ſuus viueret, vel moreretur, &

C Deus reſpõderet quòd moreretur, & neſciret Ahias aliquid aliud. Nunc autem Deus volebat reſponſionem duriorem eſſe: nam ſi reſponderet Ahias, quòd moriturus erat puer, & nihil aliud diceret: non putaretur, quòd iſtud eueniebat propter ſpeciale peccatum Ieroboam, ſed quòd moriebatur naturaliter, ſicut alias moriturus erat, etiam ſi non peccaſſet Ieroboam, & tunc haberet occaſionem Ieroboam manendi in peccatis ſuis, quaſi non inferretur ei aliquod malum pro peccato. Deus ergo oſtendit Ahiæ, quòd illa erat vxor Ieroboam, vt antequam illa aliquid diceret, loqueretur Ahias ex parte Dei, & tunc prædiceret non ſolum puerum moriturũ, ſed etiam totam domum Ieroboam ſubuertendam, & quòd nullus de domo Ieroboam ſepeliretur, præter iſtum puerum, ſed omnes lacerarentur à canibus, aut comederentur à volucribus, & quòd non ſolùm Ieroboam, & domus ſua punirentur, ſed etiam totus Iſrael puniretur propter Ieroboam vt patet infra in litera. Audiens autem iſta Ieroboam contriſtaretur nimis, & ſic puniretur, quòd non fieret, ſi vxor ſua non agnita fuiſſet à propheta, ideo Deus voluit reuelare Ahiæ, quòd veniebat vxor Ieroboam ad conſulendum eum, & tunc ipſe cognouit eam venientem, quam aliter non potuiſſet agnoſcere, eo quòd cæcus erat. *Vt conſulat ſuper filio ſuo qui ægrotat.* Scilicet, vt conſultat te, an ſanabitur vel morietur. *Hæc, & hæc loqueris ei.* Loqueris iſta, quæ ſequuntur. Deus enim Dedit ſibi verba, quæ deberet reſpondere tam ad quæſtionem vxoris Ieroboam, quàm ad ipſa, quæ non quærebat. *Cum ergo.* Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, durè ſuper filio reſpondetur, & dicitur. *Cùm ergo illa intraret, & diſſimularet ſe eſſe quæ erat.* Id eſt, diſſimulauit ſe eſſe vxorem Ieroboam, quia ſi veniſſet, vt vxor illius, veniſſet cum magna familia, vel ſaltem dixiſſet ſe eſſe vxorem Ieroboam: nunc autem mutauerat habitum, & diſſimulauerat ſe eſſe reginã habens intentionem nõ dicendi ſe eſſe vxorem Ieroboam. *Audiuit Ahias ſonitum pedum eius introeuntis per oſtium.* Non enim vidit illam, quia caligauerant oculi eius præ ſenectute, vt patet ſupra, ſed ſolum audiebat ſonitum pedum. *Et ait ingredere vxor Ieroboam.* Hoc dixit, vt videret ipſa quòd Ahias ſciebat, quòd veniebat, & ad quid veniebat. *Quare aliam eſſe te ſimulas?* Quaſi dicat, dato quòd ſimules te eſſe aliam, non eris ignota mihi, quia Deo nihil ignotum eſſe poteſt. D

Quare ſic confidenter locutus eſt Ahias.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR quomodo Ahias confidenter dixit ei: ingredere vxor Ieroboam, quia quanquam Deus dixerat ei, quòd veniebat vxor Ieroboam poterat eſſe quòd alia introiret antequam veniret illa, & ſic erraret Ahias. Reſpondendum quòd non ſolum cognouit Ahias, quòd veniret ad eum vxor Ieroboam, ſed etiam cognouit quòd erat illa, quæ tunc introibat, hoc poterat eſſe dupliciter. Vno modo quòd Deus non ſolum dixiſſet Ahiæ, quòd vxor Ieroboam ad eum ventura eſſet, ſed etiam quòd prima, quæ ad eum veniret eſſe vxor Ieroboam, & tunc audiens ſonitum pedum eius cognouit, quòd eſſet vxor Ieroboam. Secundo modo fieret, quòd Deus denunciaſſet Ahiæ, q̃ ventura eſſet vxor Ieroboam ad eum, & tamen tunc non diceret quando ventura erat. poſtea autem cum veniret apud portã Deus reuelauit Ahiæ, quòd illa erat. De iſto patet exemplũ in Samuele ad quem cum venturus eſſet Saul quæſiturus pro aſinabus Deus dixerat hac ipſa hora, quæ nunc eſt cras mittam ad te virum de terra Beniamin, & vnges eum in ducem ſuper populum meum. Deinde ſequenti die eadem hora cum veniret Saul, dixit Dominus ad Samuelem: ecce vir quem dixeram tibi ſupra 1. libro, cap. 9. Hic autem melius poteſt accipi modus primus, ſcilicet, quòd Deus diceret iſta Ahiæ quando ingrediebatur vxor Ieroboam, & quòd diceret, quòd illa, quæ tunc ingrediebatur erat vxor eius. Nam dicitur ſupra, quòd dixit Dominus ad Ahiam: ecce vxor Ieroboam ingreditur, vt conſulat te, quaſi dicat, iſta quæ nunc ingreditur eſt vxor Ieroboam, & ſic quando Ahias diceret ingredere vxor Ieroboam, non poterat errare. E

Ego autem miſſus ſum ad te durus nuncius. Id eſt, Deus miſit me ad nunciandum tibi dura de morte filij tui, & de euerſione totius domus tuæ propter peccatum viri tui. F

Vade & dic Ieroboam hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Id eſt, nuncia tu ei loco mei iſta, quæ ſequuntur.

Quare reſpondit Ahias vxori Ieroboam antequam quidquam quæreret.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR quare Ahias reſpondit vxori Ieroboam antequam ipſa quidquam quæreret, nec permiſit eam quidquam ante, vel poſtea quærere.

Reſpondendum, quòd iſtud fuit propter multa. Primum eſt ad oſtendendum ipſi vxori Ieroboam quod Ahias ſciebat id, quòd ipſa petere volebat, antequam peteret.

Secundum erat ad probandum certitudinem eorum, quæ dicebat, quia nunc Ahias reſpondit ad id quod mulier illa gerebat in corde ſuo, & nondum expreſſerat: ſicut ergo de iſto occulto iudicabat ſine errore, ita concludebatur, quòd non erraret in eo, quòd prænunciabat venturum domui Ieroboam. Si tamen non prædixiſſet reſponſionem, antequam quæreretur ab eo de dubio: adhuc neſciret vxor Ieroboam an Ahias à Deo habebat reſponſionem illam, vel fingebat eam de corde ſuo. Iſto modo probare volebat Nabuchodonoſor veritatẽ reſponſionis, & interpretationis ſomniorum ſuorum, quæ fieret ab ariolis, & magis, & Chaldæis,

A

scilicet, quòd ipsi dicerent somnium quod rex oblitus fuerat, vt patet Daniel 2. scilicet, si ergo somnium non indicaueritis mihi vna est de vobis sententia, quòd interpretationem quoq; fallacem composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciam quòd interpretationem quoque eius veram loquamini. Et istud erat signum præmissum ad probandum veritatē prophetiæ, sicut Deus dicebat de alijs prophetis, quòd præmitteret signa ad probandum veritatem prophetiarum suarum. Deuteronom. 18. reuelare autem alicui id, quod in corde habet sine aliquo errore solius Dei est. Qui ergo sic reuelauerit, satis patet quòd ad reuelata bene possit respondere.

Tertium erat ad ostendendum iram Dei cōtra Ieroboam, & domum suam, scilicet, quòd Deus non dignaretur per prophetam suum audire eius consultationem propter peccata sua, sed antequam quidquam proponeret, responderetur ei durè tanquam istud non esset per modum responsionis, sed per modum prænunciationis, & sic dixit ipse Ahias, sicut ego missus sum ad te durus nuncius, quasi dicat, non respondeo ad quæstionem tuam, sed mittebar à Deo ad denunciandum tibi ista dura, quæ nunc dico.

Quartum erat, vt agnoscatur sic maior ira, & magis determinata Dei, quàm alias: nam si cum incæpisset vxor Ieroboam cōsultare Ahiam, ipse responderet durè ex parte Dei, non appareret tanta ira eius, sicut si loqueretur antequam quidquam vxor Ieroboam diceret. Et hoc propter duo: primò quia illi, qui sunt valde irati non possunt sustinere saltē ad modicum tempus iram intra se, sed effundunt eam per verba durissima, vel per punitionem. Quanto autem ira maior est, tanto minus occultari potest: nam acrocholi qui sunt in prima specie iracundorum notissimi sunt, id est, apparentes illico in verbis atrocibus, vt patet 4. Ethic. cap. de mansuetudine. Qui autem sustinere potest loquentē eum, quem odit non nimis iratus est ei, sed qui nimis est iracundus illico, vt hostem viderit acerrima verba effundit in eum ad vindictā. Secundum est, quia si Ahias audiuisset verba vxoris Ieroboam, & postea responderet ei durè ex parte Dei, videretur, quòd tunc Deus incæperat irasci per accidens, sicut aliqui homines prius non erant irati, & cum audiunt loquentes eos, quos oderunt, irascuntur per accidens. Ista autem ira non est tanta, sicut illa, quæ præmeditata est non insurgens propter verba, sed prius existens ex abundantia cordis. Ita igitur vt videret vxor Ieroboam, quòd Deus non irascebatur nunc nouiter, auditis verbis vxoris eius, sed prius incanduerat furor eius in eum: non expectauit responsionem, sed præoccupauit respondere.

Quintum & vltimum fuit, quia responsio debetur quæstioni: est autem proprie respōsio quòd quis loquitur ad interrogantem alias non locuturus, nisi interrogans quæreret, & quia Ahias locuturus erat mala ex parte Dei contra domū Ieroboam, etiam si vxor sua nihil peteret, non erat propriè responsio id, quòd nunc Ahias locuturus erat, & cōsequenter non oportebat, quòd expectaret aliquid quæri ab eo, sed antequam quæreretur debebat loqui, vt appareret, quòd nō erat responsio.

B

C

Quia exaltaui te de medio populi. Scilicet, prius eras persona priuata, & vnus de popularibus: ego autem exaltaui te, vt esses dominus omnium illorum, quorum prius æqualis non eras. Solent autem vocari homines de media plebe homines non habentes aliquam nobilitatem generis, sed nati ab hominibus nullius momenti aut status.

Et dedi te ducem super populum meum Israel. Id est, feci te regem super decem tribus Israel. Accipitur enim multoties dux pro rege. Sic patet de Saule supra primo lib. cap. 9. scilicet, Vnges eum in ducem super populum meum Israel, & tamen Saul rex fuit. Sic etiam supra 11. dicitur, quòd Deus relinqueret Roboam ducem, & tamen intelligebatur pro rege, quia Roboam rex fuit.

Et scidit Dominus regnum domus Dauid, & dedit illud tibi. Quasi dicat, multum fuisti ingratus, quia Deus diligebat nimis Dauid, & tamen scidit regnum posteritatis eius, & dedit tibi maximam partem illius, & tu debueras esse valde gratus Deo propter hoc, cum tanta tibi collata essent, sed recessisti ab eo.

Et non fuisti sicut seruus meus Dauid. Istud potest intelligi dupliciter. Vno modo referendo ad meritum, scilicet, ego abstuli domui Dauid fere totum regnum, & dedi tibi, ideo tu debebas esse sicut seruus meus Dauid, quia sicut ille promeruit regnum probitate sua, ita & tu debueras esse æqualiter bonus, cum auferrem illi, & darem tibi. Aliter potest induci, vt ponatur tanquam causa auferendi regnū Ieroboam, scilicet, quia Deus dixerat Ieroboam per Ahiam ante collationem regni, quòd sequeretur eum, sicut Dauid & fieret regnum suum perpetuum supra 11. Nunc autem ipse non secutus fuerat Deum, vt Dauid, ideo dignum erat auferri sibi regnum.

D

Qui custodiuit mandata mea in toto corde suo. Id est, ex totis viribus suis, & cogitatione custodiuit mandata mea, scilicet, quòd nihil propter negligentiam suam transgressus fuit vnquam de mandatis meis, sed tota cogitatio sua erat, qualiter placeret mihi.

Faciens quod beneplacitum erat in conspectu meo. Id est, Dauid non respiciebat, quid placeret ei ad hoc quòd faceret, sed quid placeret mihi, & illud faciebat. Qui autem attendit vt faciat id, quod desiderat, vir incontinens est & vilissimus: ideo enim Salomon reputatus est vilissimus, quia non prohibuit aliquid cordi suo, vt patet Ecclesiastes 2. & omnia, quæ desiderauerunt oculi mei non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur: sic autem Ieroboam secutus est voluntatem suam & non Dei, fabricando idola.

Sed operatus es male super omnes, qui fuerunt ante te. Id est, non solum fuisti malus, sed etiam fuisti peior omnibus, qui fuerunt ante te. Istud potest intelligi de omnibus tam de regibus, quàm de cæteris hominibus, sed magis intelligitur de regibus.

E

An Ieroboam fuit peior omnibus Regibus, qui fuerunt ante ipsum, & eius peccatum maius.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR quomodo est verum, quòd fuit Ieroboam peior omnibus regibus, qui fuerunt ante ipsum, intelligendo de regibus Israel. Dicendum, quòd tres solum præcesserant eum, scilicet, Saul, Dauid, & Salomon. De Saule dicendum, quòd malus fuit intantum, quòd Deus priuauit posteritatem suam regno in sempiternum, quia fecit multa delicta: signanter fuerunt quinque, vel sex, quæ satis declarata sunt in quadam quæstione, supra 1. lib. cap. 28. Sed adhuc malitia Saulis non peruenit ad malitiam Ieroboam, quia maximum peccatum Saulis fuit, quòd non obediuit Deo, quando missus est contra Amalecitas, scilicet, quia nō occidit homines Amalecitas, nec omnia pecora: & istud fuit peccatum, propter quod principaliter fuit ablatum ei regnū, supra 1. libro, cap. 15. Et tamen istud, aut alia peccata eius nō peruenerunt ad malitiam Ieroboam, qui coluit idola. Inobedientia autem Saulis non fuit tantæ culpæ, sicut cultus idolorum: sic patet supra 1. lib. cap. 15. scilicet, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatrię nolle acquiescere: ergo non sunt æqualia non obedire Deo, & colere idola, sed habent aliquam similitudinem. De Dauid autem manifestum est, quòd non fuerit tam malus, vt Ieroboam; quia Dauid quasi non peccauit vnquàm, nisi in homicidio Vriæ, & in adulterio Bethsabe, & in numeratione populi: vnde sequenti cap. dicitur, quòd Dauid nunquam recessit à mandatis Domini cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi. Ista autem peccata, licet in se grauia essent, tamen respectu idololatriæ nihil erant. In omnibus autem alijs Dauid erat vir valde deicola, ita vt in omnibus cogitaret, quomodo placeret Deo, sicut dicitur hic in litera: qui custodiuit mandata mea in toto corde suo. Nulla igitur quasi cōparatio est de peccato Dauid ad peccata Ieroboam, cum sint peccata Ieroboam maiora in immensum.

F

An peccata Ieroboam fuerunt maiora, quàm peccata Salomonis.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR vlterius, an peccata Ieroboam fuerunt maiora quàm peccata Salomonis, & non immerito est

A maior ratio dubitandi de iſto, quàm de alijs duobus regibus præcedentibus in Iſraël, eo quòd Salomon fuit vir valde peccator, vt patet ſupra 11. & Eccleſ. 47. Sciendum tamen, quòd peccata Salomonis fuerunt duplicia: quædam, quæ pertinebant ad idololatriam, alia autem, quæ erant alterius generis. De primis poſtea dicetur. De ſecundis dicendum, quòd peccata Salomonis fuerunt valde grauia. Primò, quia ipſe ſubiecit populum duræ ſeruituti: nam dicitur ſuprà 12. quòd impoſuit iugum grauiſſimum ſuper eos: & ob hoc populus petiuit à Roboam, quòd minueret aliquid de iugo patris ſui duriſſimo. Secundum fuit, quia Salomõ ſuſcepit vxores alienigenas multas, & in hoc agebat cõtra legem, quæ dixerat non accipiendas illas eſſe. Exod. 34. & ſupra 11. Tertiò peccauit, qa copulatus eſt illis ardentiſſimo amore, ita vt faceret quicquid illæ iuberent, ſupra 11. Quartum potuit eſſe quoddam generale peccatum, quod multa ſimul peccata comprehendebat, ſcilicet, quod frueretur omni deſiderio cordis ſui, vt patet Eccleſ. 2. ſcilicet, Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur: & omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, nõ negaui eis. Qui tamen iſtud facit, nullũ genus peccati intactum relinquit: ideo erat Salomon vniuerſaliter peccator. Dicendum autem, quòd his omnibus non æquiparabat malitia Salomonis, malitiam Ieroboam: quia peccata Salomonis vtplurimùm pertinebãt ad carnis laſciuiam, vel ad auaritiam. Carnis autem laſciuia eſt peccatum perſonale, id eſt in quo vnus

B ſolus ſibi nocet, ideo non poteſt eſſe tam magnum peccatum ſicut id, in quo multi offenduntur, ideo auaritia Salomonis, per quam populum ſubijciebat duriſſimo iugo, exigendo tributa immenſa, erat peccatum grauius: quia ipſe peccabat, & lædebat grauiter totum populum, ſed iſtud peccatum valde minus erat peccato Ieroboam: quia Ieroboam offendit totum populum, perdendo animas eorum. Salomon aũt ſolùm grauabat eos, tollendo aliquid de facultatibus, neminem aũt ad colendum idola cogebat, aut inducebat: ideo præceſſit in grauitate peccatum Ieroboam peccata Salomonis.

An peccauit adhuc magis Ieroboam peccato idololatriæ, quàm Salomon.

QVÆSTIO XV.

VLTERIVS quæretur, comparando peccatum idololatriæ Salomonis ad peccatum idololatriæ Ieroboam, quis magis peccauerit? Dicendum adhuc, quòd peccauit magis Ieroboam: nam Salomon victus amore mulierum, aliquando coluit idola. Ieroboam autem non fecit hoc ductus amore alicuius, ſed ad conſeruandum regnum: libido autem eſt principium magis motiuum, cùm faciliùs ſit conterere hanc paſſionem, quàm aliquam aliam, vt ait Ariſtot. 2. Ethic. Etiam, quia iſta paſſio faciliter fallit viros quoſcunque, etiam

C ſapientiſſimos, vt ait Homerus in Iliade: & recitat Ariſtot. 7. Ethic. Sed quanto aliquis à fortiori motiuo impellitur, tanto peccatum minus eſt, vt probat Ariſtot. 7. Ethic. comparando mollitiem ad incontinentiam. Secundò patet hoc, quia Salomon non ſemper colebat idola, ſed aliquando, vt placeret vxoribus ſuis, offerebat thura Dijs earum, & tamen non dimittebat colere Dominum, quantum ad cæremonias exteriores ſaltem, & offerebat ſacrificia Domino, atq; ibat in templum. Nam licet malus eſſet, ſemper tamen offerebat ter in anno ſacrificia Deo, vt patet ſupra 9. ſcilicet, Offerebat quoque Salomon tribus vicibus per annos ſingulos holocauſta, & pacificas victimas ſuper altare, quod ædificauerat Domino, & adolebat thymiama coram Domino. Ieroboam autem ſolùm colebat idola, nunquam ſeruans aliquam cæremoniam legis, nec permittens eam ſeruari in terra ſua. Tertiò fuit peccatum Ieroboam maius, quàm peccatum Salomonis; quia non ſolùm coluit idola, ſed etiam ex magno deſiderio volens oſtendere cultum illorum eſſe valde bonum: intantùm quod ad dandum auctoritatem magnam, & reuerẽtiam ipſi cultui idolorum, ipſe factus eſt ſacerdos faciens per ſe cęremonias: nam ipſe aſcendit ſuper altare, & cremabat thura, ſupra 12. & præcedenti cap. Salomon autem nunquam egit tales enormitates: immò quaſi ex quadam verecundia coluit idola: victus tamen amore fœminarum faciebat iſtud. Quartò fuit peccatum Ieroboam maius: quia conatus eſt in-

D ducere totum populum ad colendum idola: & ob hoc conſtituit templa in terra ſua, in quibus totus populus coleret vitulos aureos, & fecit ſolennitatem 15. die menſis 8. in qua conueniret totus populus ad colendum, & dedicandum vitulos, ſupra 12. Salomon autem ſolus peccauit: neminem autem de populo inducere voluit ad colendum idola, nec etiam fecit templa pro toto populo, ſed ſolùm pro vxorib⁹ ſuis, ſupra 11. Etiam non conſtituit aliquem diem feſtum ad cultum idolorum, vt populus conueniret, ſed ipſe ſolus cum vxoribus ſuis colebat illa idola, ideo minus peccauit. Quintò fuit peccatum Ieroboam maius peccato Salomonis, quia magnitudo peccati, vel boni operis attenditur per hoc, quòd aliquis adhæret illi ex corde ſuo multum, vel parum: ideo maximus cultus quem homo Deo exhibere poteſt, eſt, quòd ex toto ſuo corde diligat eum: vel ex toto corde vigilet ad cuſtodiendum mandata eius. Sic patet in litera, cùm dixit Deus de Dauid: Cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo. Ita ergo quando quis toto deſiderio ſuo adhęret alicui operi nefario, eſt peccatum grauiſſimum, & ſecundùm differentiã maioris, & minoris adhæſionis eſt differentia magnitudinis, & paruitatis peccati, ſed Ieroboam coluit idola valde maiori deſiderio, quàm Salomon: ergo magis peccauit. Patet hoc, quia Ieroboam impendit idolis totum cultum, & honorem, quem impendere potuit: nam non poterat honorare magis idola, quàm quòd ipſe Rex efficeretur ſacerdos idolorum, & faceret quòd in toto regno ſuo celebraretur eis E feſtum. Salomon autem licèt coluerit idola, paruum honorem eis exhibuit, cùm potuiſſet valde magnum honorem eis exhibere. Nã ſi ipſe ex deſiderio coluiſſet idola, feciſſet quòd illa colerentur in templo magno, quod ipſe fecerat intra Ieruſalem Deo vero: & poneret ibi altaria idolorum, & ſtatuas eorum. Sic namq; fecerunt alij Reges, ſcilicet, Achaz, qui poſuit altare idolorum Damaſci in templo, & vetuit offerri ſacrificium ſuper altare Domini, ſequenti libro, cap. 16. Poſuit etiam imagines in templo, & ad portam templi, eodem libro, cap. 23. Manaſſes quoque Rex, & Ammon filius eius poſuerunt currum ſolis, & equos, & ſtatuas totius militiæ cœli in templo, & altaria idolorum, ſequenti libro, cap. 21. & 23. Salomon autem nihil iſtorum poſuit in templo, ſed permiſit populum pacificè colere Deum verum in templo, & non ſolùm non honorauit idola, ponendo illa in templo, ſed etiam propter honorem templi Domini noluit conſtituere templa illis intra Ieruſalem, ſed extra in monte Oliueti ad dextram illius fecit templa: & illuc exibant vxores ſuę ad colendũ idola, ſupra 11. & ſequenti libro, cap. 23. Minus ergo peccauit valde Salomon, quia ex valde minori deſiderio. Sextò, & principaliter fuit peccatum Ieroboam valde maius, quàm peccatum Salomonis; quia Ieroboam non ſolùm coluit idola, ſed etiam coëgit totum populum ad colendum. Erat enim totus populus ante hoc Deo deuotus, ſequens cęremonias legis: Ieroboam autem iuſſit, ne quis iret in Ieruſalem ad colendum Dominum in templo, ſed quòd omnes venirent ad colendum vitulos aureos, vt patet ſupra 12. Et quod maius eſt ſi quis vellet ire ad colendum Deum in Ieruſalem, capite puniebatur, tanquam tranſgreſſor mandati Regis. Etiam Ieroboam conſtituerat inſidias in terminis regni ſui in locis, per quæ egreſſuri erant Iſraëlitæ ad eundum in Ieruſalem: & ſi quis reperiretur vadens in Ieruſalem, occidebatur. Et de hoc exponitur ſecundùm quoſdam quod habetur Oſeę 6. ſcilicet, Participes ſacerdotum in via interficientium, pergentes de Sichem, id eſt, quòd occidebant illos, qui ibant de locis idolorum ad colendum Dominum in Ieruſalem. Etiam dicitur, quòd Ieroboam erat quaſi rete expanſum ſuper montem Tabor, ſcilicet, erant ibi inſidiæ poſitæ, ne aliquis tranſiret ad colendum Deum. Salomon autem neminem de populo coëgit, aut induxit ad colendum idola, ideo in immenſum fuit maius peccatum Ieroboam, quàm Salomonis. Septimò, quia Ieroboam fecit idola ex hac intentione ſolùm, vt populum totum induceret ad idololatrandum, ideo peccatum erat magnum, quia fiebat ex intentione nocendi. Salomon autem fecit idola, nõ cum intentione inducendi aliquem de populo ad colendum illa, ſed cum intentione placendi vxoribus ſuis. Vnde non ſolùm non intendebat inducere populum ad idololatriam; ſed conabatur non offendere aliquem per idololatriam ſuã, & ob hoc vt populus minus ſcandalizaretur, conſtituit tem-

F

Oſea 5.

A pla idolorum extra Ieruſalem in monte, ad quæ non iret populus, cùm nõ eſſent in ciuitate: & ſic minorem occaſionem peccandi haberent. Dicendum igitur, quòd valde magis, & quaſi ſine cõparatione peccauit Ieroboam, quàm Salomon in idololatria.

An omnibus computatis ex coniecturis, iudicare poßimus peccata Ieroboam fuiſſe grauiora, quàm peccata Salomonis.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlteriùs, coniungendo omnia peccata Salomonis, ſcilicet, tam idololatriæ, quàm alia quatuor genera peccatorum eius, quę ſupra poſita ſunt in quadam quęſtione, an fuerint maiora, quàm peccata Ieroboam.

De idololatria reſpondendum eſt, quòd in hoc non poteſt dari omnino certa diffinitio: quia Ieroboam peccauit multoties in idololatria. Salomon etiam multoties: & inſuper multa alia peccata fecit Salomon, quorum numerus, & grauitas nobis ignota ſunt: ideo non poteſt benè fieri comparatio inter illa. Dicendum tamẽ videtur ex quibuſdam ſignis generalibus, quantum colligi poteſt ex Scriptura, quòd valde maius fuerit peccatum Ieroboam, quàm omnia peccata Salomonis. Quod patet, quia Deus pœnam dedit Ieroboam, pro omnibus delictis ſuis, & pœnam dedit Salomoni, & poſteritati ſuæ pro delictis eius: maior tamen fuit valde pœna data Ieroboam, & poſteritati ſuæ, quàm Salomoni, & poſteritati ſuæ. Nam pro peccato Salomonis, non priuata fuit poſteritas eius Regno, ſed ſolùm ablata eſt quædam pars Regni; ipſi autem Ieroboam ablatum eſt Regnum totaliter, quantum ad poſteritatem ſuam; nam ſolùm regnauit poſt eum Nadab filius eius duobus annis: deinde perijt tota poſteritas ſua, & tranſiuit regnum ad Regem Baaſa de tribum Iſſachar.

B

Sed aliquis dicet, quòd ex hoc non probatur maioritas peccati ex parte Ieroboam. Nam tunc diceretur, quòd Saul magis peccauit, quàm Salomon: eo quòd propter peccata Saulis ablatum eſt regnum toti poſteritati ſuæ, ſupra 1. libro, cap. 15. & pręced. libro, cap. 7. Magis tamen peccauit valde Salomon, quàm Saul: cùm Saul nunquam coluerit idola, & Salomon multoties coluerit.

Item Salomon merebatur maiorem pœnam, ſcilicet, quòd tota poſteritas ſua priuaretur Regno: & tamen propter Dauid Deus voluit, quòd maneret ſemper Regnum in poſteritate Salomonis, ſupra 11.

Dicendum eſt iſtud eſſe verum: nam maiorem pœnam merebatur Salomon: & niſi merita Dauid, & promiſſio ei facta à Domino de regno ſemper duraturo in domo eius impediuiſſent, fuiſſet priuata poſteritas Salomonis, totaliter regno. Sed adhuc non obſtante iſto, maior pœna dabatur Ieroboam, quàm Salomoni. Quod patet, quia dato, quòd non intercidiſſent merita Dauid, ſolum priuaretur poſteritas Salomonis regno, & tamen non occideretur aliquis de poſteris Salomonis, vt colligitur ſupra 11. & infra ſeq. cap. cùm dicitur, Quòd Deus dimiſit duas tribus ipſi Roboam propter Dauid: ergo videtur, quòd nullam aliam pœnam ei relaxauit, niſi quod non auferrentur illæ duæ tribus poſteritati Salomonis: & tamen vltra hæc punitus eſt Ieroboam, ſcilicet, quòd filius ſuus moreretur nunc: & quòd poſtea delerentur omnes poſteri eius morte viliſſima, & quòd carerent ſepulchro lacerati à canibus, & deuorati à volatilibus, infra in litera. Item non dicitur de Salomone, quòd Deus percuteret Iſraëlitas propter peccata ſua, & tamẽ de Ieroboam dicitur, & tradet Dominus Iſraël propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Iſraël. Etiam dixit, quòd transferretur Iſraël vltra flumen, ſcilicet, vltra Euphratem, & duceretur in Aſſyrios: maius ergo erat peccatũ Ieroboam, quàm peccatũ Salomonis. Item de Ieroboam dicitur multotiens in hoc libro ſequenti, & 2. Paralipom. Quòd peccauit, & peccare fecit Iſraël. De Salomone autem non dicitur, quòd peccare fecerit Iſraël, vel Iudam: ergo tanquam magis peccans nominatur ipſe Ieroboam, & Salomon non: tanquam ipſe minus peccauerit. Dicendum igitur, omnia peccata Salomonis ſimul ſumpta, minora fuiſſe peccatis Ieroboam.

C

An Ieroboam peccauerit plus quàm omnes Reges Iuda, & Iſraël, qui fuerunt poſt ipſum: & plus quam Adam & Eua, & omnes homines, qui fuerunt ante ipſum.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauerit Ieroboam plus quàm omnes reges Iuda, & Iſraël, qui fuerunt poſt ipsũ. Dicendum, quòd litera ſolùm comparat hic Ieroboam ad precedentes, & non ad aliquem ſequentem: eo quòd dicitur, quòd operatus eſt malum Ieroboam ſuper omnes qui fuerunt ante ipſum. Satis tamen dicendum videtur, quòd ipſe peccauerit plus quàm omnes reges Iuda, & Iſraël, qui fuerunt poſt ipſum. De regibus Iſraël patet, quia omnes coluerunt idola: fuit tamen culpa ipſorum minor, quia ipſi non cœperunt nouiter colere idola, ſed à prędeceſſoribus ſuis habuerant illum cultum. Ieroboam autem nouiter cœpit colere idola, dans formam, & incentiuum colendi: ergo valde magis ipſe peccauit. Secundò patet, quia alij reges non coëgerunt populum colere idola, ſed iam populus erat inſtructus in cultu illo: & dato, quòd Rex non iuberet colere idola: immò quod maius eſt fortè ſi Rex aliquis Iſraël vetaret cultum idolorum, populus non obediuiſſet, eo quòd iam aſſuetus erat à multo tempore illi cultui. Magis ergo peccauit Ieroboam, quàm omnes reges Iſraël, qui poſt eum fuerunt. Item dicendum, quòd magis peccauit, quàm omnes reges Iuda, quia reges multi Iuda coluerunt idola, ſequentes vſum prædeceſſorum ſuorum. Alij autem nouiter cœperunt colere illa, & tamen nulli peruenerunt ad tantam iniquitatem, ad quantam peruenit Ieroboam, quamquam fecerunt multa enormia, eo quòd nullus fuit, qui cogeret populum ad colendum idola, ſicut coluit, & coëgit Ieroboam. Sed obijcietur, quòd aliqui reges Iudæ polluerunt templum Domini, ponentes ibi idola, & altaria idolorum, vt patet ſequenti libro, c. 16. & 21. & 23. Hæc enim fecerunt Achaz, Manaſſes, & Ammon. Dicendum, quòd iſti nimis peccauerũt in idololatria, ſcilicet, plus quàm Salomon, quia ille quanquam coluit idola, tamen non poſuit illa in templo, nec etiam in tota vrbe Ieruſalem, ſed extra in monte Oliueti, ſupra 11. Iſti autem reges poſuerunt idola, & altaria idolorum in templo. Sed adhuc non tantùm peccauerunt, ſicut Ieroboam, quia Ieroboam coëgit totum populum colere idola: iſti autem neminem coëgerunt ad colendum illa, ſed illi pro ſe mali erant: maius ergo fuit peccatum Ieroboam, qnàm omnium Regum Iuda, & Iſraël ſubſequentium. Item patet iſtud, quia de quocunque Rege malo colente idola, ſiue eſſet de regibus Iuda, ſiue Iſraël: dicitur, quòd ambulauit in vijs Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Iſraël: ergo videtur, quòd ille ponitur, tanquàm maior inter omnes peccatores in idololatria.

D

E

F

An Ieroboam peccauit plus quàm Adam, & Eua. Et an peccatum Adæ fuit maius peccatis omnium hominum, quia fuit cauſa illorum.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlteriùs cùm dicatur, quòd Ieroboam operatus eſt malum ſuper omnes, qui fuerũt ante ipſum, an peccauit plus quàm Adam, vel Eua. Aliquis dicet, quod ſic, quia Adam non coluit idola. Ieroboam autem coluit illa nimis. Sed in contrarium dicet aliquis, quòd magis peccauit Adam, quàm Ieroboam, & quàm quilibet homo poſterior, eo quòd peccatum Ieroboam fuit magnum, quia fecit multos peccare, ſcilicet totum Iſraël inducendo ad peccandum, & tamen Adam fecit peccare omnes homines. Nam omnes in Adam peccauerunt. Ad Rom. 5. Ergo peccatum ſuum fuit maius ſine comparatione, quàm peccatum Ieroboam. Reſpondendum, quòd peccatum Adæ fuit valde magnum, quia non fuit obediens Deo in primo mandato, quod ei dedit; tamen maius fuit peccatum Ieroboam. Cauſa huius eſt, quia aggrauatur peccatum Ieroboam ex hoc, quòd fecit peccare totum Iſraël: & ſic peccatum omnium fuit peccatum ſuum.

A

in Adam autem ſolùm attenditur peccatum perſonale, ſcilicet, quòd ipſe non fuit obediens Deo. Quòd autem poſtea cæteri peccauerint, non fuit peccatum Adæ, ſed eſt ſenſus, quòd ex eo quòd Adam peccauit mortaliter, omnes deſcendentes ab eo peccauerunt originaliter, quia nati ſunt de maſſa infecta. Iſtud tamen peccatum, non cauſatum fuit ab Adã, ſed à lege Dei, ſecundùm quam anima in ipſa vnione ſui ad maſſam infectam incurrit maculam originalem. Si autem nõ eſſet illa lex, dato quòd peccaſſet Adam, nullus de naſcentibus ab eo incurreret originalem maculam: non ergo fuit Adam cauſa originalis peccati directè: ideo non magis peccauit Adam, quòd ex peccato ſuo ſequeretur peccatum originale in poſteris, quàm quod non ſequeretur, ſicut ſi aliquis peccaret contra Regem, & iuberet eum occidi, & omnes de ſemine ſuo in æternum eſſe ſeruos, mox vt quilibet naſceretur de ſtirpe eius, incurreret ſeruitutem, non tamen peccatum iſtius effecit ſeruitutem, ſed lex impoſita à Rege. Item quidquid ſit, Adam non peccauit, vt poſteri ſui peccarent originaliter, ſed ſolùm vt delectaretur in cibo, vel vt condeſcẽderet vxori ſuæ: Ieroboam autem fecit idola, intentione inducendi populum ad colendum illa, & realiter coëgit illos ad colendum vitulos, iubens quòd nemo iret in Ieruſalem, ſed omnes venirent ad colendum vitulos, ideo peccatum omnium Iſraëlitarum imputari debet ipſi Ieroboam, tanquam ipſe perſonaliter feciſſet omnia illa peccata. Adæ autem non

B

debet imputari aliquod peccatum poſterorum, quia ipſe nõ contulit cauſam ad peccata poſterorum directè, ſed per accidens: etiam quia non fuit intentio ſua, vt peccarent poſteri; ideo nullo modo debuit peccatum Adæ dici maius, vel minus incurrentibus nobis peccatum originale, quàm non incurrentibus, & ſic peccatum Adæ ſolùm eſt graue, inquantum inobedientia illa ad Deum fuit grauis: peior tamen fuit iniquitas Ieroboam, quia colere idola peius eſt, quàm non obedire Deo, vt patet ſupra primo libro, capite decimoquinto.

An Ieroboam peccauerit grauius, quàm omnes homines mundi.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauerit Ieroboam plus quàm omnes alij homines ante ipſum.

Reſpondendum, quòd verba Dei ſolùm intelligebantur de Regibus Iudæorum, ſcilicet, quòd plus ipſe peccauit, quã omnes Reges, qui fuerunt ante ipſum. Dicendum, quòd aut intelligitur, quòd plus peccauerit, quàm omnes homines, ſcilicet, ſimul ſumpti, aut peccauerit plus quàm quilibet de hominibus per ſe. Primo modo dicendũ, quòd non peccauit Ieroboam plus quàm omnes homines præcedentes: quia

C

tunc diceretur, quod peccatum Ieroboam fuit maius, quàm peccata omnia, quæ facta fuerunt à principio ſæculi vſque ad tempus Ieroboam ſumendo illa ſimul. Etiam ſequeretur, quòd pœna debita Ieroboam in inferno eſſet maior multo, quàm pœna omnium hominum, qui ibi erant, conferendo illam in vnum hominem: ſed vtrumque iſtorum erat inconueniens, nec aliquis concedet hoc, ideo maiora erant peccata omnium hominum ſimul, quàm ipſius Ieroboam. Si autem intelligatur de peccatis vnius hominis, ita quòd illa referrentur ad peccata Ieroboam, ſatis dubium videtur, ſed poterit dici, quod fuerit maius peccatum Ieroboam, quàm aliorum hominum, eo quòd non legitur ſic fuiſſe aliquem Regem, qui cogeret omnes ſubditos ſuos ad colendum idola, ſicut coëgit Ieroboam. Et dato, quòd ante eum fuerint aliqui Reges, qui cogerent ſubditos ad colendum idola, ſicut legitur de Nino rege, qui fecit ſtatuam Beli patris ſui, & coëgit ſubditos ſuos ad colendum illam, poſtquam quidam ſponte illam coluerunt, vt refert Fulgentius in Mithologijs. Sed adhuc non videntur tantùm iſti peccaſſe, ſicut Ieroboam: quia illi non erant ſubiecti legi Dei, quia nemo eos inſtruxerat. Iudæi autem erant inſtructi in lege à Deo data, in qua vetabatur valde cultus idolorum, intantùm quòd ſolus Deus puniebat Iſraëlitas hic pro cultu idolorum: Gentiles autem non puniebat in hoc ſæculo pro his, vt patet Amos 3. Scilicet, Tantummodò vos cognoui ex omnibus cognationibus ter.æ: iccircò viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras, quaſi dicat, Super alios, quos non non cognoui, dando eis legem, non viſitabo iniquitates eorum. *Et feciſti tibi deos alienos.* Vocantur Dij alieni, qui non ſunt Dij, quia alienus eſt determinatio diſtrahens, ſicut cùm dicitur homo mortuus, vel dicuntur Dij alieni illi, qui non erant Dij, ſed putabantur Dij à Gentilibus, & colebantur tanquam Dij. *Et conflatiles.* Vocantur conflatiles, qui per conflationem, id eſt, reſolutionem metalli in igne facti ſunt, & iſti erant vituli aurei, qui facti fuerant opere fuſorio, ſicut factus eſt vitulus, quem fecit Aaron, Exodi 32. *Vt me ad iracundiam prouocares.* Non accipitur ibi *Vt*, ſicut cauſa finalis, quia non faciebat ad hunc finem vitulos Ieroboam, vt Deus prouocaretur ad iram, ſed ſolùm, vt non irent viri de regno ſuo in templum Domini in Ieruſalem, & reconciliarentur ibi regi Roboam, vt patet ſupra 12. Sed, *Vt*, dicit hic cauſam conſecutiuam, & ponitur ſicut, *Et*, ſcilicet, quòd fecit Ieroboam vitulos, & per hoc prouocauit Deum ad iracundiam. *Me autem proieciſti poſt corpus tuum.* Scilicet, Non curaſti de me, quaſi dicat. Non habuiſti me ante oculos tuos, vt attenderes quid ego vellem, & operareris illud, ſed proieciſti me poſt corpus tuum, ſcilicet, nunquam aſpexiſti ad me, vt ſcires quid deberes agere, tanquam ſi eſſem poſt tergum tuum, & ſecutus es deſideria tua laxis habenis. *Iccirco ego inducam mala ſuper domum Ieroboam.* Scilicet, Inducam pœnas magnas ſuper totam progeniem eius, & familiam ſuam. *Et percutiam de Ieroboam mingentem ad parietem.* Id

D

E

eſt, Ego percutiam de ſtirpe Ieroboam omnes mingentes ad parietem, ſcilicet, omnes natos de familia ſua. Iſte modus loquendi eſt frequentatus in Scriptura, quia erat modus vulgaris antiquus. Sic patet ſupra primo libro, capite 25. Cùm iurauit Dauid quòd non maneret de domo Nabal, mingens ad parietem vſque ad lucem matutinam, ſcilicet, nullus homo: nam iſtis competit mingere ad parietem. *Et clauſum, & nouiſſimum in Iſraël* Id eſt, Occidam omnes de ſtirpe ſua vſque ad clauſum, & nouiſſimum. Vocatur clauſus ille, qui propter vilitatem, & ineptitudinem ſuam clauſus tenetur, ne compareat in dedecus totius progeniei: vel ille, qui præ verecundia miſeriæ ſuæ ſe occultat. Nouiſſimus vocatur minimus in dignitate, & valore in aliqua cognatione. Et ſic eſt ſenſus, quòd non ſolùm occiderentur omnes, qui erant viri nobiles, & in magna reputatione de domo Ieroboam, ſed etiam illi, qui nullius valoris erant, ita vt nemo ſuperſtes eſſet. Iſte modus eſt vulgatus in Scriptura: ideo quandocunque Deus dicit de aliquo, quòd deſtruet eum totaliter, dicit, quòd occidet omnes vſque ad clauſum, & nouiſſimum. Sic patet in prophetia dicta de Iehu, contra Achab, ſequenti libro, capite 9. *Et mundabo reliquias domus Ieroboam,* Scilicet, Tollam omnes natos de illo, ita vt nullus maneat. *Sicut mundari ſolet fimus, vſque ad purum.* Quando enim fimus mundatur, nihil de eo manet, vt locus mundus ſit: ita ſtirps Ieroboam mundanda erat, ſcilicet, vt nullus maneret de illa. Dicitur autem mundari fimus impropriè. Nam non poteſt mundari fimus, quia totus eſt impurus, ſed mundatur locus fimi, expellendo eum inde. Ita ſtirps Ieroboam non erat emundanda, quia tota erat impura, ſed erat emundanda terra, auferendo ſtirpem Ieroboam de illa. *Qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes.* Iſta erat magna pœna: quia non ſolùm occidendi erant, ſed etiam manſuri erant inſepulti: & illi, qui in ciuitate morerentur, in ciuitate à nullo ſepelirentur: ideo comederentur à canibus: quia nulla alia animalia ſunt in ciuitate, quæ magis poſſent comedere quoſcunque, quàm canes. *Qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cœli.* Scilicet, Nullus curaret ſepelire illos, ideo comederentur ab auibus, & à beſtijs. *Quia Dominus locutus eſt.* Id eſt, Neceſſe eſt hoc euenire, quia Dominus dixit illud: Nam non poteſt falſum eſſe verbum ſuum.

F

An iſta pœna ligauerit Ieroboam, ſcilicet, quòd fuerit occiſus, & non ſepultus.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR, an iſta pœna comprehenderit Ieroboam, ſcilicet, quòd occiſus fuerit, & non fuerit ſepultus?

A Aliquis dicet, quòd comprehendit eum; quia propter ipſum data eſt ipſa pœna poſteris ſuis; ergo à fortiori deberet ipſum comprehendere.

Reſpondendum, quòd iſta pœna non comprehendit eũ: quia ipſe non occiſus fuit, ſed mortuus fuit morte naturali, & ſepultus eſt. Iſtud patet, quia infra dicitur: Dormiuit Ieroboam cum patribus ſuis: dormitio autem ſignificat mortem quietam, & naturalem: ideo non occiſus fuit. Item patet, quòd ſepultus fuerit, quia moriente eo, ſucceſſit filius ſuus in regnum pacificè, vt patet infra: ergo veriſimile eſt, quòd non relinqueret corpus patris ſui inſepultum. Item patet, quia iſta plaga ſuper domum Ieroboam, non venit eo viuente, ſed viuente filio ſuo, ideo non occiſus fuit iſte, nec intumulatus manſit, patet hoc ſequenti cap. Item patet ex verbis ſententiæ Dei, quæ diriguntur ad ſolam ſtirpem Ieroboam, & nõ ad ipſum, cùm dicitur: Percutiam de Ieroboam mingentem ad parietẽ, & qui mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabunt eos aues cęli: & hic non fit mentio de Ieroboam, & ſic nõ extenditur ad ipſum iſta ſententia.

Ad rationem in contrarium dicendum, quòd quamquã Ieroboam merebatur pœnas iſtas, ſicut progenies ſua, & adhuc plus, tamen Deus voluit, quòd progenies ſua pateretur, & non ipſe, reſeruans ei pœnam pro alio ſæculo.

B *An neceſſe fuit iſtas pœnas nunciari Ieroboam.*

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlteriùs, an oportuit iſtas pœnas denunciari Ieroboam. Aliquis dicet, quòd non, quia ſiue denunciarentur, ſiue non, venturæ erant neceſſario, cùm Deus vellet, quod venirent: ideo nihil magis punirentur ſic, quàm ſic. Reſpondendum, quòd fuit neceſſe iſtas pœnas denunciari Ieroboam propter duo: primò propter ipſum, ſecundò propter ſtirpem ſuam. De primo patet, nam Deus volebat punire Ieroboam, qui valde peccauerat non ſolùm in futuro ſæculo, ſed etiam hic: & quia diſpoſuerat Deus, quòd moreretur Ieroboam, antequàm euenirent iſta mala; ſi nihil diceretur ei, haberet vitam hilarem, putans fęliciter ſucceſſurum eſſe poſteris ſuis; voluit ergo Deus punire Ieroboam. Primò, quia cùm pugnaret contra Abiam regem Iudæ, perierunt quingenta millia virorum fortium de viris Ieroboam, 2. Paralipom. 13. Puniuit etiam Deus Ieroboam in filijs ſuis; quia licèt viuens non conſpexit eorum calamitates, tamen pręnũciatum eſt, quòd filij ſui omnes occidendi erant, & non erant ſepeliendi, ſed comedendi à canibus, & à volucribus. Hęc autem recogitans Ieroboam pro calamitatibus ſtirpis ſuæ affligeretur nimis, & haberet vitam infœlicem, quamquam viuens non reſpiceret calamitates ſtirpis ſuæ; ſi tamen iſta non reuelarentur ei, non affligeretur pro ſtirpe ſua, nullam calamitatem futuram exiſtimans; ideo quantum ad eum, vt puniretur oportuit, quòd Deus reuelaret ei pœnas iſtas. Secundum fuit propter filios ſuos; quia ipſi occidendi erant gladio, & ad iſtos dupliciter oportebat, quòd reuelarentur iſtæ pœnæ. Primò, quia ſiue reuelarentur, ſiue non, illi occidendi erant; eſſent tamen toto tempore hoc ſecuri, hilarem ducentes vitam, quouſque irrueret in eos repentina calamitas, & ſic minor eſſet pœna illorum, quia hilarem haberent vitam, licèt mortem haberent miſeram; cùm autem nunc reuelaretur pœna iſta Ieroboam, & filijs ſuis, affligerentur dum viuerent; & ſic eſſet pœna illorum maior. Secundum erat, quia in iſta prophetia prænunciabatur, quòd filij Ieroboam non erãt ſepeliendi, ſed lacerandi ab auibus, & comedendi à canibus. Si autem non prænunciaretur iſtis, cùm nunquam eſſent ſenſuri iſtam pœnam, quia poſt mortem euenit; nihil magis punirentur, quòd non ſepelirentur, quàm quòd ſepelirentur, ideo ad hoc, quòd nõ ſepeliri eſſet eis pœna, oportebat, quòd prænunciaretur ſibi, & tunc ipſi cogitantes, quòd non erant ſepeliendi, ſed ignominiosè, tanquam aſinorum cadauera ab auibus, & canibus lacerandi, affligerentur nimis, & iſtud eſſet eis in pœnam, ſed non poterat fieri, niſi prę-

C nunciaretur eis per Prophetam, ideo debuit prænunciari.

Quando completa ſunt mala prænunciata contra domum, & ſtirpem Ieroboam, & per quem.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR vlteriùs, quando completa ſunt iſta, quæ prænunciauit Deus contra ſtirpem Ieroboam. Dicendum, quòd non fuerunt completa eo viuente, ſed poſt mortem eius duobus annis. Nam Ieroboam mortuus eſt in pace, cùm dicatur infra, quòd dormiuit cum patribus ſuis; ſucceſſit autem filius eius Nadab in regno, regnauitque duobus annis, & fuit malus vir; ideo ſurrexit contra eum quidam vir nomine Baaſa de tribu Iſſachar; & cùm illo ferè totus Iſraël coniurauit contra Nadab: obſederuntque eum in Gebbethon vrbe Philiſthinorum, & occiſus eſt. Tunc populus cùm indignatus eſſet contra Ieroboam, & ſtirpem ſuam, occiderunt omnes maſculos de ſtirpe eius, & quia erant odioſi eis, noluerunt ſepelire illos, ſed mortuos relinquebant quoſdam in agros, & alios in ciuitate, ibique à canibus & volucribus lacerabantur. De hoc patet infra 15. cùm dicitur: Cumq; regnaſſet percuſſit omnem domum Ieroboam, non dimiſit, nec vnam quidem animam de ſemine eius, donec deleret eũ, iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Ahiæ Silonitis. *Tu igitur ſurge, & vade in domum tuam.* Scilicet, Non cures ſuper hoc quærere amplius, quia iſta eſt voluntas Dei de ſtatu viri tui, & domus ſuæ. Ex hoc patet, quòd vxor Ieroboam nihil locuta eſt Ahiæ, quærendo ab eo: quia antequam ipſa inciperet quærere, reſpondit ei Ahias: & poſtquã reſpondit ei non opus fuit, quòd ipſa aliquid vltra quæreret, nec quæſiuit, ſed receſſit in domum ſuam.

D *Et in ipſo introitu pedum tuorum in vrbem morietur puer.* Id eſt, Cùm poſueris pedes in porta vrbis, expirabit puer. Et ſic quãdo veneris in domum, erit iam mortuus. Hoc autem prædixit Ahias ad magis certificandum de futuris: quia cùm iſtud reperiret verum vxor Ieroboam, crederet omnia vera eſſe futura, quæ prædixerat Ahias.

Et planget eum omnis Iſraël, & ſepeliet. Iſte erat filius regis, & mortuus eſt viuente patre ſuo Ieroboam in pace: ideo ſicut filius Regis ſolenniter deploratus eſt à toto Iſraël, & ſepultus fuit honorabiliter. Dicitur autem hoc de iſto puero, quia nullus alius de ſtirpe Ieroboam deploratus eſt, nec ſepultus. *Iſte enim ſolus de Ieroboam inferetur in ſepulchrum.* Id eſt, de ſtirpe Ieroboam ſolus iſte ſepelietur, & plangetur: cæteri verò occidentur, & canibus, auibusque tradentur in eſcam. *Quia inuentus eſt ſuper eum ſermo bonus a Domino Deo Iſraël in domo Ieroboam.* Id eſt, Nullus alius ſepelietur, quia contra eos proceſſit ſermo malus diuina ſententia dura, quam nunciauit Ahias, dicens: Ego miſſus ſum ad te durus nuncius, ſupra in litera, ſed erga iſtum inuentus eſt bonus ſermo Domini, id eſt, bona ſententia clemens, ne puniretur cum reliquis poſteris Ieroboam.

E

F *Quomodo nullus poſt iſtum filium Ieroboam de domo eius ſepultus eſt.*

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR quomodo potuit eſſe, quòd nullus poſt iſtum de domo Ieroboam ſepeliretur?

Reſpondendum, quòd hoc fuit, quia iſte puer mortuus eſt paruo tempore ante mortem Ieroboam: & ob id exhibita ſunt ei funeralia honorifica. Mortuo autem Ieroboam regnauit per duos annos filius eius Nadab: in fine quorum occiſus eſt, tam ipſe Rex, quàm cęteri fratres ſui, filij Ieroboam, & etiam nepotes: ita vt nullus maneret de ſtirpe illa, & omnes occiſi ſunt ſimul: & quoniam per odium populi occidebantur, nulli conceſſum eſt ſepulchrum, ſed relinquebantur lacerandi auibus, & canibus: & quia inter mortem iſtius pueri, & mortem regis Nadab, quando iſta facta ſunt, modicum tempus intercidit, nullus interim mortuus eſt de ſtirpe Ieroboam, quia alioquin ille ſepeliretur honorificè, ſicut decebat creatos Regali ſemine, ſed quia omnes viuebant, conſumpti ſunt infœlici morte, ſimul cum ipſo Nadab: & ſic nullus præter iſtum puerum de poſteris Ieroboam, ſepultus

eſt.

A

est. Hoc autem intelligendum est de viris, siue magnis, siue paruulis: quia omnes gladio ceciderunt, ne residuus esset aliquis de stirpe illa, qui posset postea petere Regnum: ideo nullus de viris sepultus est. Secus autem de fœminis, si aliquæ erant de stirpe Ieroboam: quia illæ non occiderentur, cùm nulli vnquam hostes soleant occidere fœminas: & consequenter viuerent, & non carerent sepulchris. Nam eas viuere non præiudicabat Regi nouo: quia fœminæ nõ competit ius regnandi. Etiam quia fœmina non posset congregato exercitu suscitare tumultum contra nouum Regem.

Quomodo intelligitur, quòd inuentus est bonus sermo à Domino, super puerum.

QVÆSTIO XXIIII.

VLTERIVS quæretur, quomodo dicitur, quòd fuit inuentus bonus sermo super istum puerum à Domino. Respondent Hebræi, quòd iste puer fuit bonus, quia quando Ieroboam fecit vitulos timens quòd aliqui de populo latenter irent ad colendum Dominum in Ierusalem, posuit milites insidiantes in locis, per quæ transituri erant in Ierusalem, vt occiderentur transeuntes. Iste autem puer, qui non erat multum puer, impediuit istud fieri, quantum potuit, permittens quoscunque volentes ire in Ierusalem, quòd irent, & ob hoc Deus placatus est illi. Hoc autem colligunt Hebræi, quia vbi nos dicimus, inuentus est bonus sermo à Domino, dicitur in Hebræo, inuenta est bona res super istum puerum, scilicet, Inuentus est bonus actus, & propter hoc non fuit condemnatus cum cæteris. Vel dicendum, quòd inuentus est bonus sermo Domini super eum, id est, sententia mollis; contra alios autem inuenta est sententia dura, quæ vocatur sermo malus. Et sic dato, quòd non præcessissent aliqua opera, Deus voluit misereri huic, & non alijs ex liberalitate sola, iuxta illud: Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Exodi 33. & ad Roman. 9. Quòd autem Deus vellet misereri huic, erat, quòd inueniretur super eum bonus sermo Domini: quia propter clementiam benè sententiabat de eo. *Constituet autem sibi Dominus regem super Israël, qui percutiat domum Ieroboam.* Scilicet, Constituam regem Baasa, qui occidet omnes de domo Ieroboam. *In hac die, & in hoc tempore* Id est, Nunc constituam Regem, qui deleat domum Ieroboam.

B

An Baasa compleuit sententiam Dei contra stirpem Ieroboam. Et Baasa quomodo constitutus fuit Rex.

QVÆSTIO XXV.

C

QVÆRETVR quis Rex fuit iste, quomodo fuit constitutus à Deo.

Respondendum, quòd iste fuit Baasa de tribu Issachar, qui coniurauit contra Nadab Regẽ Israël, filium Ieroboam, & occidit eum. Iste autem fuit, qui compleuit sententiã Dei super domum Ieroboam, scilicet, occidendo omnes tam magnos, quàm paruulos, nec relinquendo quemquam de stirpe illa, tradendoq; omnes canibus, & volatilibus, sequenti cap. Cùm autem dicitur, quomodo fuit à Deo constitutus in Regem: poterat dici, quòd fuit constitutus eo modo, quo omnes, qui regnum, vel aliquam potentiam accipiunt, accipere dicuntur. Nam omnis potentia à Deo est, ad Rom. 13. De hoc satis declaratum est supra 2. in quadam quæstione, vbi ponuntur modi, quibus quilibet Rex à Deo constitutus dicitur, siue bonus, siue malus sit: & quantum ad hoc generaliter poterat dici Baasa constitutus in regem à Deo, sed iste est modus generalis. Secundus est modus specialis, scil. quia Deus dispo suerat occidere gladio omnem posteritatem Ieroboam, & priuare illam regno, ideo oportebat, quod institueret aliquẽ executorem. Istum autem voluit esse Baasa; & ad hoc voluit, quod esset Rex, vt deleret omnem domum Ieroboam, quia aliàs non posset. Tertio modo dicitur constitutus specialiter à Deo, inquantum ipse specialiter adiuuit eum, ad hoc quod esset rex, quia nõ erat Baasa de semine regio. Quòd ergo posset contra Nadab regem Israël, qui pacificè rex erat, & deleret eum, atq; stirpẽ suam, non erat sine Dei dispositione, & adiutorio speciali, vt cuncta prospera euenirent, & præualeret cõtra potentissimum virum: & de paruo statu subitò ascenderet ad solium regni. Quarto modo specialiter constituit Deus Baasa in regem, inquantum dedit ei totum populum fauentem sibi fideliter contra Nadab, quod rarò euenit; quia fides populi incerta est, ideo non potuit talis fauor, & fides populi cõciliari, sine Dei speciali voluntate, in cuius manu sunt corda omnium hominum, & conuertit illa ad omnia, quæ vult, iuxta illud Prouerb. 21. Sicut diuisiones aquarum, sic cor regis in manu Domini; & quocunque voluerit, vertet illud. Ita enim est de cordibus aliorum virorum; quia æqualiter Deus potest super reges, & super alios. Sic autem Deus dicitur cõstituisse in regem ipsum Iehu, vt deleret totã stirpem Achab, sequenti libro, cap. 9.

D

Quomodo dicitur, Constituam Regem in hoc die, cùm Baasa non fuerit illa die constitutus.

QVÆSTIO XXVI.

VLTERIVS queretur, quomodo dicitur hic in hac die, & in hoc tempore constituam Regem, qui percutiat domum Ieroboam. Nam Baasa non fuit constitutus illa die in regem. Nam post hoc aliquanto tempore vixit Ieroboam, cui successit in regno filius eius Nadab, regnauitque duobus annis, & postea occisus est à Baasa, & tũc Baasa factus est rex, sequenti cap. Respondendum est, quòd Baasa non fuit constitutus in regem vsq; ad aliquot annos, & tamen quia cõstitutio eius certa erat, sicut si iam esset, loquitur Scriptura illa in præsenti, quia quod præsens est, certum est; sic enim dicitur supra 1. lib. cap. 13. Quando peccauit Saul offerendo sacrificium in Galgala, antequam veniret Samuel. Nam ibi dixit Samuel ad Saulem: nequaquam regnum tuum vltra consurget; quæsiuit enim Dominus virum, iuxta cor suum, & præcepit ei, vt esset dux super populum suum, eo quòd non seruaueris, quæ præceperit Dominus. Et tamen manifestum est, quòd nondum Deus dixerat Dauid, quòd esset dux super populum suum, sed post aliquot annos illud dixit, quando iuit Samuel ad vngendum eum, eodem lib. cap. 16. Quot anni autem interciderint inter hæc, patet ex eis, quæ declarata sunt, eod. lib. cap. 13. & 16. in principijs eorum. Dicitur tamẽ, quòd iam Deus præceperat eo, quòd certum erat, quod præceptu rus esset, ac si iam præcepisset. Aliter potest dici, quòd Deus dixit hoc propter breuitatem temporis, quia post paucos annos istud futurum erat; ideo iam videbatur in esse. Vel aliter dictum est ad affligendum Ieroboam, & stirpem suam, vt nõ putarent istam pœnam euenturam eis, post multos annos, sed breuissimè.

E

Huic autem concordat satis, quod iam dixerat Ahias, scilicet, quòd nullus de stirpe Ieroboam sepeliretur, præter istũ puerum, qui nunc moriebatur: & tamen necesse erat, quòd si magno tempore dilataretur ista sententia, moreretur aliquis de stirpe Ieroboam interim, & ille sepeliretur, quia nondum aduenerat completio sententiæ, ideo vt nullus naturaliter moreretur ante tempus completionis sentẽtiæ, oportebat, quòd in breui illa compleretur. Aliter potest dici, & fortè verum est, quòd illa die, qua locutus est ista Ahias ad vxorem Ieroboam, incœpit conspirare Baasa contra Ieroboam ad tollendum Regnum, & non præualuit toto tempore Ieroboam, & in morte eius etiam populus non consensit Baasæ, sed institutus est Nadab filius Ieroboam per regem: qui cùm regnasset pauco tempore, scil. minus quàm duobus annis, habuit populum exosum, eo quòd malus erat, ambulans in vijs patris sui: & tunc concitauit Deus contra eum populum ad odium, habuitq; opportunum tempus ipse Baasa ad conspirationem suam: & cùm totus populus consentiret ei, occiderũt Nadab regem, & totam posteritatem Ieroboam; & quia die illa, qua Ahias locutus est ad vxorem Ieroboam cœpit ista conspiratio, per quam factus est postea Baasa Rex, dicitur cõstitutus Rex in die illo, quo locutus est Ahias ad vxorem Ieroboam eo modo, quo dicimus rem existere, quandocunq; existit sua causa: quia omnis effectus existit in causa. Et dato, quòd nondum habuerit realem subsistentiam, acquirit existentiam quandam, dum causa proxima incipit esse. *Et percutiet Dominus Deus Israël, sicut moueri solet arundo in aqua,* Scilicet,

F

A Non solùm punietur posteritas Ieroboam pro peccato eius, sed etiam totus Israël, quia ipse peccare fecit eum, & populus consensit ei peccâti. Et dicitur: sicut solet moueri arundo in aqua, scilicet, quia arundines faciliter mouentur in aqua, quocunque vento impellente, aut leui aquarum decursu: ita Israël incideret in magnas calamitates, & Deus faceret eum tam passibilem, vt à quocunque insurgente contra eum possetpercuti. *Et euellet Israël de terra hac bona, quam dedit patribus eorum.* Scilicet, Non solùm punietur Israël ab insurgentibus in eum manendo in terra hac, sed etiam quod infœlicius est, euelletur de hac terra bona, & ducetur in captiuitatem. Et istud erit extremum malorum, quia postquam iuerit in captiuitatem, nunquam redibit, & dicitur de hac terra bona, quasi dicat, pœna erit eis, quòd expellantur de terra bona, & ducantur in terram miseram. *Et ventilabit eos trans flumen.* Id est, Ducet eos in captiuitatem vltra Euphratem. Ventilare est ad ventum proijcere: & propriè pertinet ad paleas mixtas granis in area, quæ tolluntur in altum, simul cum granis, vt paleæ præ leuitate à vento ferantur: & grana præ grauitate cadant in locum suum, & hoc artificio grana à paleis segregentur. Sic enim Israëlitæ tanquam paleæ inutiles mouerentur à vento, & non manerent in loco suo cum granis, scilicet, in terra illa bona, quam à principio habuerant, sed impetu venti furoris Domini longè ferrentur in terram Assyriorum.
B Nam positi sunt apud flumina terræ Medorum, scilicet, apud Hailam, & Goza, vt patet sequenti libro, capite 17. Istud autem fuit factum multo tempore postea, scilicet, tempore regis Achaz, vt patet sequenti libro, cap. 17. Dicitur autem vltra flumen, id est, vltra Euphratem ad ciuitates Medorum. Vocatur autem Euphrates flumen absolutè, non expresso proprio nomine, eo quòd istud erat maximum flumen terræ Israël. Nam transit Euphrates per latus Septentrionale terræ Israël, vt patet Genes. 15. Scilicet, A flumine Ægypti vsque ad flumen magnum Euphratem. Idem patet Deuteron. 11. & Iosue 1. Et aliquando vocatur fluuius absolutè, sicut hic, vt patet Exodi 23. Scilicet, Ponam terminos vestros à mari rubro vsq; ad mare Palæstinorum; & à deserto vsq; ad fluuium, & vocatur ibi fluuius Euphrates.

Quando Israël motus est, sicut arundo in aqua.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR cùm supra dicatur, quòd dabit Dominus Israël, vt percutiatur, sicut arundo mouetur in aqua, quando fuit hoc completum.

Responderi potest, quòd potest assignari duplex tempus huius completionis. Vnum est in bello, quod habuit Ieroboam cum Abia rege Israël. Nam postquam regnauit decem & octo annis Ieroboam, mortuus est Roboam rex Iuda, cui successit filius eius Abia: iste pugnauit contra Ieroboam, & fuit bellum atrocissimum. Nam perierunt de viris Israël quingenta millia, quanta multitudo non legitur vnquam deleta in vnico conflictu. Hoc patet 2. Paralipom. 13. Et ex die illo humiliatus est Israël: nec ausus fuit Ieroboam vltra pugnare cõtra regnum Iuda: & tunc percussus est Israël nimis cùm perirent quingenta millia virorum, quæ erant magna pars populi. Et fuit motus Israël, sicut arundo: quia licèt viri de regno Iuda pauci essent, occiderunt facillimè quingenta millia de Israël. & tunc erunt hic duæ sententiæ contra Israël. Vna erit, quòd Israël percuteretur à regno Iuda. Alia quòd ducerentur Israëlitæ captiui in terram alienam. Alio modo potest dici, quòd completio ista fuerit tempore regis Salmanasar Regis Assyriorum, qui transtulit Israëlitas de terra sua in terram Medorum, sequenti libro, capite 17. Et tunc erit eadem sententia, scilicet, quòd Israëlitæ mouerentur, sicut arundo, & quòd expellerentur de terra sua. Et istud satis conuenit literæ, quia moueri sicut arundo pertinet ad mobilitatem Israëlitarum tempore Salmanasar, scilicet, quia faciliter ab eo expugnati sunt. Etiam, quia tunc terra sua translati sunt, in quo moti sunt, sicut arundo quando eam venti flatus impellit.

D *Terra Medorum, an esset ita bona sicut terra Chanaan.*

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo ponitur hic in pœnam, quòd Israëlitæ euellerẽtur de hac terra bona, quia terra illa, ad quam portati fuerunt, erat sicut terra ipsorum. Nam dixerat eis Salmanasar, quòd duceret eos in terram, quæ similis erat terræ suę, & erat terra vinearum, & terra omnium fructuum. Patet hoc de rege Sennacherib, qui successit Regi Salmanasar in regno Assyriorum, & volebat transferre tribum Iuda, & Beniamin ad ciuitates Medorum, ad quas translatæ fuerant decem tribus, & tamen dixit, Facite mecum quod vobis est vtile: egredimini ad me, & comedet vnusquisque de vinea sua, & de ficu sua, donec veniam & trãsferam vos in terram, quæ similis terræ vestræ est, in terram fructiferam, & fertilem vini, terram panis, & vinearum, terrã oliuarum, & olei, ac mellis, & viuetis, & non moriemini. 4. reg. lib. cap. 18.

Respondendum, quòd fortè terra illa Medorum, ad quã Sennacherib volebat transferre Iudam, & Beniamin, non erat terra bona, sicut terra Israël. Nam frigidior erat, & fortè non ita fructifera: dixit tamen illa Sennacherib ad inducendum Israëlitas, scilicet, Iudam, & Beniamin, vt egrederentur ad eum sine bello; & satis verisimile est, quod mentiretur in fauorem sui ipsius. Aliter potest dici, quòd dato, quòd terra Medorum esset ita fructifera, sicut terra Israël: & adhuc plus lamentabile erat Israëlitis transferri de terra sua, in qua nati fuerant ipsi, & patres eorum à principio. Nam magna pietate afficitur homo ad patriam natalem, eo quòd inde contrahit quandam partem esse sui: cùm locus sit principium generationis per hoc, quòd conseruat virtutes defluxas à corporibus cœlestibus in se, & illæ sunt principium effectiuum in generatione. Quamquam ergo natalis patria miserabilis sit, magis afficitur homo ad eam, quam ad quamcunque aliam. Et ita non magis afficitur aliquis ad terram suam, quamquã vberrima sit, quàm alius ad suam, licèt sterilis sit: sic ait Seneca in Epistolis, scilicet, Vadit Vlysses ad Itacæ suæ saxa, sicut Agamemnon ad Micenarum nobiles muros. Nemo enim patriam, quia fertilis est, sed quia sua est dilexit. Dolerent igitur nimis Israëlitæ, quòd transferrentur de terra sua, & potissimè cùm terra sua valde bona esset, ideo expressum est in pœnam, quia euellerentur de terra bona.

An propter peccata Ieroboam Israëlitæ translati fuerint in Assyrios. Et quòd Ieroboam fuit principium perditionis Israëlitarum.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, an propter peccata Ieroboam translati fuerint Israëlitæ in Assyrios. Aliquis dicet, quòd sic, quia litera dicit hic, quòd euellet Dominus Israël de terra bona, & ventilabit trans flumen, & sequitur quòd tradet Dominus Israël propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israël.

Respondendum, quòd Ieroboam fuit principium perditionis Israëlitarum, quia illi trãslati sunt de terra sua propter idola, quę coluerunt, vt patet hic, & sequenti lib. c. 17. Sed ante Ieroboam Israëlitæ non colebant idola, quia tempore Dauid omnes colebant Dominum. Deinde Salomon propter vxores suas coluit idola, & tamen non declinauit cum eo Israël ad idola: postea autem Ieroboam coluit idola, & coëgit populum colere ex causa assignata, supra 12. Et sic habuerunt occasionem perditionis Israëlitæ. Dicendum tamen, quòd propriè loquẽdo, Israëlitæ translati sunt ad Assyrios propter peccata Ieroboam, quia peccatum Ieroboam fuit, quòd ipse coleret idola, & quòd induceret, atq; cogeret idolũ ad colendum, & pro hoc solus Ieroboam cũ stirpe sua punitus est pœna, quę supra exprimitur. Peccata autem populi fuerũt, quòd populus assentiret Ieroboam introducenti idola, & quòd illa postea sponte coleret. Et tunc dicendum, quòd peccatum populi, aut cõsideratur pro malo, quod fecit viuente Ieroboam, aut pro malo, quod egit postea sub alijs Regibus vsquequo

C F E

A ductus est ad Assyrios. De primo dicendum, quòd Israëlitæ satis iustè merebantur transferri de terra sua ad Assyrios, pro idololatria, quam exercuerunt viuente Ieroboam, Deus tamen, qui clementissimus est, disposuerat non euellere eos de terra propter ista sola peccata, ideo si recessissent de cultu idolorum post mortem Ieroboam, nunquàm redeuntes ad illum, non fuissent translati in terram Medorum. Si autem accipiantur peccata populi pro omnibus peccatis, quæ egit post mortem Ieroboam, vsquequò translatus est ad Assyrios, verum est, quòd propter illa de terra euulsus fuerit. Alioquin etiam si multo tempore post mortem Ieroboam coluissent idola, & non continuassent vsque ad tempus regis Oseæ, quando pugnauit Salmanasar contra Samariam, non fuissent translati de terra sua. Fuit igitur translatus populus propter peccata sua, & non Ieroboam: quia tamen Ieroboam fuit auctor istorum peccatorum populi, immò violentus introductor, & fortè si ipse non coegisset à principio Israëlitas ad colendum idola, nunquàm coluissent ea, & consequenter non translati fuissent de terra sua: ideo benè dicitur, quòd translati sunt propter peccata Ieroboam, & sic dicitur hic in litera, sic etiam sequenti libro, cap. 17. Cùm ponitur causa trãslationis Israel ad Assyrios dicitur: Separauit enim Ieroboam Israel à Domino, & peccare eos fecit peccatum magnum, & ambulauerunt in vniuersis peccatis Ieroboam, non recesserunt ab eis vsquequò auferret Dominus
B Israel à facie sua, sicut locutus fuerat in manu Prophetarum. *Quia fecerunt sibi lucos, vt irritarent Dominum.* Id est, Fecerunt sibi altaria, & apud illa plãtauerunt arbores condensas, vt esset locus vmbrosus, & talia loca vocantur luci, quasi luce carentes, vel lucus de luceo luces per antiphrasin, quia non lucet cùm sit opacus, vel vmbrosus. Et ista erat consuetudo altarium apud Gentiles ad vacandum libidini, vt sequẽti cap. declarabitur. Israëlitæ autem constituerunt altaria multa in locis vmbrosis ad colendum ibi idola, secũdùm ritum Gentilium, & istud Deus maximè abominabatur. Et dicitur vt irritarent Dominum, id est, prouocarent eum ad iram, scilicet quia sequebatur necessariò Deum prouocari ad iram Israëlitis facientibus lucos. *Et tradet Dominus Israel.* Scilicet, In potestatem Assyriorum, vt transferatur in terram ipsorum. *Propter peccata Ieroboam.* Non propter peccata, quæ ipse fecit, sed propter illa, quæ Israëlitas agere docuit, vel induxit, aut compulit, vt suprà declaratum est, & istud sonat litera sequens, scilicet, *Qui peccauit, & peccare fecit Israel.* Scilicet, Ieroboam peccauit, quia ipse vitulos fecit aureos, & eos primò coluit: fecit autem peccare Israel, inquantum ad peccandum compulit, & hanc consuetudinem posteà secuti Israëlitæ meruerunt transferri de terra sua.

Prophetia de translatione Israel, an potuerit esse falsa. Et
præcognitio Dei an auferat libertatem
C *nostram.*

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR, quomodo Deus dixit, quòd Israëlitæ euellerentur de terra sua trans flumen. Nam videtur, quòd ista prophetia poterat esse falsa, quia Deus non disposuerat Israelitas transferre de terra sua pro solis peccatis, quæ facerent tempore Ieroboam, sed pro illis, quæ facturi erant posteà vsque ad tempus Oseæ, qui fuit vltimus Rex Israel, vt suprà declaratum est. Poterat ergo esse, quòd Israëlitæ conuerterentur ab idololatria sua ad cultum Dei, & non transferrentur ad Assyrios, essetque prophetia falsa. Respondendum, quòd ista prophetia poterat intelligi secũdùm merita, & dispositionem eorum, contra quos dicebatur, & quia dicebatur contra Israëlitas, qui tunc merebantur secundùm peccata sua transferri de terra, dictum est, quòd transferrentur: si tamen ipsi conuerterentur, mutaretur dispositio eorum, & non mererentur transferri, & consequenter non eijcerentur de terra: & quanquàm non eijcerentur non esset prophetia falsa, quia illa non significabat absolutè, quòd Israëlitæ transferendi essent in terram Assyriorum, sed quòd transferrentur si manerent in illa dispositione. Aliter potest dici, quòd diceretur ista prophetia secundùm firmã Dei sententiã, & tamen non ob hoc esset falsa, quia licèt Israëlitæ poterant conuerti, & Deus hortabatur eos per Prophetas, D
vt conuerterentur, vt patet sequenti libro, cap. 17. Sciebat, quòd non conuerterentur, & sic verum esset infallibiliter, quòd transferrentur de terra: hoc autem Deus certissimè sciebat, ac si iam esset. Sed obijcietur, quòd adhuc non stet, quia dato, quòd Israelitæ non conuertendi essent ad Dominum, & ob hoc futura esset vera prophetia, tamen poterant conuerti, & sic poterat esse falsa prophetia. Nam sicut data conuersione eorum, actualiter dabatur falsitas actualis prophetiæ: ita data possibilitate conuersionis, dabatur possibilitas falsitatis propositionis. Et tamen ea, quæ Deus dicit, & asserit non solùm non debent esse falsa, sed etiam debent esse talia, quæ non possunt esse falsa. Si autem dicas, quòd ista prophetia dicta secundùm firmam Dei sententiam, nec futura erat falsa, nec etiam poterat esse falsa, dabitur necessariò, quòd Israëlitæ non possent conuerti ad Dominum; & sic tolleretur libertas arbitrij propter prophetiam Dei. Et hoc est, quod multi conqueruntur, scilicet, quòd præcognitio Dei auferat libertatem nostram. Dicendum, quòd ista prophetia dicebatur secundùm dispositionem, & merita Israëlitarum: ideo poterat mutari, & tamen non est inconueniens aliquod concedi illam dictam fuisse secundùm firmam Dei sententiam, sicut multæ aliæ dicuntur. Et dicendum tunc, quod impossibile erat istam esse falsam, & tamen non cogebantur Israëlitæ manere in cultu idolorum, sed poterant E
liberè conuerti. Quomodo autem stet omnimoda libertas cum prophetia Dei, significante peccata aliquorum permansura esse vsque ad finem, declaratum fuit satis in quadam quæstione magna de præsentia Dei, circa finem eius, quam posuimus, Iosue 11. *Surrexit itaque.* Hic ponitur tertium huius partis, in quo puer moritur, & dicitur. *Surrexit itaque vxor Ieroboam.* Scilicet, De domo Ahiæ Prophetæ, quia iam prænunciata fuerant omnia, de quibus quærere voluerat, & multo plura. *Et abijt, & venit in Tersa.* Tersa est ciuitas, in qua tunc morabatur Ieroboam, & ibi erat sedes regni, omnesque Reges Israel habebant sedem regni in Tersa, vt patet de rege Baasa sequenti cap. De quo dicitur, quòd regnauit viginti quatuor annis in Tersa, infrà 16. Dicitur, quòd regnauit Ela filius Baasa in Tersa super Israel. Hoc autem fuit quousque ciuitas Samariæ nobilitata fuit, quando dicitur, quod ædificata fuit in monte Somer, infrà 16. Nam ex eo tempore fuit sedes omnium Regum Israel in Samaria. Nunc autem erat in Tersa, & ibi mortuus est filius Ieroboam. *Cumq; ingrederetur limen domus puer mortuus est.* Intelligitur istud de ingressu vxoris Ieroboam in portam vrbis, & non in portam domus suæ: quia Ahias dixerat. In ipso introitu pedum tuorum in vrbem morietur puer. Ideo quando accessit ad vrbem mortuus est. Si autem velimus intelligere hic de limine palatij regalis, dicetur, quòd puer mortuus, id est, mortuus iam erat. *Et sepelierunt eum.* Scilicet, In honore regio, quia erat filius regis, & fit mentio, quòd sepultus est ad differentiam aliorum descendentium de Ieroboam, quia nullus illorum sepultus est, vt patet suprà. *Et planxit illum omnis Israel.* Faciendo planctum solennem, sicut solet fieri pro filijs Regum. *Iuxta sermonem Domini, quem locutus est in manu Ahiæ Prophetæ.* Scilicet, Deus dixerat per Ahiam, quòd iste moreretur illicò, vt accederet vxor Ieroboam ad ciuitatem, & quòd sepeliretur, & plangeretur à toto Israel, vt patet suprà, & sic factum est. *Reliqua autem verborum Ieroboam.* Scripta fuerat historia Ieroboam incompletè: ideo remittitur hic ad alios libros, in quibus plenè habetur ista historia. *Quomodo regnauit.* Scilicet, De modo regni sui, qualiter se habebat ad subditos, & si statuebat inter eos aliquas leges bonas, vel malas pro communicatione politica. *Et quomodo pugnauit.* Istud est bellum, quod habuit cum Abia rege Iuda filio Roboam, in quo perierunt de Israëlitis quingenta millia virorum: de quo 2. Paralipomenon 13.

Ecce scripta sunt in libro verborum dierum regum
Israel. Scilicet, Hic non sunt completè
scripta, sed ibi habentur plenissimè.

F

Quis est liber verborum dierum regum Israel, & quare non habetur in canone.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR, quis est liber iste verborum dierum regum Israel. Aliqui dicunt, quòd iste sit liber Paralipomenon, & inducunt ad hoc, quia ista historia habetur in 2. Paralip. cap. 13 Item patet ex nomine libri: quia in Hebræo vocatur liber ille Dibrehaiamim, quod interpretatur verba dierum. Sed dicendum, quòd nō sit liber iste Paralipomenon. Primò patet, quia iste liber allegat librum verborum dierum regum Israel: ergo oportet, quòd priùs scriptus esset, quàm iste, & tamen liber Paralipomenon scriptus fuit post istum, eo quòd ille fuit solùm ad supplendum ea, quæ minùs habebantur in libris alijs historicis sacræ Scripturæ, & principaliter ad supplendum ea, quæ deficiebant in Genesi, & in libris Regum: quod apparet, quia si quis diligenter inspiciat librum Paralipomenon, reperiet, vt communiter, quòd ea, quæ non habentur hic scribuntur ibi: & ea, quæ habentur hic, subticētur ibi: si tamen ille liber fuisset factus ante istum contineret historiam absolutam, non respiciendo principaliter ad supplendum ea, quæ deficiunt hic, ergo non est liber Paralipomenon liber dierum Regum Israel. Item patet B hoc ex nomine, quia Paralipomenon est nomen Græcum, & est genitiui casus, pluralis numeri, & interpretatur omissorū, vel relictorum, scilicet, quia ibi agitur de omissis, vel relictis in istis libris Regum, & in alijs prioribus: ergo fuit liber Paralipomenon post libros Regum, & sic non potest in illis allegari. Item patet hoc, quia infrà 15. dicitur de Rege Nadab, quòd reliqua sermonum eius scripta sunt in libro dierum Regum Israel. Idem etiam dicitur infrà 16. de Rege Ela, & de Zambri, & de Amri, quòd reliqua verborum suorum scripta sunt ibi, & tamen in toto libro Paralipomenon nulla fit mentio de Nadab, & Ela, & Zambri, & Amri. Nam cùm dicatur de Ieroboam transitur ad Baasa omisso Nadab, & de Baasa trāsitur ad Achab omissis Ela, Zambri, & Amri, vt colligitur 2. Paralipomenon, à cap. 13. vsque ad 18. Ergo non est ille liber verborum dierum Regum Israel. Item patet efficacissimè: quia in libro Paralipomenon allegatur liber verborum dierum regum Israel, vt patet 2. Paralipomenon 33. cùm dicitur: Reliqua gestorum Manasse, & obsecratio eius ad Deum continentur in sermonibus regum Israel. Idem patet de rege Iosia, 2. Paralip. 35. scilicet, Reliqua sermonū Iosiæ, & misericordiarum eius scripta sunt in libro regum Iuda, & Israel. Nō est igitur iste liber Paralipomenon, sed aliquis alius. Et dicendum, quod ab aliquo Propheta historico diligenter enarrata sunt omnia opera regum Israel, non omittendo aliquid de historia, & ibi plenissimè continebantur gesta cuiuslibet regis Israel; & quia liber ille erat authenticus C inter Hebræos, & fuerat scriptus ante istum librum, Ieremias, quando scripsit istum librum Regum, summatim tangens gesta illorum, & passiones, quantum ad illa, quæ custoditam, vel non custoditam legem Domini concernebant, ne putaretur plenam omnium gestorum scripsisse historiam remittit pro his, quæ non habentur hic ad librum illum. Sic enim patet de Gad Propheta, qui fuit tempore Dauid, & descripsit sigillatim, & distinctè omnia opera eius, & etiam historias omnium Regum terræ, qui fuerunt contemporanei Dauid: & quia ille liber erat authenticus, allegauit eum Ieremias, 1. Paralipomenon vltimo. Aliter potest dici, quòd temporibus Regum Israel scribebantur gesta cuiuslibet anni in libris, qui vocantur annales apud nos: & apud Hebræos vocantur chronici, & tunc colligebantur omnia annalia sub omnibus Regibus: & inde fiebat liber vnus: & isto modo liber collectus ex omnibus annalibus Regum Israel vocabatur liber dierum Regum Israel: & iste erat compilatus tempore Ieremiæ, ideo alligauit eum. Erat autem liber authenticus, quia fortè erat scriptus ab aliquo Propheta, ideo allegatur hic; quia in sacra Scriptura non licet allegari aliquid, cuius veritas non sit firma. Item patet, quia sicut liber verborum dierum Regum Iuda non est in sacra Scriptura, & allegatur hic: ita liber verborū Regum Israel allegabitur, hic licet non sit in sacra scriptura. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd quanquàm bellum, quod hic omissum est de gestis Ieroboam, habeatur in libro Paralipomenon, non sequitur, quòd ille sit liber verborum dierum Regum Israel, ex causis suprà assignatis, maximè, quia licèt ibi habeatur istud bellum, tamen non habetur quomodo regnauerit. Hic autem remittitur ad librum illum, in quo continetur bellum Ieroboam, & quomodo regnauit: ergo non est liber Paralipomenon. Ad secundum dicendum, quod vocatur liber Paralipomenon apud Hebræos Dibrehaiamim, quod interpretatur verba dierum: non quòd ille sit liber verborum dierum Regum Iuda, vel Israel, sed vocatur sic, quia est liber historicus: in omni enim libro historico continentur verba dierum, scilicet gesta temporum, ideo historiæ vocantur chronicæ, quod interpretatur temporum gesta, & sic etiam iste liber Regum poterat vocari verba dierum. *Dies autem quibus regnauit Ieroboam viginti duo anni sunt.* Scilicet, Ieroboā regnauit solū viginti duobus annis, & sic regnauit quinque annis plusquàm Roboam, qui regnauit solum decem, & septem annis. *Et dormiuit cum patribus suis.* Scilicet, Mortuus est morte naturali, quam significat dormitio: non enim fuit occisus, sicut filij sui, nec etiam mansit insepultus, sicut illi, sed sepultus est in honore Regio: cùm filius eius succederet ei in regnum pacificè, & potestas resideret, tunc penes domum Ieroboam. *Regnauitq; Nadab filius eius pro eo.* Scilicet, susceptus est in Regem à populo: quia tunc non habebat populus exosos filios Ieroboam. *Porrò Roboam.* Hic ponitur secundum principale huius capituli, scilicet Roboam conditio, in quo reuertitur scriptura ad narrandum de Regno Iuda. Et diuiditur in duo, quia primo ponitur Roboam præuaricatio: secundo punitio ibi. *In quinto anno.* Circa primum dicitur. *Porrò Roboam, filius Salomonis regnauit in Iuda.* Iam istud dictum fuerat suprà 12. Quia tamen enarrauerat in duobus capitulis istis semper de Ieroboam Rege Israel, & nunc vult enarrare de Roboam Rege Iudæ, incipit quasi de nouo, dicens, quòd Roboam filius Salomonis regnauit in Iuda. *Quadraginta, & vnius anni erat cùm regnare cœpisset.* Erat enim iam vir magnæ ætatis, quando cœpit regnare, eo quòd pater suus regnauit multo tempore, scilicet, quadraginta annis, suprà 11.

Roboā Regis conditio

Quomodo potuit Salomon, quando mortuus est, habere filium quadraginta, & vnius annorum.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR, quomodo potuit Salomon habere filiū tantæ ætatis, quando mortuus est, quia Salomon regnauit solùm quadraginta annis, suprà 11. Et filius suus erat quadraginta vnius annorum, quādo cepit regnum mortuo Salomone: ergo oportuit gigni, & nasci Roboam, antequàm Salomon regnaret saltem anno vno: & tamen Salomon accepit vxorem, postquàm factus est Rex, suprà 3. Scilicet, Confirmatum est Regnum in manu Salomonis, & affinitate coniunctus est Pharaoni regi Ægypti. Dicendum, quòd ibi dicitur de filia Pharaonis, quam accepit Salomon in vxorem, postquàm cœpit regnare: Roboam tamen non erat filius filiæ Pharaonis, sed filius Naama Ammanitide, vt patet infrà in litera: ideo potuit accipere istam in vxorem, antequàm regnaret. Sed obijcietur, quòd Salomon acceperit priùs in vxorem filiam Pharaonis, quàm aliquam aliam, quia non fit mentio, quòd habuerit aliquam vxorem ante istam, ideo licèt Roboam natus sit de alia muliere, illa accepta fuit in vxorem à Salomone post filiam Pharaonis. Respondeti potest dupliciter. Vno modo, quòd Salomon acceperit filiam Pharaonis in principio Regni sui, scilicet, post mortem Dauid, Nam licèt aliquanto tempore fuerit Salomon Rex viuente Dauid, non computatur illud tempus in Regno suo, sed in Regno Dauid: deinde mortuo Dauid, acceperit in vxorem filiam Pharaonis in primo anno Regni sui, & simul quasi acceperit Naama Ammanitidem matrem Roboam, & illa peperit ante finem eiusdem anni Roboam, & tunc Salomon regnauerit quasi quadraginta vnis annis: & tamen scriptura computauerit quadraginta solùm, eo quòd isti erant completi. In annis autem Roboam computauerit annos incompletos, scilicet, quòd à natiui-

tate

A tate Roboam vſque ad mortem Salomonis fuerint quadraginta anni,& duo,vel tres menſes:& ſcriptura voluerit computare hic annum incompletum pro completo, & ſic fuerint anni quadraginta, & vnus, maximè, quia cùm in coronatione Roboam fuerit impedimentum, vt patet ſuprà 12. Fortè non fuit conſtitutus in Regem,niſi poſt aliquot menſes à morte Salomonis, & tunc eſſet quaſi quadraginta, & vnius anni.Iſtud autem eſt vt ſaluetur poſitio quaſi communis, ſcilicet ꝙ filia Pharaonis fuerit prima vxor Salomonis, & quòd Salomon non accepit aliquam vxorem ante regnũ. Aliter poteſt dici nõ ponẽdo tot præſuppoſita, ſcilicet,quòd Salomon accepit filiam Pharaonis in vxorem, poſtquàm cœpit regnare, & quòd non fuit illa prima vxor ſua, ſed quòd acceperit aliam vxorem,vel alias, antequàm regnare incideret,ſcilicet,viuente Dauid,& vna iſtarum fuerit Naama Ammanitis, de qua ſuſcepit Roboam, antequàm eſſet Rex:& ſic in morte Salomonis potuit eſſe Roboam quadraginta, & vnius anni,& iſtud aliqui volunt. Sed obijcietur,quomodo fit mentio primò de filia Pharaonis, quòd illam acceperit in vxorem,ſuprà 3.Et nondum facta erat mentio de aliqua. Sic etiam ſuprà 11.ponitur prius filia Pharaonis. Item,quia Canticorum 6. Vbi ponuntur vxores,& concubinæ Salomonis, ponitur vnica electa, & illa eſt filia Pharaonis, quaſi illa ſit ſola vxor. Reſpondendum eſt, quòd non fuit illa prima vxor,tamẽ fit mentio de ea,priuſquàm de alijs, quia Salomon habuit eam ſemper in maiori ſtatu, quàm omnes alias vxores ſimul.Nam ei fecit domum magnificam,ſuprà 7. Et nulli aliarum, nec omnibus ſimul legitur feciſſe domum. Sed tunc dicetur cur hoc fuit? nam non videtur cauſa, niſi quia iſta prius accepta fuerit in vxorem, quàm cæteræ : & ex hoc quaſi ipſa ſola fuerit vxor. Dicendum, quòd non fuit propter hoc, ſed qa iſta fuit vxor maioris ſtatus,quàm acceperit Salomon: quia aliæ,vel non erant filiæ Regum:vel ſi erant aliquæ illarum filiæ Regum, erant patres earum reguli, comparando ad Pharaonem Regem Ægypti, qui erat Rex potentiſſimus propter latitudinem regni ſui,quod non erat in alijs Regibus. *Et decem, & ſeptem annis regnauit in Ieruſalem.* Paruum fuit regnandi tempus, & breuis vita,ſcilicet, quinquaginta octo annorum. *Ciuitate quam elegit Dominus, vt poneret nomen ſuum ibi.* Sedes Regni Roboam fuit in Ieruſalem,quam Dominus elegerat ad ponendum ibi nomen ſuum, id eſt,ad hoc,quòd fabricaretur ei ibi templum, in quo coleretur nomen ſuum. Sic patet 2.Paralipomenon 6.Scilicet, Elegi Ieruſalem,vt ſit nomen meum in ea. *Et omnibus tribubus Iſrael.* Id eſt,Elegi Ieruſalem inter omnes ciuitates tribuum, Iſrael,quia non fuit in omnibus tribubus Iſrael aliqua ciuitas, quæ placeret mihi ad ponendum nomen meum in ea, niſi Ieruſalem. *Nomen autem matris eius Naama Ammanites.* Id eſt, nomen matris Roboam fuit Naama,quæ vocatur Ammanites,id eſt,de terra Ammon : aliquando enim vocantur Ammonitides,& aliquando Ammanitides : ſed idem ſignatur. Ob hoc autem Salomon coluit Moloch idolum Ammonitarum, quia diligebat Naama vxorem ſuam,de qua ſuſceperat Roboam cùm nullum alium filium haberet, ſed ſolùm duas filias, quas dedit duobus præpoſitis, vt patet ſuprà 4. *Et fecit Iudas malum coram Domino.* Id eſt, Totum regnum Iuda,quod comprehendebat tribum Iuda, & Beniamin fecit malum declinando ad idola, ſicut declinauerant decem tribus. *Et irritauerunt eum.* Scilicet, Prouocauerunt ad iram in idololatria ſua.

An ſit contradictio hic,& in Paralipomenon.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR quomodo dicitur hic,quòd peccauerunt viri de regno Iuda, quia 2.Paralipomenon 11. dicitur, quòd Sacerdotes,& Leuitæ, & omnes, qui habebant deſiderium cultus diuini, venerunt ad Roboam, & confortauerunt regnum eius, & ambulauerunt in vijs Dauid. Reſpondendum, quòd regnum Iuda cum rege ſuo Roboam à principio fuit in cultu Dei, ſcilicet, quia mox, vt decem tribus conuerſæ ſunt ad colendum vitulos aureos inductæ, & quaſi coactæ à Ieroboam, ipſi viri Iuda, qui erant hoſtes Ieroboam deteſtantes illum, cùm eſſet hoſtis eorum conati ſunt facere contrarium, non recedendo à Domino,ſed inſiſtendo cultui eius. Iſtud etiam fuit ad reconciliandum ſibi viros de regno Ieroboam. Nam in principio regni Ieroboam fabricatis vitulis multi de populo, qui habebãt intentionem ad Deum,venerunt ad regnum Iuda, quia erat ibi templum, & Roboam cum viris ſuis, vt attraherẽt ad ſe multitudinem regni Ieroboam,colebant tunc Dominum:poſteà autem declinauerunt ad idola. Durauit autem iſte cultus Dei tribus annis in regno Iuda, vſquequò eſſet regnum confirmatum, & reconciliarentur multi de regno Ieroboam : poſteà verò Roboam declinauit, quia ſolùm erant boni Iſraëlitæ in neceſſitate. De hoc 2.Paralipomenon 11. Scilicet, De cunctis tribubus Iſrael quicunque dederant cor ſuum, vt quærerent Dominum,venerunt in Ieruſalem ad immolandas victimas, & roborauerunt regnum Roboam per tres annos. Deinde cap.12.dicitur, Cùm corroboratũ fuiſſet regnum Roboam, dereliquit legem Domini,& omnis Iſrael cum eo.Hic autem fit mentio de tempore illo, quo cœperunt viri de regno Roboam declinare ad idola : & iſtud fuit in quarto anno regni Roboam, & non fit hic mentio de tempore, quo benè ſe habuit regnum Iuda, quia hic ſcriptura vult ponere pœnam inflictam in regno Roboam : & quia ad pœnam debet præcedere culpa, ſatis fuit deſcribi culpam Roboam, & regni ſui,non deſcribendo bona, quæ egerunt à principio regni per tres annos. *Super omnibus, quæ fecerant patres eorum.* Poteſt accipi ſuper pro in,ſcilicet,quòd offenderunt iſti Dominum in omnibus, in quibus offenderunt patres ſui. Vel poteſt accipi pro ſuper, comparando, ſcilicet, offenderunt iſti Deum pluſquàm patres ſui. Et iſte eſt ſenſus literæ. *In peccatis ſuis, quæ peccauerant.* Id eſt, Irritauerunt Deum per peccata ſua, quia Deus nimis iratus eſt, cùm iſti peccarent in idololatria.

Quomodo viri Iuda peccauerunt pluſquàm patres eorum.

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRETVR, quomodo iſti peccauerunt pluſquàm patres ſui, & an peccauerunt pluſquàm viri de regno Iſrael. Reſpondendum, quòd patres iſtorum vocantur prædeceſſores ſui:ideo illi,qui erant in regno Iuda nõ dicebantur patres virorum regni Iſrael,nec è cõtrario : ſed vocabantur patres illi,qui fuerunt ante tẽpora illa,qui aliquando coluerunt idola, ſcilicet,illi, qui fuerunt temporibus Iudicum,vt colligitur ex proceſſu totius libri Iudicum. Iſti autem,qui erant in regno Roboam peccauerunt pluſquàm anteceſſores,eo quòd repererũt plures cæremonias idololatriæ, quàm priores. Et iſtud erat, quia Iſraëlitæ addiſcebant cultum idololatriæ à gentibus; & tamen gentes quotidiè augebant cæremonias idolorum in ſacrificijs,& alijs ritibus; adeo etiam Iudęi ſuſcipiebant quotidiè nouas cęremonias. Quanto autem plures cæremoniæ adhiberentur in cultu idolorum,& quanto cum maiori honore colerentur, tanto Deus magis offendebatur. Item offenderunt iſti Deum, pluſquàm prædeceſſorees ſui, quia iſti poſuerunt effœminatos in terra,vt patet infrà; tempore autem prædeceſſorum ſuorum non leguntur fuiſſe effœminati : iſtud tamen erat grauiſſimum peccatum.

Cùm autem dicitur an peccauerunt grauiùs iſti, quàm viri de regno Iſrael. Dicẽdum,quòd grauiùs peccauit Ieroboã, quàm Roboam, & quàm quilibet de regno Iudæ, eo quòd nullus cogit aliquos ad idololatriam, niſi Ieroboam. De viris autem Iudæ comparando ad viros Iſrael,dicendum,quòd à principio plus peccabant viri Iudæ, quàm viri Iſrael : eo quòd viri de regno Iudæ, nullo iubente, aut cogente idola coluerunt,viri autem de regno Iſrael coacti fuerũt, vel quaſi coacti ad colendum vitulos,ſuprà 12. Poſteà tamen cùm Iſraëlitæ cœperunt ſpontè colere idola, plus peccabant Iſraëlitæ,quàm viri Iudæ,eo quòd viri Iudæ quanquàm colerent aliquando idola, tamen non omninò relinquebant Dominum:viri autem Iſrael deſeruerũt Deum toto corde, & nunquàm faciebant cæremonias cultus diuini, ſed ad idola ferebantur.

Ædificauerunt enim,& ipſi ſibi aras, & ſtatuas. Non ſolùm viri Iſrael ædificauerunt aras, id eſt, altaria, ſed etiam viri

Iuda;

B *Quãdo regnũ Iudæ declinauit ad idola*

C

D

E

F

Grauiùs peccauit Ieroboam q̃ Roboam

A Iuda; faciebant etiam ſtatuas ad colendum illas ſicut gentes. *Et lucos.* Id eſt, Fecerunt ſibi loca vmbroſa præ multitudine arborum, declinantes ad faciendum altaria, vbi luci erant: vel de nouo plantabant arbores in circuitu altarium: & illæ arbores vocabantur lucus, quia luce carebant. De hoc patet Deuteronom.16. Scilicet, Non plantabis lucum,& omnem arborem,iuxta altare Domini Dei tui. *Super omnem collem excelſum.* Id eſt,In cacumine montium conſtituebant altaria. Iſtud erat ad maiorem venerationem, quia loca illa alta videntur eſſe maioris religionis, quàm loca infima, vel plana: vel fortè cõſtituebantur ibi aræ, vt à longè viderentur, & ex quocunque loco poſſet homo venerari illas,ſicut conſueuerunt homines à longè videntes Eccleſias, cùm primùm eas viderint inclinare ſe coram illis. Sic enim Dauid faciebat, quia quando veniebat ad verticem montis Oliueti, quia ex loco illo apparebat domus, in qua erat arca, conſuetus erat inclinare ſe, & orare ex eodem loco præcedenti lib. cap.15. *Et ſubter omnem arborem frondoſam.* Id eſt, Conſtituebant aras ſub quacũque arbore, habente multos ramos,& extendente illos in latum ad faciendum vmbram; nam ibi erat locus religionis, quia Gentiles arbores conſecrabant Dijs. Vnde quercus Ioui ſummo Deorum conſecrata erat, eo quod de illa teſtimonio Gẽtilium homines primò cibum acceperint, ſic ait Iſidorus in Etymologijs. Et ſic erat de alijs arboribus, quæ conſecrabantur varijs Dijs, & ſub illis in religionẽ conſtituebant altaria,quaſi grata Dijs. Etiam fiebat hoc propter vmbras arborum: quia ſub illis aptus locus erat libidini pro ſacrificijs Priapi,de quibus ſequenti cap.dicetur. *Sed & effœminati fuerunt in terrâ.* Id eſt, Non ſolùm coluerunt idola,ſed etiam addiderunt aliud malum grauiſſimum, quia poſuerũt effœminatos in terra.

Quid erant iſti effœminati,qui erant tempore Roboam. Et quòd terræ, qualitas inclinat ad Sodomiam.

QVÆSTIO XXXV.

Effœminatꝰ quis dicitur.

QVÆRETVR,quid eſſent iſti effœminati. Reſpondendum, quòd effœminatus dicitur vir factus,vt fœmina: hoc autem contingit multipliciter. Nam ſi quis caſtretur,effœminatus dicitur,eo quòd impotens ſit gignere,ſicut vir,ſed habet impotentiam fœmininam.Dicitur autem quis turpiter effœminatus,ſi vt fœmina cognoſcatur.Primo modo aliqui putant,quòd erant effœminati,id eſt,caſtrati,poſiti in cæremonijs cultus cuiuſdam Deæ; & hoc dicit Nicolaꝰ. Pro quo ſciendum, quod apud Gentiles erat quædam Dea, quæ vocabatur Cybeles,vel Berecyntia, & multis alijs nominibus;iſta enim vocabatur mater Deorum,& habebat ſacerdotes caſtratos,& in reuerentiam illius multi ſe caſtrabãt: de quo Ouidius in lib.Faſtorum. De iſtis ſacerdotibus putatur, C quòd fuerint aliqui tempore Iudæorũ, ſcilicet,quia iſti in reuerentiam iſtius Deæ caſtrauerunt filios ſuos, ſicut in reuerentiam idoli Moloch cremabant illos. Sic enim Manaſſes luſtrauit filium ſuum per ignem, ſequenti lib. cap. 21. Et de hoc prohibebat Deus, quòd nullus daret de ſemine ſuo idolo Moloch.Leuit.20.Aliter tamen dicendum,quòd effœminati vocantur viri,qui cognoſcuntur,vt fœminæ,ſcilicet Sodomiticè. In tantam autem vilitatẽ Iudæi venerãt,quòd conſtituerant publica lupanaria virorũ: & in hoc offendebãt nimis Deũ: ſic enim fuit paulò ante tempus Machabæorũ, vt patet 2.Machab.4. cùm dicitur, quod conſtituit Ephebiam in Ieruſalem Simon ſummus ſacerdos, & auſus eſt ſub arce Sanctuarij gymnaſium conſtituere, & optimos quosque Epheborum in lupanaribus ponere. Vocantur autem Ephebi pueri nondum barbati, & pulchri quos fœdiſſimus Simon, vt obtineret ſummum ſacerdotium à rege gentili, conſtituit in publicis lupanaribus, & quod deterius fuit, fecit iſta lupanaria eſſe apud templũ,& iſta eſt ſententia literæ: quia nomẽ hic poſitum apud Hebræos ſignat actum Sodomiticum, & ſic ſuper omnia peccata ſua addiderunt Iſraelitę hoc malum, ſequentes ritum gentium. Etiam terræ qualitas ad hoc inclinat:nam in terra Iſrael ſunt ciuitates Sodomorum, ſcilicet mare mortuum, vbi olim fuerunt illæ ciuitates, antequàm ſubuerterentur à Deo: & ſunt in ſorte tribus Iudæ in capite in terra Moab,& Iſrael, & per eas tranſit Iordanis,ideo etiam inclinabantur ex conditione terræ. Sed maximum in his fuit praua aſſuetudo. Nam etiam ipſi viri ciuitatum Sodomæ nõ fuerunt principaliter inclinati ad iſtud vitium ex conditione terræ,ſed magis ex abundantia delitiarum, & otio, vt patet Ezech.16. ſcilicet, Hæc fuit iniquitas ſororis tuæ Sodomæ, ſuperbia,ſaturitas panis,& abundantia, & otium ipſius,& filiorum eius. *Fecerunt q, omnes abominationes gentium,quas attriuit Dominus ante faciem filiorũ Iſrael.* Scilicet, Non ſolùm mala, quæ dicta ſunt fecerunt, ſed etiam oĩa alia, quæ fecerũt gentes,quæ habitauerũt in terra illa ante ipſos,ſcil.gẽtes Chananæorũ: illæ enim erãt gentes ad oĩa ſcelera promptiſſimæ, & maximè in vitio canis, non ſeruantes aliquem gradum, nec honorem cognationis:ideo Deus poſuit,quæ erant vitia carnis,à quibus deberent abſtinere Iſraëlitæ, Leuit.18. Et concluditur ibi, quod illa oĩa vitia fecerunt gentes, quæ fuerunt in terra illa, ideo terra euomuit eas,& Deus attriuit ipſas. Itẽ Deus vetuerat Iſraëlitis imitari cæremonias gentium, Deuter.12. dicens, Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas tu ingrederis poſſidendas, & poſſederis eas, atque habitaueris in terra earum: caue ne imiteris eas,nec requiras cæremonias earum,dicẽs: Sicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos,ita & ego colam. *In quinto anno.* Hic ponitur ſecundum huius partis, ſcilicet peccati punitio:quia pro iſtis peccatis,quæ fecerat regnũ Iuda, Deus miſit hoſtes ſuper illud,& dicitur. *In quinto anno regni Roboam.* Ex hoc patet,quòd vno anno ſolùm peccauerãt viri Iuda,quando Deus miſit ſuper eos regem Ægypti: quia tribus annis ſecutus fuit Iuda Dominum,2.Paral.11. Et iſtud fuit incipiẽdo à principio regni Roboam. Conſummatis autem his annis, Roboã dereliquit Dominũ,2.Paral.12. Et iſtud fuit in quarto anno regni ſui:& in quinto anno venit rex Ægypti, vt patet hic, & tamen tanta fuerunt peccata facta in iſto anno, quòd merebantur totalem deſtructionem regni, niſi Deus miſertus fuiſſet. *Aſcendit Seſac rex Ægypti in Ieruſalem.* Iſte Seſac aſcendit contra regnum Iuda ad deſtruendum illud, & prædandum: & poſtea ſublatis theſauris domus Domini, & domus regis,receſſit in terram ſuam.

Quomodo rex Ægypti aſcendit contra Roboam, cùm videretur cognatus,vel affinis eius.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR quomodo iſte rex Ægypti aſcendit contra regnum Roboam: quia videtur, quòd ipſe erat cognatus Roboam, vel ſaltem attinebat ei aliquo modo, quia acceperat Salomon filiam Regis Ægypti in vxorem.Dicendum, quòd iſte rex Ægypti nõ poterat eſſe cognatus Roboam,quia Roboam nõ erat filius filiæ Pharaonis,ſed cuiuſdam mulieris Ammonitidis,vt patet in litera. Item dicendũ, quòd iſte rex non ſolùm non attinebat ad Roboã aliqua cognatione,ſed etiam non attinebat Salomoni aliqua affinitate, quia non erat iſte rex Ægypti de genere illius regis, qui fuerat ſocer Salomonis, eo quòd in Ægypto variantur reges per cognationes: & quodam tempore ſunt reges de quadam cognatione, & alio tempore de alia:ideo iſte rex non erat de cognatione regis Aegypti ſoceri Salomonis, ideo aſcendit contra regnum Roboam. Sciendum de iſto rege Ægypti, quod ipſe aſcendit contra Ieruſalem cum mille, & ducentis curribus, & ſexaginta millibus equitum, & cum populo multo peditum: & pugnabat contra ciuitates terræ Iudæ, cepitque faciliter multas illarum, nec poterant viri Iuda reſiſtere ſibi, quia peccauerant Domino: ideo cognoſcentes peccatum ſuum,doluerunt nimis, & tunc Deus miſit Prophetam Semeiam dicentem ad Roboam, quòd quia humiliauerant ſe miſeretur eis, & tunc Seſac non reſiſtẽtibus Hebræis cepit theſauros domus Dñi, & domus regis: receſſitq; in terram ſuam,non curans de ciuitatibus, quas acquiſierat. De iſto rege Seſac ponit Ioſephus 8. Antiquita. dicta Herodoti Alicarnaſſei hiſtoriographi,dicentis Seſac quinto anno regni Roboam, cum multis millibus exercituum caſtrametatus eſt:ſequebantur eum currus mille ducentorum: equitum verò ſexaginta millia, & quadringenta millia peditum,quorum plurimos habebat Æthiopes, & Libyas: inuadens itaque regionem Hebræorum munitiſſimas Roboam

A ciuitates, ſine dimicatione detinuit: & nouiſſimum armatus ad Ieroſolymam venit, vbi Roboam, & eius exercitꝰ propter militiam Seſac, tenebatur incluſus Deumque rogabant, vt eis ſalutem, victoriamque conferret, ſed non exaudiuit: ſed Seſac, nec pharetras aureas dimiſit, quas Dauid ſumptas à rege Sephone Deo dicauerat. Dicit etiam Herodotus, quòd Iudæi ſubiecti fuerunt poſteà Gentilibus Ægyptijs, & vult, quod Seſac irridens Hebræos, reliquerit quaſdam ſtatuas Iudæorum in terra Iſrael, & fecit in eis genitalia fœminina cùm reliqua effigies eſſet virilis: & hoc ad irridendum Hebræos, tanquàm fœminas, qui ſe ſine bello tradiderant. Cepit autem Seſac ciuitatem Ieruſalem ſine bello tradentibus eam Iſraëlitis. Hæc autem Herodotus. *Et tulit theſauros domus Domini, & theſauros Regios.* Scilicet, Tulit aurum, & argentum, & reliquas diuitias, quæ erant in templo, in quibus non miniſtrabatur: ipſa autem vaſa miniſtrationis reliquit: & hoc quia Deus inclinauit eum ad non prædandum omnia, eo quòd Iſraelitæ humiliati fuerant coram Deo, ſic enim Pompeius ſuperato templo Ieruſalem, introiuit in illud; & tamen nihil de vaſis eius inde abſtulit, vt ait Ioſephus 14. Antiquitatum. Etiam hoc patet, quia dicitur hic ſolùm, quod tulit theſauros domus Domini. E non dicit, quo tulit vaſa: theſauri tamen dicuntur diuitiæ relictæ, quæ non proficiunt ad miniſterium, ſed ſunt ibi ad aliquid emendum, vel faciendum de eis, quando oportuerit. Vaſa autem dicuntur illa,
B quæ ad miniſtrationem pertinent. Item patet hoc efficaciùs quia ſequen. lib. cap. 24. dicitur, quòd Nabuchodonoſor tulit tempore regis Ioacim de templo Domini omnia vaſa aurea, quæ fecerat Salomon: ergo nulla vaſa aurea, vel argentea tulit Seſac de templo, ſed ſolum aurum, & argentum, quod erat in Maſſa, & alias diuitias, quæ non pertinebant ad miniſterium templi Domini.

Sed aliquis dicet, quod rex Seſac tulit omnia vaſa argentea, quæ pertinebant ad miniſtrationem templi, & non tulit aliquod de vaſis aureis. Sed iſtud ridiculum eſt, quia ſi ipſe abſtinuit à vaſis miniſterij, iſtud fuit propter reuerentiam Dei, & quia Deus inclinabat illum ad non tantùm nocendum Iſraëlitis, ſicut dixit Propheta Semeias ad Roboã. Quia humiliati ſunt non diſperdam eos, daboq́; eis pauxillũ auxilij, & non ſtillabit furor meus ſuper Ieruſalem, per manum Seſac 2. Paralipomenon 12. Non ergo abſtineret ſolùm Seſac à vaſis aureis, ſed etiam ab argenteis: quia vtraque æqualiter neceſſaria erant ad miniſtrationem templi: ſi verò cupiditate motus acciperet vaſa argentea, neglecta religione, & timore Dei, cui dubium erat, quin potiùs acciperet aurea, quàm argentea, cùm maioris eſſent valoris? immò vtraque ſimul acciperet, ſed non accepit vaſa aurea, vt probatum eſt, ergo nec etiam argentea. Item patet hoc, quia licèt ſequenti libro, cap. 24. fiat mentio ſolùm, quòd Nabuchodonoſor tulerit vaſa aurea, quæ fecit Salomon: tamen primo Eſdræ,
C cap. 1. dicitur, Quòd Cyrus Rex Perſarum remiſit vaſa aurea, & argentea in Ieruſalem, quæ inde tulerat Nabuchodonoſor. Et nominantur ibi, quæ erant vaſa argentea, & quæ aurea. Item patet diſtinctio ſuprà data de theſauris, & vaſis: & etiã quòd Nabuchodonoſor tulerit vaſa tam aurea, quàm argentea de templo, 2. Paralipomenon vlti. Scilicet, Vniuerſa vaſa domus Domini tam maiora, quàm minora, & omnes theſauros templi, & regis, & principum tranſtulit in Babylonem. Non accepit ergo nunc Seſac aliquid de vaſis domus Domini, ſed ſolùm theſauros, qui nõ erant ad miniſtrandum in templo. Vocantur autem theſauri domus regis omne aurum, & argentum, & lapides pretioſi, quos congregauerat Salomon: quia nullus tempore ſuo tam diues erat inter reges, vt patet ſuprà 3. & 10. Et iſtum finem habuerunt theſauri Salomonis: nam portati fuerunt in Ægyptum, & manſit Roboam pauper, & poſteà omnes reges Iuda. Hoc enim eſt, quod conquerebatur Salomon de miſeria conditionis humanæ, ſcilicet, quod ipſe laborabat congregando diuitias, & neſciebat an relicturus eſſet poſt ſe ſapientem hæredem: vel ſtultum, qui eas deſtrueret, Eccleſiaſtes 2. Accidit autem ei, quod cùm eſſet ſapiẽtiſſimus propter ſuam nequitiam, dedit ei Deus hæredem inſipientem, qui prius ſtultitia ſua perdidit ferè totum regnum reſpondendo inſipienter populo, ſuprà 12. Poſteà verò iniquitate ſua, quia malè ſe ad Deũ habuit, perdidit nimios theſauros patris ſui, qui tranſlati

Nota de miſeria hominis, congregantis diuitias.

ſunt in Ægyptum ad hoſtes ſuos: verè ergo fruſtrà laborabat D
Salomon, congregando diuitias nimia ſolicitudine: & licèt ipſe hoc dixerit, tamen peruertente paſſione, non benè illud conſiderauit. *Et vniuerſa diripuit.* Scilicet. Vniuerſos theſauros domus Domini, & vniuerſos theſauros regis. *Scuta quoq; aurea, quæ fecerat Salomon.* Nominantur iſta ſcuta ſpecialiter inter theſauros, quia iſta ſcuta oſtentabant maximè gloriam Salomonis, & Roboam: erant enim ducenta ſcuta de auro puriſſimo, & trecentæ peltæ, ſuprà 10. cap. Habebat enim quodlibet ſcutum operimentum de laminis aureis puriſſimis: erantque in quolibet ſcuto ſexcenti ſicli de auro, & in qualibet pelta trecentæ minæ de auro. Iſta autem ſcuta dabantur ſcutarijs, qui excubabant ad oſtium domus regis: & quando rex ibat ad templum, vel ad alium locum præcedebant eum ducenti viri, ferentes iſta ſcuta aurea, in quo oſtendebatur magna gloria diuitiarum Salomonis: & ob hoc de iſtis ſit mentio ſpecialiùs, cùm etiam certum ſit, quòd peltæ aureæ ductæ fuerint à rege Seſac, quia nihil reliquit in theſauris regis. *Pro quibus fecit rex Roboam ſcuta ærea.* Poteſt intelligi, quòd eſſent ærea, id eſt, enea, ſcilicet, de metallo fulgenti ad colorem auri: maximè ſi eſſent de ære Corintho, quod mixtionem habet cum auro, & argento, de quo declaratum eſt ſuprà 7. Vel erant ærea, id eſt, de calybe, & cum nimis eſſent polita, fulgebant obiectis ſibi radijs alicuius luminis. Fecit autẽ ſcuta iſta Roboam, ne videretur omninò cadere à gloria priori, quia prius conſueuerat coram ſe ducere E
viros ducentos, cum ſcutis illis aureis: ideo nunc voluit, vt præirent eum cum ſcutis æreis, cùm non poſſent habere aureos, nec argenteos. *In manu ducum ſcutariorum.* Id eſt, Dedit iſta ſcuta ducibus ſcutariorum. Vocabantur autem ſcutarij ducenti viri, qui ferebant ſcuta coram rege, & iſti habebant ſuper ſe principes, quibus commiſſa erat cura ſcutorum, & illi tradebant ea ſcutarijs. Vel vocantur ſcutarij omnes cuſtodes domus regis, qui ſic vocantur, quia ſcutis, & alijs armis protecti erant propter timores nocturnos, & vt meliùs cuſtodirent. Sic dicitur Canti. 3. En lectulũ Salomonis ſexaginta fortes ambiũt ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenẽtes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Iſti autem cuſtodes Roboam erant multi, & habebant ſuper ſe duces, quibus commiſſa erant ſcuta, & ipſi dabant illa, quibus volebant de cuſtodibus ad ferendum coram rege. *Eorum qui excubabant ante oſtium domus regis.* Id eſt, Iſti ſcutarij erant, qui per noctem vigilabant armati ante portas domus regis. *Cumq; ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea, qui præeundi habebant officium.* Id eſt, Quando egrediebatur rex de domo ſua ad eundum in templum, portabantur iſta ſcuta ab illis, qui habebant officium portandi, vel quibus commiſſum erat à ducibus ſcutariorũ. *Et poſteà reportabant ad armamentarium ſcutariorum.* Scilicet, Quando ibat rex ad templum, & redibat, præcedebant eum
F iſti ſcutarij: quo expleto reducebantur ad armamentarium ſcutariorum, id eſt, ad locum, in quo reponebantur arma vigilum, & cuſtodũ Salomonis, & Roboam. Erat autem iſtud armamentariũ in domo ſaltus Libani, vt patet ſuprà 10. & 2. Paralip. 9. ſcilicet, Quòd poſuit ibi Salomon ſcuta aurea, & peltas aureas. *Reliqua autem ſermonum Roboam, & omnia quæ fecit.* Hic remittitur pro reſiduo hiſtoriæ Roboam: nã hic non plenè deſcripta eſt. Et ſic ponuntur in alio libro omnia facta eius omiſſa hic, & omnia dicta. *Ecce ſcripta ſunt in libro verborũ dierum regum Iuda* Scilicet, Ibi plenè ſcripta ſunt.

Quis liber fuit iſte verborum dierum Regum.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR quis liber fuerit iſte. Aliquis poterat dicere, quòd iſte eſſet liber Paralipomenon ex eodẽ motiuo, ex quo dicebatur, quòd ille eſſet liber dierum Regum Iſrael, nam in Hebræo liber iſte vocatur Dibrehaiamim, id eſt, verba dierum: quod non magis intelligitur de verbis dierũ Regum Iſrael, quàm de verbis dierum Regum Iuda. Sed dicendum, quòd non fuit liber Paralipomenon, liber verborum dierum Regum Iuda: quia hic remittitur pro reſiduis geſtis Roboam ad librũ verborum dierum Regum Iuda: & tamẽ iſta geſta non habẽtur in Paralipomenon,

quia

A quia ibi non ponitur pluſquàm hic de geſtis eius, vt patet 2. Paralipomenon 11.& 12. Ergo non eſt ille liber verborũ dierum regum Iuda. Item patet hoc de rege Aſa, ſequenti cap. Vbi dicitur, quòd reliqua verborum Aſa habentur in libro verborum regum Iuda: & tamen in Paralipomenon non habentur, niſi ea, quæ habentur ſequenti cap. Præter hoc, quod ibi quodlibet iſtorum ſcribitur latiùs, vt patet 2. Paralipomenon 14.& 15.& 16. Item patet efficaciùs, quia in Paralipomenon allegatur liber Verborum dierum regum Iuda: ergo non eſt idem cum Paralipomenon. Patet hoc, quia 2. Paralipomenon 16. dicitur: Opera autem Aſa prima, & nouiſſima ſcripta ſunt in libro regum Iuda. Item patet de rege Ioſia, 2. Paralipomenon 35. Scilicet, Reliqua ſermonum Ioſiæ, & opera illius prima, & nouiſſima ſcripta ſunt in libro verborum dierum Regum Iuda, & Iſrael. Dicendum igitur, quòd iſte liber non eſt in ſacra Scriptura, nec vnquàm fuit inter libros ſacræ Scripturæ, ſed eſt quidam liber hiſtoricus. Poterat autem dupliciter ſcribi: vno modo, quòd aliquis Propheta ſcriberet iſtum librum, diligenter enarrando omnia geſta Regum præcedentia in Iuda: & iſte liber fuerit ante Ieremiam: ideo ipſe potuit allegare eum. Aliter poterat eſſe, quòd ſcriberentur geſta annalia in particulari, ſub quolibet Rege: & tunc quotannis quilibet rex vixiſſet, tot libri annales eſſent: & ex his colligebatur vnus liber magnus, continens omnia geſta illius Regis, & quæ in tempore ſuo facta ſunt.

B Deinde compilando, vel potiùs coniungendo annales omnium temporum Regum Iuda, efficeretur vnus liber magnus, qui vocaretur liber verborum Regum Iudæ. Quomodocunque autem ſe haberet, iſte liber erat authenticus valdè: ita quòd nullam omninò falſitatem contineret. Alioquin non induceretur conuenienter in teſtimonium eorum, quæ ſunt in ſacra Scriptura, nec alligaretur, quia ſacra Scriptura continet ſolidiſſimam veritatem. Firmitas autem veritatis in libro illo erat, quia quomodocunq; ponat fuit ſcriptus à Prophetis, quod patet, quia ipſi ſcribebant geſta Regum, vt patet de Dauid, quorum geſta ſcripſit Gad Nathan Propheta, & etiam ſcripſit Gad Propheta, vt patet 1. Paralipomenon vltimo. Etiam patet de Salomone, & de Roboam. Nam geſta iſtorum ſcripta ſunt à Prophetis. Nam Propheta Nathan, & Ahias, & Addo ſcripſerunt geſta Salomonis, 2. Paralipomenon 9. Geſta autem Roboam ſcripſerunt Semeias, & Addo Prophetæ, eodem libro, capitulo duodecimo. Geſta verò Abiæ ſcripſit Addo Propheta, eodem libro, cap. decimotertio. Et ſic erat de alijs Regibus, ideo erant ſcripta ſatis authentica, & poterant allegari in ſacra Scriptura.

Quare Ieremias non ſcripſit omnia geſta Regum, completè non remittendo ad alios libros.

C

Qvæstio XXXVIII.

Qværetvr vlteriùs, quare cùm Ieremias ſcribens iſtum librum, ſciret omnia geſta Regum in particulari tum ſpiritu prophetico, tum legendo per libros aliorum Prophetarum, ad quos hic remittit, cur non ſcripſit illa completè. Reſpondendum, quòd Ieremias motus fuit ſpiritu prohetico ad ſcribendum iſtos libros Regum, vt eſſent quædam pars ſacræ Scripturæ, & quia non expediebat ſacræ Scripturæ habere enarrationes geſtorum Regum in particulari, quantum ad omnia facta non ſcripſit Ieremias, niſi illa, quæ vtilia erant ſacræ ſcripturæ. Eſt autem Scriptura ſacra ad inſtruendum nos, vt perueniamus in vitam æternam. Ire autem ad vitam æternam contingit per obſeruationem præceptorum Dei, ſicut patet de illo, qui dixit Chriſto: Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Et Chriſtus dixit: Si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata. Matthęi 18.& Lucę 18. Ideo directè in ſcriptura proficiunt libri legales, continentes præcepta, per quorum obſeruationem habemus vitam æternam. Libri autem hiſtorici non continent præcepta: ſunt tamen conuenientes ſacræ Scripturæ, inquantum in eis continentur exempla bonorum virorum, quæ mouent nos ad agendum, ſicut præcepta. Continentur etiam proſperitates illorum, qui Deo adhæſerunt, & calamitates illorum, qui receſſerunt à lege Dei. Iſta mouent hominem ad amorem, & timorem Dei, & incutiunt deſiderium obſeruandi legem, ideo talia ſcribi debent in ſacra Scriptura, iuxta illud 2. ad Timoth. 3. Omnis enim ſcriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus inſtructus. Sic autem eſt de omnibus, quæ ſcribuntur in iſtis libris Regum, quia principaliter continentur in eis proſperitates à Deo datæ, quibuſdam in præmium legis obſeruatæ: & calamitates, in quas alij Deo agente, incurrerunt in pœnam deſerti cultus. Continentur etiam multa alia, quæ pertinent ad inſtructionem hominum in particularibus actibus virtutum. Erant autem quædam in geſtis Regum Iuda, & Iſrael, quæ non pertinebant directè ad aliquam inſtructionem humanam in moribus, ſed ad ſolam curioſitatem, & delectationem volentium ſcire geſta temporum: ideo illa non debuerunt contineri in ſacra Scriptura, quia in opere tam caſtigato, & tantæ auctoritatis non debuit contineri aliquid, quòd eſſet præter intentionem, & finem ſacræ Scripturæ: ideo iſta ſolùm ſcripſit Ieremias omittendo alia: remiſit tamen ad loca, in quibus illa habebantur: & hoc propter duo. Primò ad tollendum dubium, ſcilicet, ne aliquis putaret plenam hiſtoriam hic deſcriptam eſſe, & nihil deeſſe: cùm autem remittit innuit multa deeſſe. Secundum eſt ad ſatisfaciendum curioſis, ſcilicet, ſi vellent partes reliquas hiſtoriæ agnoſcere ſcirent, in quibus libris illas inquiſituri eſſent. Tertium poterat eſſe ad oſtendendum ſe illa non ignoraſſe: ſic enim ſæpè auctores ſcribunt aliqua, quæ aliàs nõ ſcripturi eſſent, niſi vt oſtẽdant ſe non ignoraſſe illa: ſed iſtud nõ fuit motiuum Prophetæ, quia Propheta gloriam non curat: maximè, quia cùm Propheta ſpiritu prophetico loquatur, non eſt veriſimile, quòd ignorauerit aliquid circa ea, quæ loquitur. Sciendum autem, quòd licèt hic vellet tradere Propheta ea, quæ pertinebant ad inſtructionem noſtram de geſtis regum; tamen ea perfectè non tradidit; ideo quædã, quæ adhuc vtilia videbantur partim ad tollendum dubia, quę naſcebantur ex varietate hiſtoriarum, & partim ad ponendũ quædam vtilia, quæ hic non habebantur, factus eſt liber Paralipomenon per modum ſuppletionis iſtorum librorum Regum, & ille etiam per Ieremiam ſcriptus eſt; qui ideo vocatus eſt Paralipomenon apud Grecos, quod interpretatur omiſſorum: quia ſupplentur ea, quæ omiſſa ſunt in libris iſtis.

D E F

Fuitq; bellum inter Roboam, & Ieroboam cunctis diebus. Scilicet, Omnibus diebus, quibus vixit Roboam, ſcilicet decem & ſeptem annis habuit bellum cum Ieroboam. *Dormiuitq; Roboam cum patribus ſuis.* Scilicet, Mortuus eſt ſicut omnes patres ſui, & prædeceſſores mortui fuerunt. Et dicitur, quod dormiuit, ſcilicet, morte naturali mortuus eſt ſine aliqua violentia. *Et ſepultus eſt in ciuitate Dauid.* Scilicet, In caſtro montis Sion, quod vocatur ciuitas Dauid, vt patet præcedenti lib. cap. 5. Ibi enim fecerat Dauid locum ſepulchrorum pro ſe, & tota poſteritate ſua. *Nomen autem matris eius Naama Ammanitis.* Iam dictũ fuerat ſuprà, ſed repetitur hic, eo quod finitur hic hiſtoria Roboam. *Et regnauit Abia filius eius pro eo.* Scilicet, Iſte ſuſcepit regnum mortuo patre. Habebat enim Roboam vxores multas, ſcilicet, decem & octo. Ex quibus ſuſcepit viginti octo filios, & ſexaginta filias: Abias autem non erat primogenitus inter filios eius, quia tamen erat ſapientior cæteris, & quia Roboam diligebat magis matrem eius, quàm cæteras vxores voluit eum facere caput omnium filiorum ſuorum. Hæc omnia patent 2. Paralip. 11.

Roboam an peccauerit pugnando contra Ieroboam.

Qvæstio XXXIX.

Qværetvr, an peccauerit Roboam pugnando cum Ieroboam. Aliquis dicet, quod ſic, quia Deus vetuerat Iſraëlitis pugnare inter ſe, ſcilicet, quòd regnum Iuda non pugnaret contra regnum Iſrael, ſuprà 12. Dicendum, quod ad hoc non poteſt ſimpliciter reſponderi, quia neſcitur quis mouebat iſta bella, ſcilicet, Roboam, an Ieroboam. De reſiſtente autem certum eſt, quòd non peccaret, quia defenſio licita erat: de aggrediente autem, vel indicente bella eſſet dubium, an peccaret; & quia neſcitur quis illorũ pugnaret aggrediendo, non poteſt planè reſponderi. Dicendum

A dum tamen videtur, quòd ista bella indiceret Roboam, quia Ieroboam non receperat aliquam offensam, sed potiùs ipse tenebat regnum, quod pertinebat ad Roboam, ideo videtur, quòd Roboam moueret bella, & non Ieroboam: & tunc stat ratio assignata, scilicet, quòd nõ liceret ei pugnare, quia Deus vetuerat. Dicendum, quod non peccabat Roboam pugnando contra Ieroboam, nec agebat cõtra Dei præceptum, quia Deus solùm vetuit viris Iuda pugnare contra Israel ad reducendum vnitatem regni, sicut à principio ipsi conabãtur: pro alijs tamen causis non erat illicitum pugnare. Ideo dicendũ, quod Roboam nunquàm pugnauit, aut pugnare acceptauit contra Ieroboam, pro vnitate regni, sed pugnauit pro alijs causis, scilicet, quia regnum Roboam, & Ieroboam nouiter diuisa fuerant, & non habuerant aliquos limites distinctos ab antiquo, sed debebant nouiter distingui: & pro his erant discordiæ immortales inter Roboam, & Ieroboam: & potissimè, quia cùm isti duo essent inter se nimis odiosi ex facili causa poterat eis nasci bellum: ista tamen bella non fuerunt famosa, sed erant magis discordiæ, quàm bella, & insultus subitanei, quales solent facere hostes vtrinque in confinijs Regnorum: hoc autem Deus non vetuerat, ideo licuit Roboam pugnare contra Ieroboam.

Quomodo dicitur semper fuisse bellum inter Roboam, & Ieroboam.

B

Qvæstio XL.

VLTERIVS quæretur, quomodo dicitur hic, quòd omnibus diebus Roboam fuit bellum inter eum, & Ieroboam. Nam à principio regni volebant pugnare viri Iuda contra Israel, & Deo vetante cessauerunt redeuntes in domos suas, suprà 12. Ergo non pugnauerunt semper. Respondendum, quod non fuerunt bella inter Roboam, & Ieroboam omnibus diebus, id est, quòd omni die pugnarẽt, vel in quolibet anno in magna parte eius: sed dicebãtur semper pugnare, vel habere bellum, quia illi, inter quos semel incipit bellum, quousque reducantur ad concordiam, dicuntur habere inter se bellum: Ieroboam autem, & Roboam cœperũt à principio diuisionis regni pugnare pro limitibus regnorum, & alijs similibus causis, vt dictum est præcedenti quæstione, & quia nunquàm cessauit inter eos discordia, dicitur semper fuisse bellum. Ad rationem in contrarium dicẽdum, quod bellum quod Israëlitæ incipere volebant pro vnione regni diuisi, cessauit, scilicet, quia mox vt Propheta vetuit, cessauerunt, & nondum adhuc cœperant pugnare, & tamen cessante illa aggressione ad bellandum cœperunt nasci discordiæ de limitibus regnorum: & istæ durauerunt semper viuente Roboam; ideo dicitur, quod fuit bellum omnibus diebus eius cum Ieroboam.

C

Caput XV.

3. Par. 13.

IGITVR in octauodecimo anno Regni Ieroboam filij Nabat, regnauit Abia super Iudam. Tribus annis regnauit in Ierusalem. nomen matris eius Maacha filia Abessalom.

Descripto in præcedentibus tempore Regis Roboam, & Ieroboam: hic agitur de Abia, & Asa: & quia tempore Abia non fuit facta aliqua renouatio regni in Israel, breuiter tãgit scriptura de illo: & diuiditur in duo, quia primò agitur de regno Abia: secundò de regno Asa ibi. *In anno ergo vigesimo.*

An ordo continuus, & immediatus sit.

Qvæstio I.

QVÆRETVR circa primum an ista, quæ dicuntur hic fuerint facta post præcedentia, vel sit ordo mutatus, & an sint facta immediatè, vel aliquo tempore interposito. Ad primum dicẽdum, quod hic est ordo continuus, quia suprà actum est de regno Roboam, & ei successit Abias filius eius, ideo istud fuit post illud. Ad secũdum dicendum, quòd istud fuit immediatè post præcedentia, quia inter regem Roboã, & Abiam nõ fuit aliquis rex medius, ergo necesse est, q̃ immediatè fuerit institutio Abię in regem post mortem Roboam. Sed adhuc posset dicere aliquis, quòd non sequitur, quia interdum inter vnum regem, & alium erant aliqua tempora media sine rege, sicut inter vnum iudicem, & alium erat interdum magnum tempus, scilicet decem, vel viginti annorum, vt patet iud. 3. & 4. & quasi per totum. Sed dicendum, quod hoc non potest stare, nam immediatè post Roboam regnauit Abia. Quod patet, quia Roboam cœperũt regnare eodem anno, supra 12. Et regnauit Roboam decem, & septẽ annis, vt patet hic, & 2. Paralip. 12. Abia autem institutus est in regno in decimooctauo anno regni Ieroboam, vt patet hic in litera: ergo non intercidit aliquod tempus inter regnum Roboam, & Abiæ: nam quando erat annus 18. Ieroboam esset annus 18. Roboam: & dicitur. *Igitur in octauodecimo anno regni Ieroboam filij Nabat regnauit Abia super Iudam.* Istud ponitur ad commensurandum tempora regni Israel cum regno Iudæ: cœperunt enim ista duo regna simul, quia cùm deberet Roboam esse rex vniuersalis propter stultitiam suam facta est discordia, & diuisum est regnum, factusq; est rex Roboam super Iudam, & Ieroboam super Israel, & sic erat idem 7. annus vtriusque regni, & in illo mortuus est Roboam, præcedenti cap. & in sequenti anno, qui erat 18. regni Ieroboam fuit institutus in regem Abia, vt patet hic. *Nomen matris eius Maacha filia Abisalom.* Istam Maacha acceperat in vxorem Roboam cum alijs 17. vxoribus, & quia istam magis dilexit, fecit filium suum caput omnium aliorum filiorum, 2. Paralip. 11. Ex hoc patet, quod acceperat Roboam patruelem suam in vxorem, scilicet quod Roboam, & Maacha erant filij duorum fratrum, quia Roboam erat filius Salomonis, & Maacha erat filia Absalom, & isti duo erant fratres. Iste tamen gradus licitus erat secundùm legem Moysi. Sed videretur dicendum, quòd non fuerit ista Maacha filia Absalom filij Dauid. Nam in Hebræo non ponitur Absalom, sed Auisalom, & litera nostra secundùm modum scribendi Latinum debebat dicere Abisalom, sed vitio scriptorũ ablata fuit vna litera, & dicitur Absalom. Causa autem potissima erroris fuit similitudo nominis, & quia ipsi scriptores, qui à principio transtulerunt reperientes Abisalom, putauerunt literam corruptam esse, & volentes corrigere, corruperunt eam, & sic non accepit Roboam patruelem suam in vxorem, sed filiam alterius viri, qui vocabatur Abisalom, & erat vir potens in populo. *Ambulauitq; in omnibus peccatis patris sui, quæ fecerat ante eum.* Scilicet, Abia coluit idola, sicut pater suus: nam tempore Roboam fuerunt altaria idolorum, & statuæ in regno Iuda, & effœminati in terra, præcedenti capitulo. Ita etiam fuerunt tempore Abiæ. Vnde non fuit melior patre suo.

D

E

Quomodo Abia ambulauit in peccatis patris sui.

F

Qvæstio II.

QVÆRETVR quomodo dicitur hic, quòd Abia ambulauit in peccatis patris sui Roboam. Nam videtur, quòd fuerit cultor Dei valdè Abia: quia 2. Paralipomenon 13. Abia pugnauit contra Ieroboam, & laudat ibi cultum Dei in terra Iuda, & quòd haberent sacerdotes Dei: Ieroboam autem habebat idola, & sacerdotes vitulorum. Respondendum, quòd Abia ambulauit in peccatis patris sui colendo idola, sicut hic dicitur: & tamen nõ colebat semper idola, sed aliquando colebat Deum, & aliquando idola. Vnde videtur, quod tempore illo, quo pugnauit cõtra Ieroboam coleret Deum, & ob hoc laudabat eum: & etiã ob hoc data est ei victoria mirabilis, quæ non data fuisset, si coleret idola: deinde elatus victoria à Deo data, declinauit ad idola. Istud patet ex litera; quia dicitur, nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris sui: ergo non plenè colebat Deum, sed aliquando colebat Deum, & aliquando idola. Item patet hoc, quia litera dicit, quod ambulauit in vijs patris sui, sed pater suus istum modum tenuit, quia aliquando coluit Deum, scilicet, tribus annis à principio regni, quãdo conueniebant ad eum multi de viris

A Israel, vt confirmarent regnum suum, 2.Paralipomenon 11. Cùm autem post tres annos confirmatum fuit regnum eius, dereliquit legem Domini, vt patet eodem lib.cap.12.Sed obijcietur, quòd Abias non coleret aliquando Deũ, & aliquando idola, sed semper Deum, quia 2.Paralipomenon 13.Increpabat Ieroboam, & decem tribus de regno eius, quòd declinassent ad idola, & subdidit, noster autem Deus est, quem non reliquimus, ergo nunquàm ad idola declinauit. Respondendum, quòd istud intelligitur de cultu Dei, & cæremonijs legis, quæ erant in regno Iuda: vbi quanquàm colerentur idola, non tamen colebantur lege vniuersali, sicut in terra decem tribuum, vbi omnes colebant idola. Etiam quia quãquàm declinauerint viri de regno Iuda ad idololatriam, nunquàm propter hoc fuerunt omissæ cæremoniæ cultus diuini in templo, sed ita fiebant illæ cæremoniæ, ac si nunquàm colerentur idola: & quia istæ semper seruatæ sunt in terra Iuda, poterat dicere Abias, quòd nunquàm dereliquerant Dominum, etiam si colerent idola: viri autem Israel omnino dereliquerant Dominum, fabricantes vitulos, & non obseruantes aliquas cæremonias cultus Dei: quia ipsi nunquàm veniebant ad templum, vbi seruabantur cæremoniæ legis, quia vetuerat hoc Ieroboam, suprà 12. Etiam non habebant aliquem sacerdotem, qui faceret cæremonias Dei in terra sua, ideo ipsi recesserant à Deo, & viri Iuda non licèt vtrique colerent idola. *Nec erat cor eius perfectum, cum Domino Deo suo.* Scilicet, Cor regis Abiæ non erat perfectum, & intelligitur dupliciter. Vno modo, quod non laborabat totis viribus suis ad colendum Deum, ita vt nihil ipse faceret, vel viri de regno suo contra cultum Dei, sed remisse colebat: ille autem habet cor perfectum cum Domino, de quo dicitur, quod habetur Psal.1. Sed in lege Domini fuit voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Alio modo dicitur cor perfectum hominis cum Deo, quando totaliter Deum colit, & nunquàm idola. Sic patet suprà 1. libro, cap.7. Scilicet, Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, abijcite de medio vestri Deos alienos Baalim, & Astharot. Et isto modo non erat cor Abiæ perfectum, quia aliquando colebat idola, sicut pater suus Roboam, vt patet suprà. *Sicut cor Dauid patris eius.* Vocatur Dauid pater, id est, proauus, quia erat pater Salomonis, & ille pater Roboam, & Roboam pater Abiæ: sic etiam omnes maiores vocantur patres, sicut Balthasar vocatur filius Nabuchodonosor, & iam interciderant plures generationes in medio. Sic etiam est secundùm iura humana, vt patet extra de verborum significa. cap. Nam, & Nabuchodonosor. Fuit autem cor Dauid perfectum cum Domino, quia desiderauit colere eum, quantum potuit.

B

Cor perfectum quod dicitur

Quomodo dicitur, quòd cor Dauid erat perfectum cum Deo, cùm ipse grauiter peccauerit in multis.

C

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR quomodo dicitur cor Dauid perfectum cum Deo, quia Dauid peccauit grauiter contra Deum in homicidio, & adulterio, & numeratione populi, & similibus, sed ad perfectionem omnimodam requiritur innocentia, saltem à mortalibus: quia de venialibus peccatis non est cura. Respondendum, quod esse cor perfectum alicuius cum Deo, intelligitur dupliciter: vno modo, quòd solicitus sit circa cultum Dei, vt agat quantum poterit, quòd Deus semper colatur. Secundò, quòd nunquàm recedat ad idola. In Dauid fuerunt ista duo, nam erat nimis diligens, & affectuosus ad ampliandum cultum Dei. Quod patet, quia nullus de principibus Israel dixit vnquàm, quod volebat ædificare domum Domino, & ipse disposuit. Et de hoc laudat eum Deus, quia dixit præcedenti libro, cap.7. Quod nunquàm iusserat alicui principi Israel, quòd ædificaret ei domum cedrinam: & Dauid dicebat, quod volebat eam ædificare, ideo secutæ fuerunt ibi multæ promissiones ad eum. Patet etiam quia humiliabat se minis coram Domino abijciendo seipsum, vt exaltaret Dominum. Nam saltabat totis viribus, & ludebat coram arca, quando transtulit eam de domo Obededom, præceden.lib.cap.6. & cùm increparet eum Michol propter hoc, dixit: ludam, & vilior fiam quam factus sum coram Domino, qui elegit me. Item patet 1.Paralipo.13. cùm ipse admonuit totum Israel, vt irent pro arca in Cariathiarim, dicens, quod in temporibus prædecessorum suorum non requisierant Dominum. Ipse igitur fuit magis solicitus circa cultum Dei, quàm omnes præcedentes. Secundum patet, quia Dauid nunquàm declinauit ad idola, immò in tempore suo nullus in Israel ausus est tenere idolũ, ergo cor eius perfectum erat cum Domino. Cùm autem obijcitur, quod peccauit in homicidio, adulterio, & similibus.

D

Dicendum, quod ista non tollunt cor Dauid esse perfectum, quia ista erant quędam peccata facta ex passione, & tamen propter hæc non cessabat desiderium magnum colendi Deum, & rigor contra illos, qui vellent colere idola. Et dicendum, quod verum est Dauid non seruasse innocentiam, vel munditiam cordis semper, & tamen seruauit semper perfectionem cordis, eo quòd ista differunt, quia perfectio cordis stat cum aliquo peccato cùm solùm requirat duo suprapositа. Munditia autem cordis omnimoda, vel innocentia excludit omne peccatum.

Perfectio cordis stat cũ peccato.

Sed propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem. Scilicet Deus dedit lucernam ipsi Roboam propter Dauid. Vocatur lucerna ipse successor in honore paterno, quia sicut lucerna est aliquid viuens, ita successor est viuens, & est aliquid ipsius defuncti, quia est pars eius cùm sit filius. Et ista lucerna dicitur hic data Roboam, & non Dauid, nec Salomoni, quia iam Dauid habuerat Salomonem in successorem, & Salomon habuerat Roboam: si autẽ Abia non fuisset rex, non habuisset Roboam successorem, nec lucernam, ideo Deus dedit ei lucernam propter Dauid, scilicet qa Dauid fuerat vir bonus in toto corde suo, & Deus seruat misericordiam diligentibus se in mille generationes, ideo licèt filij Dauid essent mali, Deus debebat benefacere eis in aliquo propter Dauid. De hoc patet Exod.34. & Nume.14. Qui custodis misericordiam in millia, id est, in mille generationes, vel plusquàm mille. *Vt suscitaret filium eius post eum.* Scilicet in hoc Deus dedit lucernam Roboam propter Dauid, quia suscitauit post eum filium eius in regem.

E

Et staret in Ierusalem. Scilicet maneret, vt rex in Ierusalem, nam ibi fuit sedes regni omnium regum Iuda, in hoc etiam significatur, quod non solùm propter Dauid, sed etiam propter Ierusalem Deus fecit, quòd Roboam haberet successorẽ, & hoc, vt sedes regni staret in Ierusalem, & hoc significat ista particula, scilicet, & staret in Ierusalem. Item patet hoc suprà 11.cap.cùm dicitur, quòd Deus voluit dare progenici Salomonis partem regni, scilicet, porrò vna tribus remanebit ei propter seruum meum Dauid, & Ierusalem ciuitatem, quam elegi. Quomodo autem propter Ierusalem dabatur regnum posteris Dauid ibi declaratum est.

Eo quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini. Id est propter merita Dauid, qui bonũ operatus est, posteri eius quanq; mali essent consecuti sunt misericordiam à Deo. Sic enim dixerat Deus ad Dauid præceden.lib.cap.7. quod si filij Dauid peccarent Deus corriperet eos in virga virorum, & in plagis filiorum hominum, misericordiam autem suam nõ auferret ab eis, sicut abstulit à Saule, quem amouit à facie sua.

F

Et non declinasset ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ suæ. Scilicet in tota vita sua secutus est Dauid Dominum, & in hoc differt à Salomone, qui à principio regni bonus fuit, sed postea in senectute deprauatum est cor eius per mulieres suprà 11. *Excepto sermone Vriæ Hethæi.* Scilicet in hoc solo declinauit à lege Dei.

Dauid, an peccauerit tantùm in morte Vriæ.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR, quomodo sit verum, quòd in hoc solo declinauerit, quia etiã adulteratus est cum Bethsabee, & istud fuit præter mortem Vriæ, etiam numerauit populum, in quo peccauit præcedenti lib.cap.24. Dedit quoq; medietatem possessionũ Miphiboseth filij Ionathæ Sibæ seruo eius, præceden.lib.cap.19. & tamen erat innocens Miphiboseth, interdum etiam commisit alia similia. Respondendũ quod Dauid peccauit in morte Vriæ, & istud fuit maximum peccatũ eius: nam propter istud dedit ei Dominus in pœnã,

quòd

A quòd moreretur filius suus primus, quem suscepit de Bethsabee: etiam quòd nunquàm recederet gladius de domo sua, & ex hoc habuit causam defloratio Thamar filiæ Dauid, & mors Ammon primogeniti Dauid, præced. lib. cap. 12. & 13. Fecit tamen præter hoc alia peccata, quæ parua fuerunt in comparatione ad istud, ideo scriptura nō nominauit illa hic, quasi non essent peccata.

Sed obijcietur, quia adulterium cum Bethsabee magnū peccatum fuit: nam Deus improperauit Dauid maximè hoc, vt patet ex verbis Nathan præced. lib. cap. 12.

Dicendum, quod magnum peccatum fuit, & tamē intelligitur hic per sermonem Vriæ, id est, peccatum factū contra Vriam. Nam peccauit Dauid cōtra Vriam dupliciter. Primò peccauit cognoscendo vxorem eius, in quo offendebat eum grauissimè. Secundò peccauit cōtra eum iniustè illum morti trādendo: vtrunq; ergo comprehenditur sub nomine peccati Vriæ. Et dicitur excepto sermone Vriæ, id est, excepto malo, quod fecit Dauid contra Vriam, & ponitur sermo pro re, sicut est modus communis loquendi in veteri Testamento. Et sic dicitur hic sæpè liber Verborum dierum regum Iuda, vel liber Verborum dierum regum Israel, id est, libri gestorū, quia non scribuntur libri de verbis eorum, sed de gestis.

Sed adhuc obijcietur, quòd fuerit peccatum valdè magnum in Dauid numeratio populi, cùm propter illud fuerit tanta pestilentia à Deo missa super populum præced. lib.
B cap. 24.

Dicendum, quod istud peccatum graue fuit, & tamē istud peccatum magis fuit ex parte populi quàm ex parte Dauid, quia merito populi Dauid incidit in istud malum, quod satis declaratum est ibi. Et apparet hoc ex pœna data, quia propter istud peccatum mortui sunt de populo plurimi, scilicet septuaginta millia virorum, eo. cap. & 1. Paral. 21. & tamen nō legitur, quòd aliquis de progenie Dauid mortuus fuerit ibi. Quod etiā satis colligitur, quia Dauid videns, quòd magna pestis fuisset in populo, dixit ad Angelū habentem gladium euaginatū: Ego sum, q peccaui, ego iniquè egi, isti oues sunt, quid fecerunt? vertatur obsecro manus tua cōtra me, & contra domum patris mei. Et sic patet, quòd nondum Angelus occidisset aliquem de domo Dauid. Si tamen istud peccatum fuisset principaliter Dauid, Deus puniuisset eum, & non populum, vel saltem eum magis quàm populum, sicut quando occidit Vriam, & adulteratus est cum Bethsabee pœna venit in domum Dauid solùm, vt patet præcedenti libro, cap. duodecimo. Quia mortuus est primus filius Dauid ex Bethsabee, & non recessit gladius de domo Dauid, sed principaliùs punitus est populus, ergo ad populum pertinebat magis istud delictum, scilicet causa eius.

Sed obijcietur adhuc, quia quòd Dauid auferret Miphiboseth innocenti medietatem possessionum, & traderet eam seruo suo Sibæ falso criminatori iniustissimum erat.

C Respondendum, quod à principio Dauid credidit falsæ accusationi, quam concepit Siba contra Miphiboseth, eo quod poterat esse aliqua coniectura ad istud, & ex quadam perturbatione mentis parte inaudita sententiauit cōtra Miphiboseth præcedenti libro, cap. 16. deinde cognita veritate, quando comparuit Miphiboseth coram Dauid, erubuit Dauid reuocare sententiam suam, quam stultè, & indeliberatè tulerat, & dedit medietatē possessionum Miphiboseth, & aliam medietatem Sibæ, cùm priùs omnia donasset Sibæ de hoc præcedenti libro, cap. 19. posteà tamen Dauid satisfecit ipsi Miphiboseth de omnibus istis, vt declaratum est, eodem cap. ideo peccatum illud paruum reputatum est. Alia autem fuerunt peccata parua, sicut quædam mendacia, & desiderium nocendi sine opere secuto, qui fuerunt in Dauid, de quibus in multis locis primi libri huius, & in præcedenti libro declaratum est: fecit igitur Dauid alia peccata præterquàm contra Vriam Hethæum, & tamen non vocantur hic peccata, quia minora erant in comparatione huius. Quare autem Vrias vocetur Hethæus, vel Cethæus, declaratum est præcedenti lib. cap. 11.

Attamen bellum fuit inter Abiam, & Ieroboam omni tempore vitæ eius. Scilicet omni tempore, quo vixit Abia. Nam post mortem Abiæ adhuc regnauit Ieroboam annis duobus: eo quòd Abias solùm regnauit tribus annis, vt patet suprà in litera, & cœpit regnare in principio anni 18. regni Ieroboam suprà in litera, sed Ieroboam regnauit annis viginti duo, præcedenti cap. ergo supererant duo anni de regno Ieroboam, quando mortuus est Abia. D

Quomodo omnibus diebus Abiæ fuit bellum inter eum, & Ieroboam.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, quomodo dicitur, quòd omnibus diebus Abiæ fuit bellum inter eum, & Ieroboam, quia 2. Paralipomenon 13. ponitur vnicum bellum, in quo Abia præualuit contra Ieroboam, & occidit quingenta millia virorum de Israel, & cepit ciuitates multas de regno Ieroboam, & dicitur ibi: Nec valuit vltrà resistere Ieroboam in diebus Abiæ, ergo nunquàm fuit, nisi vnum bellum Ieroboam, & Abiæ.

Respondēdum, quòd Abia in principio regni sui instruxit bellum potentissimum contra Ieroboam ad repetendum regnum Israel, tanquàm sibi debitum, 2. Paralip. 13. & in illo bello corruerunt plurimi de Israel, & cepit ciuitates multas Abia de terra Ieroboam, & quia cōiectus est ibi in fugā Ieroboam, non ausus fuit posteà viuente Abia instruere Ieroboā bellum campale contra eum, & tamen ad recuperandum ciuitates, quas perdiderat, & ad nocendum regno Abiæ faciebat Ieroboam insultus quosdam subitaneos in terram Roboam, sicut fieri solent in confinijs hostium, & isti insultus durauerunt semper quamdiù vixit Abia, ideo dicitur fuisse semper bellum inter Abiam, & Ieroboam. Vel potest dici, quod post illud bellū maximū & primum quod gessit Abia cum Ieroboam fuerunt multa alia bella inter eos super repetitione ciuitatum captarum de regno Ieroboam in primo bello, & tamen in nullo eorum poterat Ieroboam resistere Abiæ, quia iam conceperant Israelitæ timorem, & viri Iuda conceperant audaciam. E

Abias, an peccauerit pugnando contra Ieroboam.

QVÆSTIO VI.

VLTERIVS quæretur, an peccauit Abia gerēdo semper bellum contra Ieroboam. Aliquis dicet quòd sic, quia Deus vetuerat tempore Roboam patris Abiæ viris Iuda pugnare cōtra viros Israel suprà 12. ideo obligaretur etiam Abia ad illud præceptum, quia eadē ratio subsistebat, scilicet quia Deus dixerat de voluntate sua factam fuisse diuisionē regni. Respondēdū quòd Abia habuit cum Ieroboā in principio regni sui vnū bellum potentissimum, in quo conatus est restituere vnitatē regni, quod fuerat diuisum tēpore patris sui, & quia de illo bello nō tangitur hic specialiter, & tāgitur 2. Paralip. 13. ibi dicitur, an peccauerit in hoc Abia. F Alia autem fuerunt bella eius cum Ieroboam posteà, quæ mouebat Ieroboam super limitib⁹ regnorū, & super alijs causis emergentibus, & in his fuerunt vique ad mortem Abiæ. De quibus dicendum, quod licitum erat Abię pugnare, quia Deus nō vetuerat hoc, sed solùm pugnam ad reintegrādam vnitatem regni, & nunc nō pugnabatur ad hoc: sic enim declaratum fuit pręceden. cap. de Roboam, quòd non peccauit gerendo bellum omnibus diebus suis cum Ieroboam. Ad rationem in contrarium dicendū, quod solùm prohibetur ibi pugna ad restituendum vnitatem regni, & ista militat contra primum bellum, quod habuit Abia cum Ieroboam, de quo dicetur 2. Paralip. 13. *Reliqua autem sermonum Abia, & omnia, quæ fecit.* Non sunt hic scripta omnia facta, & dicta Abiæ, ideo Propheta remittit ad alium librū, in quo plenè scripta sunt. *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierū regum Iuda?* Quasi dicat, scripta sunt ad plenum in libro verborum dierum regum Iuda. Nam in libro illo compilato ex annalibus historijs, vel ex scriptis Prophetarum particularibus continebantur specialiter omnia gesta regum Iudę, & ibi erant plenè gesta Abiæ. Scripsit autem gesta istius per extensum Abdo Propheta, vt patet 2. Paralip. 13. scilicet reliqua autem sermonum Abiæ viarumque, & operum eius scripta sunt diligentissimè in libro Prophetæ Abdo. *Fuitq; bellum inter Abiam, & Ieroboam.* Potest intelligi de illo bello magno, quod fuit in principio

A regni Abiæ, in quo corruerunt ex parte Ieroboam quingenta millia virorum, 2.Paralip.13. vel potest intelligi de bello continuato per totam vitam Abiæ inter istos duos reges. *Et dormiuit Abia cum patribus suis.* Id est, mortuus est Abia, sicut omnes patres sui, & fuit mortuus morte naturali, scilicet nō violenta. Sed obijcietur, quia 2.Paralip.13. dicitur, quòd percussit eum Dominus, & mortuus est.

Mors Abiæ.

Dicendum, quòd fortè peste absumptus est, vel propter peccata sua Deus immisit ei aliam ægritudinem, quæ subitò eum rapuit, & sic regnauit modico tempore, scil. tribus annis solùm, & erat tunc iuuenis cùm mortuus est, ista tamen mors vocatur dormitio, quia coincidit cum morte naturali, quæ fit per ægritudinem, ideo posuit Dauid mortem, quæ à Deo infligitur distinctam à morte violenta, quæ fit in bello, vel in similibus suprà 1.lib.cap.24. scilicet viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius sit mihi Dominus, quòd non mittam manum meam in Christum Domini. *Et sepelierunt eum in ciuitate Dauid.* Scilicet in locum vbi erant sepulchra regum in castro montis Sion.

Regnauitq; Asa filius eius pro eo. Scilicet successit ei in regnū, quia fortè iste erat primogenitus Abiæ, vel quia erat præcipuus in prudentia, & robore, & elegit eum Abia, vt esset rex, sicut elegit Roboam ipsum Abiam quanquàm non esset primogenitus, 2.Paral.11. habuit autem Abia filios multos, & filias, nam accepit vxores 14. & procreauit 22. filios, & decem, & sex filias, 2.Paralip.13.

B

In anno ergo. Hic ponitur secundum, in quo agitur de regno Asa, cum quo regnauerāt simul plures reges Israel, quia ipse regnauit magno tempore. Et primò agitur de Asa: secundò de ipsis qui regnauerunt cum eo simul in Israel ibi, *Nadab verò.* Prima in duas, quia primò ponitur tempus, in quo Asa benè se habuit: secundò tempus, in quo à bonitate declinare cœpit ibi. *Ascendit quoque Baasa.* Circa primum dicitur. *In anno ergo vigesimo Ieroboam regis Israel regnauit Asa rex Iuda.* Computatur hic regnum Iuda per regnum Ieroboam. Nam Ieroboam, & Roboam cœperunt simul regnare, & dum regnaret Ieroboam in Israel regnauit Roboam in Iuda, & post eum regnauit Abia, & ambo mortui sunt viuente Ieroboam. Tertius autem fuit rex Iuda institutus viuēte Ieroboam, scilicet Asa, & de isto dicitur hic, quòd regnare cœpit anno vigesimo regni Ieroboam.

De modo concordandi diuersas durationes regum, & an aliquando subticeantur tempora, quibus aliqui reges malè regnauerunt.

QVÆSTIO VII.

C

QVÆRETVR, quomodo potest stare, quòd cœperit regnare Asa anno 20. Ieroboam, nam Abia cœpit regnare anno decimooctauo regni Ieroboam suprà in litera, & regnauit tribus annis, vt patet ibidem, ergo cùm successerit Asa ipsi Abiæ, necesse est, quòd cœperit regnare anno 21. regni Ieroboam.

Quinque modis saluantur dissonātia temporum in scriptura.

Ad euidentiam huius dicit Nicolaus, quòd quinq; modis saluantur dissonantiæ temporum in sacra scriptura computando tempora regum, vel principium.

Primus modus est per Synecdochen, qa aliquando accipit pars pro toto, sicut dicimus de Christo, quòd tribus diebus iacuit corpus eius in sepulchro, id est, partib⁹ trium dierū, & sic dicitur aliquādo, quòd regnauit aliqs rex decem annis, & non fuerūt illi anni completi, sed erant nouem, & dimidius, vel aliqd minùs, aut plus: & in alio loco scriptura facit mentionem de illis annis, & quia non erant decem completi, ponit nouem completos: & dicit quòd regnauit nouem annis, & sic erit dissonantia, sed saluatur per Synecdochen.

Secundus modus est, quando filius regnauit cum patre, sicut Salomon fuit rex aliquanto tempore viuente patre supra primo, & illud tempus regulariter non computatur, nisi sub annis regis prioris, ideo cum dicitur, quòd Salomon renauit quadraginta annis intelligitur de illis quadraginta, quos egit in regno mortuo Dauid, ideo si interdum diceret scriptura, quòd regnauit quadraginta, & vno anno, vel quadraginta duo, intelligendum erat, quòd ille vnus, vel duo anni transierant de regno eius, viuente Dauid.

D

Tertius modus est, quia aliquando vacauit regnū, & tempus vacationis interdum computatur sub precedenti rege, & interdum subsequente. Istud maximè apparet in iudicibus, inter quos, vt communiter erat tempus vacationis, quia vnus non assumebatur in regem illicò, vt alius moriebatur, sed erat tempus medium, in quo populus colebat idola, & subijciebatur seruituti Gentilium, ideo si inter duos iudices fuissent viginti anni vacationis, & sequens iudex præesset populo decem annis, diceretur, quòd ille iudicauerat Israel triginta annis addendo tempori suo tempus vacationis. Interdum autem anni vacationis per se ponūtur, & non coniunguntur temporibus alicuius iudicis, sicut 18.anni, qui habentur, Iud.10. de quibus ibi declaratum est, & ideo in casu dato poterat dici de illo iudice, quòd præfuerat annis 30. & in alio loco poterat dici, quòd præfuisset annis decem, & sic tolleretur dissonantia per istum modum, scilicet accipiendo annos suos solùm, vel annos vacationis cum annis suis.

Quartus modus est, quia interdum contingit, quòd aliquis rex à principio regni benè regeret: & postea malè se haberet, & scriptura interdùm computat annos illos, quibus se benè habuit reliquos omittendo, sic dicit de Saule, quia ille regnauit annis viginti, quia tamen duobus annis solum benè regnauit, ponuntur solùm duo anni regni eius suprà 1. lib.cap.13.

Quintus modus est per vitiū scriptorum, qui interdū non aspiciunt ad numeros, & faciliùs in hac errant quàm in alijs partibus scripturæ. Vult igitur saluare Nicolaus istam diuersitatem per primum modum, scilicet per Synecdochen.

E

Hæc omnia benè assignata sunt præter modum quartum, nam nunquàm est verum, quòd scriptura omittat annos alicuius regis, in quib⁹ malè se habuit, quia scriptura ponit annos regum, & principium ad certificanda tempora, & quia si omittantur anni, in quibus reges malè vixerunt, tempora non certificabuntur, necesse est ponere omnes annos, quia æqualiter necessarij sunt ad certificationem temporum anni, quibus reges malè vixerunt, sicut quibus benè vixerūt. Item si hoc obseruaret scriptura, cùm sint quidam reges, qui nunquàm benè vixerunt in regibus Iuda, scilicet Achaz, & Ammon, & Ioram nihil poneretur de annis illorum, & tamē ponuntur anni illorum completè, De Ioram patet 2.Paralip. 21. de Achaz sequen. lib.cap.16. de Ammon, eod. libr. cap. 21. Item omnes reges Israel incipiendo à Ieroboam mali fuerūt semper: ergo nihil deberet poni de temporibus regni Israel, & tamen describuntur diligenter omnes anni Regum Israel in isto libro, & sequenti, sicut anni Regum Iuda: non ergo est verum, quòd pars annorum, in quibus aliquis rex malè se habuit, subticeatur interdum. Cùm autem exemplificatur de Saule.

F

Dicendum quòd non stat, quia illi duo anni, qui ponuntur de regno Saulis suprà primo libro, cap.13. non ponuntur tanquàm summa omnium annorum regni sui, sed intelligitur, quòd regnauit duobus annis, id est, vsq; ad tempus, quo cœpit bellum illud cum Philisthinis, quod habetur, eod.cap. regnauerat Saul annis duobus. Simile patet de Iboseth filio Saulis, qui regnauit post Saulem, & dicitur præced.lib.cap.2. quòd regnauit duobus annis super Israel, & tamen ibi probatum est necessariò, quòd regnauerit Iboseth quasi septem annis ad minus, & tamen dicitur, quod regnauit annis duobus, scilicet vsque ad tempus, quo cœpit bellum illud inter domum Dauid, & domum Iboseth, quod habetur eod.cap. Regnauerat Iboseth duobus annis, & illi duo fuerant sine bello: deinde reliquum tempus Iboseth fuit cum bello, nam fuit longa concertatio inter domum Dauid, & domum Saulis, siue Iboseth, præcedenti lib.cap.3.

Asa quo anno regni Ieroboā cœpit regnare.

Nunc autem dicendum ad propositum, quòd Abia mortuus est in fine anni 20. regni Ieroboam, & tunc fuit institutus in regem Asa, & sic fuit in anno vigesimo, id est, in fine 20.anni. Vnde poterat dici, quòd institutus fuit in regem anno 20. regni Ieroboam, vel anno 21. quia idem est finis 20.anni, & principium 21.

Nicolaus autem aliter soluit istam dissonantiam per Synecdochen, ita quòd Abia non regnauerit tribus annis completis, sed duobus, & dimidio, vel parùm vltra duos, & cùm ipse cœperit regnare in principio decimioctaui anni Ieroboam,

Ieroboam, necesse erat, quòd Asa inciperet regnare in anno vigesimo regni Ieroboam.

Sed dicendum, quòd non stat hoc, sed Abias regnauit tribus annis integris, & desijt regnare in fine anni vigesimi regni Ieroboam, & in fine eiusdem anni cœpit regnare Asa. Et patet hoc, quia infrà dicitur, quòd vigesimo anno regni Asa cœpit regnare Nadab filius Ieroboam, si tamen Asa cœpisset regnare anno vigesimo regni Ieroboam, cùm Ieroboam regnauerit viginti duobus annis præcedẽti cap. manerent tres anni de regno Ieroboam, scilicet ipse vicesimꝰ annus, & duo sequentes, & consequenter Nadab, qui successit regi Ieroboã inciperet regnare anno tertio regis Asa: necesse est igitur, quòd in fine vigesimi anni, quod est principiũ 21. cœperit regnare Asa, & sic regnauit Abia tribus annis, & non potest poni solutio per Synecdochen.

Ex hoc autem sequitur alius modus ad concordandum dissonantias numerorum in scriptura præter modos assignatos à Nicolao, scil. quod aliquando scriptura nominat annũ à fine, & aliquando à principio, vnde idem est aliquid fieri in anno vigesimo, id est, in fine 20. anni, & in anno 21. id est, in principio 21. anni, quia in cõtinuis principium, & finis idem sunt, & secundùm istum modum nunquàm potest esse dissonantia, nisi in vno anno, vt patet ex præcedenti assignatione.

Et quadraginta vno anno regnauit in Ierusalem. Tempus regni istius fuit multum, ideo viuente eo multi reges de Israel fuerunt, vt patet hic, scil. Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab. Et dicitur regnasse in Ierusalem, quia ibi erat sedes omnium regum Iuda.

Nomen matris eius Maacha filia Absalom. De quolibet rege ponitur nomen patris, & matris. De patre autem patet, quia rex præcedens erat pater sequentis, ideo nomen matris exprimitur. Sciendum, quòd hic ponitur Absalom, & tamen non est iste Absalom filius Dauid, quia in Hebræo ponitur hic Auisalon, & in litera nostra debet poni Abisalom secundùm consuetudinem Latinam, & tamen errore librariorum vitiatum est ex causa suprà assignata, cùm dicebatur de matre regis Abiæ.

Maacha, an fuerit mater Asa.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quomodo poterat esse Maacha mater Asa, & vxor Abiæ, quia suprà dicitur, quòd Maacha filia Abisalom erat mater Abiæ, & vxor Roboam, & sic eadem esset mater Abiæ, & vxor eius quod est absurdum.

Aliqui respondent, quòd Abisalom habuit duas filias, quarum quælibet vocabatur Maacha, & vnam illarum habuit in vxorem Roboam, ex qua genuit Abiam, reliquam autem susceptit Abias in vxorem, & sic habuit in vxorem sororem matris suæ.

Sed istud non stat, quia sororem patris, aut matris nullus poterat in vxorem accipere. Leuit. 18. & 20. Sed aliquis dicet, quòd Abia susceptit illam contra legem, quia sicut faciebat aliqua peccata, ita istud facere potuit. Sed dicendum videtur, quòd non stat, quia nunquàm aliquis debet concedere id quod est inconueniens secundùm quid, vel simpliciter, nisi cogatur ad illud, & tamen hic possumus aliter respondere, & benè, ideo non debemus cõcedere, quòd sumpserit vxorem contra legem.

Sed dicendum, quòd erant multi viri vocati Abisalom, sicut nunc multi sunt eiusdem nominis, & inter illos erant saltem duo habentes filias, quæ vocabãtur Maacha, & vnam illarum accepit in vxorem ipse Roboam, & aliam accepit filius eius Abia.

Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut Dauid pater eius. Scilicet fecit id quod placebat Deo seruando legem, sicut seruabat Dauid pater suus, & vocatur pater suus, id est, abauus, vel tritauus, nam non erat pater eius immediatus, qa inter ipsum & Dauid erãt quatuor generationes, scilicet Dauid genuit Salomonem: Salomõ genuit Roboam, Roboam genuit Abiam, Abias genuit Asa. *Et abstulit effœminatos de terra.* Vocantur effœminati viri, qui cognoscuntur, vt fœminæ sodomiticè, vt dictum fuit præced. cap. in tempore Roboam & Abiæ erant in terra Iudæ publica lupanaria virorum, qui vocantur ephœbi, id est pueri, non barbati: istos omnes abstulit Asa de terra occidendo illos, & sub pœna mortis interdicẽdo talia fieri, vnde tempore eius non fuerunt. *Purgauitq; vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius.* Scilicet abstulit omnia idola, quæ erant in terra Iuda, quæ facta fuerant tempore patrum suorum regum Iuda. Vocantur enim idola sordes ad magnam detestationem, vt homines fugiant illa, sicut sordes, & res fœtidas, sic patet Deutero. 7. scilicet, nec inferes quippiam ex idolo in domum tuam, ne fias anathema, sicut & illud est, quasi spurcitiã detestaberis, & velut inquinamentum, ac sordes abominationi habebis, quia anathema est.

Qui fuerunt patres Asa, qui fecerunt idola.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, qui fuerunt isti patres Asa, qui fecerunt idola.

Respondendum, quòd vocantur patres omnes maiores, vt aui, proaui, ataui, tritaui, & sic de cæteris ascendẽdo: isti enim fecerant idola, & intelligitur istud de regibus, quibꝰ ipse successit, in quibus primus fuit Saul, sed ipse non fuit pater in progenie Asa, etiam non fecit aliqua idola, quia toto tempore suo fuit Propheta Samuel, quem populus timebat, & ipse Saul, & non ausus fuisset facere idola, fuit autem postea Dauid, qui fuit pater progenici Asa, & tamen iste non fecit idola, sed fuit vir maximè deicola augmentans cultũ Dei. Post istum fuit Salomon, qui fecit idola, & templa pro vxoribus suis, & constituit illa ad dexteram partem mõtis Oliueti suprà 11. Post istum fuit Roboam in cuius temporibus terra Iuda repleta est idolis, & altaribꝰ in omni colle, & luco, & sub omni arbore frondosa præcedenti cap. Post istum fuit Abia, qui etiam idola coluit, & fecit multiplicando ea, quæ facta erant tempore patris sui, de quo suprà dicitur, quòd ambulauit in vijs patris sui, & fuit valdè malus, intantum quòd Deus percussit eum, & mortuus est, 2. Paralip. 13. idola autem, quæ isti fecerant, & altaria, & templa succidit, & destruxit Asa, lucos, in quibus erãt, succidit, & cremauit, & ipsa altaria, & templa ad solum diruit, & cõtaminauit, & fortè sparsit ossa mortuorũ in locis illis, vt essent immunda, sicut fecit Iosias super altaria idolorum, seq. lib. cap. 23.

Quæ sordes idolorum sunt, quas abstulit Asa.

QVÆSTIO X.

VLTERIVS quæretur, quæ sordes idolorum fuerunt, quas abstulit Asa.

Dicendum quòd idola, & omnia, quæ directè, vel indirectè pertinent ad idola vocantur sordes, ideo altaria, quæ facta sunt ad colendum idola, & luci, & arbores frondosæ, sub quibus colebantur, & templa, in quibus erant, & omnia vasa ministrationis eorum vocantur sordes, & omnia ista destruxit Asa, sic patet 2. Paralipomenon 14. Subuertit altaria peregrini cultus, & excelsa, & confregit statuas lucosque succidit, & abstulit ex cunctis tribubus Iuda Aras, & Phana.

Sed obijcietur, quòd non abstulerit Asa omnes sordes idolorum. Nam Iosias rex, qui fuit post ipsum abstulit omnes sordes, seq. lib. cap. 23. ergo non abstulit eas Asa.

Dicendum, quòd Asa abstulit omnes sordes idolorum, quæ fuerant à patribus suis factæ, & in diebus suis non mansit aliquid pertinens ad idololatriam in terra: post ipsum autem fuerunt multi reges Iuda mali, qui repleuerunt terram idolis, & idola ista abstulit Ezechias rex, qui fuit deicola nimis, sequen. libr. cap. 18. post illum etiam fuerunt reges nimis idololatræ, scilicet Manasses, & Amon, & repleuerũt terram idolis, & ipsum templum Domini sequen. lib. cap. 21. idola autem ab istis facta, & quicquid aliud supererat destruxit Iosias, eo. lib. cap. 23.

Sed adhuc obijcietur, quòd Asa non destruxit omnem idololatiam, quæ erat in tempore suo, nam in tẽpore suo erat serpens æneus, quem fecerat Moyses, & colebant illum filij Israel offerentes incensum, seq. libr. cap. 18. & illum serpentẽ cõtriuit Ezechias, cùm dicitur ibidẽ, confregitq; serpentem æneum

Quousq; serpens æneus Moysi durauit

æneum, quem fecerat Moyses, siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant illi incensum.

Respondendum, quòd serpens æneus erat tempore Asa, cùm factus fuisset à Moyse, & durauit vsque ad Ezechiam. Iste autem serpens non erat factus ad idololatriam, sed ad sanitatem Israëlitarum, & Deus iusserat illum fieri. Numer. 21. ideo non debebat deleri sine causa, sed potiùs manere debebat ad memoriam sanitatis præstitæ Israëlitis, vt sic ipsi Deo gratias referrent.

Tempore autem Ezechiæ iste serpens erat valdè scandalosus, quia populus colebat illum, tanquàm Deum offerens ei incensum, sequen. lib. 18. Ideo debuit destrui, vt subtraheretur populo occasio peccandi. Tempore autem Asa populus non colebat serpentem, & sic non erat scandalosus, ideo non debebat deleri, quia non pertinebat ad idololatriam, & sic quanquàm non confregit serpentem, abstulit omnes sordes idolorum de terra.

Sed obijcietur, quòd iste serpens coleretur ab Israëlitis tempore Asa, quia sequenti libro, cap. 18. dicitur, quod vsque ad illud tempus filij Israel adolebant incensum illi serpenti, scilicet vsque ad tempus, quo confregit illum Ezechias.

Respondendum, quòd licèt vsq; ad tempus Ezechiæ coleretur serpens, non sequitur, quòd tempore Asa coleretur, quia non constat quo tempore cœpit cultura illius serpentis, nisi fortè dicatur, quod litera illa, intelligit, quòd ex tempore, quo factus est vsque ad tempus Ezechiæ semper coleretur. Et istud falsum est, quia manifestum est, quòd tempore Moysi Israëlitæ, nũquàm coluerunt idola, nisi cum eo absente in petitione legis fecerũt vitulum aureum: Exod. 32. Et iterum cùm mulieres Moabitarum, & Madianitarum induxerunt Israëlitas ad sacrificandum idolis, vt potirentur eorum amplexibus consilio Balaam. Numer. 25. & pro his duabus vicibus, quanquàm fuerit peccatum momentaneum, id est, durans paucis diebus, tamen Deus magnas pœnas intulit, vt patet ibidẽ, ergo à fortiori si ex tempore, quo fabricatus est serpens coluissent ipsum Israëlitæ, maior pœna infligeretur eis, sed nulla inflicta est ergo non coluerunt cũ tunc. Item patet, quòd tempore Dauid adhuc non colebatur, quia tempore suo nulla fuit idololatria in Israel, cùm esset vir valdè deicola, & si vidisset, quòd aliqui colebant serpentem, confregisset illum. Ita videtur dicendum, quòd tempore Asa nõ colebatur adhuc, ideo non habuit aliquod motiuum ad confringendum illum, sed posteà aliquanto tempore ante Ezechiam cùm vigeret atq; increbresceret quotidiè idololatria deuentum est ad hoc, vt Israëlitę offerrent incensum serpenti, & quia tempore Ezechiæ istud nimis inualuerat, confregit serpentem.

Sed obijcietur, quòd non purgauerit omnes sordes idolorum Asa, quia Salomon ædificauerat templa dijs vxorum suarum in monte Oliueti ad dextram partem eius, illa tamẽ non destruxit Asa, sed posteà Iosias destruxit seq. lib. cap. 23.

Respondendum, quòd de omnibus sordibus idolorũ nihil reliquit Asa in terra, nisi templa ædificata à Salomone pro vxoribus, ideo Scriptura expressè ponit de illis templis infrà, cùm dicit: excelsa autem non abstulit. Et vocantur illa templa excelsa, eo quòd facta erant in loco excelso, scilicet in monte Oliueti, sequen. lib. cap. 23. & suprà 11. *Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps in sacris Priapi.* Id est, fecit Asa, quòd mater sua Maacha nõ esset princeps in sacris Priapi, sicut consueuerat esse.

Quis erat iste Priapus, de quo hic dicitur, & quæ sacrificia fiebant ei.

Qvæstio XL.

Qværetvr, quis erat iste Priapus, & quæ sacrificia ei fiebant.

Respondendum, quòd Priapus erat quidam Deus Gentilium turpissimus quidem omnium Deorum. Fuit autem iste iuuenis in insula, quæ vocatur Hellespontus circa Troiã in confinibus Europæ, & Asiæ qui magnitudine membri virilis omnes homines intantum excessit, vt admirãdum esset: propter quod de insula Hellesponto exilio traditus, (vt ferunt) venit in Græciam, ibiq; post mortem inter cæteros Deos insanę Gentilitatis propter hanc insolitam magnitudinem honore magno cultus est, & altaria atque sacerdotes, & templa ei tradita sunt. Huic enim imago turpissima fiebat, scilicet habens genitale virile insolitæ magnitudinis patens populo, sacerdotes autem faciebant huic sacrificia turpissima, nam immolabant ei asinos, cuius causam ponit Ouidius primo Fastorum, dicens, quòd Priapus iussit sibi immolari asinos in vindictam offensæ, quam ab asinis suscepit, scilicet, quòd cùm Priapus in nympharum amorem exardesceret, easque quasi opportunitate captata semel sopore grauatas inuenisset, propinquumq; esset, vt iam Priapus suo potiretur amore, asinus magno clamore intonuit, nymphasque expergefaciens fugere compulit, & sic ipsæ, quæ iam manibus Priapi tenebantur, euaserunt. Nullam autem vnquàm maiorem iniuriam Priapus sibi factam credidit, eamque indelebilem animo tenens destinauit de asinis continuam, & nunquàm explendam capere vltionem, & ob hoc iussit asinos sibi immolari. Expletis autem sacrificijs turpissimus sacerdos genitalia nuda toti populo ostendebat, & hoc quasi salubri præcepto commoniti ad vacandum libidini tendebant. Eratque ista lex sacrorum Priapi, quod cùm multi viri, & fœminę astarent, nullus sibi certam vendicaret, sed ei quam quisque caperet, misceretur. Soluebatur autem hic omnis honestas omnis legis, seueritas omnis coniugalis, fides tota, certitudo prolis, nouissimeque efficiebantur homines degeneres, & aborigenes. Nulla igitur maior insania inter Gentiles fuit, quia tamen ista sacra Priapi libidini laxabant habenas, cui rude illud sæculum omninò inhiabat, tanquàm veri boni ignarum, sacra illa libẽtissimè susceperunt, ita vt vix aliquis Deus esset inter Gentiles, cui tantus honor, & tam vniuersaliter præstaretur. Et non solùm ista labes Gentilium nationes infecit, sed etiam turbauit populos Hebræorum, quia etiam ipsi omni libidini proni erant. Et sic colebatur inter Hebræos Priapus, eratque in sacris eius princeps mater regis Maacha. Erat autem iste principatus, quia fortè ipsa principalis erat inter fœminas illas, quæ turpissimæ libidini post sacra Priapi vacabant, & ipsa quoq; eandem patiebatur libidinem. Rex autem istud erubescẽs amouit eam à tali turpitudine, vel fortè, quod honestius est ipsa, sedebat tãquàm princeps, & iudex in sacris Priapi, scil. quòd si orirentur aliqua scandala propter incertam libidinem, quę erat post sacra Priapi, ipsa iudicabat componens inter partes iuxta sceleratissimas leges sacrorũ Priapi. Vel fortè ipsa præbebat ea, quæ necessaria erant ad immolãdum Priapo, & ob hoc princeps dicebatur. Rex autem omnem hanc turpitudinem, & superstitionem abstulit, ideo confracto Priapo, & templis, & altaribus eius non poterat manere Maacha princeps sacrorum Priapi, quia iam nulla sacra ei impendebãtur. *In luco eius, quem consecrauerat.* Maacha mater Regis habebat lucum, scilicet quendam locum multarum arborum condensarum, qui præ ramositate obscurus erat, scilicet, non patens radijs solis. Hunc locum consecrauerat Maacha Priapo, & posuerat ibi altare, quia iste erat locus conuenientissimus sacrificijs Priapi, cùm in locis illis vmbrosis libidini vacaretur accommodè.

Subuertitq; specum eius. Specus erat quædam domus subterranea obscura, & ista erat apud lucum, in quam ingrediebantur plurimi de cultoribus Priapi ad explendam libidinẽ sine rubore. Nam licèt omnem aliam humanam verecundiam, & legum honestatem, & rationis ordinem isti fœdissimi cultores Priapi peruertissent: verecundiam tamen naturalem, scilicet ne vnus alio vidente fœminæ misceretur, superare non potuerunt: fuit enim hæc maxima pœna, & prima, quam experti sunt prothoplasti. Nam illicò, vt peccauerunt exarserũt in membris illis, & ob hoc erubuerunt, & fecerunt sibi perizomata, & solùm cõtexerunt partes illas, vt colligitur Gen. 3. Ex quo apparet, quòd in illis solis partibus erubuerunt, nam nihil aliud in corpore nostro pudendum est.

Fuerunt tamen quidam philosophi, immò potiùs insani sequentes Diogenem auctorem, qui hanc verecundiam superare conati sunt arguentes, quasi quadam ratione naturali, scilicet omne, quod honestum est sine verecundia fieri potest cum verecundia, secundùm Aristotelem quarto Ethicorum, solùm fit de turpi cõmisso: coitus tamen coniugalis honestus est, ideo non est turpe, nec verecundabile illũ publicè fieri.

Opin. Philosophorũ coitum nõ esse verecundabile.

A fieri. Ideo iſti Philoſophi, licèt extraneas fœminas nõ cognoſcerent, quia inhoneſtum erat, coniuges tamen ſuas in publico cognoſcebant, immò vt perſuaderent hanc opinionem cæteris quaſi oſtendentes ſe licitè agere in magnis congregationibus virorum, & mulierum, ſubitò cum vxoribus ſuis miſcebantur. Alij autem deteſtantes eos plus quàm beluas, lapides, & lutũ iaciebant in eos tanquam inhoſtes humanę verecundiæ, ipſi verò hæc fugientes clauas ferreas ſecum ferre ſoliti erant, vt inſurgerent in eos, qui illis publicum concubitum coniugalem interdicerent. Iſti autem Philoſophi Cynici, id eſt, canini dicti ſunt, ſcil. quia in eis nulla maior quàm in canibus verecundia foret, cùm etiam canes publicè miſceantur: de his Auguſtinus 14. de ciuitate Dei. Hæc autem poſitio, immò inſania breui tempore, tamquã humanæ natura contraria, abolita eſt. Nec etiam erat conueniens argumentatio iſtorum, quia id quod honeſtum eſt, publicè fieri poteſt, eo quòd verecundiæ nullius eſt, ſcilicet, quia nos non debemus de illo erubeſcere, cùm ſit in poteſtate noſtra erubeſcere, vel non erubeſcere: iſtud tamen tale eſt, de quo non eſt in poteſtate noſtra, quòd non erubeſcamus, quia tota naturalis inclinatio in contrarium eſt, ideo licèt honeſtum ſit, erubeſcendum de illo eſt, nam cõtra naturam agi infandum ſemper eſt. Ideo dicit Tullius, & refert illud Auguſtinus 14. cap. de ciuitate Dei, quòd omne honeſtum in luce collocari vult: ſolus autem concubitus coniugalis eſt, qui cùm honeB ſtus ſit, ſciri quidem vult, videri autem minimè. Fecerant igitur ſibi omnes gentes pro ſacris Priapi loca tenebroſa, ſcilicet, domos ſubterraneas, vel lucos nimis opacos. Vtrumq; autem habebant Hebræi cultores Priapi, quorum princeps erat Maacha.

Et confregit ſimulachrum turpißimum. Scilicet, ſimulachrum Priapi. *Et combußit in torrente Cedron.* Non eſt intelligendum, quòd combureretur in torrente, quia in aqua nihil poteſt comburi, cùm potiùs ipſa repugnet combuſtioni: ſed combuſtum eſt apud torrẽtem, & poſtea pulueres illius idoli proiecti ſunt in torrentem Cedron, vt non maneret aliquid ſaltem de pulueribus illis, quod conſeruaretur ab idololatris, vel fortè combuſtum fuit ibi idolum apud torrentem Cedron, quia locus ille reputabatur immundus, & cùm idolum eſſet immundum, cremari debebat in loco immũdo, & poſtea fortè ſpargeretur puluis ſuper loca immunda, vt ſuper ſepulchra mortuorum. Sic fecit Ioſias, de idolis, quæ erant in templo, ſequenti libro, capite 23. ſcilicet, efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalem in conuallem Cedron, & combuſſit eum ibi, & redegit in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchra vulgi.

Eſt autem iſte torrens Cedron circa portam Ieruſalem, iuxta hortos in circuitu vrbis. Iſtum torrentẽ tranſiuit Chriſtus, quando introiuit in hortum cum diſcipulis ſuis, Ioan. 18. Apud hunc etiam ſtetit Dauid expectando omnes viros
C ſuos, quando exibat profugus de Ieruſalem à facie Abſalonis, præcedenti libro, cap. 15.

Simulachrum Priapi, quare vocetur turpißimum.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR quare vocatur ſimulachrum Priapi turpiſſimum.

Reſpondendum, quòd poteſt vocari turpiſſimum, quia turpia ſacrificia ei fiebant, immolando aſinos, vt ait Ouidius primo Faſtorum. Vel quia ſacerdos turpem cæremoniam in ſacrificijs faciebat, ſcilicet, quòd toti populo verenda nuda oſtendebat, vel quia expletis ſacrificijs, turpiſſima opera ſequebantur, ſcilicet, quòd eſſet libido effrænata contra legem matrimonij, & cuiuſcunque cognationis iura. Vel verius vocatur ſimulachrum turpiſſimum, quia in turpi effigie pingebatur, & fiebat ſtatua eius. Nam fiebat ei genitale membrum inſolitæ magnitudinis extentum, vt populo pateret, nihilque turpitudinibus deeſſet. Nulla autem alicuius Gentilis Dei turpior effigies fuit. Erat etiam tota effigies Priapi rubra; vt ait Horatius, nec immeritò, quia is color libidini magis, quàm cæteri conuenit, eo quòd rubor atteſtatur ſanguinem: ſanguinis autẽ abundantia libidini connata eſt.

Sciendum autem, quòd multi inter Gentiles irridentes ſacra Priapi, formabant Priapum rubentem cum turpi effigie ſua, ponebantque illum ſuper ficeta, vel ſuper alias arbores ad terrendum volucres, ſicut fieri ſolet in hortis. De hoc Horatius in Sermonibus. D

Excelſa autem non abſtulit. Id eſt, quamquam abſtulerit omnem idololatriam, tamen non abſtulit templa, vel altaria excelſorum.

Aſa quæ excelſa deſtruxerit, & quæ non.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quomodo dicitur hic, quòd non abſtulit Aſa excelſa, quia 2. Paralipom. 14. dicitur, quòd ſubuertit Aſa altaria peregrini cultus, & excelſa, & confregit ſtatuas.

Reſpondendum, quòd excelſa vocantur altaria, quæ fiebant in collibus, & ſubter arbores frondoſas, & in locis opacis: vocantur autem excelſa propter locorum celſitudinem, in quibus fiebant. iſta autem erant duplicia, quia quædam facta fuerunt à Salomone, ſcilicet, templa, quædam pro idolis vxorum ſuarum, vt patet ſupra 11. cap. & illa facta ſunt in dextra parte montis Oliueti, eodem c. & ſequenti libro, cap. 23. Alia aũt erant excelſa, quæ facta fuerant à popularibus. Nam quilibet faciebat altare, vbi vellet, & Deo cui vellet, derelicta E ſemel lege Dei. Faciebant etiam Reges altaria, & lucos, ſcilicet Roboam, & Abia, in quibus ipſi, & populus colebant idola. Prima excelſa iſtarum, ſcilicet, quæ fecerat Salomon non deſtruxit Aſa, ſed manſerunt vſque ad tempus Ioſiæ, ipſe autem deſtruxit illa, vt patet ſequenti libro, c. 23. ſcilicet, excelſa quoque, quæ erant in Ieruſalem ad dextram partem montis offenſionis, quæ ædificauerat Salomon, &c. Alia erant excelſa, quæ fecerat populus, & Reges, ſcilicet Roboam, & Abia: & hæc deſtruxit Aſa. Iſta diſtinctio patet 2. Paralipomenon 14. iuncto 15. nam in 14. dicitur, quòd Aſa ſubuertit altaria peregrini cultus, & excelſa, & in 15. dicitur, quòd deſtruxit idola, & ſequitur: Excelſa autem derelicta ſunt in Iſraël. Et ſic oportet diſtingui de excelſis, nõ autem manſerunt alia excelſa, niſi templa fabricata à Salomone, ideo illa poſtea deſtruxit Ioſias.

Quare Aſa non deſtruxit templa quæ Salomon fecerat dijs vxorum ſuarum, & an peccauit in hoc.

QVÆSTIO XIIII.

VLTERIVS quæretur, quare Aſa non deſtruxit templa, quæ fecerat Salomon idolis vxorum ſuarum.

Aliquis dicet, quòd iſtud fuit propter honorem Salomonis, quia fuit rex maximè honoratus in toto Iſraël. F

Sed iſtud non ſtat, quia ſi Aſa attendiſſet ad honorem Salomonis, etiam attendiſſet ad honorem Roboam, & Abię regum Iuda prædeceſſorum ſuorum, & tamen dicitur ſupra quòd purgauit vniuerſas ſordes idolorum, quæ fecerant patres ſui.

Item ſi ad honorem alicuius attendiſſet Aſa, maximè attendiſſet ad honorem patris ſui Abiæ, quia magis ei tenebatur quàm auo, & proauo: ſcilicet Roboam & Salomoni, & tamen etiam idola facta per Abiam patrem ſuum deſtruxit. Ergo etiam deſtrueret idola facta per Salomonem.

Item Aſa purgabat idololatriã de terra, vt placeret Deo, ideo non attenderet ad honorem alicuius, per quem derogaretur honori diuino, ſicut dicit Apoſtolus ad Galat. Si hominibus placerem, ſeruus Chriſti non eſſem, quia Deus deſtruit oſſa eorum, qui hominibus placere deſiderant.

Sed dicendum eſt, quòd non deſtruxit Aſa iſta templa, eo quòd videbatur quædam ratio diuerſitatis inter iſta, & alia templa: nam cætera templa, & altaria facta ab alijs regibus & popularibus erant facta ad colendum idola, & ibi Iſraëlitæ colebant illa, vt ergo non colerent vltra idola, debebant omnia hæc deſtrui. Templa autem Salomonis non fuerant facta vt Iſraëlitæ colerent ibi idola, ſed pro vxoribus Salomonis, & erant pro dijs Gentium, de quibus erant iſtæ fœminæ, ſcilicet pro Aſtharthem dea Sidoniorum, & pro Chamos idolo

Templa Salomonis ad quid fuerũt facta.

A Moab, & pro Moloch, siue Melchon Deo Ammonitarum, supra vndecimo cap. & sequenti libro, cap. vigesimo tertio. Israëlitæ autem non colebant ista, sed alia: ideo non introibant in illa templa ad idololatrandum. Vnde illa modicam occasionem præstabant Israëlitis ad idololatrandum, nisi inquantum videntes illa sciebant idola esse in terra sua, & quātum ad hoc offendebantur, & quia templa ista erant in monte Oliueti, vocatur mons ille, mons Offensionis. sequenti libro, capite vigesimotertio. Et ob hoc Asa videns modicam offensionem, vel quasi nullam præstari populo cùm subuertisset omnia alia altaria, & templa idolorum non subuertit. Ista eadem fuit causa in rege Ezechia, quia quamquam esset rex valde bonus, & destruxerit omnem idololatriam diligenter, tamen non subuertit ista templa, sequenti libro, capite decimooctauo. sed Iosias postea illa destruxit, eodem libro, cap. 23.

An Asa peccauerit non destruens templa idolorum Salomonis.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauerit Asa non destruēdo ista templa, quæ fecerat Salomon.

B Aliquis dicet, quòd sic, quia Deus iusserat, quòd quādocunque notū esset in aliqua ciuitate esse idololatras, siue multi essent, siue vnus, debebant occidi, sed nunc notum erat esse altaria pertinentia ad idola in terra Iuda, ergo Asa tenebatur illa destruere ex officio suo, quia Rex erat.

Item patet hoc, quia si non esset peccatum permittere idololatriam in terra, nō curasset Iosias destruere templa ista, & tamen destruxit ista, & Deus valde placatus est: ergo peccatum erat dimittere illa.

Item quandocunq; aliquis rex bonus erat in Iuda, & narrātur bona eius opera, dicitur in fine: veruntamen excelsa nō abstulit, & dicitur hoc, quasi in improperium: ergo peccatū quoddam erat non auferre illa.

Nō peccauit Asa nō destruēdo templa Salomon.

In contrarium videtur, quòd non peccauerit, quia dicitur infra, quòd cor Asa perfectū erat cum Domino: & tamen non poterat esse perfectum, si peccaret non delendo idololatriam, ergo non peccabat. Item de rege Ezechia patet, qui fuit optimus, intantùm quod de eo dicitur sequenti libro, cap. 18. itaque in posterum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, nec in his, qui ante eum fuerunt, & tamen Ezechias cùm destruxisset reliquam idololatriam, non destruxit excelsa, quæ ædificauerat Salomon, ergo non erat peccatum non destruere illa.

Respondendum, quòd præceptum erat destrui omnem idololatriam, & occidi omnes idololatras, Deut. 13. & 17. & si

C præceptum erat, quòd Aræ idolorum, quas fecerant Chananæi, qui fuerant in terra ante introitum Israëlitarum destruerentur, Deuter. 7. & Iosue 23. & Iudicum secundo. à fortiori ipsa altaria, & idola, quæ facerent Israëlitæ, destruenda erant, quia magis abominabilia erant quàm altaria, quæ fecerant Gentiles, quia magis illicitum erat Israëlitis facere idola, quā Gentilibus. Hoc apparet, quia si in aliqua ciuitate Israël colerentur idola à Gentilibus, postquam caperetur ciuitas ab Israëlitis, solùm debebant destrui altaria, & occidi habitatores, & tamen non debebat destrui ciuitas.

Si verò Israëlitæ publicè colerent idola in aliqua ciuitate non solùm ipsi occidendi erant, sed etiam tota ciuitas cremanda, & pecora, & iumenta, & paruuli, & quidquid in vrbe erat, & muri diruendi erāt ad solum, vt iam non maneret ibi locus habitandi, sed tumulus æternus, Deuteronomij 13. capite. Idola ergo, & templa facta à quibuscunque Israëlitis destruenda erant, & peccabant quicunque habentes potestatē, si ea non destruerent. In idolis tamen, & templis Salomonis erat specialis ratio, vt supra declaratum est, scilicet, quia non videbantur causare aliquod scandalum: ideo Asa, & Ezechias, tanquam non habentes conscientiam mali de templis istis, reliquerunt ea intacta. Postea autem Iosias videns, quòd aliquale scandalum sequebatur Israëlitis ex templis illis, dicuit illa, vt nihil omnino de idololatria maneret in terra. Quòd tamen isti duo reges boni, scil. Asa, & Ezechias nō peccauerint, non destruendo illa, patet: nam de Asa dicitur hic, quòd excelsa non abstulit, & vt aliquis nō intelligeret, quòd ex hoc peccabat, subditur in litera: Veruntamen cor Asa perfectum erat cum Domino Deo suo omnibus diebus, quasi dicat, dato quòd non deleuerit excelsa cor suum perfectum erat: non tamen dicitur cor perfectum illius, qui aliquo modo sequitur idololatriam, vel fauet illi; sed toto corde debet eam expugnare: nam, vt dictum fuit supra, licèt non requiratur innocentia omnimoda ad hoc, quòd dicatur cor alicuius perfectum cum Deo: tamen requiritur, quòd nullo modo peccaret in idololatria directè, vel indirectè. De Ezechia patet sequenti lib. cap. 18. vbi dicitur, quòd in omnibus diebus suis, nunquam recessit à Domino: si tamē teneretur destruere illa idola Salomonis, & non destruxisset, recessit à Domino, ergo non tenebatur, & consequenter non peccabat non destruendo. Item hoc patet magis Eccle. 49. cùm dicitur præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes reges peccatum cōmiserunt: ergo videtur, quòd Ezechias saltē nullo modo peccauit, & tamen ipse dereliquit templa facta à Salomone idolis: ergo etiam Asa non destruendo illa, non peccauit.

D Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd præceptum illud traditum erat de omni, quòd propriè pertinebat ad idololatriam, per quod cultus Dei perturbabatur, templa autem facta à Salomone non erant huiusmodi; ergo non apparebat directè, an caderent sub isto præcepto, & propter dubium non peccabant Asa, & Ezechias.

E Ad secundum dici potest dupliciter vno modo, quòd licèt tempore Ezechiæ, & Asa non apparerent illa templa Salomonis scandalosa populo, tamē apparuerunt postea tempore Iosiæ, scil. quia fortè populus colebat idola in illis: vnde vocatur mons offensionis mons Oliueti, in quo erant ista templa tempore Iosiæ, seq. lib. cap. 23. & non vocatur mons offensionis tempore aliorum regum.

Aliter potest dici, quòd Iosias destruxit templa illa non ex necessitate, sed ex supererogatione, sicut boni viri interdum faciunt quædam opera bona, quæ etiam si omitterent, non peccarent, & tamen faciunt illa ad magis merēdum. Sed primum verius est.

Ad tertium dicendum, quòd excelsa sunt duplicia, scil. quædam facta à Salomone, & alia facta ab alijs regibus, & à populo. De primis non ponitur, tanquam vituperium regū, quòd non abstulerint illa: De secundis autē sic. Ratio autem diuersitatis suprà posita est. Quòd autem non sit vituperium non abstulisse excelsa Salomonis patet hic, quia cùm dicatur excelsa non abstulit, sequitur, veruntamen cor eius perfectū erat cum Domino Deo suo; ergo nihil de laude Asa detrahit, non destruxisse excelsa Salomonis.

An poterat Asa, & an tenebatur occidere matrem suam, quia erat princeps in sacrificijs Priapi.

QVÆSTIO XVI.

F QVÆRETVR vlteriùs, an poterat, & an tenebatur Asa occidere matrem suam Maacham, quia Princeps erat in sacris Priapi.

Aliquis dicet, quòd sic, quia Deus dederat regulam generalem omnibus idololatris, quòd occiderentur, & pertinebat executio ad Asa tempore suo, quia rex erat, ergo indifferenter tenebatur quoscunq; occidere.

Item non debebat dici, quòd ex hoc, quòd mater erat, non debebat occidi, quia quæcunque persona esset quātumcunq; coniuncta cognatione, non debemus parcere ei. sic patet Deut. 13. Si tibi voluerit persuadere frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia tua, vel vxor, quæ in sinu tuo est, &c. ibi sequitur, quòd quemlibet istorum deberemus occidere, si nos ad idololatriam solicitaret. ergo Asa poterat, & debebat matrem suam occidere.

Respondendum, quòd non tenebatur Asa occidere matrem suam propter cultum idolorum, quia si teneretur, non posset ipse remittere pœnam, & remittendo peccaret. & tamen non peccauit fauendo alicui idololatræ, cùm dicatur, q̄ cor eius erat perfectum cum Domino: ergo non tenebatur occidere matrem, sed egit Asa ad quod tenebatur, scil. tollere omnem idololatriam, & prohibere matri suæ, ne esset princeps in sacris Priapi, & si fortè ipsa repugnaret, tenebatur eā

vin-

A

De hoc vide latissimè auctorē Deut. 13. cap. quæst. 3

Ex hoc oritur qō. ſan Papa poſſit pcipere, aut ſtatuere, q filius ſciēs hæreſim occultā patris, teneatur eū accuſare de hoc vel ſaltem denunciare.

Solutio colligitur ex dictis auctoris hic, et Mat. 18. c. q. 97 ad 12. et q. 98. & 99. & 99. c. q. 209 in fi. et 210 & lata Deu. 13 c. q. 3 et ēt ex dictis Ancha. in in c. in fidei fauorē, de har. in 6 & ex S. Tho. quodli. 1. ar. 15. et 16 et 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2. Et Ægid. Ro. in de ſtruct. ſuper quodli. art. 3.

Nunq̄ licet filio occidere matrē, aut patrem.

vinculare, vel aliàs ponere in cuſtodia, ita vt non poſſet vacare cultui idolorū ſcandalizando alios: occidere tamen ipſam non tenebatur, quia contra naturam eſt, auctorem vitæ noſtræ occidere, ſcil. vt id nos ei ſubtrahamus, quod ipſe nobis præſtitit, ſcil. vitam: ideo pro nullo crimine quantumcunque graui, licet filio occidere patrem, vel matrem: nam non licet filio deſiſtere à benefaciendo patri, & matri in neceſſarijs: etiam ſi ſceleratiſſimi ſint: dum tamen communicatio eorum non ſit nobis ad mortem, vel ad grauiſſimum malum, vt patet per Ariſtot. 8. Ethic. §. vlt. à fortiori ergo pro nullo crimine licebit filio occidere patrem, vel matrē. Et etiam iura non poſſunt eum obligare ad hoc rationabiliter, quia ius rationabile eſt: ideo nunquam obligabit cōtra naturalem pietatem. Et ſic dato quòd filius ſit iudex, & pater deliquerit in legem capitaliter, nō tenebitur eum occidere, nec tradere alicui occidendum, ſed per alium iudicem cauſa illius ventilari & diffiniri deberet, vel potius iſte deberet renunciare iudicaturæ, vt non offenderet legē publicam, & non occideret patrem.

Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd licèt generaliter iubeatur, quod occiderentur omnes idololatræ, intelligebatur per iudices illos, qui legitimè, & non agendo cōtra naturale debitū & ordinē poterant iſtud exequi, ſed filius contra patrem ad cauſam capitalem non eſt cōueniens iudex, ideo non teneretur occidere patrem, ſed prouidere aliter, ſicut prouidit Aſa, ſcil. quia abſtulit crimen idololatriæ matris ſuæ faciendo ne vltra eſſet princeps in ſacris Priapi, & remittendo pœnam cum non poſſet licitè inferre illam.

Ad ſecundam dicendū dupliciter: vno modo, quòd illud non intelligitur de omnibus idololatris, ſed ſolùm de illis, q̄ ſolicitant alios, vt perducant eos ad cultum idololatrię: nam, ſic dicitur ibi, ſi tibi voluerint perſuadere frater tuus, &c. eſt autem longè maius peccatum, quòd aliquis conetur ſubuertere alios ad idololatriam, quàm quòd ipſe idola colat neminē ſolicitando, ideo rationabile fuit, quòd daretur pœna grauior in primo quàm in ſecundo modo. Et iſtud eſt, quòd etiā cognati in gradibus propinquiſſimis tenerentur capitaliter agere contra cognatos ſuos, in ſecundo autem caſu non iubetur hoc: ſed ſolùm dicitur, quòd occidantur idololatræ, & non dicitur à quibus, mater tamē Aſa non ſolicitabat ipſum ad colēdum idola, ſed ſolùm ipſa erat princeps in ſacris Priapi, ergo non tenebatur ipſe occidere eam.

Aliter etiam dicendum eſt, quòd dato, quòd mater Aſa ſolicitaret eum ad colendum idola, non tenebatur occidere ipſam, nam Deuteronomij 13. vbi ponitur hoc ſolùm exprimitur de filio, & filia, fratre, ſorore, vxore, amico, de patre tamen, & matre non exprimitur, ergo videtur, quòd lex non ſe extēndat ad illos, maximè quia leges pœnales reſtringendæ ſunt.

Sed aliquis obijciet, quòd pater, & mater poſſent occidi per legem illam, quia ponūtur illi gradus ibi ad ſignandum, quòd dato, quòd aliquis maximo amore teneatur ad alium, debet ipſum occidere, vel accuſare ad mortem ſi perſuaſerit ei ad idololatriam, ſed maiori amore feruntur patres, & matres ad filios naturaliter, quàm filij ad patres, & matres, vt probat Ariſtot. 8. Ethic. ergo ſi pater teneretur occidere filium, vel filiam in caſu iſto, à fortiori tenebitur filius occidere patrem, vel matrem.

Item quòd aliquis occidat alium videtur eſſe tanto magis contra naturalem inclinationem, quanto maiori, & propinquiori conſanguinitate ei coniunctus eſt, ſed pater eſt magis cognatus filij, quàm filius patris, quia vt dicit Ariſt. 8. Ethic. magis approximatur quo ad quod, quàm genitum facienti, id eſt magis approximatur pater filio, quàm filius patri, & ſatis apparet ibi cauſa naturalis huius, ergo quando pater occiderit filium, magis agit contra iura conſanguinitatis, quàm quando filius occiderit patrem, ſed licet patri occidere filiū in caſu dato, ergo licebit à fortiori filio occidere patrem.

Reſpondendum, quòd non licet filio occidere patrem, vel matrem, quia filius magis tenetur patri, vel matri in immenſum, quàm pater filio: nam filius tenetur honorare patrem 9. Ethicorum, ſed pater non tenetur honorare filium. Idem de reuerentia, & obedientia, & omni ſubiectione. Item pater poteſt abnegare filium, dicendo ſe ei nihil debere, filius autem non poteſt abnegare patrem, quia qui ſemper debet, nunquam poteſt abnegare, qui autem non debet, ſed ei debetur abnegare poteſt, ſic probant Ariſtot. 8. Ethic. §. vltim. eſt autem iniuria maior ſecundum, quòd aliquis agit contra maius debitum, ſed nullus poteſt magis teneri alteri quàm filius patri, cùm teneatur ei ad totum quicquid eſt, ergo non poterit eſſe maior iniuria, quàm ſi filius patrē occideret, vel matrem. cùm autem obijcitur de amore maiori, & conſanguinitate patris ad filium, quàm è contrario. Dicendum iſtud verum eſſe, & tamē iſta non cauſant obligationem aliquā, quia conditio naturæ conſtituit amorem, & approximationem. Ratio autem conſtituit differentiam debiti ſecundùm id, q̄ datum, & acceptum eſt, ſed filius omnia ſuſcepit à patre, pater autem nihil à filio, ergo filius tenetur patri in immenſum, pater autem non tenetur filio ad aliquid intantum, quod Ariſt. 8. Ethic. conſtituit debitum hominis ad Deum, & ad patrē ſuum, quaſi æquale, dicens: Dijs & parentibus non poſſumus retribuere æqualia, quamquam ergo liceat patri aliquādo occidere filium, quia ei ad nihil tenetur nunquam licebit filio occidere patrem, quia tenetur ei in immenſum, & propter peccata patris non ceſſat debitum filij.

An Aſa tenebatur occidere omnes idololatras terræ Iudæ.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlteriùs, an Aſa teneretur occidere omnes idololatras, qui erant in terra Iudæ?

Aliquis dicet, quòd ſic, quia ſic iuſſit Deus Deut. 17. Item non ſolùm ſi eſſent pauci, ſed etiam ſi eſſet vna ciuitas, tenebantur eam delere Iſraëlitæ, Deut. 13. Item quod maius eſt etiam ſi eſſent duæ, vel tres tribus, aut plures tenebantur delere illas, ſicut pugnare volebant nouē tribus, & dimidia contra duas tribus, & dimidiam pro altari ædificato apud Iordanem ab eis, Ioſue 22.

Aliquis dicet, quòd non tenebatur occidere omnes, quia totus populus ferè in idololatria, ideo omnes occidere teneretur, quod videtur abſurdum.

Reſpondendum, quòd hic poterant conſiderari duo, ſcilicet, aut peccatum illorum, qui permanere volebant in idololatria, aut pœna peccati illorum qui peccauerant, & tamen iam ſpontè redibant ad cultum Dei.

De primò dicendum, quòd ſiue multi, ſiue pauci eſſent, tenebatur Aſa occidere illos, & ſi non poſſet, vt iudex, quia multi eſſent, deberet committere bellum contra illos, & occidere eos, & in iſto caſu intelligitur Ioſue 22. ſcil. quia duæ tribus, & dimidia videbātur permanere adhuc in idololatria, eo quòd habebant magnum altare fabricatum apud Iordanem, ideo reliquæ nouem tribus, & dimidia parauerunt ſe ad bellum contra illas, & pugnauiſſent, niſi duæ tribus, & dimidia ſe legitimè excuſaſſent. ſic facere deberet Aſa, niſi fortè multitudo volentium manere in idololatria tanta eſſet, contra quam nullo modo poſſet pugnare, quia tunc nō debebat aggredi pugnam, ſed prius conſulere Deum quid agere deberet, cùm Deus faciliter poterat cōſuli per prophetas ſuper quocunque negotio, & tunc ſciret, an pugnandum ſibi eſſet, vel quieſcendum. Sic enim quando totus populus peccauit in fabricatione vituli præter tribum Leui, quamquam illa eſſet parua multitudo reſpectu totius populi, cū Moyſes ſciret quòd Deus volebat puniri Iſraëlitas, aggreſſus eſt eos cum ſola tribu Leui, & occidit vigintitria millia, Exod. 32.

Si autem quæratur de peccato illorum, qui olim peccauerant, & tamen iam ſpontè conuertebantur ad Deum, dicendum quòd ſecundùm leges humanas, tam canonicas quā ciuiles parcendum eſſet eis. extr. de cler. excom. vel depo. miniſtr. c. latores. & in Decretis. 50. diſt. c. vt conſtitueretur, & 54. diſt. c. commeſſationes. In lege tamen Dei ſecus videtur, quia ipſe iuſſit in hoc crimine occidi omnes peccantes, etiam ſi vna ciuitas eſſet, vel multæ totaliter, debebat exuri, & dirui vt nunquam habitaretur, & occidebatur omne viuens ibi repertum vſq; ad pecora, Deut. 13. cap.

Dicendum tamen, quòd Aſa non tenebatur occidere omnes idololatras ſpontè redeuntes, quia ſi deberet ſeruare tenorem legis, oportebat, quòd non relinqueret in tota terra Iuda, & Beniamin aliquem locum, ſed omnes combureret ciuitates, eo quòd in omnibus locis fuerant altaria in collibus, & lucis, & ſubter arbores frondoſas, præced. ca. & ſic perirent

A duæ tribus, & quod adhuc deterius videbatur, periret terra, quia locus, qui semel subijciebatur anathemate propter idololatriam fiebat tumulus æternus, & non licebat ibi alicui habitare, ideo non liceret Asa destruere terram, sic propter idololatras. Nam dato quòd vellet, nõ posset, quia ferè totus populus peccauerat in idololatria: sed adhuc dato, quòd posset destruere totum populum habendo auxiliatores aliunde, nõ licebat ei hoc facere inconsulto Deo, quia iste erat casus grauissimus, qui videbatur esse contra voluntatem Dei propter duo. Primò, quia Deus volebat, quòd manerẽt omnes tribus Israël semper. Secundum erat, quia dederat terram illã Israëlitis in possessionem in æternum. quòd ergo ipse destrueret omnes ciuitates faciendo, quòd nullus iam posset in eis habitare propter anathema positum, videbatur contra voluntatẽ Dei, ideo non debebat ista facere Asa Deo inconsulto, potissimè cùm posset faciliter habere responsum per Prophetas, vel sacerdotes. Vnde dicendum, quòd Asa non occidit Israëlitas, qui fuerant idololatræ tempore regum priorũ, sed hortatus est omnes, vt quærerent Deum in toto corde suo, & illi sic promiserunt, & fecerunt tempore Asa, vt patet 2. Paral. 15. ideò neminem occidit, quia nemo repugnauit, ideo omnes vnanimiter redierunt ad Deum. Pro peccato autem præterito nullum occidit, quia si vnum occideret, pariter omnes occidere deberet, cùm esset eadem ratio, ideo nullum occidit. Credendum est autem, quòd hoc fecerit de consilio Prophetarum, qui tunc erant, cùm scriptura dicat in omnibus his cũ
B benè egisse, vt patet hic, & 2. Paral. 14. & 15.

Veruntamen cor Asa perfectum erat cum Domino Deo suo. Id est, licèt Asa non destruxit excelsa, quæ fecit Salomon, cor eius perfectum erat cum Domino, scilicet, quia in toto corde suo sequebatur legem Dei declinando ab idolis.

Cunctis diebus suis. Scilicet, quia nunquam declinauit ad idola. Istud dicitur ad differẽtiam Salomonis, qui à principio regni sui fuit cultor Dei, & postea declinauit ad idola in senectute, supra 11. Roboam quoq; tribus annis primis regni sui non coluit idola sequendo legem Dei, deinde declinauit ad idola, 2. Paralip. 11. & 12. Abia quoq; pater Asa in principio regni fuit bonus, & postea malus: nam sperauit in Domino qñ pugnauit contra Ieroboam, 2. Paral. 13. postea autem declinauit ad idola, sequendo viam patris sui, supra in litera, Asa autem omnibus diebus coluit Deum.

Et intulit ea, quæ sanctificauerat pater eius, & vouerat in domũ Domini argentum, & aurum, & vasa. Id est, etiam fecit aliud bonum, quia compleuit votum patris sui. nam Abia pater eius fortè, quando pugnauit cõtra Ieroboam in bello primo magno, de quo habetur 2. Paralip. 13. vouit Domino vasa aurea, & argentea, vt daret ei victoriam, postea autem deprauatus fuit sequendo idola, & nõ curauit reddere Domino quæ vouerat, ideo nũc Asa filius eius voluit complere votum paternum: nam tenebatur ad illud, & intulit in domum Domini,
C id est posuit in templo Dei aurum, & argẽtum in massa, quod vouerat pater suus, & vasa facta, & ipse etiam vouit alia, & simul dedit illa cum vasis, quæ vouerat pater suus, vt patet 2. Paral. 15. scilicet, ea quæ vouerat pater suus, & ipse intulit in domum Domini argentum, & aurum, vasorumq; diuersam supellectilem. Et dicitur, quæ sanctificauerat pater eius, id est q̃ vouerat, & sic ponuntur hic sanctificare, & vouere pro eodẽ, sed dicitur sanctificare, id est sanctum efficere, vel ad cultum Dei applicare, & quia quælibet res, quæ vouetur Domino, per votum desinit esse eius, qui vouet, & incipit pertinere ad Deum, dicitur sanctificare rem ille, qui vouet eam.

Asa quomodo habuit cor perfectum, cùm multipliciter peccauerit.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR quomodo dicitur supra, quòd cor Asa perfectum erat cum Domino, quia Asa peccauit multipliciter. Primò quia cùm Deus liberasset eum de maximo periculo, quando pugnauit contra regem Æthiopum, postea quando ascendit contra eum Baasa rex Israël, non sperauit in Domino, sed petiuit auxilium à rege Syriæ.

Item dedit regi Syriæ vasa domus Domini, vt adiuuaret eum, & tamen illa non poterat dare, quia non erant sua, sed templo Dei. Item quando Anani Propheta increpuit Asa ex parte Dei super his iussit eum poni in carcere, super quo Dominus iratus nimis percussit de populo plurimos. D

Item in senectute sua cùm ægrotaret in pedibus non sperauit in Domino, sed confisus est arte medicorum, de his quatuor peccatis redarguit eum Scriptura 2. Paralip. 16.

Aliquis dicet, quòd Asa habuit cor perfectum cum Domino antequam inciperet peccare, quòd fuit in anno 36. regni eius, 2. Paralipom. 16. & sic 36. annis habuit cor perfectum cum Domino, postea autem peccauit, & non fuit cor suum perfectum.

Sed dicendum, quòd non stat, quia litera dicit hic, quòd cor Asa erat perfectum cum Deo suo cunctis diebus suis.

Dicendum ergo, quòd quamquam Asa peccauit, non desijt habere cor perfectum cum Deo, quia non vocatur cor perfectum, id est innocens, sed quòd non declinet ad idololatriam, & quòd solicitè curet ea, quæ ad cultum Dei pertinent, ista duo erant in Asa. De primo patet, quia dato, quòd ipse aliquando peccauerit, tamen ad idololatriam nunquam declinauit in vita sua. Quod patet, quia inter omnia peccata sua 2. Paral. 16. nihil tale ponitur. De secundo patet, quia fuit Asa nimis diligens in extirpando de terra omnem idololatriam, quam introduxerant prędecessores sui, vt patet in litera, scilicet, Purgauitq; vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres sui, erat ergo cor suum perfectum cum Domino, quamquam peccauisset aliquando, sic etiam dicitur supra de E
Dauid, quòd fuit cor eius perfectum cum Domino, & tamẽ Dauid grauiter peccauit, sed nunquam in idololatria.

Cor perfectum quid appelletur in propositio.

An Asa teneretur complere votum patris sui, & generaliter, an quilibet successor teneatur complere votum sui prædecessoris, vel eius, cui succedit in hæreditate.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlteriùs, an teneretur iste Asa complere votum patris sui, & generaliter, an quilibet hæres, vel successor teneatur complere vota prædecessoris, vel instituẽtis eum.

Respondendum, quòd secùs est de successore, quàm de hærede, voco autem successorem eum, qui succedit alteri in dignitate, vel officio, aut beneficio.

Et dicendum, quòd isti generaliter non tenentur ad aliqua vota, vel promissa prædecessorum suorum, inquantum sunt successores, secus autem inquantum perueniunt ad eos aliqua bona prædecessorum, quia tunc magis sunt, vt hæredes, quàm solum, vt successores. Idem iudicium erit hic de successoribus, vel hæredibus.

Si autem loquamur de hæredibus propriè dictis, considerandum, quòd aut votum prædecessorum, siue testatorum fuit personale, aut reale: Voco autem votum personale, quod directè respicit personam, & non res eius, sicut orare, ieiunare, peregrinari, affligere animam suam, abstinendo ab aliquibus delectabilibus, quæ licita sunt. Voco votum reale, quod principaliter respicit rem, sicut si vouerit dare certam eleëmosynam, vel fabricare Ecclesiam, aut facere aliud opus piũ, quod principalius respicit pecuniam, quàm personam. F

De primis dicendum, quòd hæredes, vel successores non tenentur aliquando ad vota prædecessorũ, vel instituentium eos in hæredes. Patet quia intantùm tenetur aliquis pro prædecessore suo quantum peruenit ad eum si obseruauerit solẽnitates iuris, scilicet, faciendo inuentarium de bonis relictis à prædecessore, vt non teneatur vltra vires testamenti, sed ista vota personalia non concernunt aliquas res, in quibus succedit successor prædecessori, ergo non tenebitur ad illa. Quod patet, quia iste non tenetur, nisi inquantum succedit alteri: nam filius, si nõ succedit patri, non tenetur ad aliquid de debitis eius, & etiam si pater iniungat ei, quòd ieiunet pro ipso, vel oret, non tenebitur, si autem succedit, tenetur: sed vota personalia non inducunt aliquam obligationem, quæ consistat in rebus directè, sed in persona, successor aũt solùm succedit in rebus, ideo non tenebitur ad ista vota, siue sit hæres extraneus, siue legitimus, scilicet, aliàs succedens ab intestato. Istud aũt verum est, nisi fortè testator expresserit in testamento, quòd hæres suus teneretur ad cõplendum votum ieiunij,

Quid votum personale. Votum reale quid.

vel

A vel peregrinationis à se emissum, quia tunc tenebitur votum complere, vel renunciare iuri successionis, etiam si testator non expresserit, quòd hęres non complens votum, careat iure successionis, quia ad ordinarium, cuius est habere curam de completione testamentorum, pertinebit compellere eum per censuras ad tenendum votum testatoris, vel ad renunciandum iuri hæreditatis. Istud autem solùm tenet locũ in hæredibus propriè dictis, scilicet, qui instituti possunt à testatore. Secus autem in illis, qui succedunt sine voluntate defuncti, sicut est in successione Ecclesiastica prælatorum, vel beneficiatorum, quia non succedunt ex voluntate defunctorũ, sed secundùm statuta iuris, ideo non potest Episcopus moriens in testamento suo obligare futurum Episcopum ad complendum votum suum de ieiunio vel de oratione, dato quòd multa bona eius alteri maneant.

Quid in votis realibus.

Si autem loquamur de votis realibus, dicendùm quòd ille, qui est propriè hæres alterius, tenetur ad omnia vota eius, siue expresserit in testamento ipse testator, quòd soluantur, siue non expresserit, dum tamen constet, quòd vouerit, & nõ soluerit, patet hoc, quia de hæreditatis corpore semper subtrahendum est ęs alienum, ita quòd ad hoc, quòd dicatur aliquis succedere alteri vniuersaliter necesse est, quòd subtrahatur inde æs alienum, id est omnia debita, quæ vocantur æs alienum, cùm non pertineant ad bona debitoris, sed ad bona eius, cui debetur. Et quia quandocunque aliquis vouet Deo

B quicquam transfert dominium rei, sicut si donaret alicui, & solùm manet apud eum possessio nomine alieno, si rem determinatam vouit, ideo quandiu non reddit rem illam debitor est, & consequenter debet detrahi de bonis defuncti id, quod cadit sub voto tanquam æs alienum, sed quilibet hæres tenetur ad æs alienum soluendum, ergo etiam tenebitur ad vota realia complenda, quatenus sufficiunt vires hæreditatis, quia vltra illas non tenebitur. Istud autem verum est generaliter in hæredibus propriè dictis, quia illi possunt vouere de rebus suis, dum viuunt quicquid voluerint, ideo etiam si tota hęreditas esset necessaria ad soluendum vota teneretur hæres totam impendere, quia testator, dum viuebat poterat obligare totam, & maximè si est hæres extraneus, quia in filio succedẽte patri fortè videretur dubium propter hoc, quòd pater nõ debet omnes facultates suas Deo dare exhæredando filios. In successoribus autem, qui nõ sunt propriè hæredes prædecessorum suorum, scil. in episcopis, & clericis. Dicendum, quòd

Quãdo Episcopus teneatur implere votũ prædecessoris

aliquando tenentur ad vota prædecessorum, & aliquando non. Et est regula, quòd quandocunque votum prædecessoris tenuit, & vires successionis sufficiunt, tenetur successor ad complendum votum. Dico autem hoc, quia in rebus prophanis habet quilibet liberam administrationem, si suæ sunt, & potest vouere de illis quantum voluerit, & semper tenebit votum, cùm etiam posset illas liberè donare & alienare. In rebus autem ecclesiasticis secus est, quia Episcopi & clerici, licèt habeant administrationem earum non sunt domini, sed procuratores, ideo non possunt alienare, vel donare in omni casu,

C sed in certo modo, ideo cùm per votum fiat alienatio rei, interdum voueret, sed Episcopus, vel clericus aliquid, quod nõ teneret, quia esset in prędiciũ dignitatis, vel Ecclesiæ, cuius bona dispensat, & tunc, sicut ipse viuens non potuit complere votum suum, quia non tenuit, ita nec successor suus tenebitur, immò nec poterit complere votum eius: nam non solùm est hoc in votis realibus, sed etiam personalibus, quia quædam vota personalia sunt, in quibus grauaretur nimis Ecclesia, & illa non possunt emittere Episcopi sine licentia Papæ, vt votum transmarinum, vt patet extr. de vot. & vot. redempt. c. magnæ. sic etiam est de voto clericorum respectu Episcoporum in peregrinando, quia si Ecclesia lædatur, vt quia peregrinatio longa est, non poterit clericus sine licentia Episcopi. Ratio diuersitatis in omnibus his est, quia viri Ecclesiastici non sunt simpliciter liberi in rebus, vel in personis, seculares autem liberi sunt omnino. Si tamen Episcopus, vel clericus emiserit votum reale, quod teneat, scilicet, quia non donat Deo vltra id, quod de iure donare potest, quia per votum illud semel bona obligata sunt, dato quòd moriens non habeat potestatem disponendi de illis bonis, sicut in vita, tamen ille, ad quem perueniunt bona, tenebitur complere votum.

Sciendum vlteriùs, quòd omnia prædicta de voto reali intelliguntur, siue testator expresserit in testamento, quod soluatur votum, siue non, dum tamen constet, quòd non cõpletum est, patet hoc per similitudinem de debitis, quia dato quòd testator non iubeat in testamento solui debita, tamen hæres tenebitur soluere illa, quando constiterit debita esse. Sic igitur Asa successit patri suo Abiæ in regno, & thesauris, & sciebat eum non expleuisse votum factum Deo, ideo ipse videns se obligatum, soluit illud.

D

Testator, an possit liberare hæredem à voto reali.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR quid si testator iubeat in testamento, vel aliàs priuatim ipsi hæredi, quòd nõ expleat votum reale, ad quod ipse tenebatur.

Respondendum, quòd ipse testator peccat iubendo hoc, quia est iniustum, & tamen semper tenetur hæres soluere votum. Ratio huius est, quia voluntas testatoris tenenda est in eo in quo ipse potest disponere, sed nõ est in potestate sua, ꝙ non sit obligatus ad votum, ideo etiam non poterit liberare hæredem ab hac obligatione: nam si ipse viueret poterat ab eo peti id, quod vouerat, & ipse non poterat tollere hanc obligationem, nisi soluendo, ergo etiam tenebitur hæres, quia transit res cum onere suo. Simile patet de debitis contractis

E in mutuo, commodato, vel aliàs, quia dato, quòd testator diceret hæredi, quòd non solueret debita, teneretur hæres soluere illa: nam viuente testatore competebat creditoribus actio contra bona eius vsque ad illam summam, ita mortuo eo ad quemcunque transierint illa bona competet creditoribus agere ad consequendum illa. Votum tamen computatur in ære alieno, sicut debitum, eo quòd verè, & determinatè debetur, ergo tenebitur hæres inuito testatore explere votum, & dato quòd apponeret testator in testamento, quòd hæres si expleret votum careret iure hæreditatis, teneretur semper soluere, & ista clausula adiecta, quia iniusta erat, nõ erat tenenda, nec obligabat ad non soluendum.

Dicendum tamen, quòd votum, quod sic hæres expleret non proficeret testatori, cùm eo renuente soluatur, & tamen hæres tenetur soluere non quidem, vt prosit animæ defuncti, vel vt soluatur ab obligatione, quia non potest solui ab illa, cùm non habuerit animum soluendi, sed tenetur soluere ad tollendam obligationem sui ipsius, quia in illo voto reali res erat obligata, & transiuit cum onere suo ad hæredem, ideo si non vult soluere, detinet rem alienam inuito eo, ad quem pertinet, ideo committit violentiam quandam, & semper erit actualiter in peccato quousq; habuerit propositum explendi votum.

Bellum autem erat inter Asa, & Baasa regem Israël. Iste Baasa fuit institutus in regem Israël anno secundo regni Asa, scil. post mortem Nadab filij Ieroboam: nam ipse occidit Nadab, F vt patet infra. & pugnauit iste cum Asa, quia erant confines, & hostilitas erat antiqua inter reges Iuda, & Israël.

Cunctis diebus eorum. Scilicet, durauit istud bellum cunctis diebus eorum, id est quibus ambo erant reges simul, non tamen durauit simpliciter omnibus diebus vtriusque, eo quòd Baasa mortuus est, antequam moreretur Asa multo tempore, cùm ipse Baasa regnauerit annis 24. solum, vt patet infra, Asa autem regnauit 41. annis supra in litera, & cœperunt ambo regnare quasi in eodẽ tempore, sed omnibus diebus, quibus ambo vixerunt simul durauit bellum inter eos.

Asa an peccauerit pugnando contra Baasa, & an inter se pugnauerint cunctis diebus vitæ suæ.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR, an peccauerit Asa, pugnando contra Baasa, & quomodo est verum, quòd pugnauit Asa cum Baasa omnibus diebus.

De primo dicendum, quòd bella ista non videtur feciſſe Asa, sed magis Baasa aggressus fuerit eum, quia dicitur infra, quòd Baasa ascendit cõtra Asa. Et dato, quòd Asa aliqua bella cõmiserit contra Baasa, non videtur, quod peccaret in illis, quia non agebat contra prohibitionem Dei, quę habetur su-

A

pra 12. quia non pugnabat ad reducendam vnitatem regni, ſed ex alia cauſa, ſcilicet, propter limites regnorum, vel propter alias cauſas emergentes, vel incidentes, & in his licitum erat pugnare, ſicut declaratum fuit præced. cap. & ſupra in litera de Roboam, & de Abia, qui pugnauerunt contra Ieroboam regem Iſraël, & licitè egerunt.

Ad ſecundum dicet aliquis, quòd non fuit bellum inter Baaſa, & Aſa omnibus diebus eorum, quia fuit in pace Aſa in regno ſuo decem annis, 2. Paralip. 14. & tamen tunc regnabat in Iſraël ipſe Baaſa, qui cœpit regnare anno 3. Aſa, vt patet infra in litera.

Aliquis dicet, quod intelligitur, quòd habuit pacem per decem annos agentibus extraneis, ſicut ab Æthiopibus, qui pugnauerunt contra ipſum poſt annum decimum regni ſui, & tamen cum regno Iſraël vicino ſibi nunquam habuit pacem.

Sed dicendum, quod non ſtat, quia 2. Paralip. 14. dicitur, quòd Aſa fuit in pace per decem annos, & propter nimiam pacem ædificauit ciuitates munitas, ſi tamen habuiſſet bellũ cum rege Baaſa non potuiſſet vacare ædificationi ciuitatum, ergo in illis decem annis non habebat bellum cum Baaſa, neque cũ aliquo alio: maximè, quia litera dicit ædificauit quoq; vrbes munitas in Iuda, quia quietus erat, & nulla temporibus eius bella ſurrexerant, ergo non ſolùm non pugnauit illo tẽpore cum aliquibus extraneis, ſed etiam, nec cum Baaſa.

B

Dicendum igitur, quòd fuit pugna inter Aſa, & Baaſa omnibus diebus, ſcilicet, omnibus diebus poſtquam incœperunt pugnare: nam licèt à principio regni vtriuſque non fuit bellum inter eos, tamen poſtquam ſemel cœperunt pugnare, nunquam deſierũt vſq; ad mortem Baaſa, qui prius mortuus eſt. Et ſic decem anni primi regni Aſa fuerunt ſine bello, quia nec pugnauit contra ipſum rex Æthiopum, nec etiam Baaſa, aut aliquis alius. De temporibus autem in quibus Aſa ſingula eorum, quę dicta ſunt egerit, infra declarabitur in quadam quæſtione. *Aſcendit quoq;* Hic ponitur tempus, in quo Aſa à bonitate declinare cœpit, & diuiditur in duo, quia primò agitur de regno Aſa, ſecundò de regno regum Iſraël, qui eo viuente regnauerunt, ibi. *Nadab verò.* Circa primum dicitur: *Aſcendit quoque Baaſa rex Iſraël in Iudam.* Id eſt, aſcendit in terram Iuda, ſcilicet ad terram Beniamin, quæ vocabatur terra Iuda, id eſt regni Iuda.

Et ædificauit Rama. ſcil. fecit quoddam caſtrum apud Rama. Sciendum autem, quòd Rama eſt quædam ciuitas in ſorte Beniamin, vt patet Ioſue 18. & iſta diſtat à Ieruſalẽ per 40. ſtadia, vt dicit hiſtoria Scholaſtica, & ſunt quaſi duæ leucæ, & parum plus, & iſta eſt illa Rama, de qua habetur Iud. 19. ſcilicet, Leuita ille, cuius vxor occiſa eſt in Gabaa, tranſiuit apud Ieruſalẽ quando occidebat ſol, & dixit, quod nolebat intrare in Ieruſalem, quia erat oppidum Iebuſæorum, ſed quod declinaret in Gabaa, vel in Rama, ergo Rama circa Ieruſalem erat, quia ſi multũ inde diſtaret, non poterat illuc ire ad declinandum illa nocte, cùm ſol occideret ei apud Ieruſalem. Iſta eſt, de qua dixit Ierem. c. 31. Vox in Rama audita eſt. Non eſt iſta Ramatha, de qua erat oriundus Samuel, ſupra 1. lib. c. 1. & 2. & 7. nam illa vocatur Ramatha, & iſta vocatur Rama, etiam Rama diſtat à Ieruſalem quatuor milliarijs, Ramatha autem diſtat 16. milliarijs, vt patet in lib. de Situ terrę ſanctę. Iſta Rama erat in confinio regni Iudæ, & regni Iſrael, & erat introitus ad terram Iſraël, ita vt nullus conuenienter poſſet tranſire de vno regno in aliud, niſi per locum illum, ideo voluit Baaſa ibi ædificare arcem ad impediendum tranſitum.

C *Rama q̃ ciuitas ſit, & vbi.*

Vt non poſſet quiſpiam ingredi, vel egredi de parte Aſa regis Iudæ. Erat locus ille ſtrictus, & fortè loca in circuitu erant magnarum alpium, vel aliàs incommoda ad tranſeundum, ita vt nõ poſſet trãſitus eſſe conueniens, niſi per locum illum, ideo cũ ædificatũ eſſet ibi fortalicium, manerent in eo multi de viris regis Baaſa, & non poſſet aliquis de parte regis Aſa intrare in terram Iſraël, quin videretur ab illis, & etiam poterant illi prohibere introitum ex fortalicio, quod erat apud viam. Et ſi aliquando permitterent aliquos de regno Aſa introire in terram Iſraël non permitterent eos poſtea exire. Etiam erat magnum damnum pro terra regis Aſa, quia ibi poterãt eſſe multi viri parati ad bellum de parte Baaſa, & repentinis incurſionibus vaſtarent loca vicina terræ Aſa, & etiam loca longinqua ſubitò diſcurrentes inopinatis exiſtentibus viris de terra Aſa, ideo Aſa magno conatu vetuit hoc fieri.

D

Tollens itaque Aſa omne aurum, & argentum, quod remanſerat in theſauris domus Domini, & in theſauris domus regiæ. Accepit iſtos theſauros ad dandum illos regi Syriæ, vt adiuuaret eum contra Baaſa, vel potius pugnaret contra eum, & dicitur: Qui remanſerant in theſauris domus Domini, quia Seſac rex Ægypti tempore Roboam aſcendit in terram Iuda, & tulit omnes theſauros domus Domini, & domus regis, præced. capit. Remanſit autem aliquid, quia ſicut ibi dictum eſt, non accepit vaſa aurea, & argentea, quæ erant ad miniſterium, ſed ſolũ accepit aurum, & argentum, & alias diuitias. De theſauris autem manentibus, & de alijs, quæ ipſe cõſecrauerat, poſtea domino ex voto ſuo, & ex voto patris ſui, accepit nunc ad mittendum regi Syriæ munera.

Dedit illud in manu ſeruorum ſuorum. Id eſt dedit ſeruis ſuis, quos fecit nuncios ad regem Syriæ.

Et miſit ad Benadad filium Tabremon filij Hezion. Iſte Benadad erat rex Syriæ, & erat potens, ideo miſit ei aurum multum, & argentum, vt faceret recedere ab eo Baaſa Regem Iſraël.

Regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco. Damaſcus eſt ciuitas metropolitana in Syria. Iſa. 7. caput Syrię Damaſcus. Et eſt duplex Syria, ideo vocatur quædã Syria Damaſci ſpecialiter, vt patet præced. lib. ca. 8. ſcil. venit autem Syria Damaſci, vt preſidium ferret Adarezer regi Soba, & tamen ille Adarezer erat rex Syriæ, vt patet ibidem, & eod. lib. c. 10. Iſte Benadad videtur eſſe ille, de quo habetur infra 20. qui pugnauit contra Samariam tempore Achab, & ſatis ſtat, quia ille fuit contemporaneus his regibus, nam à fine regni Aſa vſque ad regnum Achab, contra quem pugnauit Benadad, vt patet colligendo annos Ela, & Amri, & Zambri regum Iſraël, qui fuerũt inter Baaſa, & Achab, vt patet hic, & ſeq. cap. *Syria duplex*

E

Fœdus eſt inter me, & te, & inter patrem meũ, & patrem tuum. Regnũ Iuda, & Iſraël propinqua erant regno Syriæ, quia coniungebantur ei in latere Septentrionali ipſorum, & ob hoc iſti reges, vt vicini inſtituerant fœdera inter ſe. Vnde pater Aſa, ſcil. Abia habuerat fœdus cũ Tabremon rege Syriæ patre Benadad, & ipſe Aſa habebat fœdus cũ Benadad. Habebat etiam Benadad fœdus cum Baaſa rege Iſraël, vt patet in litera: ideo non poterant pugnare iſti reges in alterutrũ, & ob hoc, vt amore pecuniarum Benadad rumperet fœdus, quod habebat cum Baaſa, & pugnaret contra eum pro Aſa, miſit ei Aſa aurum multum, & argentum, oſtendens inter eos fœdus eſſe, & non nunc nouiter, ſed fuiſſe à prædeceſſoribus ſuis.

Ideo miſi tibi munera argentum, & aurum. Id eſt, quia fœdus eſt inter me, & te, & credo, quòd facies, quod rogauero, miſi tibi confidenter munera orans, vt pugnes contra regẽ Iſraël.

Et peto, vt venias, & irritum facias fœdus, quod habes cum Baaſa rege Iſraël. Id eſt, peto vt venias ad pugnandum contra eum, & ſic facies contra fœdus, quod habes cum ipſo: nam habebat fœdus cum eo, & iſtud erat de pace ſeruanda, ideo pugnando contra eum ſine cauſa iuſta, ſicut nunc, erat rumpere fœdus.

F

Et recedat à me. Id eſt, ceſſet ædificare fortalicium in terra mea, & pugnare contra me.

Quare Aſa vocauit regem Syriæ ad pugnandum contra Baaſa.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR ad quid mittebat Aſa munera magna regi Syriæ, vt veniret ad pugnandum contra Baaſa.

Reſpondendum, quòd fortè hoc fecit, quia non confiſus eſt ſe poſſe reſiſtere toti multitudini quam ducebat Baaſa, & ob hoc voluit, quòd rex Syriæ potentiſſimus pugnaret contra eum, & hoc videtur ex verbis Anani Prophetæ redarguentis Aſa ex parte Dei, ſcilicet, Nonne Æthiopes, & Libyes multo plures erãt, quos cum Domino credidiſſes tradidit in manus tuas.

Aliter poteſt dici, quòd Aſa nõ formidabat ſolum regem Iſraël, ſed magis regem Syriæ, quia ſciebat, quod habebat fœdus cum illo, & ſi Aſa inciperet pugnare contra Baaſa, fortè Benadad rex Syriæ adiuuaret Baaſa contra Aſa, & non poſſet Aſa vtrumque ſuſtinere, ideo præoccupauit Aſa attrahere regem Syriæ muneribus.

Aliter dici poteſt, quòd Benadad habebat fœdus cũ rege

A

iuda, & cum rege Iſrael, & cum eſſet bellum inter vtrunque, non debebat aliquem eorum de iure adiuuare Benadad, quia quemcunque eorum adiuuando faceret contra fœdus initum cum alio, ſed poterat concordare eos amicabiliter, ne pugnarent: Aſa tamen timens, quòd Benadad poterat corrumpi pecunia, & quicunque prius ei pecuniam offerret, poſſet illum habere in partem ſuam violato fœdere, & putans, quòd forte Baaſa videns inſurgere bellum contra ſe corrumperet Benadad pecunia, vt eſſet pro parte ſua, præoccupauit facere, quòd facturus erat Baaſa, ideo ante tempus præoccupauit mittere pecuniam ipſi Benadad, vt haberet eum pro parte ſua in adiutorem.

Aſa quomodo putauit, quòd Baaſa recederet ab eo Benadad frangente fœdus.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR quomodo Aſa volebat, & putabat, quòd ſi Benadad frangeret fœdus, quòd habebat cum Baaſa, recederet ab eo.

Reſpondendum eſt, quòd Aſa volebat, quòd veniret Benadad ad pugnandum cum Baaſa, & tunc videns ſibi bella insurgere deſineret ædificare Rama in præiudicium Aſa, vt occurreret Syris venientibus contra eum, & ſic factū eſt. Nam

B

videns Baaſa principes Benadad, reliquit ædificationem Rama, & iuit in Therſa, & tunc Aſa, & omnes de regno ſuo euntes in Rama tulerunt inde lapides, & ligna, quæ portauerat Baaſa ad conſtruendam arcem, & de illis ædificauit Aſa vrbes, vt patet infra in litera, & ſecundo Paralipomen. 16.

Aliter poteſt dici, quòd Aſa voluit, quòd Benadad iuberet Baaſa, vt non ædificaret arcem, & ad hoc, quòd pugnaret contra eum primo, & ille non potens ſuſtinere bellum, faceret quòd iubebat Benadad. Vel aliter, ſcilicet, quòd Aſa ridens quòd viri Benadad venirent contra eum ſciret, quòd veniebant propter regem Aſa, ideo illico deſineret infeſtare regem Aſa, ceſſando ab ædificatione.

An peccauerit Aſa vocando in adiutorem regem Gentilem Benadad.

QVÆSTIO XXIV.

QVÆRETVR an peccauerit Aſa vocando in auxilium regem Benadad contra Baaſa.

Reſpondendum, quòd Deus nolebat, quòd cultores ſui peterent adiutoria à Gentilibus, vel à quibuſcunque idolatris, ſed ſperarent in ipſo, & ipſe daret eis fortitudinē ſine adiutorio extraneorum, ſic patet de rege Amaſia, qui accepit de viris Iſrael centum millia robuſtorum, vt adiuuarent eum contra Idumæos, & quia erant iſti Iſraelitæ, venit homo Dei ad Amaſiam, dicens: ô rex ne egrediatur tecum exercitus Iſrael, non eſt enim Dominus cum Iſrael, & cunctis filijs Ephraim, quòd ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere ſuperari te faciet Dominus ab hoſtibus. Et tunc Amaſias dimiſit centum millia virorum Iſrael, ſed dixit ad prophetam, quid ergo fiet de centū talentis, quæ dedi militibus Iſrael? Reſpondit propheta, habet Dominus vnde tibi poſſit dare multo plura his. De his ſecundo Paralipomen. vigeſimoquinto. Peccaret ergo à fortiori Aſa ducendo exercitum de Gentilibus.

C

Item peccauit Aſa, quia fuit valde ingratus Deo, & diffidens bonitati eius: nam ipſe pugnauerat ante hoc contra Æthiopes, qui erant decies centena millia, & inuocato Deo vertit illos in fugam ſecundo Paralipomen. decimoquarto. Nunc autē multo pauciores erant viri Iſrael, qui erant cum Baaſa, ideo debuerat confidere in auxilio Dei, & pugnare contra Baaſa, non vocato Benadad rege Syriæ. Quod autem peccauerit in hoc, patet quia propheta Hanani ex parte Dei increpuit Aſa, dicens: nonne Æthiopes, & Lybies multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia, quos cum Domino credidiſſes tradidit in manus tuas: oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum.

Item patet, quòd peccauerit, quia Deus inflixit ei pœnam propter hoc, & fuerunt duæ pœnæ. Prima quòd Deus traditurus erat Aſſyrios in manus Aſa, nunc autem, quia ipſe inuocauit eos in auxilium, meruit, quòd non poſſet ſuperare illos. Secunda fuit, quia Deus daturus erat vitam quietam regi Aſa, & quia tunc confidentiam habuit in auxilio humano Deus fecit inſurgere bella contra ipſum. De prima pœna patet ſecendo paralipomen. Decimoſexto capit. cum dixit propheta ad Aſa, quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ, & non in domino Deo tuo, iccirco euaſit exercitus regis Syriæ de manu tua. De ſecunda pœna patet ibidem cum dicitur ſtultè egiſti, & propter hoc etiam præſenti tempore aduerſum te bella conſurgent.

D

An Aſa peccauit in dando theſauros domus domini.

QVÆSTIO XXV.

VLTERIVS quæretur, an peccauit Aſa accipiendo theſauros domus Domini ad mittendum regi Syriæ.

Aliquis dicet, quòd peccauit, quia illa, quæ erant in domo Domini erant ſacra, & quæ ſacra ſunt non debent conuerti ad vſus prophanos, maximè dando illa viro gentili.

Reſpondendum, quòd in dando theſauros domus Domini peccauit multipliciter ipſe Aſa. Primo peccauit, quia accepit rem alienam domino non concedente, & non cum

E

voluntate ſoluendi illa.

Secundo peccauit, quia accepit ad malum finem, ſcilicet, ad dandum regi Syrię, vt adiuuaret eum contra regem Baaſa, iſtud autem erat malum, vt præced. quæſt. probatum eſt.

Item peccauit, quia forte iſti theſauri, quos accepit de domo Domini erant conſecrati, & nō licebat vllo modo transferri illos ad vſus humanos: nam ipſe Balthaſar, qui erat Rex Chaldæorum peccauit bibendo in vaſis, quæ tranſtulerat Nabuchodonoſor de domo Domini, vt patet Dan. quinto capitu. & ob hoc vidit contra ſe tres digitos ſcribentes in pariete, & regnum ſuum ablatum eſt, vt ibi dixit Daniel, à fortiori, ergo peccaret vir Iudæus dans vaſa domus Domini alicui Gentili, vt poſſet in illis facere quicquid vellet.

Conſiderandum tamen, quòd licet Aſa peccauerit dando theſauros domus Domini, tamē poterat in aliquo caſu non peccare.

In quo ſciendum, quòd aut illi theſauri erant aliqua vaſa conſecrata, quibus miniſtrabatur in altari thymiamatum, vel holocauſtorum, aut alias, vel non erant vaſa alicuius miniſtrationis, ſed ſolum aurum, & argentum rude, vel pecuniæ magnæ.

De primo dicendum, quòd nō licebat aliquatenus transferri ad vſus humanos, quia omnia talia vaſa erant cōſecrata, ſicut nunc ſunt cōſecrati calices noſtri, eo quòd illa vaſa vngebantur oleo ſancto, quo vngebantur ſummi ſacerdotes,

F

& reges: nec erat in toto Sanctuario aliquod vas ad quamcunque miniſtrationem pertinens, quod non vngeretur, ſic vt patet Exodi trigeſimoprimo. & quadrageſimo, & Numeri ſeptim. Sed nullo modo, licet calices noſtros conſecratos alicui ſeculari dari, vel transferri ad alias miniſtrationes non ſacras, ergo etiam, nec vaſa domus Domini.

Si autem intelligatur de ſecundo, ſcilicet de auro, & argento, & alijs theſauris, quæ non erant vaſa.

Dicendum, quòd iſta poterant in aliquo caſu transferri ad vſus ſecularium, eo quòd iſta, licet eſſent ſacra non erant conſecrata, ſcilicet, vncta oleo ſancto, erant autem ſacra inquantum erant Dei.

Ad hoc autem, poſſent licitè accipi ad vſum ſæcularium, oportebat quòd eſſet magna neceſſitas, quia non debebant ex cauſa facili ea quæ ſemel Deo data erant, redire ad vſum ſæcularium. Etiam requirebatur, quòd acciperentur de Sanctuario ad bonū finem, ſcilicet, ad aliquem actum honeſtū, quia alioquin peccatum eſſet vti re ſacra in negocio turpi, vel illicito. Etiam requirebatur, quòd ille, qui acciperet, haberet intentionem ſoluendi ea, quæ accipiebat, quia alioquin quantumcunque eſſet cauſa honeſta non erat licita iſta acceptio, eo quòd res illæ ſacræ erant alienæ, ſcilicet, quia Dei erant, ideo ſicut ſi acciperetur ab alio homine eſſet neceſſaria ſolutio, & voluntas ſoluendi, ita accipiendo à Deo, & à fortiori, quia grauius eſt tollere res Dei, quā res hominū.

A Quòd autem cum his conditionibus liceret rem ſacrã transferri ad vſum ſæcularium: apparet, quia Dauid dederat gladium Goliath Philiſthæi templo Domini, & conſeruabatur cum veſtibus ſacris, & tamen cum Dauid fuit in neceſſitate non habens alium gladium, & habens cauſam iuſtam, ſcilicet, quia ibat in via, accepit illum gladium ſupra primo libro cap. vigeſimoprimo. ſic autem Aſa ſi accipiſſet pecunias templi Domini exiſtens in neceſſitate magna, & non ad dandum viro Gentili pro illicito adiutorio, & cum voluntate reſtituendi non peccaſſet.

Acquieſcens Benadad regi Aſa. Scilicet, videns pecuniam magnam quam offerebat Aſa conſenſit rumpere fœdus, quod habebat cum Baaſa.

Miſit principes exercitus ſui. Noluit ipſe ire in terram Iſrael quanquam hoc petiuiſſet Aſa, quia ſatis erat, quòd irent illuc principes exercitus ſui: nam ipſi cogerent Baaſa deſiſtere à bello.

In ciuitates Iſrael. Id eſt, contra ciuitates regni Baaſa. *Et percuſſerunt Ahion, & Dan, & Abel.* Iſtæ ciuitates erant in terra Iſrael coniunctæ terræ Syriæ: nam non fecerunt principes exercitus Benadad aliud, niſi mox, vt ingreſſi ſunt in terram Iſrael cæperunt vaſtare eam non euntes in Rama, vbi erat Baaſa ædificando contra Aſa, quia crediderunt, quòd mox, vt Baaſa audiret illos ingreſſos in terram recederet de Rama ad obuiandum illis, & ſic factum eſt. Sunt autem iſte ciuitates extremæ in terra Iſrael, ſcil. in latere Aquilonari. Quod patet: nam ciuitas Dan, quæ ponitur hic eſt terminus Aquilonaris terræ Iſrael, & iſta eſt de qua dicitur ſæpe: A Dan vſq; ad Berſabee. præcedenti libro capitu. decimoſeptimo, & vigeſimoquarto. Et iſtam ciuitatem habebant filij Dan, quæ olim vocabatur Lais, in qua fuit idolum Micheæ. Iudicum decimooctauo, iſtæ duæ ciuitates, ſcilicet, Ahion, & Abel erant de ſorte Dan, licet dicatur hic, omnem terram Nephtali, quia illud refertur ſolum ad terram Ceneroth, quæ erat in terra Nephtali.

Domum Maacha. Iſta eſt quædam regio ſatis propinqua terræ Aſſyriorum in terra Iſrael, & hanc etiam vaſtauerunt Syri. *Et vniuerſum Ceneroth.* Id eſt, totam terram Ceneroth. Iſta eſt terra maritima, quæ eſt in circuitu maris. quod vocatur mare Cenereth, & eſt ad partem orientalem terræ Iſrael. De hoc Numeri decimoquarto, & Ioſue, 11. & vocatur interdum in Euangelio mare Geneſareth, & interdum mare, vel lacus Tyberiadis, vel mare Galilææ: De quibus omnibus dictum eſt numeri trigeſimoquarto. Apud iſtud mare Chriſtus nutritus eſt in pueritia ſua, & etiam ibi cœpit prædicare, quia apud illud mare eſt Nazareth, in qua Chriſtus nutritus eſt. Ibi etiã eſt Capharnaum, & Bethſaida, & aliæ villæ, per quas ipſe conſueuerat prædicare, & ſic dicitur ſemel, quòd aſcendit Chriſtus in nauiculam, & venit in ciuitatem ſuam, ſcilicet in Nazareth. Vnde ſæpe fit mentio de hoc mari in Euangelio, & apud illud cæpit prædicationem ſuam. Vnde beatus Matthæus probans principium prędicationis Chriſti in terra Nephtali, & Zabulon apud mare induxit auctoritatem Iſa. 9. dicens, quòd Chriſtus relicta ciuitate Nazareth venit, & habitauit in Capharnaum in maritima in finibus Zabulon, & Nephtali, vt impleretur, quod dictum eſt per Iſaiam: Terra Zabulon, & terra Nephtali via maris trans Iordanem Galileæ Gentium. Populus qui ſedebat in tenebris vidit lucem magnam. Matth. 4. cap. *Omnem, ſcilicet terram Nephtali.* Id eſt, vaſtauerunt principes Benadad totã terram Nephtali: nam iſta maritima Ceneroth eſt in finibus Nephtali, & Zabulon Matth. 4. Venerunt autem ad terram illam, quia eſt multum Septentrionalis, & propinqua Syriæ.

B

Vbi Chriſtus fuit nutritus, & cœpit prædicare.

C

Quod cum audiſſet Baaſa. Scilicet, quòd venerant principes Benedad, & deſtruebant terram eius.

Intermiſit ædificare Rama, & reuerſus eſt in Therſa. Id eſt, ceſſauit pro tunc ab opere: nam habebat lapides, & ligna, & omnia neceſſaria in Rama ad ædificationem arcis, & videns ſibi imminere bella ceſſauit, & reuerſus eſt in Therſa. Eſt enim Therſa ciuitas Metropolis regni Iſrael, & erat pro tunc Metropolis, quia poſtquam Samaria ampliata eſt, illa fuit caput, & Metropolis: de quo ſequenti capitu. poterat autem ceſſare ab ædificatione Baaſa propter vnum de duobus, primo quia videns, quòd veniſſent contra eum principes Benadad ſciuit, quòd Aſa corrupiſſet Benadad muneribus ad irritandum fœdus, quòd habebat cum eo, & hoc, vt recederet de Rama, ſciens ergo, quòd deſtruerent terrã eius principes Benadad, niſi deſiſteret ab ædificatione, receſſit illico, vt non vaſtaretur terra eius. Secundum potuit eſſe, ſcilicet, quia forte Baaſa intendebat reſiſtere principibus Benadad parando ſe ad bellum contra illos, ideo ceſſauit ædificare, & iuit in Therſa, quæ erat Metropolis regni, vt ibi ſepareret ab bellum.

D

Rex autem Aſa nuncium miſit in omnem Iudam. Scilicet, miſit nuncios per totum regnum ſuum, quòd vocatur regnum Iuda, & comprehendebat tribum Iuda, & Beniamin.

Dicens nemo ſit excuſatus. Id eſt, nemo ſe excuſet venire huc ad ferendum lapides, & ligna, quæ reliquit Baaſa in Rama.

An Aſa potuerit iuſtè tollere priuilegium omnibus priuilegiatis de regno ſuo, ad hoc quòd irent in Rama pro lignis, & lapidibus.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR, an iſtud mandatum eſſet iuſtum.

Reſpondendum, quòd Aſa voluit hic tollere priuilegium omnibus, qui immunes erant ab his laboribus. Nam ſecundum legem quidam excuſabantur, ſicut erat de accipientibus nouiter vxores, vt patet Deuteronom. vigeſimoquarto capitu. ſcilicet, cum acceperit homo nuper vxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam neceſſitatis publicæ iniungetur, ſed vacabit abſque culpa domui ſuæ, vt vno anno lętetur cũ vxore ſua, ſed iſta erat neceſſitas publica, licet non eſſet bellum, ſcilicet, quòd lapides, & ligna ducerentur de Rama ad ædificandum ciuitates Iſrael, ideo videtur, quòd non poterat imponi nouiter accipientibus vxores.

Quidam Hebræi dixerunt, quòd illa lex intelligeretur de bellis voluntarijs, ſecus autem de neceſſarijs, ad quæ ibat totus Iſrael, quia ad illa etiam ipſi nouiter coniugati tenebantur.

Sed iſtud improbatum fuit ſupra primo libro capi. decimonono. Et patet manifeſtè falſum, quia in litera dicitur, quòd non imponetur quippiam neceſſitatis publicæ, ergo quanquam neceſſarium eſſet bellum non debebant cogi accipientes nouiter vxores. Item Deuteronomij vigeſimo capitul. datur regula de modo pugnandi Iſraelitis, & dicitur, quòd quando congregarentur Iſraelitæ ad bellum, & eſſent prope locum belli, debebant clamare principes exercitus per turmas ſuas, quòd recederẽt de bello quatuor genera perſonarum, & ibi ponitur de nouiter cõiugatis, ſiue de accipientibus ſponſas, quas nondum acceperant in vxores. Item hoc fecit Iudas Machabæus, quando pugnauit contra hoſtes primo Machabæ. tertio, & tamen ibi erat bellum maximè neceſſarium cum tota terra deſtruetur ab hoſtibus, ergo quantumcunque eſſet bellum neceſſarium non tenebantur illuc ire, qui nouiter acceperant vxores. De iſto tamen opere, quod iubebat nunc fieri Aſa videbatur ſecus, quia erat opus repentinum, ſcilicet, vt ducerentur omnes lapides, & ligna, quæ reliquerat Baaſa, antequam rurſus ipſe ad ædificandum rediret, & ad hoc erat neceſſarius totus populus, quia ſi excuſarentur illi, qui de iure excuſati erant tardè fieret opus. In bellis autem, & alijs neceſſitatibus publicis ſecus erat, quia ibi quantumcunque eſſet bellum neceſſarium non ibant illuc omnes de populo, ideo tunc poterat ſeruari priuilegium nouiter coniugatorum, accipiendo de alijs viris, nunc autem non poterat conuenienter expediri iſtud opus repentinum, niſi irent illuc omnes de populo, ideo iuſtum erat neminem excuſari.

E

F

Et tulerunt lapides de Rama, & ligna eius, quibus ædificauerat Baaſa. Non eſt intelligendum. quòd iam ædificauerat Baaſa caſtrum, & deſtruxerit illud Aſa ad ducendum lapides, & ligna, quia tunc magnus labor eſſet in deſtruendo, & mora aliquanti temporis, ſed eſt ſenſus, quòd ædificauerat, id eſt, ædificationi præparauerat: nam omnes materias neceſſarias duxerat priuſquam inciperet ædificare, ſic Patet 2. Paralipomenon. 16. ſcilicet porro Aſa rex aſſumpſit vniuerſum Iuda, & tulerunt lapides de Rama, & ligna, quæ ædificationi præparauerat Baaſa, ergo nondum erant poſita in ędificio.

Et extruxit de eiſdem rex Aſa Gabaa Beniamin, & Maſpha. Id eſt

de illis

A de illis lapidibus, & lignis ædificauit Gabaa, & Maſpha. Non eſt ſenſus, quòd de nouo ædificauerit, quia iſtæ ciuitates ab antiquo erant, ſed reſtaurauit, quod deſtructum erat, vel murauit eas ſi forte non erant muratæ. Et vocatur Gabaa Beniamin, quia erat in terra Beniamin. Ioſue decimo octauo, & iſta erat ciuitas, de qua fuit Saul, vt patet præcedenti libro capitu. vigeſimoprimo. Erat autem Gabaa iuxta Rama, & circa Ieruſalem, ideo laborauerunt modicum viri Iuda portantes lapides, & ligna de Rama in Gabaa. Patet hoc Iudicum decimonono. vbi dicitur de Leuita, qui tranſiuit apud Ieruſalem cum iam occideret ſol, & dixit, quòd nolebat ibi manere per noctem, quia erat ciuitas Iebuſæorũ, ſed iret ad manendũ in Gabaa, vel in Rama, ergo apparet, quòd ambæ ciuitates erant prope Ieruſalem, quia alioquin occidente ſibi ſole apud Ieruſalem non conuenienter iret ad manendũ illa nocte in Gabaa, vel Rama. Item apparet, ꝙ iſtæ vrbes inter ſe propinquæ eſſent, quia nõ fecit differentiã aliquam de illis Leuita, dicens, quòd iret in Rama vel in Gabaa ad declinandum per noctem, ſi tamen diſtaret vnus locus eorum ab alio, licet poſſet ire ad vnum, non poſſet ire ad alterum.

De Maſpha dicendum, quòd erat præter iſtum alius locus qui vocabatur Maſpha. Iudicum 11. & in illo morabatur Iephte Galaadites, & eſt locus ille de terra Galaad de dimidia tribu Manaſſe, vel de tribu Gad, vt ibidem declaratum eſt. Ille autem locus Maſpha erat in terra Baſaa, iſte autem, de B quo nunc erat in terra Aſa.

Reliqua autem omnium ſermonum Aſa. Id eſt, omnium geſtorum eius, quia accipitur ſermo pro re geſta.

Et vniuerſæ fortitudines eius. Id eſt, opera fortiſſima, quæ egit. Iſtud dicitur propter bellum, quod egit contra Æthiopes, in quo erant decies centena millia 2. Paral. 14. fecit etiam alia opera ſimilia fortia, & vocantur fortitudines eius.

Et cuncta quæ fecit. Iſtud intelligitur quantum ad alia opera minora, quæ non erant tam laudabilia.

Et ciuitates, quas extruxit. Id eſt, etiam ædificauit multas ciuitates. De hoc 2. Paralipomen. 14. ſcil. Ædificauit quoque vrbes munitas in Iuda, quia quietus erat & nulla temporibus eius bella ſurrexerant, dixit autem Iudæ, ædificemus ciuitates iſtas, & vallemus muris, & roboremus turribus, & portis, donec à bellis quieta ſunt omnia.

Nonne hæc ſcripta ſunt in libro Verborum dierum regum Iuda? Quaſi dicat ibi plene ſcripta ſunt omnia, quia cuiuſlibet regis geſta ſcripta erant plenè in libro ipſo. Quis autem eſſet liber iſte declaratum eſt præced. c.

Veruntamen in tempore ſenectutis ſuæ doluit pedes. Id eſt, quanquam fuerit iſte rex valde bonus tamen doluit pedes, id eſt, paſſus eſt podagram, de qua mortuus eſt. Iſtud autem datum eſt ei in pœnam, quia prophetam Domini increpantem eum in carcere poſuit 2. Paralipomenon. 16.

C *Et dormiuit cum patribus ſuis.* Scilicet, mortuus eſt, ſicut patres ſui, & hoc morte naturali.

Et ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid patris ſui. Scilicet, in caſtro montis Sion fecerat Dauid locum pro ſepulchris regum, & ibi Aſa ſepultus eſt, quia ipſe fecit ibi ſepulchrum 2. Paral. 16. ſcilicet. Sepelierunt eum in ſepulchro ſuo, quòd foderat ſibi in ciuitate Dauid. *Regnauit q; Ioſaphat filius eius pro eo.* Scilicet, ſucceſſit ei Ioſaphat. Iſte enim fuit rex magnificus valde, & glorioſus, de cuius geſtis magis habetur in Paralipomen. quam hic, ſcilicet, 2. Paralip. 18. vſque ad 21.

Geſta Aſa, quæ fuerint, & ordo eorum, & quo tempore.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR de iſtis quæ fecit Aſa ſcilicet, de bellis, & deſtructione idolorum, quo tempore iſta egerit, vel quis ordo fuerit in faciendo.

Reſpondendum, quòd Aſa in principio regni ſui fuit bonus vir, & cœpit excludere idolatriam de terra, quam introduxerant patres ſui, fuitque in pace decem annis 2. Paralip. 14. Et in iſtis decem annis ædificauit ciuitates multas in terra Iuda, ſcil. reædificando id, quod perierat, & vallando muris ciuitates, quæ nunquam vallatæ fuerant, & ponendo portas, & ſeras, vt patet ibidem. Poſt decimum autem annum regni ſui cœpit bellum eſſe contra illum, & dicit hiſtoria ſcholaſtica, quòd in iſto anno decimo venit Rex Æthiopum contra Aſa, & tamen iſtud non videtur verum, quia 2. Paralipome. 15. dicitur, quòd cum veniſſent in Ieruſalem menſe tertio, anno decimoquinto regni Aſa immolauerunt Domino in die illo de manubijs, & præda, quam adduxerant boues ſeptingentos, & arietes ſeptem millia, ergo præda Æthiopum, de qua ibi dicitur fuit anno decimoquinto regni Aſa, vel ſaltem in fine 14. & non in decimo. Niſi forte dicas, quòd durauit iſtud bellum 5. annis. Sed falſum eſt, quia mox, vt exiuit ad pugnandum Aſa cõtra Æthiopes inuocato Deo, conuerſi ſunt Æthiopes in fugam 2. Paral. 14. Dicendum igitur, quòd bellum contra Æthiopes fuit in principio anni 15. regni Aſa, ſed poſt decimum annum regni ſui cœpit habere aliqua bella iſta tamen non fuerunt contra Æthiopes, ſed contra Baaſa regem Iſrael, vel contra alios finitimos. Nam dicitur ſupra in litera, ꝙ inter Aſa, & Baaſa fuit bellũ omnibus diebus. Deinde cum in anno 15. regni ſui pugnaſſet contra Æthiopes, & præualuiſſet, inuocato Domino, immolauit hoſtias magnificas de præda hoſtium, & tunc fecit, quòd omnes viri de regno ſuo facerent fœdus cum Domino de obſeruando legem. Conuenerant etiam multi viri de regno Iſrael, ſcil. de Ephraim, & Manaſſe, & Simeon videntes, quòd Deus adiuuaret Aſa & etiam iſti inierunt fœdus cum Domino, feceruntq; diem ſolennem, in qua fœdus celebratum eſt ponentes pœnam, quòd ſi quis non quæreret Deum Iſrael moreretur à maximo vſq; ad minimũ à viro vſq; ad mulierẽ, de hoc 2. Paralip. 15. Tunc autem Aſa compleuit, quòd inceperat, ſcil. quia excluſit omnia idola de terra, & mouit matrem ſuam Maacha, ne eſſet princeps in ſacrificijs Priapi, & fecit omnia, quæ habentur ſupra in litera de confractione ſimulachri, & ſpecus, & luci conſecrati à matre ſua. Tunc etiam reſtaurauit altare, quòd erat ante portam domus Domini, quia temporibus prædeceſſorum ſuorum videbatur prophanatum. Hæc omnia fecit Aſa anno 15. regni ſui deuictis Æthiopibus, & confortatus ad hoc verbis Azariæ prophetæ 2. Paral. 15. Deinde fuit ſemper inclytus, quia colebat Dominum. Et dicitur, quòd non fuit bellum poſt hæc in regno ſuo, vſq; ad trigeſimum annũ regni, vt patet ibidem, & eod. lib. cap. 16. dicitur, quòd anno 36. regni eius aſcendit Baaſa ad ædificandum Rama, facta ſunt omnia, quæ habentur ſupra de bello Syrorum cõtra Baaſa, in eodem trigeſimoſexto anno miſit Deus prophetam Hanani ad Aſa ad increpandũ eum cur habuiſſet fiduciam in rege Syriæ, & non in Deo, iratus autem Aſa prophetam poſuit in carcere, propter quòd Deus valde concitatus percuſſit peſte multos de populo, ipſum verò Aſa percuſſit podagra, vixitque poſt hæc quinque annis podagram patiens, ſcil. vſq; ad quadrageſimum primũ annum regni ſui, & mortuus eſt ex iſta ægritudine 2. Paral. 16.

Dubium tamen graue manet quomodo potuerit Baaſa anno trigeſimoſexto regni Aſa pugnare contra eum, quia F videtur, quòd non potuerit viuere Baaſa, niſi vſq; ad annum vigeſimum ſextum regni Aſa, quòd patet, quia Baaſa regnauit ſolum vigintiquatuor annis infra in litera. Et quando ipſe cœpit regnare, tranſierunt ſolum anni duo de regno Aſa cum in tertio, anno regni eius cœperit regnare, vt patet infra in litera, & ſic ſaltem decem anni videntur ſuperfluere. Sed iſta difficultas ſoluetur ſecundo Paralipomen. decimoquinto, vel decimoſexto.

Nadab verò. Hic ponitur de regibus Iſrael, qui regnauerũt tempore Aſa: fuerunt autẽ multi reges, ſcil. Ieroboam, Nadab, Baaſa, Ela, Zambri, Amri, & Achab, Ieroboam autem cœpit regnare priuſquam Aſa: nam ſolum ſuperant duo anni de regno eius, quando cœpit regnare Aſa, vt patet ſupra in litera: cæteri autem cæperunt regnare in Iſrael regnante Aſa in Iuda. Et primo agitur de Nadab. Secundo de Baaſa ibi. *Inſidiatus eſt autem.* Tertio de Ela ibi. *Et regnauit Ela.* Infra in 16. Quarto de regno Zambri ibi. *Anno viceſimo ſexto.* Quinto de regno Amri, ib. *Cumq; audiſſet.* Sexto de regno Achab. ibi. *Achab verò.* Circa primum dicitur. *Nadab verò filius Ieroboam regnauit ſuper Iſrael.* Iſte ſucceſſit patri ſuo Ieroboam, nec habuit aliquem alium ſucceſſorem in regno, quia iſte Nadab cum omnibus alijs filijs, & nepotibus Ieroboam occiſus eſt à Baaſa infra in litera. *Anno. 2. Aſa regis Iuda.* Id eſt, tunc cœpit regnare Nadab.

Nadab in quo anno Asa regnare cœpit.

Qvæstio XXVIII.

Qværetvr quomodo possit stare hoc. Nam dicitur supra, quòd Asa cœpit regnare anno 20. Ieroboam, & sic supererant 3. anni vsque ad mortem Ieroboam, cum ipse regnauerit annis 22. præcedenti cap. ergo in 3. anno regni Asa inciperet regnare Nadab, & non in 2.

Ad hoc respondet historia scholastica, dicens, quòd Ieroboam mortuus est in principio 2. anni regni sui, & iste annus fuit secundus regni Asa, & in hoc anno cœpit regnare Nadab: pars anni vocatur. Possemus autem dicere, sicut supra dicebamus, & conuenienter, scil. quòd Asa cœperit regnare anno 20. regni Ieroboam, id est, in fine 20. anni, & tunc erat principium 21. & tunc dato, ꝙ Ieroboam regnaret 22. annis integris regnaret Asa alijs duobus annis integris viuente Ieroboã, & quia moriente Ieroboã institutus fuit in regẽ Nadab, & istud fuit in fine 2. anni regni Asa dicebatur incipere regnare Nadab in 2. anno regni Asa, id est, in fine 2. anni, & idem est, ac si diceretur in 3. anno regni Asa, id est, in principio 3. anni, quia finis 2. & principiũ 3. idem sunt. Aliter etiã poterat dici, sicut declarabitur infra, vbi dicitur, ꝙ anno 3. Asa regnauit Baasa. *Regnauitq; super Israel duobus annis.* Non regnauit maiori tempore, quia occisus fuit à Baasa ipse, & tota progenies Ieroboam, & adhuc isti duo anni non fuerunt completi, vt quidam dicunt. *Et fecit malum in conspectu Domini.* Scilicet, coluit idola: istud enim erat malum, quòd faciebant omnes reges Israel, & vocatur malũ non determinando speciem mali, quasi per excellentiã, quia istud erat maximũ malum, quòd poterant facere Israelitæ. *Et ambulauit in vijs patris sui.* Scilicet, peccauit in idololatria, sicut pater suus: nam nimis fuit iste Nadab deditus idolis.

Et in peccatis eius, quibus peccare fecit Israel. Nadab non solũ peccauit per se idololatrãdo, sed etiã faciebat peccare Israel, sicut pater suus, quia fortè multi de Israel nolebant colere idola, sed ire in Ierusalem ad seruandum cæremonias legis, & ipse non permittebat eos, timens id, quod timebat pater suus, scilicet, quòd reconciliarentur Asa regi Iuda, & recederent ab eo. Et ob hoc quidam de viris Israel boni animi clandestinè fugiebant ad regnũ Iuda viuente Asa, vt possent ibi colere Deum securè, sic patet. 2. Paralipomen. 15. Congregauitque vniuersum Iudam, & Beniamin, & aduenas cũ eis de Ephraim, & de Manasse, & de Simeon; plures enim ad eum confugerant de Israel. Et sic maius peccatum fuit Nadab, quòd cogeret Israelitas ad colendum idola, vel ad non eundum in templũ sicut fecerat Ieroboam quam quod ipse coleret idola, ideo Deus cito voluit eum auferre de terra. *Insidiatus est.* Hic ponitur secundum huius partis, scil. de regno Baasa iste autẽ non fuit de stirpe Ieroboam, sed potius delendo stirpem illius factus est ipse rex, ideo ponitur quomodo deleuerit illam, & dicitur. *Insidiatus est autem ei Baasa.* Cum Nadab esset valde malus Deus permisit parari insidias ei per Baasa, & incidere in illas. *Filius Ahia de domo Issachar.* Ecce qualiter transiuit regnum Israel non solum de domo Ieroboam, sed etiam de tribu Ephraim ad tribum Issachar, cum iste Baasa esset de tribu Issachar.

In Gebbethon, quæ est vrbs Philisthinorum. Ista ciuitas erat in terra Israel, nam dicitur fuisse in sorte Dan, vel forte fuit in sorte Nephtalim. vocabatur autem ciuitas Philisthinorum, quia Philisthini occupauerant eam, vt ait Nicolaus, & iuit illuc Nadab ad tollendum eam de manibus Philisthinorũ, & ibi occisus est de Baasa. Vel magis dicendũ, ꝙ ista ciuitas fuerat semper possessa à Philisthinis, quanquam esset in vrbibus terræ Israel, & cum iret Nadab ad acquirendum eam occisus est à Baasa, & istud videtur signare litera sequens. *Siquidem Nadab, & omnis Israel obsidebant Gebbethon.* Id est, totus Israel conuenerat in bellum contra Gebbethon, & sic videtur, quòd erat in manibus Philisthinorum, & fuerat ab eis possessa semper. nunc autem Israelitæ obsidebant eam ad acquirendum illam. *Interfecit igitur.* Istud quod pertinet ad regnũ Baasa potest diuidi in quatuor partes. Primo ponitur qualiter regnum acquisiuit. Secundo quid post regnum acquisitũ contra stirpem Ieroboam egerit ibi. *Cumque regnasset.* Tertio qualiter postea regnans ad Deum se habuerit ibi. *Anno tertio.* Quarto quid Deus contra ipsum comminatus fuerit infra 16. Circa primum dicitur. *Interfecit igitur Baasa Nadab.* Scilicet parauit ei insidias in Gebbethon, cum esset in bello, & ibi ipsum. *In anno tertio Asa regis Iuda.* Quomodo potuerit occidi anno tertio regis Asa cum cœperit regnare in fine anni secundi Asa, & in principio tertij, & regnauerit duobus annis, declarabitur infra vbi dicitur anno tertio Asa regis Iuda regnauit Baasa. *Et regnauit pro eo.* Scilicet, regnauit loco eius. Nam habuit populum fauorabilem sibi, & forte maior pars populi conspirauerat cum eo contra Nadab, quia erat vir malus, & sic postea libenter susceperunt eum in regem. Ad hoc autem potissime faciebat determinatio Dei, quia dispo-suerat, quòd omnes de cognatione Ieroboam morerentur, & transferretur regnum ad alios.

An peccauit Baasa occidendo Nadab regem Israel.

Qvæstio XXIX.

Qværetvr an peccauerit Baasa occidendo Nadab regem Israel. Aliquis dicet, quòd non, quia Deus prænunciauerat istud vxori Ieroboam per Ahiam prophetam, dicens. constituet autem sibi Dominus regem super Israel, qui percutiat domum Ieroboam in hac die, in hoc tempore. præcedenti cap. Item infra in litera dicitur, quòd Baasa fecit omnia ista sicut Deus prædixerat per Ahiam.

Respondendum quod Baasa peccauit valde. Primò, quia occidit regem & istud est crimen læsæ maiestatis: immo maius est quam ea, quæ communiter assignãtur, vt crimina læsæ maiestatis, quia vix potest esse aliquod peccatum maius. Secundò peccauit, quia egit hoc per insidias & istud aggrauat nimis peccatum: nam occidentes aliquos per insidias, carebant omni priuilegio immunitatis sanctuarij, quia etiam de ipso altari educebantur, vt occiderentur: Exod. 21.

Tertiò peccauit, quia egit mala intentione, quia non agebat Propter hoc, quòd malus erat Nadab, & vt regnum Israel restitueretur in bonum statum, sed vt ipse principaretur, & istud desiderium erat illicitum, cum regnum non conueniret ei ex progenie, & nec ex electione Dei, omnia autem opera, quæ ad malum finem fiunt, mala sunt, dato quòd etiam alias ipsa bona essent, nam Deus dixit: Iustè quod iustũ est persequeris. Deuter. 16.

Quartò peccauit, quia non habebat iurisdictionem ad occidendum regem, & tamen quando quis agit ad quod ei non competit, iniustè agit, & consequenter peccat.

Quintò peccauit, quia iste Baasa erat vir malus, sicut Nadab; immo peior eo: ergo non competebat ei occidere virũ meliorem se: sic enim dicit Iosephus 8. Antiq. quòd Baasa addidit super malitiam omnium etiam super malitiam Ieroboam.

Sextò peccauit, quia obtinuit rem illicitè, scilicet, per quandam conspirationem, & intrusionem congregando sibi quosdam iniquos adiutores, cum non competeret ei regnum ex Dei mandato, nec ex progenie vel alias.

Septimò peccauit, quia dedit malum exemplum posteris: nam ante ipsum nemo fuit in Israel, qui obtineret regnum occidendo regem, ipse autem fuit primus, & post eum Zambri occidit Ela regem, seq. cap. & regnauit pro eo, & postea fuerunt in Israel multi alij occidentes reges.

Ad argumentum in contrarium dicendum, quòd nihil concludit: nam ex hoc quod Deus prædixit stirpem totam Ieroboam delendam esse per quendam regem non sequebatur, quòd liceret illi regi delere eam, quia tunc etiam sequeretur, quòd cum prænunciatum fuerit de Sennacherib, & de Nabuchodonosor, quòd pugnaturi essent contra Israelitas, quòd illi non peccarent faciendo istud; & tamen falsum est, quia de Sennacherib patet, quòd peccauerit, Isa. 10. De Nabuchodonosor autẽ patet Abac. 1. Sic etiam diceretur, ꝙ Saul non peccasset occidendo sacerdotes Domini eo, quòd iam prænunciatũ erat, supra 1. lib. c. 2. Sed istud est nimis absurdum, nam sic diceremus de omnibus, quæ prænunciata sunt per prophetas, quòd non peccarent illi, qui fecerunt. Sed falsum est, quia interdum ipsi prophetæ qui prænunciauerunt aliqua mala facienda esse per quosdã, prenunciauerũt

A etiam pœnas, quas paſſuri erant illi, qui iſta facerent, quia malè faciebant illa, vt patet ex diſcurſu librorum prophetarum. Sed dicendum, quòd ad hoc, quòd non peccaret Baaſa faciendo iſtud, oportebat, quòd Deus iuſſiſſet ei ſpecialiter hoc facere, & ipſe tunc faceret deſiderio obediendi Deo, & non deſiderio regnandi: Deus tamẽ non iuſſit hoc ei per aliquem prophetam, ſed ipſe egit ex deſiderio regnandi, ergo peccauit, nec prænunciatio Dei aliquo modo excuſat eum, ſicut preſcientia Dei de omnibus malis non excuſat ipſos facientes. *Cumq; regnaſſet.* Hic ponitur qualiter Baaſa in delendo ſtirpem Ieroboam ſe habuit, & dicitur. *Cumque regnaſſet percuſſit omnem domum Ieroboam.* Scilicet, antequam regnaret occidit Nadab regem, qui erat filius Ieroboam, & non poterat ipſe regnare, niſi occiſo illo: poſtea autem cum regnaret occidit reliquos, qui erant de ſtirpe Ieroboam, ſcilicet filios, & nepotes non relinquens aliquem de illis.

Deletio ſtirpis Ieroboam.

Non dimiſit nec vnam quidem animam de ſemine eius. Id eſt, diligenter perquiſiuit omnes de progenie Ieroboam, & nullus potuit euadere, qui non occideretur. Iſtud autem intelligendum eſt de maſculis, nam non eſt credendum, quòd aliqua fœmina de ſtirpe Ieroboã occideretur tunc. Nam etiã hoſtes non conſueuerunt occidere fœminas. Et ratio huius erat, quia Baaſa occidebat omnes de progenie Ieroboam, eo quod ad illos pertinebat regnum, & ad ipſum non, cùm non eſſet de ſtirpe regia, & quia timebat, quòd ſi aliquis de ſtirpe Ieroboam maneret, poſtea ille poſſet auferre ei regnum, noluit aliquem dimittere: ad fœminas autem non pertinebat ius regnandi, ideo dato quod manerent fœminæ de ſtirpe Ieroboam, non præiudicabat ipſi Baaſa.

B

Donec deleret eum. Id eſt, quouſq; deleret ipſum Ieroboam. Dicitur autem aliquis deleri nõ quando moritur, ſed quando nullus ſucceſſor ei relinquitur; eo quòd tunc non manet nomen eius, & ſic fuit cum nunc Baaſa occidit omnes de ſtirpe Ieroboam.

Iuxta verbum Domini, quòd locutus fuerat in manu ſerui ſui Ahiæ Silonitis. Id eſt, Baaſa compleuit omnia, quæ dixit Ahias Silonites, nam dixerat præced. cap. quòd non maneret aliquis de ſtirpe Ieroboam, & ſic factum eſt. Etiam dictum eſt, quòd non ſepeliretur aliquis de poſteris eius, ſed quòd qui occiderentur in vrbe comederentur à canibus, & qui occiderentur in agro lacerarentur ab auibus, & ſic fuit, licet hic nõ expreſſum fuit ſpecialiter, ſed dicitur generaliter, quòd omnia quæ prædixit Ahias Silonites completa ſunt. *Propter peccata Ieroboam.* Scilicet, omnia mala hæc venerunt ſuper progenie Ieroboam propter peccata eius. *Qui peccauerat, & quibus peccare fecerat Iſrael.* Scilicet, ipſe Ieroboam peccauerat colendo idola, & fecit peccare Iſrael inducendo, & cogendo Iſraelitas ad cultum idolorum.

Et propter delictum quo irritauerat dominum Deum Iſrael. Scilicet venerunt iſta propter delictũ idololatriæ, quo Ieroboam irritauit Deum Iſrael, id eſt, prouocauit eum ad iram, nam nullum peccatum eſt, quo magis Deus prouocetur, quam idololatria, cum ſit maximum omnium peccatorum.

C

Reliqua autem ſermonum Nadab, & omnia quæ operatus eſt. Hic nõ ponitur aliqui de Nadab, niſi quòd malus fuerit, & quòd per inſidias occiſus ſit, de reliquis autem remittitur ad alium locum. *Nonne hæc ſcripta ſunt in libro Verborum dierum regum Iſrael.* Ibi erant diligenter narrata omnia geſta eorum vſque ad minutum. De iſto libro quis ſit declaratũ eſt præceden. cap. *Fuitque bellum inter Aſa, & Baaſa regem Iſrael cunctis diebus eorum.* Scilicet, Aſa regnabat in Iuda, dum regnaret Baaſa in Iſrael, & erat bellum inter eos. Quomodo autem durauerit omnibus diebus eorum declaratum eſt præced. ca. *Anno tertio Aſa.* Hic ponitur qualiter Baaſa regnans ad Deũ ſe habuerit, & dicitur. *Anno tertio Aſa regis Iuda regnauit Baaſa.* Scilicet, Aſa erat rex, quando cœpit regnare Baaſa, & erat iam annus tertius regni eius in Iuda.

Baaſa quo anno Aſa regnare cœpit.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR, quomodo poterat eſſe, quòd regnare inciperet Baaſa anno tertio Aſa, quia ſupra in litera dicitur, quòd Nadab filius Ieroboam cœpit regnare anno ſecundo regis Aſa, & tamen ipſe regnauit annis duobus, vt patet ſupra. ergo cœpit regnare Baaſa anno quarto regni Aſa. D

Reſponderi poteſt, quòd Nadab non regnauit duobus annis integris, ſed vno, & parum plus & vocantur duo anni, & ſic cum cœperit regnare in fine ſecundi anni regis Aſa, oportebat quòd regnũ ſuum extenderetur vſq; ad aliquantam partem anni quarti Aſa, quia tamen ille annus quartus non erat finitus, & ſcriptura interdum non facit mentionẽ de annis inceptis, ſi non ſunt completi dixit, quòd regnauit anno tertio, id eſt, in fine anni tertij, quia 4. erat inchoatus, ſed non conſummatus.

Aliter poteſt dici, quòd Aſa cœpit regnare in fine anni ſecundi Ieroboam, & erat tunc principium 21. & Ieroboam non compleuit viginti duos annos in regno, ſed in principio 22. anni mortuus eſt: ſcriptura tamen computat illum annum tanquam completum, & ſic in fine regni Ieroboam regnauerat Aſa ſolum vno anno cum paruula parte ſequentis, & quia cœpit Nadab regnare mox poſt Ieroboã cœpit quaſi in principio 2. anni regni Aſa, & regnauit duobus annis quaſi completis, & ſic durante 3. anno regis Aſa mortuus eſt, & in eodẽ anno regnare cœpit Baaſa, ideo anno tertio, Aſa regnare cœpit. *Filius Abia.* Iſte Abia non fuerat rex, ſed Baaſa incipiebat nouiter eſſe rex de hac cognatione.

Super omnem Iſrael. Scilicet, ſuper decẽ tribus, quæ vocantur totus Iſrael, quia aliæ duæ tribus pertinebant ad regnum Iuda. *In Therſa.* Quia ibi erat metropolis regni, & fuit ſemper quouſq; Samaria floruit. *Viginti quatuor annis.* Solum regnauit viginti quatuor annis, & tamen 2. Paral. 16. colligitur, q̃ regnauerit 34. annis ad minus, quia dicitur ibi, q̃ anno 36. regis Aſa aſcendit Baaſa ad ædificandum Rama. Dato ergo, quòd in ipſo anno moreretur Baaſa iam regnaſſet 34. annis, quia Aſa ſolum cœpit regnare ante Baaſa annis duobus, vel tribus, quia dicitur hic, quòd anno 3. Aſa cœpit regnare Baaſa. Dicendum quòd hic eſt, manifeſta contrarietas, & tamen ſoluetur 2. Paral. 15. vel 16. *Et fecit malum coram Domino.* ſcil. colendo idola, quia iſtud eſt malum, quòd faciebant reges Iſrael. *Ambulauitque in via Ieroboam.* Scilicet, quanquam Baaſa non diligeret Ieroboam, nec cognationẽ eius, ſed potius deleuiſſet illam, vt patet ſupra, tamen imitatus eſt eum in malis declinando ad idola, ſicut ipſe. *Et in peccatis eius, quibus peccare fecit Iſrael.* Id eſt, imitatus eſt eum faciendo peccare Iſrael, ſicut fecit Ieroboam, ſcilicet, quia cogebat populũ ad idololatriam, faciendo quod nullus iret in templũ Domini ad obſeruandas cæremonias legis, & per hoc cogebat eos eos idololatrare, ideo multi viri boni de Iſrael fugerunt de terra Iſrael, ſcilicet de tribu Ephraim, & Manaſſe, Simeon: veneruntq; ad Aſa anno 15. regni eius, qui erat annus 12. regni Baaſa 2. Paral. 15. & in hoc peccauit valde Baaſa.

E

An Baaſa peccauerit occidendo omnes de cognatione Ieroboam.

F

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR an peccauerit Baaſa occidendo omnes de cognatione Ieroboam.

Aliquis dicet, quòd non. Primo quia Deus prædixerat, quòd rex conſtituendus ab ipſo occideret omnes de tribu, vel cognatione Ieroboam præced. cap. Secundo patet, quia poterat Baaſa occidere iuſtè ſecundum legem omnes de cognatione Ieroboam eo, quòd omnes erant idololatræ.

Reſpondendum quòd peccauit occidendo illos. Primo quia occidit eos ſine cauſa: nam non habebat aliquam cauſam iuſtam Baaſa, pro qua occideret illos, quia non deliquerant in eum, nec etiam in viros Iſrael, ſed ſolum in Deum, pro peccato tamen quod fecerant in Deum non occidebat Baaſa aliquem. Secundo peccabat, quia occidebat aliquos ſimpliciter innocentes: nam cum Baaſa occideret omnes de progenie Ieroboam, ita vt nec vnum quidem dimitteret, vt patet in litera manifeſtum eſt, quòd inter eos occideret aliquos paruulos, qui nondum peccaſſent in Deum, nec in homines, & iſtud eſt impium valde. Item 3. peccauit, quia exercuit nimiam crudelitatem circa eos: nam etiam circa hoſtes non eſt habenda magna crudelitas, quia homines ſunt: ſatis eſt, enim quòd occidantur eo, quòd hoſtes ſunt. Baaſa tamen non ſolum occidit illos, ſed etiam tradidit

canibus, & auibus lacerandos non paſſus impendi illis officium funeris ab extraneis ſaltem, quòd interdum etiam hoſtibus exhibetur, ſicut fecit Dauid ſepeliri Idumæos, quos occidit, & tamen illi erant hoſtes ſupra 11. cap. Quarto peccauit, quia pro malo fine egit hoc, ſcilicet, vt poſteri de cognatione Ieroboam non inſurgerent contra eum petendo regnum, & tamen non licet alicui occidere hoſtem ſuum, dum nihil nocet ei, vt ſit ſecurus de ipſo, potiſſimè quia iſte gerebat iniuſtam hoſtilitatem contra progeniem Ieroboam, quia ipſe occiderat omnes de progenie illa, & nemo de ipſis nocuerat ei. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd quanquam prænunciatum eſſet progeniem Ieroboam delendam, tamen non tollitur, quin Ille, qui deleret eam peccaret, ſic enim præcunciatum erat de Chriſto, quod occidendus eſſet, & tamen Iudæi, qui eum occiderunt peccauerunt nimis. Etiam prænunciauerat Chriſtus quod vnus de diſcipulis traditurus erat eum, & tamen traditor eius peccauit grauiſſimè. Nam Chriſtus dixit, quòd melius eſſet ei, ſi natus non fuiſſet. ita ergo hic. Ad hoc igitur quòd excuſaretur Baaſa, oportebat, quòd ſuſcepiſſet à Deo in mandatis de deletione iſta facienda, & tamen non habuit mandatum à Deo, nec ſaltem egit ad finem illum, ad quem Deus voluit deleri progeniem hanc, ſcil. in pœnam delictorũ præteritorum: Baaſa tamen ſolum egit ad ſecuritatem ſuam, ne poſtea inſurgerent contra eum aliqui de poſteris Ieroboam. Ad ſecundũ dicendum ꝙ nõ ſtat, quia licet eſſet iuſtũ occidi idololatras, tamẽ non occidebat Baaſa filios Ieroboã ꝓpter idololatriã, quia tũc occidiſſet plurimos de Iſrael, vel omnes quia omnes erant idololatræ, nullos tamẽ occidit, niſi filios Ieroboam, ergo non fecit propter hoc. Etiam quia ipſe erat idololatra, non ergo occiderat alios propter idololatriã, ſed occidit illos propter cauſam ſupra aſſignatã, ſcil. vt nõ inſurgerent cõtra eum, petendo regnum ꝙ fuerat patris eorum.

Caput XVI.

Factus eſt autem ſermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baaſa, dicens. Pro eo quod exultaui te de puluere, & poſui te ducem ſuper populum meum Iſrael; tu autem ambulaſti in via Ieroboam, & peccare feciſti populum meum Iſrael, vt me irritares in peccatis eorum, ecce ergo demetam poſteriora Baaſa, & poſteriora domus eius.

Descriptio in præcedentibus qualiter Baaſa ſe habuerit ad Deum, hic ponitur quid comminatus fuerit Deus contra eum, & diuiditur in duo; quia primo ponuntur ea, quæ pertinent ad Baaſa. Secundo ea, quæ pertinent ad filium eius Ela, ibi. *Et regnauit Ela.*

An ordo ſit continuus.

Quæstio I.

Quæretvr circa primum, an ea, quæ habentur hic fuerint poſt præcedentia, & an fuerint immediate, vel interiecto aliquanto tempore. Ad primum dicendũ, quòd hic eſt continuus ordo, quia ſupra dictum eſt qualiter Baaſa malè vixerit, hic autẽ dicitur, quomodo propter malũ vitam Deus ei comminatus fuerit, ideo neceſſe eſt, ꝙ fuerit iſtud poſt illud. Ad ſecundũ dicendum, ꝙ iſta fuerunt facta poſt præcedentia, ſed non poteſt aſſignari an magno tempore vel paruo, quia ſupra non ponitur aliquid de geſtis Baaſa, ſed dicitur ꝙ malè vixit, & iſtud fuit in tota vita ſua: vnde nõ conſtat in qua parte vitæ iſta dicta fuerint. Et dicitur.

Factus eſt autem ſermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baaſam. Scilicet, cum Baaſa eſſet vir valde malus, & Deus dederat ei regnum, miſit contra eum prophetam ad denunciandum mala futura. Vt ſic Deus deounciauerat mala contra Ieroboam, quia male vixerat, ita denunciauit mala contra Baaſa, qui ſecutus eſt vias eius, & ſicut poſteritas Ieroboam deſtructa eſt propter eum, ita poſteritas Baaſa deſtructa eſt.

Iehu propheta quis eſſet.

Quæstio II.

Quæretvr de iſto Iehu quis erat? Dicendum, quod non erat ille, qui poſtea factus eſt rex ſuper Iſrael, & deſtruxit domum Achab, ſequen. lib. cap. 9. ſed fuit quidam vir propheta, & fuit filius prophetæ, ſcilicet, Hanani pater eius propheta fuit, quòd patet dupliciter. Primo ex aſſertione communi Iudæorũ, qui volunt, quòd quandocunq; nomen patris alicuius prophetæ ponitur in ſcriptura, ille quoq; propheta fuerit, ſic ait Hieron. in prologo ſuper Sophoniã, qui incipit, tradunt Hebræi, inquiens: Quotieſcunq; prophetæ pater, aut auus ponatur in titulo, ipſos quoq; prophetas fuiſſe. Secundo patet hoc efficacius, quia Hanani miſſus eſt ad increpandum regem Aſa 2. Paral. 16. & ſatis apparet, ꝙ ſit Hanani pater iſtius: nam contemporanei fuerunt, eo ꝙ Aſa, & Baaſa fuerunt eodẽ tempore reges, & Hanani miſſus eſt contra Aſa, & Iehu filius eius cõtra Baaſa, & ſic erant ambo prophetæ, & ſic licet prophetia non deriuaretur ex progenie, ſicut aliqua conditio naturalis, tamen ſæpiſſime filij prophetarum erant prophetæ. Et ob hoc dixit Amos. Non ſum propheta, nec filius prophetę, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſicomoros. Amos 7. quaſi dicat, ꝙ ſicut prophetæ ſciunt, quæ Deus loquitur, ita & filij prophetarum, quia ipſi communiter ſunt prophetæ, & quia ipſe neutrum illorum erat, non debebat quæri ab eo aliquid, etiam ſi filij prophetarum, vt communiter, vel ſaltem ſæpe non eſſent prophetæ, fruſtra dixiſſet Amos, non ſum propheta, nec filius prophetæ, ſed ſufficeret dici, non ſum propheta, ergo oportet, quòd vt ſæpe filij prophetarum eſſent prophetæ.

Dicens pro eo, quòd exaltaui te de puluere. Oſtendit Deus fuiſſe ingratum Baaſa, quia beneficijs collatis à Deo nullam gratiam, vel obſequium reddidit. Et vt oſtendatur magnitudo ingratitudinis, oſtenditur magnitudo beneficiorum, quia tanto eſt maior ingratitudo, quanto beneficia ſunt maiora. Iſtud autem erat in Baaſa, quia collatum eſt ei maximum beneficium, ſcilicet, quòd exaltatus fuit de puluere, id eſt, cum eſſet plebeius, & quaſi ſedens in puluere, eleuauit eum Deus ad regnum. *Et poſui ducem ſuper populum meum Iſrael.* Scilicet, poſui te in regem: nam rex, & dux pro eodem accipiuntur, vt patet ſupra 14. ſimilia enim verba dixit Deus contra Ieroboam per Ahian, ſcilicet. Exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum eod. cap.

Tu autem ambulaſti in via Ieroboam. Scilicet, colendo idola, ſicut coluit Ieroboam. Et vocatur iſta via via Ieroboam, potius quam aliorum, quia ipſe inchoauit eam inter reges Iſrael. *Et peccare feciſti populum meum Iſrael.* Scilicet, induxiſti eos, & coegiſti ad idololatriam. Intelligendum eſt enim, quòd iſte Baaſa cogebat aliquos Iſraelitas ire volentes in Ieruſalem ad templum, non ire illuc, vt non reconciliarentur Aſa regi Iuda, ideo faciebat, quòd colerent idola in terra ſua.

Vt me irritares in peccatis eorum. Id eſt, feciſti hoc ad prouocandum me ad iram in peccatis populi, ſcilicet, quia populus peccabat conſentiendo tibi, vt committeret idololatriam propter te, quia tamen tu cogebas eos ad hoc, tu peccabas potius quàm illi, & ſic non ſolum prouocabas me ad iram in peccatis tuis, ſed etiam in peccatis eorum, quia peccata eorum erant peccata tua. *Ecce ego demetam poſteriora Baaſa.* Scilicet, propter mala iſta, quæ fecit Baaſa, ego demetam, id eſt, truncabo poſteriora eius, ſcilicet faciendo, quòd non extendatur poſteritas ſua in longum, ſed abſcindam illam. *Eo poſteriora domus eius.* Id eſt, abſcindam poſteriora domus Baaſa, ſcilicet, familiam ſuam, quia illa non dilatabitur. Et idem eſt poſteritas Baaſa, vel poſteritas domus eius, ſed repetitur ſententia, nam Baaſa nullam poſteritatem habebat, niſi progeniem ſuccedentem ſibi, & illa erat poſteritas eius, & domus eius. Vel poſſunt vocari poſteriora Baaſa ipſi filij eius, qui ſuccedebant ei immediatè. Vocantur autem poſteriora domus Baaſa filij filiorum eius, qui non ſuccedebant ei immediatè, ſed filijs ſuis, & vtrunque ablatum eſt ſimul, quia filij, & nepotes Baaſa vna die occiſi ſunt per Zambri, vt patet infra.

A

An iustè posteritas Baasa pro peccato eius occisa est, & quomodo quidam reges delebant posteritatem aliorum.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR an ista pœna iuste infligeretur, quòd posteritas istius regis occideretur.

Respondendum, quòd valde iusta pœna fuit. Nam custodientes legem Dei longo viuunt tempore, Exodi 23. scilicet, Numerum dierum tuorum implebo, & Deuter. 11. ideo peruertentes eam vita priuari debent. Et quia nulla maior peruersitas est, quàm in idololatria: merentur idololatræ valde, in vitæ diminutione puniri, & quia quidam non solum sunt idololatræ, sed alios ad idololatriam mouent, dignum est, vt non solum ipsi, sed etiam posteri eorum occidantur. Obseruauit autē Deus magnas pœnas in rebus idololatris. Primus enim fuit Salomon, & quia iste solū peccauit, & non induxit populum ad peccandum, nec coegit, puniuit eum Deus grauiter, scilicet, priuando posteritatem suam maiori parte regni, scilicet, solum relinquendo duas tribus, cum haberet duodecim: posteritatem autem suam non occidit. Reges autem Israel grauius peccauerunt, quia nō solum peccauerunt ipsi, sed etiam populum ad idololatriam cōcitauerunt, ideo ipsi & progenies suæ perierunt, scilicet, quòd nullus maneret de eis, & quia primus istorum fuit Ieroboam, tota progenies sua vna die perijt per manum Baasa. Deinde Baasa cum regnasset, populū mouit ad idololatriam, ideo filius suus, & posteri sui eadem die occisi sunt à Zambri, sicut ipse Baasa occiderat posteritatem Ieroboam. Et fuit quasi idem modus per omnia in pœna domus Ieroboam, & domus Baasa, nam Ieroboam regnauit annis viginti duobus, & post eum filius suus Nadab, qui cum regnasset nondū duobus annis completis, occisus fuit ipse, & tota posteritas Ieroboam à Baasa. Simile passus est Baasa, nam ipse, cum deleuisset totā posteritatem Ieroboam, secutus est idola, & regnauit vigintiquatuor annis, præcedenti capitu. Cui successit filius suus Ela, qui nondum completis duobus annis in regno, occisus est cum tota posteritate Baasa in vna die à Zambri infra in litera. Zambri autem malus fuit sicut cæteri reges, & septem diebus solum regnauit, vt patet in litera: Combussit enim seipsum cum tota domo sua, ne occideretur ab Amri. Ipse quoque Amri malus fuit, cuius posteritas non dilatata fuit, nam filius eius fuit Achab, qui occisus est in bello, infra vlt. cap. Et quia iste Achab malus fuit valde, vt patet hic, non solum ipse occisus fuit, sed etiam iussit dominus ipsi Iehu, vt deleret posteritatem eius. Qui occidit sexaginta filios eius, & reliquam posteritatem, sequenti lib. cap. 9. & 10. Et sic omnes isti reges, qui præuaricari fecerunt populum in idolis, sustinuerunt detruncationem posteritatis, quia nullius eorum posteritas extendebatur, nisi ad vnum successorem, cum quo tota posteritas simul peribat gladio. Et admirandus ordo diuinæ iustitiæ, hoc statuerat, vt ipsi mali, ministri essent Dei contra malos, scilicet, vt vnus rex deleret posteritatē præcedentis regis, & alius sequens posteritatem istius, & sic quilibet delebat posteritatem alterius, & ab alio suam posteritatē deleri patiebatur, sicut exemplificatum est.

Graues pœnas intulit Deus idololatris.

B

C

Admirandus ordo diuinæ iustitiæ

Deleta autem posteritate Achab per Iehu, ipse regnauit, & diligentissimè compleuit mandatum domini, occidendo omnes posteros Achab, ipse tamen secutus fuit peccata illorum, quos occiderat, ideo debebat posteritas sua immediatè deleri, sicut posteritas Achab, quā ipse deleuerat, quia tamē diligentissimè se habuit implendo mandatum Domini in progenie Achab, fecit ei Deus gratiam, vt non deleretur posteritas sua in filio, sed duraret regnum filiorum suorum, vsque ad quatuor generationes, seq. lib. ca. 10. Post illas autem generationes paucū tempus fuit in regno Israel, quin transferrentur decem tribus ad Assyrios. Et sic fuit iste modus communis punitionis omnibus regibus Israel, quia peccata eorum communia erant. *Et faciam domum tuam, sicut domum Ieroboam filij Nabat.* Scilicet, destruam illam, sicut destructa fuit domus Ieroboam: nam sicut illi non manserunt aliqui successores post primū, sed tota progenies gladio perijt, ita fuit in progenie Baasa, quia nullus mansit de ea, vt supra dictum est.

Qui mortuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum volucres cœli. Scilicet, tota posteritas deleta fuit per Zambri. Et quia ille hostiliter se habebat ad filios Baasa, occidebat illos, & relinquebat insepultos, ideo lacerabantur ab auibus, & canibus. Quod intelligendum est tam de occisis in agro, quam in ciuitate, sicut dictum fuit de progenie Ieroboam supra 14. *Reliqua autem sermonum Baasa, & quæcunque fecit.* Id est, omnia, quæ fecit, & dixit non habentur hic, sed alibi. *Et prælia eius.* Scilicet, prælia, quæ habuit cum Asa: nam fuit bellum inter eum, & Asa omnibus diebus eorum, præcedenti cap. *Nonne hæc scripta sunt in Libro verborum dierum regum Israel?* In isto libro scripta erant particulatim omnia gesta Regum Israel, & iste liber etiam erat authenticus, quia erat scriptus per aliquos prophetas, vt dictum est supra 14. *Dormiuit ergo Baasa cum patribus suis.* Scilicet, mortuus est, sicut patres sui, & fuit ista mors naturalis.

D

Sepultusque est in Thersa. Illa ciuitas erat metropolis regni pro tunc, quousque Samaria amplificata fuit, & ibi reges regnabant, & sepeliebantur, sicut reges Iuda regnabant in Ierusalem, & sepeliebantur ibi, præcedenti capi. & supra decimoquarto. *Et regnauit.* Hic ponitur secundum huius cap, scilicet, ea, quæ pertinent ad Ela filium Baasa. Et diuiditur in quatuor secundum, quòd agitur hic de quatuor regibus Israel. Primo de Ela: secundo de Zambri ibi. *Anno 26.* Tertio de Amri, ibi. *Cumque audisset.* Quarto de Achab ibi.

Achab verò. Circa primum dicitur. *Et regnauit Ela filius eius pro eo.* Istum solum successorem habuit Baasa, qui iste cum tota alia posteritate Baasa occisus est à Zambri. *Cum autem in manu Iehu filij Hanani prophetæ verbum Domini factum esset contra Baasa.* Ponitur hic deletio posteritatis Baasa, sicut prænunciata fuerat per Iehu prophetam filium Hanani prophetæ. De isto patet supra in litera vbi ponuntur verba prophetiæ eius ad Baasa.

E

Deletio posteritatis Baasa.

Et contra domum eius. Scilicet, contra totam posteritatem suam. *Propter omne malum, quod fecerat coram Domino.* Scil. idola colendo, & inducendo populum ad colendum idola.

Ad irritandum eum in operibus manuum suarum. Id est, prouocabat Deum ad iram per opera sua, scili. per idololatriam, quam manibus suis exercebat, scil. offerendo thura vitulis aureis, sicut ipsemet Ieroboam, quando fecit solennitatem primam vitulorū aureorū, ascendit super altare, & ipse offerebat thura supra 13. cap. *Vt fieret sicut domus Ieroboam.* Dupliciter potest intelligi. Vno modo quantum ad culpam, scil. Baasa coluit idola, & prouocauit Deum intantum, vt fieret sicut domus Ieroboam, id est, vt tantum ipse peccaret, sicut peccauit Ieroboā & domus sua. Aliter potest intelligi quantum ad pœnā, scil. quòd Baasa prouocauit Dominū ad iram, ideo meruit, vt fieret domus eius sicut domus Ieroboam, scil. quòd tota destrueretur, & istud magis sonat litera, nam sic completum est. *Ob hanc causam occidit eum.* Id est, quia Deus prædixerat mala contra Baasa, & contra domū suam, propter mala Baasa occidit eum, id est, deleuit ipsum cum posteritate sua. *Hoc est Iehu filium Hanani prophetam.* Ista est expositio literæ præcedentis, & nō est in Hebræo nec in libris correctis, sed fuit glossa interlin. expositiua, & imperitia librariorum textui mixta est, ideo non debet credi esse textu, & secundū eam debemus dicere, q̄ Iehu propheta occisus fuerit à Baasa. Vnde totus iste versus ab illo loco. Cum autē in manu Iehu, potest dupliciter intelligi propter istud relatiuum eum, quia si intelligatur per illud Baasa, erit sensus, quod in isto versu significatur completio prophetiæ contra Baasa. Si autem per illud intelligatur Iehu, erit totus iste versus ad significandam causam mortis Iehu prophetæ.

F

Iehu an fuerit occisus à Baasa.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR quid istorum verius sit, & an fuerit Iehu occisus à Baasa. Respondendum, quod Hebræi volunt istud intelligi Baasa, scil. quòd Dominus occidit eum, id est, Baasa & posteritatem suam, quia peccauerat, & nolunt intelligere, quòd Iehu fuerit occisus à Baasa. Dicendum autem est, quòd litera ad vtrunque potest retorqueri, & tamen non potest propriè exponi nisi de morte Iehu. Primo quia dicitur

A ob hanc cauſam occidit eum,& tamen manifeſtum eſt,quòd Baaſa non fuit occiſus, ſed mortuus eſt morte naturali, cum dicatur ſupra, Dormiuit cum patribus ſuis, ergo refertur ad Iehu, ſcil. quòd Baaſa occiderit eum. Secundo patet, quia dicitur hic, ob hanc cauſam occidit eum: ſi autem referatur ad Baaſa,oportet quòd intelligatur,quòd Deus occidit eum ob hanc cauſam, id eſt,quia prænunciauit cõtra ipſum mortem. Sed iſtud non ſtat, quia Deus nõ complet prophetiam propter hoc,ꝙ prænunciat illã contra aliquem, ſed quia ille demeretur, vt in ea compleatur, ideo peccata ſunt cauſa pœnæ, & prænunciatio Dei, ideo debet referri ad Iehu, ſcilicet, quòd ob hãc cauſam occidit eum,i d eſt,quia ſermo Domini factus eſt per Iehu cõtra Baaſa ipſe Baaſa iratus occidit Iehu. Tertio patet hoc, quia ſi intelligeret de Baaſa, eſſet iſtud ſuperfluũ, & quaſi nõ faciens ſenſum,quia immediate ponitur de completione prophetiæ contra domum Baaſa,ideo oportet, quòd referatur ad Iehu, vt iſta litera non ſit ſuperflua, & vt videatur facere aliquem bonum ſenſum.

Dicendum igitur, quòd iſte Iehu propheta occiſus eſt à Baaſa propter verba, quæ locus eſt contra eum. Sic enim alij reges mali occiderunt quoſdam prophetas, nam Manaſſe occidit Iſaiam, quia increpabat eum valde. Etiam Amos occiſus eſt in terra Iſrael mandato regis, percuſſus vecte ferreo in temporibus, ſic & alij prophetæ multi occiſi ſunt, tàm à
B regibus Iudæ quàm Iſrael. Ieremias autem afflictus nimis temporibus regis Sedechiæ, quia prophetabat contra vrbem Ieruſalem, ad vltimum in Ægypto ab ipſis Iſraelitis lapidibus oppreſſus occubuit, quem Ægyptij mirifico honorauerunt ſepulchro, quia cognati ſui iniuſta morte mulctauerant. De patre iſtius Iehu, ſcilicet, de Anani ſimiliter dicitur, quòd occiſus fuerit à rege Aſa rege Iuda. Hoc autem nõ conſtat, quòd poſuit eum in carcere, quia loquebatur contra ipſum, & dominus indignatus propter hoc valde, percuſſit multos de populo, & ipſum Baaſa podagra percuſſit, quam ſuſtinens per aliquot annos, mortuus eſt 2. Paralipomen. 16. Sed tamen dicendum, quòd non occiſus fuit Iehu propheta à Baaſa, quia ipſe venit ad Ioſaphat regem Iudæ. 2. Paral. 19. etiam ipſe ſcripſit hiſtoriam Ioſaphat eod. lib.c.20. & tamen hic fuit multo tempore poſt Baaſa. Ad argumenta reſpondebitur ibidem. *Anno 26.* Hic ponitur de regno Zambri,qui ſucceſſit ipſi Ela filio Baaſa, & ponuntur mixtim aliqua, quæ pertinent ad Zambri, & aliqua quæ pertinent ad Ela. Et dicitur. *Anno 26. Aſa regis Iuda regnauit Ela.* Iam ſupra dixerat hoc, ſed quia vult ponere hic de morte Ela, repetit regnum eius, ſcil. quòd regnauerit anno 26. regni Aſa regis Iuda,& debet intelligi,quòd regnauit finito anno 26. & non in principio.

Ela quo anno Aſa regnare cœperit.

C QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, quomodo potuit Ela incipere regnare anno 20. regni Aſa,quia Baaſa pater eius cœpit regnare anno 3. reges Aſa, præced. c. & intelligitur, quòd cœperit in fine tertij anni,& non in principio, vt ibi declaratum eſt, ſed regnauit annis 24. vt patet ibidem, ergo oportet, quòd durauerit regnũ Baaſa vſq; ad annum 27. completũ regis Aſa, & cœperit Ela regnare anno 26. regni Aſa. Reſpondendum eſt, quòd in iſta aſſignatione annorũ eſt magna perturbatio propter duo. Primo quia aliquando ponuntur anni alicuius regis completi,& aliquando cõpleti,& incæpti. Secundũ eſt, quia interdum computantur anni à principio ſuo, & interdum à fine. Vt cum dicitur,ꝙ aliquis regnauit anno 26. regis Aſa, poſſit intelligi, quòd incæperit regnare in principio 26. anni, vel in fine eius. Ad aſſignandum tamen,quòd Ela cœperit regnare anno 26. regis Aſa,oportet poni duo,ſcil.quòd 24. anni regni Baaſa non fuerint completi,& quòd nominetur iſte 26. annus à fine, vtpote,quòd regnauerit Baaſa annis 23. & quadã parte paruula anni 24. ꝓpter quam dicatur regnaſſe 24.annis,cũ ſæpe anni incepti cõputetur pro completis,& tunc opponendo 23. annos cõpletos regni Baaſa ſuper 3. annos, quibus regnauerat Aſa, quando cœpit regnare Baaſa,præced.c. erit 26. annus regni Aſa completus cum 23.anno regni Baaſa. Illud autem modicum, quòd regnauit Baaſa de 24. anno, debet poni in 3. anno regis Aſa, ſcilicet, quia nondum erat omnino completus 3. annus regni Aſa, quando cœpit regnare Baaſa, & ſic in 26. erit completum totum regnum regis Baaſa, & quia illico, & mortuus eſt Baaſa, regnauit Ela, dicitur cœpiſſe regnare anno. 26. regni Aſa. Si autem aliter ponatur, impoſſibile erit ſaluare literam, accedendo ad præcedentia, ſcil. quòd Baaſa cœperit regnare circa finem tertij anni regni Aſa, quòd neceſſario probatum eſt præcedenti cap. D

Regnauit Ela filius Baaſa ſuper Iſrael in Therſa. De communi conſenſu populi ſucceſſit in regno, quia filius regis erat, & nullum adhuc habebat hoſtem. Et dicitur,quòd regnauit in Therſa, eo quòd ibi erat Metropolis regni. *Duobus annis.* Debent accipi iſti duo anni incompleti,quia infra dicitur,quòd Zambri cœpit regnare anno 27. regis Aſa, & hic dicitur, ꝙ Ela cœpit regnare anno 26. ergo oportet, quòd eſſent duo anni incepti, & non completi.

Et rebellauit contra eum ſeruus ſuus Zambri. Non rebellauit aperte, ita quod moueret contra eum bellum, ſed irruit ſuper eum quaſi per inſidias, dum eſſet in conuiuio, & occidit ipſum, vt patet infra. *Dux mediæ partis equitum.* Iſte Zambri erat dux mediæ partis equitum Iſrael, & præ magnitudine potẽtiæ putauit,ſe poſſe habere fautores in regno,& aggreſſus eſt occidere regem. Erat autem exercitus totus Iſrael diuiſus in duas partes, & vnius partis equitum princeps erat Zambri,& alterius princeps erat Amri. Nunc autẽ erat bellũ E
Iſraelitis contra Gebbethon vrbem Philiſthinorum, & non erat ibi rex, ſed exercitus, eratque ibi vnus princeps mediæ partis equitum, ſcil. Ambri,alicuius autem princeps equitũ, ſcil. Zambri manſerat in vrbe Therſa cum rege, & occidit eum. *Erat autem Ela in Therſa bibens, & temulentus.* Iſta fuit occaſio, vel opportunitas Zambri ad occidendũ Ela, ſcil. quia erat Ela temulentus,id eſt, valde ebrius, & non poterat conſiderare inſidias ſibi poſitas, ideo poterat faciliter occidi. *In domo Arſa præfecti Therſa.* Iſte Arſa erat præfectus Therſa, ſcilicet, princeps vrbis, & forte rex illa die conuiuium habebat cum Arſa. *Irruens ergo Zambri percuſſit, & occidit eum.* Scilicet, irruit ſuper eum, cum eſſet ſecurus in conuiuio, & temu'ẽtus,nihil mali ſuſpicans. Ioſephus 8. Antiquitatũ dicit: Zambri equorũ ordinis dimidius princeps occidit Elam regem. Nam dum epularetur apud diſpenſatorẽ ſuum nomine Arſa, ſuaſit quibuſdam equitibus, vt ſubito diſcurrentes cum armigeris, & principibus, deſolatum relinquerent occiſum. *Anno 27. regis Aſa.* Scilicet, tunc factum eſt hoc. Et intelligendum eſt de fine anni, quia ad finem illius anni, vel quaſi, occiſus eſt Ela. *Et regnauit pro eo.* Id eſt, regnauit loco illius. Nam ad hoc occidit eum, vt regnaret pro ipſo, & non ſucceſſit illi aliquis de filijs ſuis, quia omnes illos occidit Zambri. *Cumque regnaſſet, & ſediſſet ſuper ſolium eius.* Mox vt Zambri occidit Ela, impoſuit ſibi diadema regni, & ſedit ſuper ſolium regum in Therſa. Factus eſt autẽ Zambri rex ſolum à quibuſdam equitibus, qui cum eo erant, & à populo F
Therſa, qui erat in vrbe, reliquus autem Iſrael, tam exercitus quam populus, non conſtituit eum in regem, ſed erat tunc in obſidione Gebbethon, & cum audiuiſſet regnare Zambri,venit ad vrbem Samariæ,& obſedit eam,vt patet infra. *Percuſſit omnem domum Baaſa.* Scilicet, totam progeniem ſuam, quia non ſolum occidit ipſum Ela, ſed etiam omnes fratres, & filios ſuos, & nepotes, ſi quos habebat, ita vt nullus maneret de tota poſteritate Baaſa. *Et non reliquit ex eo mingentem ad parietem.* Id eſt, de tota familia ſua non reliquit aliquem viuere. Et dicitur nõ reliquit mingentẽ ad parietẽ, ad ſignandũ, omnes ſiue magnos, ſiue paruulos fuiſſe deletos. Intelligendũ eſt autẽ hoc de maſculis, quia fœminam nullã occideret de ſtirpe Baaſa, eo quòd neque in bellis hoſtilibus occiduntur fœminæ, etiam quia illæ non poterant ſibi præiudicare. Fecit autem hoc Zambri, vt nullus maneret de ſtirpe Baaſa, qui peteret regnum,vel qui poſſet infeſtare eum in vindictam domus Baaſa deletæ.

Et propinquos, & amicos eius. Scilicet, non ſolum occidit Zambri omnes deſcendentes de ſtirpe Baaſa, ſicut ipſe Baaſa occiderat omnes deſcendentes dẽ ſtirpe Ieroboam,ſed etiam occidit omnes propinquos id eſt, cognatos, ſcilicet fratres, & alios qui erant in cognatione propinqua Baaſa, ſcilicet, in ſecundo, vel tertio gradu. Etiam occidit amicos, qui fauebant nimis progenici Baaſa. Hoc autem totum fecit

Mors Ela.

ad haben-

A ad habendam ſecuritatem plenariam, quia non ſolum poſteri Baaſa poterant inſurgere contra eum, ſed etiam cognati eius, qui non erant de poſteritate ſua, & amici eius, qui fouebant partem ſuam. *Deleuitque Zambri omnem domum Baaſa.* Scilicet, nullum relinquendo in illa, ex quo iam poſſet extendi ſucceſſio Baaſa.

Iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat ad Baaſa. Scilicet, ſicut Deus prædixit contra Baaſa, ita completum eſt. Nam dixit, quòd poſteriora eius, & domus eius detruncarentur, ſicut domus Ieroboam.

In manu Iehu prophetæ. Id eſt, iſta dicta fuerant per prophetam Iehu, vt patet ſupra, & ob hoc occiſus eſt ab ipſo.

Quare poſteritas Baaſa magis punita eſt, quam poſteritas Ieroboam.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR quomodo punita eſt magis poſteritas, & cognatio Baaſa, quam poſteritas Ieroboam. Nam de Ieroboam ſolum perierunt poſteri ſui, qui occiſi fuerunt à Baaſa præcedenti cap. & tamen de Baaſa non ſolum poſteri perierunt, ſed etiam cognati ſui, & amici qui nulla cognatione ei attinebant.

B Aliquis dicet, quòd hoc fuit propter maiora peccata Baaſa. Sed iſtud non videbitur, quia Ieroboam magis peccauit, quam omnes reges, eo quòd ipſe fuit, qui introduxit idololatriam in decem tribus Iſrael, ſupra 12.

Reſpondendum, quòd maioritas pœnæ Baaſa fuit propter pluralitatẽ peccatorum, quia in pluribus peccauit Baaſa, quam Ieroboam, nam Ieroboam peccauit ſolum quantũ ad ea, quæ apparent, quòd idololatriam commiſit, & ad idololatriam compulit Iſrael: Baaſa autẽ peccauit in his duobus, vt patet ſupra in litera, cum dicitur, quòd ambulauit in vijs Ieroboam, & etiã quòd peccauit, & peccare fecit Iſrael. Peccauit inſuper, quia occidit Iehu prophetã domini ſine cauſa, ſcil. quia prænunciabat ei ea, quæ Deus iuſſerat, vt patet ſupra in litera. Iſtud autẽ erat peccatũ grauiſſimum, nam Aſa ſolum poſuit Hanani prophetam in vinculis, quia increpuit eum ex parte Dei, & ob hoc Deus iratus eſt nimis, & occidit plurimos de populo, ipſumq; regem grauiſſimo morbo podagrico percuſſit vſq; ad mortẽ. 2. Paralipom. 16. Quanto magis ergo Deus puniret regem Baaſa pro occiſione prophetæ? & ob hoc meruit, vt non ſolũ poſteritas ſua, ſed amici ſui, & cognati perirent, & hoc fuit, quia iſti conſenſerunt, vel forte conſuluerũt regi Baaſa, vt occideret prophetam Domini, qui prænunciabat ei mala iſta.

Baaſa in pluribus peccauit, quam Ieroboã

Ad rationem in contrariũ dicendum, quòd Baaſa in pluC ribus peccauit, quam Ieroboam. Et quando dicitur, quòd Ieroboã peccauit pluſquã omnes reges, quia ipſe introduxit idololatriam. Dicendum, ꝙ in idololatria plus peccauit Ieroboam, quã Baaſa, vel ſaltẽ non peccauit plus Baaſa, quam Ieroboam, & tamẽ peccauit Baaſa occidendo prophetã Domini, qui locutus fuerat contra eum, & tamen non peccauit in hoc Ieroboã. Nam licet multa mala prænunciaſſet Ahias contra Ieroboam, & domũ ſuam, nullã moleſtiam ei intulit Ieroboam, nec ſaltẽ in verbo ſupra 14. magis ergo debuit puniri Baaſa, quam Ieroboam. *Propter vniuerſa peccata Baaſa.* In multis peccauit Baaſa, ſed principaliter in tribus, ſcil. quia idololatriam commiſit, & quia populũ ad idololatriã compulit, & quia prophetam Domini occidit: iſta tria patent ſupra. *Et propter peccata Ela filij eius.* Peccauit Ela, ſicut pater ſuus Baaſa, ideo nõ ſolum poſteritas Baaſa deleta eſt propter peccata Baaſa, ſed etiam propter peccata Ela. *Qui peccauerunt, & peccare fecerunt Iſrael.* Scilicet, pater, & filius ſecuti ſunt eandẽ viam, & ambo peccauerunt idololatrando per ſe, & etiã peccare fecerunt regnũ Iſrael, ſcil. quia induxerunt ad colendũ idola, non permittentes, ꝙ aliquis iret in Ieruſalẽ ad colendũ Dominum. *Prouocantes Dominum Deum Iſrael.* Scilicet, prouocantes illum ad iram eo modo, quo homo poteſt prouocare Deum ad iram, quia propriè nõ poteſt aliquis Deum prouocare. iſtum modum loquendi obſeruauit Malachias capit. 3. dicens. Si affligit homo Deum, quia vos configitis me? quaſi dicat, ſi aliquomodo poteſt affligẽre Deum, ita vos me afflixiſtis. *In vanitatibus ſuis.* Scilicet, in idololatria. Vocatur autem idololatria vanitas, quia non prodeſt ei, qui ſequitur illam, ſcil. quia idola non poſſunt adiuuare cultores ſuos, nam non poſſunt pluere, aut dare abundantiam rerum, vel dare victoriam cultoribus ſuis in bello, ſic patet Baruch 4. ideo idola tanquã inutilia dimittenda ſunt. Sic dixit Samuel ad totum Iſrael: Seruite Domino in omni corde veſtro, & nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, nec eruent vos, quia vana ſunt, ſupra 1. lib. ca. 12. *Reliqua autem ſermonum Ela & omnia quæ fecit.* Scilicet, omnia geſta ſua tam parua quã magna. *Nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Iſrael.* Scilicet, ibi ſcripta ſunt omnia, quia ibi ſcribebant omnia geſta regum Iſrael qualiacunque eſſent.

Zambri an peccauerit occidendo Ela.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR an peccauerit Zambri occidendo Ela regem Iſrael. Aliquis dicet, quòd non, quia ipſe peccauerat nimis: vnde dicitur hic, quòd occiſus fuit propter peccata Baaſa & propter peccata ſua. Item Zambri egit, quòd Deus dixerat, nam hic dicitur, quod factum eſt per Zambri contra domũ Baaſa, ſicut prædixerat Dominus per manũ Iehu, ergo nõ peccabat, faciendo ꝙ Deus dixerat. Item videtur, quòd non ſolum non peccauerit, ſed etiã, quòd meruerit exercendo vindictã Dei contra peccatores. Simile patet de Iehu, qui fuit rex Iſrael. Iſte enim deleuit totã domũ Achab, & ipſe poſtea fuit malus colens idola, quia tamẽ diligenter ſe habuit delendo domũ Achab, Deus promiſit ei, quòd filij ſui regnarent vſq; ad 4. generationẽ, vt patet ſeq. lib. ca. 10. Reſpondendũ, ꝙ Zambri peccauit valde occidẽdo Ela. Primo quia occidit regem, & tamen grauiſſimũ crimen eſt, regem occidere. Secundo quia occidit eum per inſidias, dum eſſet in conuiuio. Tertio peccauit, quia Ela non offenderat ipſum Zambri, ſed potius benefecerat ei, quia conſtituerat eum ducem mediæ partis equitum, vt patet ſupra, magna autem ingratitudo eſt offendere beneficiatorem, nam iſtud inhumanum eſt, vt patet. 8. Ethi. Quarto peccauit, quia fecit ad malum finem, ſcilicet, vt ipſe regnaret, & tamen deſiderium regnandi erat in eo illicitum. Quinto peccauit, regnando illicitè, & per tyrannidem, cum non pertineret ad eum ex diuina electione, vel ex progenie, ideo propter iſtam tyrannidem, quam exercuit, vſurpando regnum, & delendo domum Baaſa, Deus percuſſit eum, & ob hoc mortuus eſt, vt patet infra.

Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd quanquam Baaſa & Ela propter peccata ſua mererentur occidi, tamen Zambri non habebat poteſtatem occidendi aliquem eorum, quia nemo conſtituerat eum iudicẽ ſuper eos, ideo peccabat, occidendo aliquem, ſicut priuata perſona. F

Ad ſecundum dicendum, quòd quanquã Deus prænunciauit delendã totam poſteritatem Baaſa, & Zambri deleuit eam, ſicut Deus prænunciauerat: tamen Deus non commiſit hoc agendum ipſi Zambri, ſed ex deſiderio ſuo ipſe egit, vt regnaret, & ſic peccauit, quia licet egerit, quod Deus voluit, non egit quod Deus iuſſit, quia Deus non iuſſit hoc. Ad tertium dicendum, quòd Iehu meruit, delendo poſteritatẽ domus Achab, eo ꝙ Deus ſibi iuſſerat hoc per prophetam, qui eum vnxit in regẽ ſolum ad hunc finem, ſequenti lib. ca. 9. ipſe autem diligenter executus eſt, occidendo omnes poſteros Achab, & inſuper occidit omnes ſacerdotes Baal in fauorem cultus Domini. e. lib. ca. 9. & 10. ideo meruit, obediendo mandatis Dei. Non tamen iuſſum eſt Zambri, quòd faceret aliquid de his, quæ egit, nec vnctus fuit à Deo in regem ad explendum hæc, ſed ipſe per tyrannidem aſſumpſit ſibi regnum, vt patet in litera, ergo non meruit faciendo hoc, ſed potius peccauit.

An peccauit Zambri occidendo poſteritatem Baaſa, & amicos, & cognatos.

QVÆSTIO VIII.

VLTERIVS quæretur, an peccauit Zambri occidendo totam poſteritatem Baaſa, & cognatos, & amicos eius.

Aliquis

A Aliquis dicet, quòd non peccauit, quia illi meruerant mortem, cum dedissent consilium, vel fauorem, ad occidendum Iehu prophetam, vt supra dictum est. Sed aliquis dicet, quòd licet isti mortem meruerint, peccauerit Zambri, occidendo eos, quia ad hoc, quòd aliquis iustè occidatur, non solum requiritur, quòd ipse mereatur mortem, sed etiam, quòd ille, qui occidit eum, habeat potestatem occidendi ipsum, & iustam causam occidendi, & tamen Zambri non habuit potestatem occidendi posteritatem Baasa, quia non erat ipse iudex ad occidendum, ideo peccauit. Sic enim declaratum est, præcedenti quæstione, quòd peccauerit Zambri, occidendo Ela, quanquam Ela mereretur mortem, quia nō erat Zambri iudex. Sed adhuc dicendum, quòd istud non stat, quia Zambri erat iudex ad occidendos istos, eo quòd Zambri occidit posteritatem Baasa, postquam factus est rex vt dicitur in litera, scil. Cumque regnasset, & sedisset super soliū eius, percussit omnē domum Baasa & tamē rex erat iudex in populo Israel omnium delictorum, quia ad eum pertinebat tota iurisdictio, cum nō esset distinctio fori ciuilis, vel secularis, & ecclesiastici in veteri testamento. De occisione autē Ela secus erat, quia occidit illum Zambri antequam esset rex, & tunc nō habebat potestatem occidendi quenquā. Dicendum, quòd his non obstantibus, peccauit Zambri occidendo omnes de cognatione Baasa, & amicos eis. Cum autem dicitur, quòd Zambri erat rex, & poterat occidere quoscunque delinquentes. Dicendum, quod Zambri non fuit vere B rex, sed per tyrannidem, & non consensit populus, sed potius repugnauit ei, pugnando contra ipsum, mox vt sciuit ipsum vsurpasse regnum, ideo nunquam habuit Zambri iurisdictionem aliquam, sed quicquid fecit, fuit vt factum à persona priuata, & consequenter peccabat. Item dicendum, ℭ etiā si fuisset verè rex, peccabat in hoc, quia ad hoc, quòd iustè aliquis occidat alium, nō oportet solū, ℭ ille mereatur mortem, & ℭ potestatem habeat occidens, sed etiam, quòd propter bonum finem illum occidat, & quia Zambri non egit pro bono fine, sed vt nullus esset, qui impediret eius iniustam tyrannidem, peccauit. Item peccauit, quia aliquos occidit sine causa. Nam erant quidam inter cognatos, & posteros Baasa paruuli, qui nondum peccauerant cōtra Deum, vel homines, & tamen istos etiā occidit Zambri, cum dicatur supra, ℭ non reliquit mingentē ad parietē, ℭ autē ibi occiderentur aliqui paruuli, satis manifectum est, quia cum tota posteritas Baasa, & cognatio eius deleretur, & etiam amici, ita vt nullus maneret, manifestū est, quòd inter istos aliqui essent paruuli, peccauit ergo Zambri ex multis causis. *Anno 27. Asa regis Iuda regnauit Zambri.* Scilicet, occidit Ela, & regnauit ipse pro eo.

Zambri quo anno Asa regnare cœpit.

C

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quomodo potuit esse, quòd Zambri inciperet regnare anno vigesimoseptimo, regis Asa, quia videtur potius, quòd debebat incipere regnare anno 29. Asa. Quod patet, quia anno 26. regni Asa cœpit regnare Ela, vt patet supra. & cœpit regnare in fin. 26. anni, vt ibi declaratū est, & finis 26. & principiū 27. idem sunt, regnauit autē duobus annis Ela, ergo cœpit regnare anno 29. Asa ipse Zambri.

Respondendum, sicut supra dicebatur de annis Baasa, & Ela, quòd isti duo anni, quibus regnauit Ela, fuerunt imperfecti, scilicet, vnus inceptus, & alius perfectus, & de incepto modica pars fuit, scil. forte nō vnus mensis, & tamē quia inceptus erat, vocatur annus: cœpit autē regnare Ela anno 26. regni Asa, scil. circa finē anni 26. forte vno mense ante finē: deinde regnauit toto seq. 27. anno Asa, & in fine illius cœpit regnari Zambri, & istæ partes duorum annorū vocantur duo anni & tamē nō sunt completi, immo parū plus habent quā vnus annus. *Septem diebus in Thersa.* Iste rex fuit, qui pauciori tempore durauit in Israel, & etiā in Iuda, cum solum regnauerit septem diebus. In illis tamen fuit valde diligens, circa habendam securitatem regni, nam deleuit totam posteritatem Baasa, & cognationē suam, & amicos. Et dicitur quòd regnauit in Thersa, quia ibi erat Metropolis regni. Vel quia regnum suum nō se extendit ad plura loca, eo quòd durauit solum septem diebus in regno, & cum fuisset constitutus rex in Thersa, ibi regnauit solū, non habens tempus dilatandi se per alia loca regni: potissimè, quia mox, vt populus cognouit Zambri surrexisse in regem, venit, obsedit eum in Thersa. *Porrò exercitus obsidebat Gebbethon vrbem Philisthinorum.* Ostenditur hic, quomodo non regnauerit, nisi 7. diebus, scil. quia totus exercitus Israel erat tunc congregatus in Gebbethon, & audiens Zambri surrexisse in regē, venit illico cōtra Thersa, ad occidendum eum, & ipse obsessus intra Thersa, iniecit se flammis, populus autem mox, vt audiuit occisum Ela constituit Amri in regem, & sic à tempore quo Zambri surrexit in regem, vsque ad tempus quo factus est Amri rex, solum fluxerunt septem dies. Sciendum autem, quòd non fuit tempus 7. dierum totū, quo vix Zambri in regno, vsquequo flammis se iniecit, quia forte transierunt vsq; ad hoc duo, vel tres menses, aut plures, dum ciuitas obsideretur, vsquequo Zambri videret eam iam capiendam. Sed computatur solum septem dies de regno suo, quia in illis septem diebus ipse solus fuit rex cum nullus alius esse institutus à populo, vel alias in regem, postquam autem Amri constitutus est à populo in regem, cessauit regnū Zambri, & istud fuit post septem dies, postquam Zambri cæperat esse rex. *Septem diebus regnauit Zambri.*

Cumque audisset. Hic ponitur de regno Amri, qui successit post Zambri. Et ponitur primo, quomodo expulerit Zambri cogendo eum ad mortem. Secundo, quomodo fuerit diuisio propter eum, & Thebni, qui in regem institutus fuit ibi. *Tunc diuisus est.* Tertio ponitur, qualiter ipse Amri, & excluso vtroq; aduersario, solius regnauerit, ibi. *Anno 31.*

Circa primum dicitur. *Cumque audisset rebellasse Zambri.* Scilicet, exercitus, qui erat obsidens vrbem Gebbethon audiuit, quòd Zambri rebellasset regi Ela.

Sciendum, quòd iam Israelitæ multo tempore pugnauerant contra Philisthæos manentes in hac vrbe, & erant quasi 27. anni, quibus durabat bellum, erat tamen bellum Israelitarum contra Gebbethon, quando occisus fuit Nadab filius Ieroboam, quando occidit ipsum Baasa præced. ca. & tamen istud fuit circa principium regni Asa, scil. anno tertio regni eius, eodem cap. ergo erant quasi vigintiquinq; anni, ex quo cœperat esse bellum cōtra Gebbethon. *Et occidisse regem.* Scilicet, auditū est, ℭ Zambri occidisset regem Ela. *Fecit sibi in regem omnis Israel Amri.* Sciebant enim quòd occidisset Zambri omnes de posteritate Baasa, & nullus maneret de stirpe regia, ad quem regnum peruenire posset, ideo elegerunt nouum regem: & quia tunc Amri erat princeps totius exercitus super vrbem Gebbethon, habebat fauorem magnum, & populus elegit eum in principem. Dicitur autem, quòd elegit eum omnis Israel id est, totus exercitus Israel, qui congregatus erat super Gebbethon, cuius princeps erat Amri; & non totus populus Israel simpliciter, nam infra dicitur, ℭ populus diuisus erat, & quædam pars sequebatur Thebni, alia autem sequebatur Amri. *Qui erat princeps militiæ super Israel in illa die in castris.* Scilicet. Amri erat princeps totius populi pugnantis contra Gebbethon, quia Ela cōstituerat eum in ducem, & illa die, qua nunciata est mors Ela, erat populus in castris super Gebbethon, & retinebat sibi potestatem Amri: ideo fuit facilè, quòd reduceret totum populum, vt eligeret eum in regem quod non fuisset, si iam fuissent castra dissoluta. *Ascendit ergo Amri, & omnis Israel cum eo de Gebbethon.* Cum electus fuisset à populo in regem, reliquit mox obsidionem Gebbethon, vadens ad obsidendum Zambri, ne si daretur ei aliquantum tempus, posset interim occupare loca munita, & conciliare sibi animos populi, & tunc esset difficultas maxima Amri, superare eum. *Et obsidebat Thersa.* Scilicet, Amri cœpit obsidere vrbem Thersa, quia in in illa manebat nunc Zambri. *Videns autem Zambri, quòd expugnanda esset ciuitas.* Intelligendū est, quòd Zambri per aliquot dies restiterit ipsi Amri obsidēti vrbem: postea autē vidit, quòd præualebat Amri, & opportunitas sua ad resistendū minuebatur, & sic vidit, quòd vrbs capienda erat, id est, nō poterat resistere, quin caperetur. *Ingressus est palatium, & succendit secum domū regiam.* Vidit Zambri, ℭ necesse erat vrbem capi, & si caperetur ipse viuens occideretur crudelibus tormentis, & illuderetur ab Amri, & reliquo populo, & istud est sibi ad maiorem pœnam: ideo voluit se potius occidere, vt subtraheret hostibus locum vindictæ de ipso. *Et mortuus est in* *Mors Zambri.*

D E F

A *peccatis ſuis.* Id eſt, mortuus eſt propter peccata ſua, id eſt, Deus induxit illum ad iſtam neceſſitatem moriendi, & iſtud fuit pœnale. *Qui peccauerat faciens malum coram Domino.* Scilicet, occidendo totam poſteritatem, & cognationem Baaſa: nam malo animo hoc egit, & non habuit iuſtam cauſam faciendi: ideo Deus reputauit ſibi ad peccatum, quanquam ipſe prædixiſſet, quòd iuſtum finem habitura erat poſteritas, & cognatio Baaſa. *Et ambulans in via Ieroboam, & in peccato eius, quo peccare fecit Iſrael.* Scilicet, fuit idololatra in illo pauco tempore, quo regnauit, induxit populum ad idololatriam, ſicut Ieroboam induxerat. *Reliqua autem ſermonum Zambri.* Scilicet, omnia alia opera, quæ fecit, reſiſtendo Amri obſidenti ciuitatem, & qualiter in illo modico tempore diſpoſuerit regnum. *Et inſidiarum eius.* Id eſt, qualiter diſpoſuit inſidias contra Ela, quando occidit ipſum in conuiuio. *Et tyrannidis.* Scilicet, qualiter exercuit tyrannidem in illo paruo tempore. Hoc autem fuit occidendo crudeliter omnes de poſteritate Baaſa, & de cognatione eius, & amicos ipſius, in quo crudelius ſe habuit contra Baaſa, quàm Baaſa contra Ieroboam. *Nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierũ regum Iſrael?* Scilicet, de omnibus his plenè ſcriptum eſt ibi, eo quòd in libro illo recenſentur omnia geſta annalia ſub regibus Iſrael.

B *Quomodo Zambri mortuus eſt in peccatis ſuis.*

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR quomodo dicitur; quòd Zambri mortuus eſt in peccatis ſuis, id eſt, propter peccata ſua, quia non videtur, quòd mortuus ſit propter peccata ſua, cum illud ſit occidi, vel mori ex ægritudine inuoluntariè propter peccata, ſcilicet, in pœnam illorum, & tamen Zambri ſponte ſe occidit. Dicendum, quòd Zambri mortuus eſt in pœnam peccatorum ſuorum, licet voluntariè ſe occiderit. Pro quo dicendum, quòd non ſimpliciter voluntariè ſe occidit Zambri, ſed fuit iſtud opus mixtum, & voluntariè, & inuoluntariè: nam abſolutè ipſe viuere voluiſſet, & ſi nullus dediſſet ei impedimentum, vel obſediſſet eum, non ſe occidiſſet, vt tamen euitaret aliam mortem atrociorem, iudicauit melius eſſe, quòd ſe occideret, & occideret, & occidit ſe. Simile autẽ eſt de illo, qui proijcit merces in mare; quia abſolutè non eſt ibi voluntariũ, ſed mixtũ, va dicit Ariſtot. 3. Ethicorum. Quòd autem deduceretur ad iſtam perplexitatem Zambri, quòd oporteret, quòd ſe occideret vel occideretur ab alio, erat pœnale, & non voluntarium: iſtud autem inductum fuit à Deo: ideo mortuus eſi Zambri propter peccata ſua.

C *An peccauit Zambri occidendo ſe, & qualiter ſunt vituperabiles nimis occidentes ſeipſos.*

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR an peccauerit Zambri ſe occidendo. Aliquis dicet, ꝙ non: quia videbat Zambri neceſſariũ eſſe, quòd occideretur à ſe vel ab alio: ideo non videbatur differre, an ſic, vel ſic occideretur, quia magis videbatur pati, quàm agere propter neceſſitatem. Item ſic Saul ſe occidit, quia vidit, quòd Philiſthini appropinquabant ei, & nõ poterat effugere mortem: ideo vt non illuderent ei Philiſthini, ſi caperent eum viuentem, occidit ſeipſum. Item Cato magnus Vticenſis ſeipſum occidit, ne de ipſo gloriaretur Cæſar. 1. De ciuitate Dei. capi. 18. & ille erat virtuoſiſſimus, quem Roma patrem, & maritũ appellabat: ergo iſte Zambri ſequens veſtigia magni viri, non peccauit. Item poſitio excellentiſſimorum ſtoicorum fuit, quòd illa erat mors fælicior, quam aliquis ſibi inferebat. Secunda autẽ huic erat, quã quis ab alio æquanimiter tolerabat: ſed tolerare mortẽ, non eſt peccatũ, ſed pœna: ergo etiam inferre ſibijpſi mortẽ non eſt peccatũ.

Reſpondendum, quòd peccauit Zambri occidendo ſeipſum, quia cum cuilibet homini ſit illicitum occidere alium, eo quòd tenetur diligere illum, à fortiori peccabit homo, ſeipſum occidendo, quia magis tenetur ſeipſum diligere, quàm quemlibet alium.

Item nullus poteſt alium licitè occidere, niſi ſit iudex eius, exercens iuriſdictionem ſuper ipſum, ſed nemo eſt iudex ſui ipſius, cum par in parem non habeat imperium: ergo à fortiori, nec idem ſuper ſeipſum. D

Item præceptum eſt, quòd nemo occidat alium, in quo vetatur abſolutè occiſio: ſed cum aliquis occidit ſeipſum, eſt occiſio: ergo illicitum eſt.

Item ſiquis abſcindat ſibi manum, vel aliquam partẽ corporis, punitur ſecundum legem humanam, eo quòd nemo eſt dominus membrorum ſuorum, & non poteſt aliquis abſcindere membrum, cuius non habet poteſtatem.

Item occidentes ſeipſos puniuntur à republica, quia inferuntur eis quædam dehonorationes, quæ non inferuntur alijs morientibus, ſcilicet, quòd corpora eorum relinquuntur inſepulta, vel trahuntur per terram in pœnam, vt patet 5. Ethico. circa finem, ſi tamen non peccarent, non fierent eis iſtæ dehonorationes.

Item Ariſt. probat Ethi. 3. quòd occidens ſeipſum iniuſtum facit, non quidem ſibiipſi, ſed ciuitati.

Item patet hoc ex legibus municipalibus quarundam gentium, in quibus iubetur, quòd quicunque inueniatur volens ſe occidere, vtpote ſe ſuſpendens, vel ſe tranſuerberans gladio, quòd ſi inde non moritur, vel nondũ eſt mortuus, publicè occidatur: etiam ſi ex pœna, quam ſibi inferebat, non eſſet moriturus; dum tamen conſtaret ex ipſo genere pœnæ, quòd volebat ſe occidere. De his magis declaratum eſt præcedenti lib. cap. 17. E

Item qui ſic ſe occidũt, ſunt puſillanimes, vt probat Ariſt. 3. Ethic. de fortitudine: opus tamen puſillanimitatis iniuſtũ eſt: ergo ſe occidens turpiter agit.

De Zambri autem patet, quòd ageret ex puſillanimitate: quia ipſe vidit, quòd neceſſe erat eum occidi, cum capienda eſſet vrbs, & infligerentur ei atrocia tormenta: voluit ergo potius leui morte omnia euitare.

Item quia (quòd ſibi durius erat) putabat, quòd cum caperetur ab Amri, & populo, illuderetur ei nimis, & hoc eſſet grauius, quam cæteri cruciatus; & ſic deficiens animo, ad tolerandũ iſtam magnitudinẽ malorum, voluit ſe occidere. Pertinet tamen ad magnitudinem cordis, non ſolum contemnere mortem, ſed etiã contemnere omnes illuſiones, & dehonorationes, quia omnia iſta ſunt quædam pœnalia mala: ad fortitudinem tamen pertinet tolerare vltimum terribilium; qui igitur poteſt tolerare mortem, & non dehonorationem, adhuc non eſt fortis, quia non poteſt tolerare vltimum terribilium.

Ad rationem primam in contrarium. Dicendum, quòd quanquam videret ſibi neceſſario moriendum eſſe, non poterat ſe occidere, quia multum differt mortem pati, vel infligere. Nam pati illam, non eſt actus, ſed pœna: ideo non eſt peccatum: facere autem infligendo ſibi mortem, eſt malum facere: ideo eſt peccatum. F

Ad ſecundam rationem in contrarium. Dicendum, quòd non tenet argumentum ab exemplis: potiſſimè, quia Saul peccauit grauiter ſe occidendo, vt declaratum eſt ſupra 1. lib. cap vltimo.

Ad tertiam rationem, cum dicitur de Catone, quòd ſe occidit. Dicendum, quòd peccauit. Vnde Augu. 1. De ciui. c. 18. vbi mortẽ eius inducit, culpat eum, quòd ſe occiderit. Sic etiam alij ſe occiderunt inter Gentiles, qui culpantur ibi. *Cato Peccauit ſe occidendo.*

Cum verò obijcitur, quòd erat vir virtuoſiſſimus. Dicendum, quòd inter Gentiles fuerunt viri valde virtuoſi moraliter, & tamen nõ habebant virtutes ordinatas in Deum per charitatem: ideo virtutes eorum erant valde inflatæ. Nam maximum bonum, vt communiter, ponebant honorem, & famam: iſta enim fuit poſitio omniũ ciuiliſtarum, vt patet 1. Ethic. & ob hoc interdum agebant multa contra virtutem, vt non perderent honorem, & famam. Sic fuit de Catone, qui, vt non ſe ſubijceret Iulio Cæſari, quanquam arbitraretur, ſe ab eo non eſſe occidendum, occidit ſe, præeligens mori, quam ſubijci, quòd ad quendam faſtum pertinebat. Iſtud autem abhorret Chriſtiana humilitas, quæ non dedignatur ſubijci omni homini propter Deum, vt patet infra pen. cap. 2. Sic etiam fuit de Lucretia, quæ fuit flos matronarum Romanorum, caſtiſſima quidem, & virtutem omnem diligens, quæ cum minis, & terroribus ſuperari nõ poſſet, nec ipſa morte, videns periturã famam, ſi nõ conſentiret adultero, *Virtutes antiquorũ non fuiſſe perfectas.* *Lucretia flos pudicitiæ peccauit ſe occidendo.*

A adultero, consensit quidem, vt famam non perderet, & tamen ne postea voluisse videretur adulterium, cum confessa fuisset peccatum, ipsa à se pœnam petijt, se gladio quem occultè tenebat, transuerberans. De quo August. 1. de ciuitate Dei. cap. 19. Isti tamen ibi increpantur, quòd se occiderint: Tales quidem antiquorum Gentilium virtutes fuere.

An sit mors fælicior quam quis sibi ipsi infert.

Ad quartam rationem, cum dicitur, fuisse sententiam excellentissimorum fælicem mortem esse, quam quisque sibi inferebat. Dicendum, quòd quanquam fuerit magnorum virorum sententia, tamẽ erronea nimis est. Nec mirandum, quòd antiqui illi in quibusdam moralibus nimis errauerint, quia finis in moralibus est, sicut principium in speculatiuis, vt patet 7. Ethico. sed in speculatiuis, si quis erret in principijs, impossibile est deuenire in aliquam veram conclusionẽ, nisi per accidens, eo quòd semper faciet falsigraphum syllogismum, vt patet 1. posteriorum. Ita ergo in moralibus, si quis erret in fine, necesse est errare in multis conclusionibus agibilium. Et quia plurimi antiquorum etiam excellentissimorum virorum ignorauerunt verum bonum, defecerunt in actione. Sic enim fuit, quia putabant honorem, & famam esse maximum bonum: ideo necesse erat, quòd quicquid repugnaret famæ, & honori, putaretur ab eis malum, & sic interdum oportebat, quòd agerent contra virtutem, vt non perderent honorem: & quia interdum maioris famę, & honoris videbatur eis, quòd quis se occideret, quam quòd ab alio mortem expectaret: iudicauerunt fælicem esse mortem, quam quisque sibi inferret. Sed manifestum est, istud repugnare Deo, qui est finis operationum nostrarum, cum vetet vniuersaliter homicidium. Etiam sententia ista licet fuerit quorundam antiquorũ excellentium: alij tamen antiqui fuerunt excellentiores eis, hanc sententiã impugnantes: nam Aristot. Ethi. 3. valde vituperat eum qui se occidit: quia, vt patet ex principijs eius, ibi pusillanimitas quædam est. Etiam in 5. Ethic. cap. vltim. probat, quòd occidens seipsum, iniustum faciat: ideo non est tenenda sententia illorũ Stoicorum.

B

Zambri quare non occidit se alio genere mortis leuiori, sicut multi alij, quàm comburendo se.

QVÆSTIO XII.

VLTERIVS quæretur, cum Zambri vellet se occidere, ne viuens caperetur, quare non se transuerberauit gladio, vel suspendit, aut alio genere mortis leuiori se occidit, cum comburi esset mors atrocissima. Sic enim Saul, qui se occidere volebat propter Philisthinos gladio incubuit. Sic etiam Achitophel se volens occidere, quia non fuerat susceptum consilium suum, suspendit se. De Saule supra primo lib. cap. vlti. De Achitophel præceden. lib. cap. 17. Erat etiam modus alius leuior, scilicet, quòd bibito veneno, quasi insensibiliter moreretur. Sic enim Mitridates rex ponti, cum obsideretur à filio suo Pharnace, ne caperetur, aut illuderetur, veneno bibito se occidit.

C

Respondendum, quòd Zambri timebat si viuens caperetur; quòd illuderetur ei nimis, & ad extremum durè occideretur: ideo oportebat, quòd aliquo genere mortis se occideret. Putabat insuper, quòd Amri, & populus non sotiati morte sua, & exercerent ludibria magna in cadauere; & hoc maximè si nõ inuenirent Zambri viuentem, quia quod non potuissent expetere pœnarum in viuente, supplerent in cadauere, faciendo ludibria. Sic enim fuerat in Saule: nam cum Philisthini inuenissent eum mortuum, præciderunt caput eius, & duxerunt per totam terram Philisthinorum ad gloriandum de victoria habita contra Saulem. Etiam corpus eius suspenderunt in muro Bethsan, supra 1. lib. capit. vlt. & manebat ibi ad magnum dedecus, nisi viri Iabes per noctem furati fuissent illud, vt patet ibidẽ. Hæc igitur timens Zambri, voluit sibi inferre mortem, in qua non haberetur copia corporis eius: & istud erat cremando se cum palatio regis: quia tunc nihil de cadauere inueniretur, in quo exercerentur ludibria.

Sed dicet aliquis, quid proderat ipsi Zambri, quòd cadauer eius inuentum ab Israelitis cremeretur, vel illuderetur? quia ipse tunc nihil sentiret, nec intelligeret de illo: ideo non esset sibi pœna corporalis, nec spiritualis. Respondendum, quòd homo sepeliatur, aut maneat insepultus, ei nulla pœna est, quia non est ibi aliquis sensus nocumenti: & sic de omnibus alijs ludibrijs, & quibuscunque accidentibus circa cadauer, quia nullum istorum pœna est, & tamen dum homo viuens imaginatur ista sibi euentura post mortem, afligitur nimis, & dolet, velut si viuenti infligerentur: ideo conatur euitare ista, quantum potest tanquam pœnalia. Sic etiam est de fama dilatanda post mortem: dum enim homines viuunt, delectantur aliquando in dilatatione nominis sui, quanquam sit bonum paruum. Post mortem tamen fama non est aliquid delectabile, eo quòd siue homo sit famosus in bono, siue infamis, nihil sentit: quia tamen dum homo viuit, delectatur, cogitando, quòd habebit nomen gloriosum post mortem, agit multa interdum propter solam famã, quæ est post mortẽ. Idem est de illis, qui faciunt sibi gloriosa sepulchra: quia illud est, vt ipsi viuentes delectentur, se post mortẽ pulchra habituros habitacula: ita igitur egit Zambri.

D

Cum autem dicitur de Saule, quòd gladio incubuit. Dicendum, quòd fortè non considerauit, quòd Philisthini post mortem ei inferrent ludibria, & tamẽ postea intulerunt: ideo Zambri hoc præuidens, noluit hoc genere mortis mori: sed per ignem, vt corporis sui præsentiam totaliter auferret Israelitis. Vel dicendum de Saule, quòd ipse cogitabat, quòd post mortem Philisthini vellent illudere ei, & sponte ipse se iniecisset in flammas, vt istud inconueniens euaderet: & tamen non habuit locum, quia erat in bello, & non fuit copia ignis, potissimè quia currus, & equites Philisthinorum iam prope erant, & non habebat locum faciendi hoc, supra 1. lib. cap. vlt. & præced. lib. cap. 1. & istud fuit verius. Cum autem obijcitur de Achitophel. Dicendum, quòd ipse non timuit, quòd post mortem cadaueri suo infligenda essent aliqua ludibria: ideo satis fuit sibi, se occidere quocunque genere mortis, vt sic euaderet opprobrium, scilicet, quòd consilium suum nõ fuisset receptum. Etiam vt euaderet pœnas, quas Dauid ei inflicturus erat, postquam superaret Absolonem: & quia interim ipse sepeliretur à suis, & post sepultum cadauer, & putre factum, non expeterentur pœnæ ab eo, satis fuit sibi, quòd se suspenderet. Cum autem obijcitur de Mitridate. Dicendum, quòd ille solum voluit euitare per mortem mala, quæ viuens pateretur, & de malis post mortẽ non fuit sibi cura, & quia per mortẽ bibiti veneni sufficienter euadebat pœnas, quas viuens pateretur, non elegit aliam mortem.

E

Quare Zambri succendit regale palatium secum.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR vlterius, quare Zambri succendit palatium regale secum. Respondendum, quòd hoc fecit fortè, vt esset magnus ignis, & sufficienter cremaretur ipse ibi, nec maneret aliqua pars cadaueris incombusta, in quam postea Israelitæ exercerent ludibria: contingeret autem hoc, si se poneret in paruo igne: ideo cremauit regalia palatria, in quibus nec pars cadaueris superstes, nec saltem cineres reperirentur. Vel fortè fecit hoc ex inuidia hostili, nocens quantum poterat, licet hoc sibi non prodesset. Sciebat enim Zambri, quòd Amri factus erat rex, & ob hoc pugnabat contra eum, & quia eo mortuo potiretur omnibus bonis, voluit saltem subtrahere ei partem bonorum, quã potuit, scilicet, cremando palatia regalia, in quibus erant multæ diuitiæ, & ornamenta regum: ideo vt de combustione illorum saltem doleret ipse Amri, voluit Zambri cremare illa. Et istud videtur fortè verisimilius. *Tunc diuisus.* Hic ponitur secundum, scilicet, de pugna, & contentione Amri, & Thebni, quorum vterque constitutus est rex ab Israelitis. Et dicitur. *Tunc diuisus est populus Israel in duas partes.* Dupliciter potest intelligi. Vno modo, quòd exercitus totus à principio elegerat Amri in regem, quando Zambri viuebat, vt obsideret eum: & tamen postquam occisus est Zambri, diuisus fuit exercitus in duas partes, & vna sequebatur Amri, & alia Thebni. Aliter intelligitur, quòd totus exercitus, qui semel elegit Amri super vrbem Gebbethon in regem Israel ante mortem Zambri, tenuerit firmiter electionem suam, & tamen reliquus populus, qui nõ erat in exercitu, videns & ipso non vocato,

F

Pugna Amri, & Thebni.

electus

electus fuiſſet Rex, qui fuerat eligendus à toto Iſraël, elegerũt alium, ſcilicet Thebni, & ſic erat populus diuiſus in duas partes inæquales. *Media pars populi ſequebatur Thebni filium Gineth.* Id eſt, vna pars populi ſequebatur iſtum tanquam Regem, obediendo ei: Et dicitur media, non per æqualitatem, ſed quia totus populus diuiſus erat in duas partes, quarum quælibet vocatur largè medietas. *Vt conſtituerent eum Regem.* Iam enim elegerant eum in regem, quia aliàs non ſequerentur eum. Sed dicitur, vt conſtituerent eum, id eſt, vt inthronizarent, quia fortè nondum potuerant ponere eum in ſolio regni ſui in Therſa, vbi erat ſedes regni. Vel dicitur, vt conſtituerent eum in regem, id eſt vt facerent, quod eſſet rex ſuper totum Iſraël, quaſi dicat, iam eum ſuper ſe regem conſtiſtituerant: quia tamen pars illa, quæ ſequebatur Amri, non conſentiebat; nondum Thebni erat rex ſuper totum Iſraël; ſed contendebant iſti de parte ſua, vt ſuperarent eos, qui erãt de parte Amri, & ſic conſtituerent Thebni regem ſuper totum Iſraël. Et iſtud intendit litera, *Et media pars Amri.* Scilicet, vna pars populi obediebat iſti vt regi, & volebat facere, quod regnaret ſuper totum Iſraël, pugnando contra partem, quæ ſequebatur Thebni. *Præualuit autem populus, qui erat cum Amri populo, qui ſequebatur Thebni filium Gineth.* Scilicet, iſtæ duæ partes pugnauerunt inter ſe, & illa pars, quæ erat cum Amri prę-ualuit contra partem, quæ ſequebatur Thebni. Durauit autem iſta contentio tribus, vel quatuor annis, ſcilicet ab anno vigeſimoſeptimo regis Aſa, vſque ad triceſimum primum, & tunc prę-ualuit pars Amri contra partem Thebni, & mortuo Thebni cœpit regnare Amri ſuper totum Iſraël. Cauſa autem quare prę-ualuit Amri fuit, quia pars ſua erat bellicoſior, ſcilicet, cùm eſſet nimis exercitata bello: pars autem Thebni non erat exercitata. Rabbi Sa. dicit, quòd cauſa victoriæ fuit, quia Amri accepit in vxorem filiam Ioſaphat regis Iuda, & ille adiuuit eum contra Thebni. Sed iſtud non apparet. *Mortuusq́, eſt Thebni, & regnauit Amri.* Poteſt intelligi, quòd mortuus eſt Thebni morte naturali, & illo defuncto, pars ſua ceſſauit, & tunc Amri non habuit aliquem hoſtem. Sed magis dicendum, quòd Thebni eſt occiſus in bello, & tunc præualuit pars Amri contra partem Thebni, quia alioquin non diceretur præualuiſſe pars Amri contra partem Thebni: nam mortuo Thebni pars ſua non pugnaret. *Anno triceſimo primo.* Hic ponitur tertium, ſcilicet, quomodo Amri, excluſo vtroque hoſte, pacificè regnauit. Et dicitur, *Anno triceſimo primo regis Aſa regnauit Iſraël.* Mortuus eſt enim Zambri in fine vigeſimiſeptimi anni, vel principio 28. regni Aſa, vt patet ſupra, & deinde in tempore ſequenti, vſque ad triceſimum primum annum fuit bellum inter Amri; & Thebni, & in 31. anno mortuus eſt Thebni, & tunc cœpit regnare Amri pacificè ſuper totum Iſraël. *Duodecim annis.* Scilicet, duodecim annis regnauit.

Mors Thebni.

Amri quomodo dicitur, quod regnauerit duodecim annis.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR quomodo potuit regnare Amri duodecim annis, quia hic dicitur, quod regnauit anno 31. regis Aſa, & quòd in anno 38. Aſa cœpit regnare Achab, & ſic ſolũ videtur regnaſſe ſex, vel ſeptem annis.

Reſpondendum, quòd Amri fuit conſtitutus in regem bis. Primò cùm occiſus fuit Ela à Zambri: nam audito hoc, cùm eſſet totus exercitus Iſraël obſidẽs vrbem Gebbethon, & ipſe Amri eſſet princeps, conſtitutus eſt in Regem à toto exercitu: & poſt hoc occiſus eſt Zambri, & fuit bellum magni temporis inter Amri, & Thebni: nunc autem in 31. anno regis Aſa mortuus eſt Thebni, & Amri conſtitutus eſt in regem pacificè ſuper totum Iſraël: ideo dicitur regnaſſe anno 31. regis Aſa, & tamen ante hoc regnabat, & anni illi computantur de regno ſuo.

Sed obijcietur, quòd non regnauerit Amri 12. annis, ſed ſolùm decem, quia Ela, cui ſucceſſit Zambri per ſeptem dies, mortuus eſt anno 27. regis Aſa, ſupra in litera: & intelligitur de fine anni, vt ibi probatum eſt, & ſic cœpit regnum Amri, quaſi in principio 28. anni Aſa, ſed in 38. anno Aſa cœpit regnare Achab filius Amri, infra in litera: ergo non regnauit niſi decem annis Amri. Reſpõdendum, quod regnauit 12. annis, & tamen non fuerunt completi, ſed fuerunt 11. completi, & principium 12. de quo fortè non vixit Amri vno menſe, quia tamen incœptus erat, computatur pro anno. Dicendum etiam, quòd regnum Amri cœpit anno 27. Aſa, parum ante finem eius: deinde potuit regnare 11. annis completis, ſcilicet computando 28. & 38. incluſiuè, & illud modicum, quo regnauit de 27. anno, computatur pro vno anno, & ſic ſunt 12. anni regni Amri incompleti. Achab autem filius Amri cœpit regnare in eodem 38. anno ad finem. *In Therſa regnauit ſex annis.* Scilicet, primis ſex annis regnauit Amri in Therſa, & alijs ſex regnauit in Samaria: iſte fuit, qui tranſtulit ſedem regni Iſraël de Therſa in Samariam: & ideo iam omnes reges Iſraël dicuntur regnaſſe in Samaria. *Emitq́, montem Samariæ à Somer duobus talentis argenti.* Id eſt, iſte Amri emit montem, in quo erat Samaria, duobus talentis argenti à domino ſuo Somer. *Et ædificauit eam.* Scilicet, ædificauit ciuitatem Samariæ magnam, & pulchram, & in toto regno potentiſſimam. *Et vocauit nomen ciuitatis, quam extruxerat, nomine Somer domini montis Samariæ,* Scilicet, cùm ædificata eſſet ciuitas, vocauit eam Amri Somer; & hoc, quia dominus mõtis vocabatur Somer: nos autem ſecundùm formam latinam dicimus Samariam, vbi Hebræi dicunt Somer.

An Samaria fuerit de nouo ædificata ab Amri, vel ante hoc fuerit.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR de vrbe Samariæ, an nouiter fuerit ædificata, vel præerat ab antiquo. Aliquis dicet, quòd nouiter ædificata eſt: quia dicitur hic, quòd Amri emit montẽ ad ædificandum ciuitatem iſtam: ergo non ſolùm non erat ædificata, ſed etiam territorium, in quo fundata eſt, pertinebat ad priuatas perſonas. Item dicitur hic, quòd ædificauit Amri ciuitatem iſtam: ergo non erat ædificata, ſed nouiter facta eſt. Item Amri poſuit ei nomen ex nomine eius, qui vendidit montem: ergo videtur, quòd nondum habebat nomen, & conſequenter non erat ædificata, quia nulla ciuitas eſt, quæ nomen non habeat.

In contrarium videtur, quòd iſta ciuitas ædificata fuiſſet ab antiquo, eo quòd tempore Ieroboam erat: nam propheta ille malus, qui decepit virum Dei, dixit ad filios ſuos: Profectò veniet ſermo, quem prædixit contra altare Bethel, & contra omnia phana excelſorum, quæ ſunt in vrbibus Samariæ, ſupra 13. ergo erat tunc Samaria, & tamen illud fuit in principio regni Ieroboam. Item ſequenti lib. c. 23. dicitur, quòd mã ſerunt intacta oſſa viri Dei cum oſſibus prophetæ, qui venerat de Samaria: & dicitur ibi de illo propheta ſene, qui iuſſit filijs ſuis, quòd ſepelirent eum in Sepulchro viri Dei: ergo tẽpore illius prophetæ ſenis erat Samaria. Reſpondendũ, quòd neceſſe eſt dici fuiſſe Samariam ante tempora Amri, vt non negemus Scripturam, ſed modus ponendi videtur difficilis. Vno modo poteſt dici, quòd ciuitas Samariæ erat facta ante tempus Amri: ideo ipſe non ædificauit eam de nouo, ſed ampliauit, & ampliatio illa vocatur ædificatio. Alio modo dici poteſt, quòd erat aliqua ciuitas Samarię in Iſraël, & tamen nõ erat illa, quã ædificauit Amri, nec ipſe ampliauit priorem Samariam, ſed ædificauit aliam nouã in alio loco, fortè parum diſtante à loco priori. Sic enim in multis regionibus fuerunt ab antiquo aliquæ vrbes, quæ in locis incõuenientibus, & nõ ſalubribus ſitæ erant propter aëris intemperiem, vel defectũ aquarum, aut alia incommoda, & coloni earum mutauerunt ſedes, ad aliquem locum propinquum; & ibi conditis ciuitatibus, vocauerunt eas de nomine priorum ciuitatum: ita vt viderentur manere priores ciuitates. Secundùm quamlibet iſtarum poſitionum poteſt reſponderi ad argumenta.

De primo patet: nam cùm dicitur, quod emit montem ad ædificandum ciuitatem: dicetur, quòd emit ad ampliandum, quia erant parui termini murorum ciuitatis, & quia loca vicina erant perſonarum priuatarum, emit ab eis territoria ad ampliandam vrbem.

Ad ſecundum cùm dicitur, quod ædificauit eam, dicetur, quòd ædificatio eſt nomen generale ad nouiter fabricare, & adampliare, & reſtaurare ea, q̃ perierant. Sic patet 2. Paral. 14.

A vbi Asa dicitur ædificasse vrbes, quia fecit eis turres & portas: & sic Amri ampliando Samariam, diceretur ædificare eam.

Ad tertium de positione nominis respondebitur, quòd nomẽ habebat prius, quia tamen Amri eã nobilitauit nunc, voluit imponere nouiter nomen. Sed ista responsio non stat, quia si Amri voluisset ponere nomen vrbi, quia ampliabat eam, non posuisset nomen, quod prius habebat, sed aliud: quia imponere nomen, quod prius erat, non erat imponere nomen. Item dato quòd vellemus dicere, quòd licèt ipsa vocaretur Samaria prius, quòd cùm nouiter ædificaretur, volebat istud nomen imponere Amri, & videbatur esse nomen nouum, quia imponebatur ciuitati ampliatæ, quæ prius non erat ampliata. Non stat: quia tunc diceretur, quòd imposuit Amri nomen ciuitati ex nomine, quod prius habebat: dicitur tamen, quòd imposuit ei nomen de nomine domini mõtis, qui vocabatur Somer: ergo videtur, quòd non ampliabat nũc ciuitatem aliquam Amri, quæ prius vocabatur Samaria: sed nouiter ædificauit, cùm posuerit nomen vrbis de nomine domini montis.

Dicendum ergo videtur secundùm aliam positionem, scilicet, quòd fuisset aliqua ciuitas ab antiquo, quæ vocaretur Samaria, de qua erat Propheta senex tempore Ieroboam: & illa ciuitas non erat, quam ampliauit Amri, sed ipse nouiter ædificauit ciuitatem in monte illo: quia fortè vidit montem illum esse difficilem ad expugnãdum: ideo voluit ibi construere vrbem, & illam nominauit Samariam à volũtate; quia nullus locus ibi prius fuerat, cuius nomen nunc reseruaretur. Et secundùm hoc patet solutio ad argumenta.

Ad primum dicendum, quòd emit Amri montem ad ædificandum ciuitatem, eo quòd ille mons pertinebat ad personas priuatas, cùm non esset ibi ciuitas, vel aliquod ædificium publicum: ideo ad hoc, quòd noua ciuitas ibi ædificaretur, oportuit emi montem; & nouiter ciuitas constructa est.

Ad secundum concedendum, quòd ista ciuitas fuit constructa nouiter, & non ampliata: tamen non sequitur ex hoc, quòd non esset ante hoc aliqua ciuitas Samaria: quia alia poterat esse ædificata ab antiquo, & ista videtur esse, de qua habetur Iosue 19. & vocatur ibi Semeron, & eadem ponitur Iosue 11. & erat ciuitas regalis: nam de ea venit rex ad pugnandum contra Iosue: fuit autem ista ciuitas in sorte Issachar, Iosue 19.

Ad tertium dicendum, quòd Amri posuit nomẽ nouum huic vrbi, eo quòd non præfuerat ibi aliqua vrbs, cuius nomen reseruaretur in ista: & ob hoc voluit imponere nomen vrbi de nomine eius, qui vendidit montem ad ædificandam vrbem ibi, & ista positio videtur esse verior, & nimis concordans literæ. *Fecit autem Amri malum in conspectu Domini.* Id est, fecit malum, quod Deus iudicabat esse malum, scilicet, quòd coluit idola, & hoc Deus detestatur. Vel dicitur in conspectu Domini, quia vbicunque homo stet, vel bonum agat, aut malum, dicitur stare, aut facere illud coram Deo. Sic dixit Elias infra 18. Viuit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto, scilicet, quia vbicunque erat, coram Deo erat. *Et operatus est nequiter super omnes, qui fuerant ante eum.* Iste fuit rex pessimus, & filius suus Achab etiam valde malus.

An Amri peior fuerit omnibus regibus præcedentibus.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR quomodo dicitur, quòd Amri fuit peior omnibus regibus præcedentibus: nam Ieroboam peior fuit omnibus, qui idololatriam nouiter instituit in Israël, & fecit Israëlitas recedere à cultu Dei.

Respondendum, quòd Amri fuit peior omnibus regibus præcedentibus, & hoc in idololatria, non quidem intensiuè, sed extensiuè, scilicet cæteris paribus, grauius erat peccatum in Ieroboam colere idola, quàm in Amri; eo quòd ille fuit princeps idololatriæ. Etiam quia ille primus inter omnes reges Israël coëgit Israëlitas ad colendum idola: & tamen peccauit Amri in pluribus, quia fortè inuenit plura genera cæremoniarum, & dedit maiores honores idolis, & multiplicauit altaria, & templa. Sic enim dicitur supra de Baasa, quòd ipse fuit peior præcedentibus, & istud non fuit in idololatria, sed in tyrannide: quia præter idololatriam, in qua similabatur a-

B

C

lijs regibus, occidit Iehu Prophetam, vt patet supra. *Ambulauitq; in omni via Ieroboam filij Nabat.* Scilicet, coluit idola per omnes modos, quibus coluerat Ieroboam. *Et in peccatis eius, quibus peccare fecerat Israël* Scilicet, induxit, vel coëgit populum ad colẽdum idola, sicut coëgerat Ieroboam: & hoc quia fortè non permittebat populum ire in Ierusalem ad templũ. *Vt irritaret Dominum Deum Israël in vanitatibus suis.* Scilicet, Amri irritauit, vel prouocauit Deum ad iram per vanitates suas, id est per cæremonias idolorum, quæ vocantur vanitates, quia nihil prosunt colentibus. *Reliqua autem sermonum Amri.* Scilicet, omnia alia opera eius in particulari. *Et prælia eius, quæ gessit.* Ista sunt prælia, quæ egit contra Zambri, obsidendo eum in Thersa, quousque compulit eum se in flammas dare. Etiam erant ista bella, quæ gessit cum Thebni, qui etiam fuerat electus in Regem à quadam parte populi, & durauit pugna inter eos per tres, vel quatuor annos, vt patet supra. Ista omnia scripta fuerant in gestis Amri. *Nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israël?* Quasi dicat, ibi scripta sunt, quia omnia gesta particularia regum Israël ibi scribebantur. *Et dormiuit Amri cum patribus suis.* Scilicet, mortuus est morte naturali, sicut patres sui.

Et sepultus est in Samaria. Iste fuit primus regum sepultorum in Samaria, quia ipse condidit eam; & sepultus fuit ibi, quia ibi erat iam sedes regni. Et quia ante hoc sedes regni erat in Thersa, omnes reges debebãt ibi sepeliri, & sepulti sunt illi, qui morte naturali obierunt, scilicet, Ieroboam, & Baasa: Nadab autem, & Ela, & Zambri fuerunt reges, tamen caruerunt sepulchris, quia duo primi à canibus, & auibus lacerati sunt: Zambri autem in flammas se iniecit. Ex hoc autem tempore reges Israël regnauerunt in Samaria, & ibi sepeliebantur. *Regnauitq; Achab filius eius pro eo.* Iste verò communi consensu regni factus est rex: quia nullus erat hostis, vel cõpetitor regni. *Achab verò.* Hic ponitur de regno Achab: & diuiditur in duo, scilicet in partem principalem, & incidẽtalem: secunda ibi, *In diebus eius.* Circa primum dicitur.

Achab verò filius Amri regnauit super Israël. Scilicet, mortuo patre suo Amri. *Anno trigesimo octauo Asa regis Iuda.* Debet intelligi, quòd cœperit regnare in fine istius anni 38. sicut supra declaratum est: quia aliàs non posset assignari, quomodo regnauisset Amri duodecim annis, vt supra declaratum est. Iste fuit vltimus rex Israël, qui regnauit tempore Asa. & sic fuerũt septem reges Israël, dum regnauit Asa, scilicet Ieroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab: *Et regnauit Achab filius Amri super Israël in Samaria viginti duobus annis.* Iam iste non regnauit in Thersa, sicut prædecessores sui, eo quòd pater suus Amri transtulerat sedem regni de Thersa in Samariam, vt dictum est supra. Regnauit autem Achab tribus annis, dum viueret Asa rex Iudæ, scilicet à principio 39. anni eius, vel fine 38. vsque ad finem 41. cùm mortuus est Asa: reliquis autem decem & nouem annis regnauit, regnante Iosaphat in Iuda. *Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini.* Scilicet, fecit multum de idololatria, quia multiplicauit templa idolorum, & hoc displicuit in conspectu Dei. *Super omnes qui fuerũt ante eum.* Scilicet, fuit peior omnibus regibus præcedentibus: quia hic solùm comparatur rex ad reges, sed ad personas priuatas non comparatur.

D

E

F

Achab an fuerit peior omnibus præcedentibus.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR, quomodo dicitur, quòd fuit Achab peior omnibus: quia si accipiatur malitia quantum ad idolatriam, peior fuit Ieroboam omnibus, eo quòd ipse fuit princeps, & primus introductor idololatriæ in Israël: si autẽ accipiatur quantum ad tyrannidem, videtur, quòd Baasa fuerit peior: quia ipse fuit idololatra, & etiam occidit Iehu Prophetam increpantem se, vt patet supra in litera.

Respondendum, quòd fuit Achab peior omnibus regibus præcedentibus, & hoc tam in idololatria, quàm in tyrannide. De idololatria dicendum, quòd fuit peior omnibus regibus, nõ quidem intensiuè: nam Ieroboam peccauit in hoc plus quàm omnes: quia ipse fuit princeps in idololatria: sed fuit Achab magis peccãs extensiuè, eo quòd peccauit in pluribus, scilicet quia auxit cultum idolorum, inducendo plures

Amri mortuus est morte naturali.

De regno Achab.

cære-

A

cæremonias,& faciendo maiorem honorem idolis,& faciendo templa multa per terram ſuam. Nam ipſe fecit prius templum Baal in Samaria, vt patet in litera. Etiam ſuper hoc accepit in vxorem Iezabel filiam regis Sidoniorum, quæ induxit illum ad maximam idololatriam, vt patet in litera. Peccauit etiam tyrannide plus quàm præcedentes reges: quia ipſe fecit occidi Naboth, quia noluit ei dare vineam ſuam, infra 21. Etiam ipſe fecit ſuaſione vxoris ſuæ, quòd occiderentur omnes prophetæ Domini, intantùm quod nõ videbatur manere aliquis de prophetis Domini, niſi Elias. Vnde ipſe dixit ad Deum, altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus ſum ego ſolus, & quærunt animã meam, infra 19. Peccauit igitur Achab magis in idololatria, quã Ieroboam propter multitudinem cultus idolorũ. Et peccauit plus quàm Baaſa in tyrannide, quia ille vnicum prophetam occidit, vt quidam volunt, ſed etiam iſtud eſt falſum: iſte autẽ multos, & ſic peior fuit omnibus regibus præcedẽtibus eum, quantum ad omnem modum. Apparet etiam hoc: quia alij reges præcedentes peccauerunt, & Deus prænunciauit mala futura illis, & progeniei ſuæ, vt patet de Ieroboam ſupra 14. & de Baaſa ſupra in litera: & tamen nunquam iuſſum eſt alicui, quod deleret progeniem illorum regum: de Achab autẽ iuſſum eſt, quia Deus iuſſit ſpecialiter Ichu, quod deleret totam progeniem Achab, & ad hoc ſolùm fecit eum regem, ſequenti lib. cap. 9. Et quia benè ſe habuit in hoc, dixit ei, quòd

B

quamquam malus eſſet, filij ſui regnarent vſque ad quartam generationem, ſequenti lib. c. 10. ergo iſte rex magis peccauit, quàm cæteri. Ad ſignificandam autem magnitudinem peccatorum ſuorum dicitur hic, quòd non ſuffecit ei, vt ambularet in peccatis Ieroboam: ſed inſuper duxit in vxorem Iezabel filiam regis Sidoniorum: & non dicitur hoc ad aggrauandum peccata alicuius regis: ergo fuit peior omnibus. *Nec ſuffecit ei, vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat.* Quaſi dicat, licèt colendo idola, vt coluit Ieroboam, peccaret, tamen non excedebat menſuram aliorum regum Iſraël, quia omnes coluerant idola, ſed addidit alia peccata. *Inſuper duxit vxorem Iezabel filiam Ethbaal regis Sidoniorum.* Scilicet, ſuper omnia peccata, quæ fecerant reges priores in Iſraël, iſte addidit, quod acceperit filiam regis Sidoniorum in vxorem.

An peccauerit Achab ducendo Iezabel in vxorem, & quare hoc tantum aggrauatur.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR, an peccauerit Achab, ducendo in vxorem Iezabel. Aliquis dicet, quòd non: quia Achab erat idololatra, & per hoc receſſerat à lege Dei omnino: ideo faciendo contra alia præcepta, nõ videbatur peccare. Sic fuit declaratum ſupra 12. de Ieroboam, quòd cùm ipſe coleret vitulos aureos, & feciſſet ſacerdotes de popularibus, & nõ de ſtirpe Aaron: etiam ſi lex hoc prohiberet, non magis peccabat, faciendo ſacerdotes de populo, quàm de ſtirpe Aaron: ergo ita hic, quamquam acciperet Achab vxorem de alienigenis, quod erat contra legem, non magis peccaret, quàm accipiendo vxorem de filiabus Iſraël. Reſpondendum, quòd peccauit Achab, accipiendo Iezabel in vxorem. Primò patet, quia litera dicit, quòd non ſuffecit Achab ambulare in peccatis Ieroboam: ſed inſuper duxit Iezabel in vxorem: ergo iſtud erat peccatum nouum. Secundò patet, quia contra legem erat, quòd filij Iſraël acciperent vxores de alienigenis, qui erant de terra Chananæorum. Exodi 34. Deut. 7. Sidonij tamen erant de terra iſta: ideo nõ licebat Iſraëlitis accipere vxores de filiabus eorum. Tertiò patet, quia ſupra 11. ponitur inter peccata Salomonis, quod ipſe acceperit vxorem de terra Sidoniorũ: ergo peccatum erat accipere de illis.

C

Peccauit Achab accipiẽdo Iezabel in vxorẽ.

Ad rationem in contrarium dicendum, quòd omnes Iſraëlitæ obligabantur ad legem Moyſi obſeruandam completè: ideo dato, quòd peccarent contra vnum præceptum, manerent obligati ad ſeruandum omnia alia: alioquin daretur abſurdum, ſcilicet, quòd per vnicum peccatum liberaretur homo à poteſtate legis, & poſtea quodcunq; faceret, ſiue bonum, ſiue malum, nõ eſſet peccatum: & ſic ſequeretur, quòd homo non poſſet peccare, niſi ſemel ſi de peccato non pœniteret: etiam ſequeretur, quòd melior eſſet conditio peccatorum, quàm obſeruantium legem, cùm non obſeruãtes eſſent obligati, & peccatores ſoluti ab obligatione. Sed hæc omnia ſunt abſurdiſſima. Si autem dicas, quòd peccator manet obligatus ad vitam, ſequetur quòd dato, quod peccauerit cõtra vnum præceptum, peccabit contra alia, quandocunq; egerit contra ipſa, quia agere cõtra obligationem peccatum eſt: ſed Achab peccauerat contra legem vetantem idola: ergo ſi duceret vxorẽ alienigenã, cùm iſtud eſſet contra aliud præceptũ legis, peccaret. Simile patet de Salomone, qui peccauit in idolatria, & accepit vxores de Idumæis, Ammonitis & Sidonijs, & increpatur ibi de vtroque: ergo propter vnum peccatum non tollebatur aliud; & ſic eſſet de Achab.

D

Ad rationem in contrarium dicendum, quòd Ieroboam colendo vitulos aureos, non magis peccabat accipiendo ſacerdotes de populo, quàm de filijs Aaron, eo quòd illa lex data erat de cultu Dei, quòd nullus ſacerdos eſſet in altari Domini, niſi filij Aaron: Ieroboam autem non colebat Deum, ſed vitulos: ideo non agebat contra legem Dei, accipiendo ſacerdotes de populo, ſi tamen Ieroboam coleret idola, & etiam coleret Deum, obſeruando cæremonias legis, & pro ſacrificijs Dei poneret ſacerdotes de populo, peccaret: ita hic peccabat Achab accipiendo vxorem de alienigenis, licèt coleret idola, quia per illud non abſoluebatur ab obligatione legis.

E

Quare aggrauatur hoc peccatum Achab tantùm, quòd duxerit in vxorem Iezabel.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quare tantùm aggrauatur hic peccatum Achab, in eo quòd duxit Iezabel in vxorem: nam licet accipere vxorem de alienigenis peccatum eſſet, tamen alia valde maiora peccata fecit Achab, in comparatione quorum iſtud quaſi nullum erat: ideo videtur, quòd non debebat fieri mentio de illo.

Reſpondendum, quòd Achab peccauit ducendo Iezabel in vxorem, vt ſupra declaratum eſt: ſed non ponitur hic propter hoc, quòd peccauit ducẽdo illam, ſed propter mala quæ inde ſecuta ſunt. Nam Iezabel fuit impijſſima mulier, quę induxit Achab ad faciendum omnia peccata, quæ fecit, & ſi illa non fuiſſet, non eſſet Achab famoſus peccator inter omnes reges Iſraël: nam ipſa impulit eum ad idololatriam, quia ipſa colebat Baal Deum Sidoniorum, & fecit quòd Achab ædificaret ei templum, & faceret lucum in Samaria, quod non fecerant alij reges. Etiam ipſa multiplicauit cæremonias idolorum, intantum quòd habebat quadringentos prophetas Baal, ad extollendum valde cultum eius: hos occidit poſtea Elias manu ſua in torrente Ciſon, infra decimo octauo: Induxit quoque Achab ad tyrannidem maximam: nam ipſa fecit, quòd lapidaretur vir innocens Naboth, diſpoſitis contra eum falſis teſtibus, & iudicibus corruptis, infra vigeſimo primo. Etiam ipſa fecit, quòd occiderentur omnes Prophetæ Domini, qui reperiebantur in terra, & cùm occidiſſet multos, Abdias diſpenſator regis accepit centum prophetas de ore gladij, & clam tenuit illos in ſpeluncis duabus, & ibi dabat eis cibos, infra 18. Putauit autem Iezabel, quòd nullum prophetam Domini reliquerat in terra præter Eliam, qui fugerat. Sic etiam putabat Elias: vnde dixit ad Deum, Altaria tua ſuffoderunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus ſum ſolus, & quærunt animam meam, vt auferant eam. Item Iezabel fecit, quòd omnes de terra Iſraël compellerentur adorare Baal, & quicunque non adorabat, occidebatur. Vnde putauit Elias, quòd omnes cultores Dei occiſi erant: Deus autem dixit ad eum, Dereliqui mihi in Iſraël ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt curuata ante Baal. Nullus igitur rex Iſraël tam atrocia tormenta exercuit in cultores Dei, ſicut Iezabel vxor Achab: ideo quia ipſa induxit eũ ad omnia peccata, aggrauatur hic nimis peccatum Achab, q̃ acceperit Iezabel in vxorem.

Mala mulier eſt cauſa omniũ malorum.

F

Et abÿt, & ſeruiuit Baal. Scilicet, Achab ſeruiuit idolo Baal: nam præter vitulos aureos, quos ſolùm coluerat Ieroboam, & communiter reges præcedentes; de nouo introductus eſt cultus Baal ad ſuaſionem Iezabel. *Et adorauit eum.* Scilicet, inclinando genua, & humiliando caput.

A

Et posuit Aram Baal in templo Baal. Istud templum fecit Achab suadente Iezabel,& fecit ibi aram, id est, altare Baal, in quo offerrentur sacrificia illi idolo.

Quod ædificauerat in Samaria. Id est,istud templum ædificatum fuerat in Samaria per regem Achab, postquam susceptt Iezabel in vxorem.

Et plantauit lucum. Scilicet, apud templum Baal plantauit Achab lucum, id est multitudinem arborum condensarum, vt esset ibi parum luminis:& istud erat ad vacandum libidini secundùm ritum sacrificiorum gentilium,& maximè in sacrificijs Priapi,de quibus præced.c.declaratum est.

Et addidit Achab in opere suo. Id est,addidit cęremonias multas,& magnitudinem honoris plus quàm alij Reges. Et istud totum fuit ad obseruandum consuetudinem Sidoniorum in cultu deorum suorum, de quibus Iezabel originem trahebat.

Irritans Dominum Deum Israël. Id est, prouocàs ad iram per opera sua mala.

Super omnes reges Israël,qui fuerant ante eum. Id est,plus quã omnes Reges Israël. Istud intelligendum est in addendo nouas cæremonias, vt dicitur hic,scilicet,addidit Achab in opere suo.Peccauit etiam Achab,quia compulit Israëlitas flectere genua coram Baal, & quòd osculārentur singuli manum illius idoli. Quicunque autem nolebat flectere genua,& osculari manum,occidebatur:ideo omnes zelatores legis Dei,occidebantur, alij autem fugiebant, & abscondebantur: ideo putauit Elias, quòd nullus mansisset in terra de cultoribus Dei, & Deus dixit:Dereliqui mihi in Israël septem millia virorum,quorum genua non sunt incuruata Baal, & omne os, quod non adorauit eum osculans manum, infra 19.id est, istli septem millia virorum nec inclinauerunt genua coram Baal, nec osculati sunt manum eius.

B

Ædificatio Iericho.

In diebus eius. Hic ponitur pars incidentalis,scil.de ędificatione vrbis Iericho, quæ fuit tempore huius. Et dicitur:*In diebus eius.* Scilicet, in diebus Achab facta est ista ædificatio: non tamen constat,an fuerit ante cætera, quæ sequuntur de temporibus Achab, vel fuerit inter illa. Satis tamen dicendũ est,quòd quamquam fuerit inter alia gesta Achab, quæ narrantur infra,tamen debuit poni ante cætera:quia omnia ista, quæ sequuntur, sunt gesta ipsius Achab : Istud autem non est de historia eius, sed aliquid quod factum est in diebus suis.

Ædificauit Hiel de Bethel Iericho. Iste Hiel erat vir quidam habitator vrbis Bethel,& ipse ædificauit Iericho:nam Iericho fuerat destructa per Iosue,& Israëlitas, & posita est maledictio,si quis ædificaret eam, Ios.6. Nunc aũt Hiel qui erat de Bethel ædificauit illam:erat autem Bethel circa Iericho : nam vtraq; ponitur in sorte Beniamin,& vna apud aliam, Iosue decimooctauo,& ille videns territorium Iericho esse conueniens ad habitationem,cùm esset terra valde fructifera,desiderauit ædificare locum illum,& ædificauit. Quòd autem esset conuenientis habitationis,patet sequenti libro, capitulo secundo, vbi dicitur, quòd Iericho erat locus valde fertilis, & tamen habebat aquam malam : ideo filij prophetarum venerunt ad Elisæum,vt sanaret aquam illam,& ipse sanauit eam,mittendo sal in aquam.

C

In Abiram primitiuo suo fundauit eam. Id est, quando fundamenta vrbis posuit, mortuus est primogenitus suus Abiram. *Et in Segub nouissimo suo posuit portas eius.* Id est, quando posuit portas ciuitatis,iam completo toto ædificio, mortuus est Segub vltimus filiorum eius. *Iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Iosue filij Nun.* Id est, factum est hoc, vt compleretur verbum Domini, quod locutus fuerat per Iosue : nam Iosue posuit maledictionem super ædificantem vrbem Iericho,dicens : Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Iericho:in primogenito suo fundamenta illius iaciat, & in nouissimo liberorum ponat portas eius,Iosue 6. & sic mortui sunt omnes filij Hiel, primogenitus quidem quando cœpit ædificare, omnes autem alij dum continuaretur ædificium : vltimus autem mortuus est, completa ciuitate,quando ponebantur portæ.

D

An filij Hiel moriebantur violenter in pœnam peccati patris, vel naturaliter morituri essent, etiam si pater non ædificasset Iericho.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR de istis filijs Hiel, an moriebantur naturaliter,scil.quia aliàs sic morerentur,etiam si pater eorũ non ædificaret Iericho,aut moriebantur violenter.

Respondendum,quòd moriebantur violenter. Quod patet, quia isti moriebantur in pœnam peccati patris sui : ergo violenter,quia aliàs morituri essent,etiam patre non peccante,non magis puniretur Hiel,quòd peccaret,quàm quod nõ peccaret.Sed istud falsum est. Item patet,quia mors naturalis non datur homini in pœnam,nisi peccati originalis : ideo oportet,quod omnes descendentes de Adam moriantur: imò vt propriè dicamus,non est mors pœna pro peccato originali,sed pro deriuatione ab Adam,siue contrahamus, per deriuationem illam,peccatum originale, siue non,quia tunc,qui non contraxerunt peccatum originale, non obligarentur ad mortem,& tamen obligati sunt, vt de beata Virgine (simile in Paradoxis,Para.1.c.21.)quæ non contraxit originale, & tamen subiacuit legi moriendi.Et si quis dicat,quod contraxit originale,& tamen purgata est postea, non curo contendere: saltem tamen de Christo, qui cõceptus est de Spiritu sancto patet, quod non contraxit originale:& tamen ipse ex conditione humanitatis subiacuit necessitati moriendi, ad Heb.9. scilicet, Christus oblatus est semel ad destructionem peccati per hostiam, quemadmodum statutum est hominibus semel mori, id est, ipse mortuus est, sicut statutum est de quolibet homine,quod moriatur semel : ergo ipse fuit similis alijs hominibus in hac necessitate moriendi. Et sic dicendum,quòd mors naturalis nulli datur in pœnam alicuius peccati commissi ab eo,sed data est Hiel in pœnam peccati sui,quòd morerentur filij eius : ergo non fuerunt mortui morte naturali. Quòd autem mortui fuerint in maledictionem patet, quia dicitur in litera, quòd mortui sunt primus, & nouissimus de filijs eius,& omnes alij intermedij,iuxta verbũ Iosue: & istud fuit verbum maledictionis, vt patet Iosue 6. ergo in pœnam peccati mortui sunt.Item patet,quia primogenitus suus mortuus est in fundatione operis, & vltimus in ponendo portas, & alij in medio, vt patet hic. Et isto modo imprecatus fuerat Iosue,allegato ca.ergo apparet quod ex maledictione proueniebat illa mors: quia alias difficile videbatur, quòd omnia sic euenirent,sicut prædixerat Iosue.Hoc autem dato necesse erat, quòd mors illorum filiorum Hiel esset violenta; quam non erant aliàs habituri, sed habuerunt propter peccatũ patris:& fortè modus mortis erat, quia Deus immittebat pestẽ super filios Hiel, & subitò moriebatur ille, qui moriturus erat secundùm ordinem natiuitatis : ita vt primus moreretur incœpto opere, & omnes alij successiuè continuando opus, & vltimus in positione portarum. Vel fortè faciebat Deus; quod morerentur in aliquibus periculis,vt in aqua, vel in igne,aut per manum bestiarum,aut per alia genera mortis violentæ,quæ sine Dei dispositione non accidunt.

Mors naturalis non est pœna peccati.

E

Quomodo poterant isti mori pro peccato patris. Et qui filij occidantur pro peccato patris.

QVÆSTIO XXI.

F

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo isti filij Hiel moriebantur pro peccato patris? Aliquis dicet,quòd istud nõ est nouum : quia peccata patrum puniuntur in filios, vsque ad tertiam,& quartam generationem,Exod. 34. & Num. 14. Sed dicendum, quòd istud est in filijs paruulis, qui sunt tanquam pars patris, & punitis eis, non videtur eis fieri iniuria, vel damnum,sed patri:quia tunc Deus punit filios pro patribus. Quando tamen sunt magni, ita vt per se operentur, & eis per se sine patre possit iniuria,vel damnum infligi,non occiduntur ipsi a Deo loco patris,sic patet Ezechiel.18.vbi dicitur:Quòd si pater fuerit malus, & filius fecerit contraria patris,non occidetur filius pro patre : sed pater solus morietur, & si filius imitatus fuerit peccata patris,morietur sicut pater.

Rece-

A Recedere tamen à peccato patris, vel peccare ſicut pater, non pertinet niſi ad adultum, qui per ſe agit: ideo iſti non occidũtur à Deo pro peccatis patrum: Paruuli autem non poſſunt recedere à peccatis patrum, nec imitari ea: ideo non intelligitur de illis, quòd non occidetur filius pro patre: ſed ſtabit regula generalis quantum ad iſtos, ſcilicet, quòd Deus punit peccata patrum in filios, vſque in tertiam, & quartam generationem.

Dicendum igitur de filijs Hiel, quòd ſi omnes erãt parui, ita quòd non poſſent peccare, poterant occidi pro peccato patris: & tunc nõ erat aliquod dubiũ, quòd fieret eis iniuria, ſicut non fit iniuria manui, vel capiti hominis, quod abſcindatur pro peccato hominis, quia pars eius eſt: ſic enim filius paruulus eſt pars patris, vt patet 5. Ethic. ideo ei non fit iniuria, ſed patri. ſi autem eſſent magni, dicẽdum, quòd Deus nõ occideret ipſos, niſi ipſi mererentur mortem propter peccata ſua, & tunc iuſtè inferretur eis mors, & tamen dicebãtur mori pro peccato paterno: quia quamquam mererentur mortẽ, fortè Deus non intuliſſet eam illis, niſi pro peccato patris, ſicut multi merentur mortem, quibus Deus nõ infligit illam, & dato quòd non mererentur mortem, & pro peccatis ſuis occiderentur à Deo: tamen pro peccato patris erat, quòd ipſe videretur mortem filiorum, de quibus nimis doleret. Sed obijcietur, quòd Deus iuſſit filios Saulis, & nepotes occidi pro peccato Saulis: & iſti erant iam magni, & non conſenſerant, nec adiuuerant Saulem in eo, in quo ipſe peccauerat, præced. lib. c. 21. Dicendum, quòd ibi ad hoc reſponſum eſt.

B

Quomodo Hiel auſus eſt ædificare Iericho.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR quomodo Hiel auſus eſt ædificare Iericho, cùm poſita fuiſſet maledictio mortis filiorum contra ædificatorem.

Reſpõdendum, quòd poterat eſſe propter duo. Primum, quia non veniebat ei in mentem iſta maledictio poſita à Ioſue: nam multi anni erant, quibus poſita erat, ſcilicet, plures, quàm quingenti anni: nam fuit in introitu Iſraëlitarum in terram Chanaan. Secundum erat, quia fortè Hiel non credidit euenturum eſſe, id quod imprecabatur Ioſue, eo quòd nõ fuerat dictum modo prophetico, ſcil. denunciando certiſſimè eſſe futurum, ſed ſolùm imprecando, ſcilicet, orando, ꝙ Deus malediceret, & poneret pœnam, quæ continetur Ioſ. 6. ſuper quemcunq; ædificantem Iericho: dubitabat autẽ Hiel, an Deus exaudiuiſſet ſuper hoc orationem Ioſue, & ſic non credebat, quòd euenturum eſſet ſibi hoc, licèt ædificaret Iecho: Vel fortè Hiel non credidit, quòd quamquã Ioſue prædixiſſet modo prophetico, quòd ideo ſic euenturũ eſſet, quia multi inter Hebræos non credebant Prophetis, ſicut multi inter nos non benè aſſentiunt Euangelio, ſicut dicitur ad Roman. 10. & non benè credunt de promiſſionibus futuræ fœlicitatis. Quòd autem eſſent inter Hebræos aliqui ſic infideles, patet 2. Paral. 20. cùm hortatur Ioſaphat omnes viros Iuda, dicens: Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis, credite Prophetis eius, & cuncta euenient proſpera, & ſic videtur, quòd aliqui non credebant Prophetis, & ad hoc hortabãtur, & ſic eſſet iſte Hiel, ideo non curauit de dicto Ioſue.

C

Quare non ceſſauit ædificare Iericho propter mortem primogeniti.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR vlteriùs, cùm Hiel videret in experientia compleri maledictionem poſitam à Ioſue in eo, cur cõtinuabat ædificiũ, ſcilicet, cùm videret mori primogenitum ſuum in fundatione vrbis, cur continuabat ædificationem eius, quia arguere debebat neceſſario, quòd ſicut incipiebat compleri pars prophetiæ, ita tota compleretur.

Reſpondendum, quòd Hiel fortè non recordatus eſt maledictionis poſitæ, ſicut ſuprà dicebatur, ideo quamquam videret filios morientes, dum ædificaretur vrbs, putabat eſſe propter aliam cauſam, nihil ſuſpicans de maledictione Ioſue. Vel verius dicendum, quòd Hiel ſciebat maledictionem poſitam à Ioſue, tamẽ non credebat ei, ideo quando incœpit cõpleri moriente primogenito, non putauit, quod ideo moreretur, quia ædificabatur vrbs, ſed quòd accidebat à caſu, ſicut aliàs moriturus erat aliquando filius ſuus, dato quòd non ædificaretur Iericho, ſic etiam cùm moriebantur alij credebat, quod non veniebat propter maledictionem. Iſta eſt enim cõditio infidelium hominum, quòd licèt videant ſe percuti à Deo, non credant à Deo fieri, ſed aliàs euenire. Sic enim fuit de Philiſthinis, quãdo arca Dei ducta eſt in terram ipſorum: nam cùm poneretur in templo Dagon, fecit illum cadere ante ſe, & cùm ſacerdotes denuò reſtituiſſent eum in locum ſuum, cecidit ſequenti nocte coram arca, & confractus eſt totus. Deinde ſecuta eſt peſtis magna in vrbis Philiſthinorum, ſcil. quòd in quacunq; vrbe eſſet arca, percutiebantur homines in poſterioribus, & prominebant extales eorum, & multitudo murium ſurgens de terra, mordebat eos in extalibus, & moriebantur. Cùm verò educeretur arca de aliqua vrbe, ceſſabat ibi plaga, & introeunte illa in aliam, incipiebat ibi plaga, quouſque exiret de ea, vt patet ſupra 1. libro, c. 5. & tamen his omnibus factis, quæ manifeſtè à Deo veniebãt propter arcam, adhuc Philiſthini dubitabant, an iſtud eueniſſet à caſu, vel fuiſſent percuſſi à Deo: ideo ad ſciendum hoc, poſuerunt ſignum, ſcilicet, quòd poneretur arca Dei ſuper plauſtrum nouum, & iungerentur illi duæ vaccæ fœtæ habentes vitulos recluſos in domo, & quòd illæ ponerentur cũ plauſtro in via terræ Iſraël, & nemo dirigeret eas, & ſi ipſæ directè procederent in terram Iſraël, tunc crederent ſe à Deo percuſſos: ſi autem non directè procederent, non crederent plagam fuiſſe à Deo, ſed eueniſſe à caſu, ſuprà 1. lib. c. 6. Sic etiam multi alij infideles ſunt, nõ credentes manifeſtis ſignis Dei, & ſic fortè fuit Hiel. Aliter poteſt dici, quòd Hiel fortè credebat ſe percuti à Deo propter ædificationem vrbis, tanto tamẽ deſiderio ferebatur circa ædificationem eius, quòd quamquam percuſſus eſſet à Deo, & tunc doleret quando percuteretur, tamen poſtea indurabat cor ſuum, & procedebat ad opus. Sic enim eſt de hominibus incontinentibus, qui feruntur in libidinem, & alias paſſiones tactus & guſtus, & propter illas increpantur ab alijs, & tunc quando increpantur dolent, & proponunt non redire ad iniuſtas libidines, ne iterum increpentur, & tamen ceſſante increpatione, & redeunte paſſione, mox feruntur in priora delectabilia, potiſſimè ſi delectabilia illa ſint magna, vel iudicentur ab eis magna. Motiuum autem Hiel erat magnum, ſcilicet, larga vbertas, & amœnitas territorij Ierichontini. Nam dicit Ioſephus libro De bello Iudaico, quòd ſicut cæteræ terræ vicinæ viles ſunt, & quaſi ſteriles ſteriles in comparatione terræ Chanaan, ita tota terra Chanaan videtur vilis reſpectu terræ Ierichontinæ. Quamquam igitur occiderentur filij ſui, & tunc doleret, tamen poſtea cupiditate terræ motus, redibat ad opus. Simile fuit de Pharaone, & Ægyptijs, quibus ſæpè Deus dixit per Moyſen, quòd dimitterent Iſraëlitas recedere de terra ſua, & cùm nollent, percutiebantur à Deo plagis grauiſſimis, & tunc quando percutiebantur, veniebant ad Moyſen, quòd oraret Deum plagam auferri, & dimitterentur recedere: ſed cùm ablata eſſet plaga, illicò non permittebant eos recedere. Iſtud autem erat propter cupiditatem magnæ vtilitatis, quã afferebant Iſraëlitæ Ægyptijs ſeruiendo eis: ideo ſuſtinuerunt ſic decem plagas vſque ad mortem omnium primogenitorum, quæ erat plaga grauiſſima, & tunc dimiſerunt eos abire: ſed cùm ceſſauiſſet plaga, & receſſiſſent Iſraëlitæ de terra, dolentes Ægyptij, quòd dimiſiſſent eos recedere, increpuerunt ſeipſos dicentes, quid voluimus facere, vt dimitteremus Iſraël, ne ſeruiret nobis? Exodi decimoquarto, & perſecuti ſunt eos vſque ad mare Rubrum, tantaque eos tenebat cupiditas ſeruitutis Iſraël, vt quamquam nubes obſcuriſſima operuiſſet caſtra eorum, non timuerint media nocte introire per medium maris Rubri, quòd nunquam ſolitum fuerat aperiri, vt perſequerentur Iſraëlitas, & ſic omnes ibi mari concluſi ſunt, & ſubmerſi in profundis aquarum, Exod. 14.

D

E

F

Incõtinentes qũo ferantur in delectabilia tactus.

Vel poteſt dici, quòd Hiel à principio ædificationis non credidit complendam eſſe maledictionẽ Ioſue, poſtea tamen videns mori primogenitum, credidit complendam eſſe, tanto tamen ardore afficiebatur, ad ædificandum terram illam, vt ipſe eſſet dominus eius, quòd præponebat illam filijs, ſicut

multis auariſſimis accidit, qui ſponte filios traderent pro magna copia auri.

Ædificatio Iericho quare hic poſita eſt.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR vlteriùs, ad quid fuit poſitum hic de ædificatione Iericho, quia iſtud non pertinet ad hiſtoriam Achab, ſed eſt incidens temporale?

Reſpondendum, quòd ſacra Scriptura facta eſt ſpiritu prophetico, & eſt ad directionem hominum in Deum, dirigitur autem homo interdum in Deum per amorem, & interdum per timorem: ideo Scriptura ſacra enarrat beneficia, quæ Deus confert hominibus generaliter, vel ſpecialiter ex magna liberalitate ſua, vt per hoc inducamur ad amandum eum, quoniam bonus eſt, & quoniam in ſæculum miſericordia eius, enarrat etiam pœnas, quas Deus hominibus infligit pro tranſgreſſione præceptorum, vt ſic nos timeamus legem tranſgredi, & adhæreamus mandatis Dei, & quoniam in Veteri teſtamento fuit lex magis timoris, quàm amoris, vt declarat Apoſtolus ad Hebr. 13. debuerunt potius in Veteri teſtamento deſcribi pœnæ à Deo inflictæ pro peccatis, quàm beneficia collata pro legis obſeruatione. Et quia iſte Hiel auſus fuerat contra imprecationem Ioſue, qui loquebatur ſpiritu prophetico, ædificare Iericho, Scriptura deſcripſit pœnam ei à Deo inflictam, quia iſtud valde pertinet ad moralem inſtructionem.

Secundum fuit motiuum huius, ad oſtendendum veritatem prophetarum, & quòd Deus valde curet de verbis prophetarum ſuorum: nam plures quàm quingenti anni erant, quibus per Ioſue poſita fuerat maledictio iſta, & nunc cùm Hiel ædificaret Iericho, completa eſt in eo: Etiam hoc proficit contra multos, qui non credebant verbis prophetarum; nunc autem Deus oſtendit verba Ioſue vera eſſe, & alij crederent Prophetis, & timerent agere contra eorum præcepta, vel exhortationes. In alijs autem hiſtorijs regum non ponuntur incidentia temporum, eo quòd illa non proficiunt ad inſtructionem morum, ſicut iſtud. Sunt autem multa alia dubia circa iſtam ædificationẽ Iericho, ſcilicet ſi aliquis deſtructa Iericho ædificaret ibi domum ad manendum, non fabricando aliquam partem murorum, an incurreret in iſtam maledictionem. Secundum eſt, ſi in loco vbi erat ciuitas Iericho, conueniret magnus populus ad habitandum, & non fabricaret aliquos muros, an ſuper omnes habitatores illos veniret iſta maledictio. Tertium eſt, an Hiel ædificando vrbem Iericho peccauerit mortaliter. Quartum eſt, ſi fuiſſent plures ædificatores principales Iericho ſicut fuit vnus, ſcilicet Hiel, an filij omnium ipſorum morerentur. Quintum eſt, an maledictio iſta venire debebat ſuper ædificatores minus principales, ſcilicet ſuper conducticios. Sextum eſt, ſi ædificator principalis Iericho non haberet filium, nec filiam, quomodo compleretur ſuper eum maledictio Ioſue. De his omnibus declaratum eſt ſingillatim, Ioſ. 6.

CAPVT XVII.

Inf. 18. 4. Re. 5. Iac. 5.

ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab, Viuit Dominus Deus Iſraël in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his, ros & pluuia niſi iuxta oris mei verba. Et factum eſt verbum Domini ad eum dicens: Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruisq; præcepi, vt paſcant te ibi.

DESCRIPTIS in præcedentibus his, quæ acciderunt ſub regibus Iſraël tempore Aſa regis Iuda, hic ponitur de his, quæ acciderunt tempore Ioſaphat, qui fuit filius Aſa, & tempore huius fuit quaſi totum regnum Achab ſuper Iſraël, & omnia, quæ ſequuntur ab hoc loco vſque ad finem libri, pertinent ad hiſtoriam regis Achab, cuius hiſtoria extenſius ſcribitur, quàm omnium regum Iſraël præcedentium, vel ſubſequentium, quia Achab malus fuit ſuper omnes Reges, qui præceſſerunt eum, prę̃cedenti capitulo. ideo diligenter Scriptura proſequitur circa ipſum diuinam prouidentiam, eum à malis reuocãdo, vt ſic iuſtitia Dei manifeſtior appareat eum condemnando. Et diuiditur in tria, quia primò reuocatur à malis in ſignis cœleſtibus: ſecundò in victorijs mirabilibus, infra 20. cap. tertiò in diuinis comminationibus, infr. 20. vltra medium, ibi. *Tunc vir quidam.* Prima in duas, quia primò ponitur circa ipſum vnum ſignum datum cœlitùs in terræ exſiccatione, & pluuiarum diminutione: ſecundò in ſacrificiorum Eliæ acceptatione, ſequenti cap. Prima in tres, quia primò ſterilitas terræ à Deo inducitur: ſecundò Elias à coruis paſcitur, ibi. *Et factum eſt.* Tertiò à vidua deuotè ſuſcipitur, ibi. *Surge & vade.*

Ordo hic an ſit mutatus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR, an iſta, quæ habentur hic, ſint continuata ad præcedentia, vel ſit ordo mutatus, & an fuerint facta immediatè, vel interpoſito aliquanto tempore.

Ad primum dicendum, quòd ſi quæratur an fuerint facta poſt ea, quæ habentur præcedenti capit. non referendo ad quamlibet particulam per ſe, ſed ad illud totum ſimul. Dicendum, quòd iſtud fuit poſt illa, quia iſta ſterilitas, quæ hic ponitur, fuit in diebus Achab, vt patet in litera, & tamẽ præcedenti capit. deſcribuntur geſta, & tempora multorum regum Iſraël, qui fuerunt ante Achab, deſcribitur etiam principium regni Achab. Si autem referatur ad quamlibet particulam præcedent. capit. determinatè, tunc eſt dubium, quia ponitur in fine præcedentis cap. de ædificatione Iericho, quæ fuit in diebus Achab, vt ibi patet, & tamen non poteſt patere, an fuerit poſt iſta, vel ante. Nam dato, quòd fuerit poſt iſta, debuit poni à principio, eo quòd omnia, quæ habentur à loco iſto vſque ad finem libri, pertinent ad ipſum Achab, ædificatio autem Iericho nullo modo pertinet ad eum directè, vel indirectè, ſed ſolùm fuit facta temporibus eius: ideo non debuit miſceri geſtis eius tenẽdo ordinem artificialem, ſed per ſe poni debuit.

Ad ſecundum dicendum, quòd de geſtis Achab non poſitum fuit præced. c. aliquod, ſed ſolùm cõuerſatio ſua, quam habuit per totam vitam, ſcilicet quòd coluit idola nimis ſuaſione Iezabel vxoris ſuæ, & quia non conſtat quoto anno regni ſui euenerit iſta ſterilitas, non poteſt dici, an fuerit immediatè poſt præcedentia, vel quanto tempore poſtea fuerit. *Et dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab*, ſcilicet Elias Propheta fuit tempore Achab, & ipſe locutus eſt nunc ad Achab, prænuncians famem futurã in terra. Fuit aũt de habitatoribus Galaad, id eſt habitauit in terra Galaad. Per hoc autẽ colligitur, quòd Elias non fuerit ſacerdos, nec leuita, ſed laicus, quia dicitur quod erat de habitatoribus Galaad, ſed per iſtud nomẽ importantur laici, quia ſi eſſet leuita vel ſacerdos, nominaretur aliquo nomine ſpeciali à progenie ſua, vel à loco per quem ſignificaretur, quod erat ſacerdos, vel leuita, ſicut patet de Ieremia, de quo Ier. 1. dicitur: Verba Ieremiæ filij Helchiæ de ſacerdotibus, qui fuerunt in Anathot. Sic etiã dicitur de Ezechiele c. 1. Factum eſt verbum Domini ad Ezechielẽ filium Buzi ſacerdotem, ſed de Elia dicitur, quod erat de habitatoribus Galaad, per hoc autem nomen importatur communitas vulgi, cùm non ſignet aliquam progeniem, vel dignitatem: ideo ipſe fuit laicus. Nam indifferenter erãt Prophetæ de laicis, vel de ſacerdotibus, imò plures & excellentiores fuerunt Prophetæ de laicis, quàm de ſacerdotibus: rari enim reperiuntur de ſacerdotibus inter eos, quorum ſcripta & memoriam continet ſacra Scriptura.

Quomodo vocatur Elias Thesbites, & de differentia trium Thebarum.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, quomodo vocatur Elias Theſbites. Dicẽdum, q̃ nominatur ſic à loco originis, q̃a locus ſuus vocatur

A catur Thebes,& inde venit nomen patrium,ſcilicet Theſbites,quod eſt denominatiuum. Pro quo ſciendum,quòd licèt in Hebræo vocetur Thebes,vel Theues,& tamen ſecundùm modum latinum debet vocari Thebę Thebarum. Pro quo attendendũ,quod triplices ſunt Thebæ, quædam ſunt Thebæ apud Ægyptios, quæ eſt ciuitas antiquiſſima, & eſt circa Arabiam,& vocatur vulgariter Thebaria. Aliæ ſunt Thebæ Græcorum,& eſt ciuitas quædam florentiſſima in Græcia in prouincia Bæociæ, quas Cadmus filius Agenoris condidit, quando inquirebat ſororẽ ſuam Europam raptã à Ioue, & in præceptis à patre ſuſceperat,ne rediret in patriam,niſi ſororẽ aſportaret, quã deſperans ſe poſſe inuenire, ab inquirendo deſtitit,& ciuitatem Thebarum conſtruxit.Aliæ ſunt Thebę Hebræorũ,& vocantur Thebes,& qa erant tres vrbes diſtinctæ,ne eſſet ambiguitas de eis, facta ſunt tria denominatiua earũ,ſcilicet Thebęus, Thebanus, Theſbites.A Thebis Ægyptiorũ vocãtur Thebæi,& ſic vocatur legio Thebæa, quæ cũ Mauritio Principe venit de Thebis Ægyptiorum in adiutoriũ Maximiani Imperatoris,& occiſi ſunt ab eo apud flumen Rhodanum, quia noluerunt colere idola, vt patet ex vita B. Mauritij.De Thebis Græcorum vocãtur Thebani.De Thebis Hebræorum vocatur Theſbites, & ſic Elias, qui erat de Thebis Hebræorum vocatus eſt Theſbites. Eſt autem oppidum Thebes in terra Galaad: ideo vocatur de habitatoribus Galaad. Eſt autem terra Galaad in ſortib⁹ duarum tribuum,
B & dimidiæ,quæ erant vltra Iordanem ad orientem,Num.32. & medietas terræ Galaad data eſt tribui Gad,& alia medietas dimidiæ tribui Manaſſe, Deut.3. Erat autem oppidum Thebes in ſorte Manaſſe, vel Gad, ſed non patet in qua iſtarum. Iſtud oppidum fuit in quo mortuus eſt Abimelech primus rex Iſraëlitarum. Nam poſtquàm combuſſit,& deſtruxit vrbem Sichem, perrexit ad pugnandum contra oppidũ Thebes, & cùm acceſſiſſet ad expugnandum quandam turrim magnam, in qua totus populus congregatus erat, quædam mulier,iacto deſuper lapide molari,occidit eum,Iud.9. *Viuit Dominus Deus Iſrael.* Modus iurandi eſt,ac ſi diceret, iuro per vitam Dei Iſrael.*In cuius conſpectu ſto.* Iſtud verbum erat frequentatum ab Elia,ſic patet ſeq. cap. cùm dixit,viuit Dominus exercituum ante cuius vultum ſto, & eſt modus ſpecialis loquẽdi, quem ſibi aſſumpſerat, ſicut diuerſi homines varios modos loquendi accipiunt. Et eſt ſenſus,quod Deus videt omnia, vel quòd omnia ſunt aſtantia Deo, ita quod nihil effugit conſpectum eius, vbicunque ſit. *Si erit annis his ros & pluuia.* Ponitur ſi pro non ex modo loquendi, id eſt,quod non erit ros nec pluuia,ſcilicet neutrum iſtorum erit,ad hoc quòd ſit terra omninò ſterilis:nam ſi deficeret pluuia,& eſſet ros abundans, poterant aliquo modo ſuſtentari,& germinare terræ naſcentia.Sic patet Pſal.49. ſcilicet, Si introibunt in requiem meam,id eſt,non introibunt.*Niſi iuxta oris mei verba.*
C Dupliciter poteſt intelligi:Vno modo non erit ros & pluuia, niſi iuxta verba oris mei, id eſt, ſed complebuntur verba oris mei, ſcilicet, quòd non eueniet ros, nec pluuia. Aliter poteſt intelligi, niſi iuxta verba oris mei, id eſt, non veniet ros nec pluuia, quouſq; ego dicam, quòd veniat. Et iſte eſt ſenſus verus: nam propter hoc inquirebat Achab ipſum Eliam veniente ſterilitate, vt loqueretur, & veniret fertilitas.Sic etiam exponit Ioſephus 8. Antiquitatum,dicẽs, quòd Elias dixerit, quòd non veniret imber, quouſque iterum appareret.

Elias an dixerit ad Achab quot annis ceſſaret pluuia.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR,quando dixit Elias ad Achab, quòd non veniret his annis ros nec pluuia, an nominauit ei, quot annis ceſſaret pluuia & ros. Sciendum ad euidentiam huius, quod iſta ſiccitas durauit tribus annis & ſex menſibus,vt patet 1.Iacob.5. Dicendum autem,quòd non dixerit Elias ipſi Achab quanto tempore duratura eſſet ſiccitas,quia dixit,quod non veniet ros nec pluuia, niſi iuxta verba oris mei,id eſt,quouſq; ego dicam,quòd pluat,ſi tamen determinaſſet tẽpus,non dixiſſet niſi iuxta verba oris mei, quia iſtud ſignificabat incertitudinem. Item patet, quia Achab faciebat inquiri eum per omnes terras, vt veniret ad dicendum, quòd plueret,ſi tamen ipſe certificaſſet tempus, in quo non veniret pluuia,non curaret Achab inquirere illum, ſed ſicut videbat,quo illo dicente veniet ſterilitas, ita crederet, quòd duraret toto tempore, quo ipſe prædixerat eam duraturam, & tamen inquiſiuit illum: ergo non determinauit tempus. De inquiſitione patet ſeq.cap. D

Quare ſiccitas iſta venerit,& propter quorum peccata.

QVÆSTIO IIII.

QVÆRETVR, quare venerit iſta ſiccitas prænunciata per Eliam. Dicit Ra.Sal. continuando ad præcedentia, & quaſi quòd incidentaliter venerit, ſcilicet quod ſuprà dictum erat de morte filiorum Hiel propter ædificationem Iericho,& iſtud fuit ſecundùm prophetiam Ioſue, tunc Achab admiratus de completione prophetiæ illius dixit ad Eliam, quod aliquando poterat eſſe verũ dictum diſcipuli & non magiſtri, vel compleri oratio diſcipuli & non magiſtri, & probauit,quia Ioſue fuit diſcipulus Moyſi,& ipſe prænunciauit contra ædificatorem Iericho, quòd morerentur filij eius,& ſic factum eſt,& tamen Moyſes ſæpè dixit, quod ſi Iſraëlitæ declinarent ad idololatriam,Deus daret eis famem & ſterilitatem terræ, & non deſcẽderent pluuiæ de cœlo,Leuit. 26. & Deut.11.& 28.& tamen nunc colebat Iſrael idola,& annuatis tẽporibus coluerat,& tamen non veniebat fames,nec ceſſabãt pluuiæ,& ſic videbatur falſum dictum Moyſi. Tunc E
Elias indignatus, vt non videretur falſum dictum Moyſi,dixit ad Achab, Viuit Dominus,quod non erit ros nec pluuia annis his niſi iuxta verba oris mei, & tunc ſecuta eſt ſterilitas ad verificationem dicti Moyſi. Sed dicendum,quod iſtud non eſt veriſimile. Primò, quia non eſt veriſimile, quòd Achab loqueretur contra ſeipſum, dicens ſe agere contra legem Moyſi colendo idola, quia illi, qui peccant, occultant peccata ſua, vel diſſimulant ea, ſi non poſſunt occultare, niſi ſint inſani: rex ergo Achab non loqueretur talia ad Eliam. Secundò patet,quia motiuum. Ra. Sa. eſt valdè leue. Nam ipſe dicit iſta ad continuandum iſta, quæ dicuntur hic præcedẽtibus,ſcilicet quòd iſta fames fuerit immediatè poſt ędificationem Iericho & mortem filiorũ Hiel, & ſic quòd ſumpſerit inde originem, ſed iſtud non eſt firmiter dictum, quia multa dicuntur per anticipationem & recapitulationem: aſſumere ergo ſemper cauſam ſequentium ex præcedentibus, non eſt conueniens,& tamen Ra.Sa. vtitur iſto modo continuandi frequẽter.Sic enim ſuprà 2.in fine dicitur de occiſione Semei & ſupr.3.in principio dicit,quod Salomon accepit in vxorẽ filiam Pharaonis.Continuat autẽ Ra.Sa.illa duo capitula dicens, quod Semei erat doctor Salomonis, & prohibebat Salomoni accipere vxorem de Ægyptijs: ideo mox, vt mortuus eſt Semei, accepit Salomon filiam Pharaonis, ſed iſta continuatio eſt ridicula,vt ſuprà 2.declaratum eſt: ita ergo iſta, quæ ſolùm accepit cauſam ex continuatione literæ. F
Tertiò non eſt veriſimile, quòd Elias reſponderet ad verba Achab, dicendo, quòd non eſſet ros nec pluuia, quia non moueretur faciliter Elias ad imprecandum ſiccitatem ſuper terram propter verba ſtulta Achab, potiſſimè, quia neſciret Elias an voluntatis Dei eſſet inducere ſiccitatem ſuper terram: ideo non oraret Elias pœnam ſuper peccatores, cùm Deus videns peccata eorum,miſereretur eis. Quartò & efficaciùs patet,quia dato,quòd Elias oraret,vt veniret ſterilitas ſuper terram propter iſta verba Achab, Deus non exaudiret, quia in iſtis verbis ſolùm peccabat Achab, ideo Deus non puniret totum populum ſiccitate propter verba eius, ſed puniuit,ideò non fuit iſta cauſa. Dicendum igitur,quòd Elias locutus eſt iſta ad Achab,cùm nihil adhuc locutus fuiſſet Achab;ſed miſſus fuit Elias à Domino ad Achab,ad prænunciandum ei ſiccitatem iſtam. Cauſa autem quare venit, fuit cultus idolorum. Nam tempore Achab inualuerat cultus idolorum: Deus tamen ſæpè dixerat,quod propter idola induceret famem ſuper terram, & gladium, & peſtem, & omne malum, Leuit.26.& Deuteron.28. Quòd autem fuerit propter idololatriam patet, quia quando apparuit Elias ipſi Achab poſt tres annos ſterilitatis, dixit ad eum Achab, Tune es ille,qui cõturbas Iſrael?ſcilicet inducendo famẽ ſup Iſrael per verba tua,ſeq.cap.& reſpondit Elias, Non ego tur-

A baui Iſrael,ſed tu, & domus patris tui,qui dereliquiſtis mandata Domini,& ſecuti eſtis Baalim,ſcilicet propter hoc quod tu & domus patris tui dereliquiſtis Dominum, & ſecuti eſtis idola,turbaſtis Iſrael,ſcilicet quia Deus iratus percuſſit Iſrael ſiccitate: ergo videtur, quòd venerit iſta ſiccitas in pœnam idololatriæ,& non ſicut dixit Ra.Sa.

Quare ſiccitas magis inflicta eſt tempore Achab,quàm alterius.

QVÆSTIO V.

VLTERIVS quæretur, cùm tempore aliorum præcedentium regum fuiſſet idololatria multa, quare potiùs tempore Achab, quàm tempore illorum inflicta eſt ſiccitas. Reſpondẽdum,quod fuit propter duo. Primum eſt, quia licèt quilibet illorum regum meruiſſet tempore ſuo induci ſiccitatem magnam, & perire totum populum fame: Deus tamen longanimis & miſericors nimis eſt,nolens infligere pœnam illicò, vt peccamus, expectans conuerſionem noſtram, Iſa.30. ſcilicet, Iccirco expectat nos Deus, vt miſereatur noſtri: cùm autẽ iam Deus magno tempore expectaſſet,& non conuerterentur Iſraëlitæ,ſed augerent iniquitates ſuas de die in diem, percuſſit eos Deus tempore regis huius. Secundum fuit, quia iſte rex meruit potiùs tempore ſuo venire iſtam ſiccitatẽ,quàm meruerint alij reges, eo quod peccata Achab fuerũt maiora peccatis aliorum regum, vt patet præced.cap. Nam ipſe ampliauit cultum idolorum in templis altaribus & cæremonijs,& inſup occidit Prophetas Domini ſuaſione vxoris ſuæ Iezabel, intantum quod non relinquebatur aliquis de Prophetis Domini manifeſtè niſi Elias, vt patet ſequen.cap.cùm dixit Elias, Ego remanſi Propheta Domini ſolus,idem infrà 19. & propter hoc credendum eſt, quòd ira Dei maximè incanduerit contra Achab, & miſerit tempore eius ſiccitatem, & non tempore aliorum regum,qa nullus de regibus præcedentibus Iſrael occidit aliquem Prophetam Domini,niſi Baaſa, qui occidit vnicum, ſcilicet Iehu,vt patet præcedenti cap.Achab autẽ occidit omnes quotquot in terra inuenti ſunt præter Eliam, qui fugit, & præter centum, quos abſcondit Abdias diſpenſator Achab in duabus ſpeluncis,ſeq.cap.

B

An Elias orauerit,vt veniret iſta ſiccitas,vel Deus voluit illam inducere,& an liceat orare,quòd malum veniat ſuper malos.

QVÆSTIO VI.

VLTERIVS quæretur,an iſta ſiccitas venerit ſuper terram orante Elia, vt veniret, vel Deo denunciãte illam per Eliam. Aliquis dicet,quod non orauit Elias,vt veniret,quia orare,quòd malum veniat ſuper malos à Deo peccatum eſt,quia pro omnibus bonũ orandum eſt,cùm omnes tam bonos, quàm malos teneamur diligere ex charitate, & Dominus iubet, quòd miſereamur bonis, & malis,ſicut ipſe pluit ſuper bonos & malos, & facit ſolem ſuum oriri ſuper iuſtos,& peccatores.Matth.5. Item ad eundem non pertinẽt duo oppoſita,ſed ad viros ſanctos pertinet orare tam pro bonis,quàm pro malis, ne Deus percutiat eos: ergo non pertinebit ad eos orare,quòd Deus infligat mala malis.

C

In contrarium videtur,quòd per orationem Eliæ venerit iſta ſiccitas,quia Iacobi cap.vlti.dicit, quod Elias homo erat, & orationem orauit, vt non plueret ſuper terrã, & non pluit annos tres, & menſes ſex: ergo propter orationem ſuam factum eſt.

Reſpondendum, quòd niſi obſtaret auctoritas Iacobi diceremus, quòd Elias nõ oraſſet famem venire ſuper terram, ſed Deus induxit illam propter peccata Iſraëlitarũ, ſed quòd poſteà orauerit, quòd tolleretur illa, & tunc Deus abſtulerit precibus Eliæ, & iſtud ſatis patet ſequenti cap. ſcilicet, quia poſtquàm occidit Prophetas Baal, pronus in terra poſuit faciem ſuam inter genua,& orabat pro pluuia, & iſta reſponſio erat plana,& multum conueniens rationi: ſed vrget auctoritas Iacobi,per quam cõpellimur dicere, quòd orauerit Elias, vt veniret fames.

Dicet ergo aliquis, quod Elias orauit hoc nõ à principio, ſcilicet antequàm Deus denunciaret ei voluntatem ſuam de ſiccitate futura, ſed poſteà orabat, vt id quod Deus per eum prædixerat,compleretur. D

Sed iſtud non ſtat. Primo quia iſta oratio videbatur inutilis, quia orare id quod Deus certiſſimè futurum prædicit, ſtultum eſt,cùm neceſſe ſit illud euenire. Sicut ſi aliquis oraret,quòd cras oriretur Sol,vel quòd moueretur cœlum,quia iſta inſania eſt; cùm nobis etiam non orantibus,neceſſariò eueniant. Elias ergo qui erat vir rationabilis, & Propheta, non oraret inſanè. Secundò patet hoc, quia Elias orans, vt veniret ſiccitas, poſtquàm prænunciata erat; aut putaret neceſſariò euenturam, aut eſſe mutabilem prophetiam, vtpotè ſi dicebatur ſecundùm diſpoſitionem meritorum Iſraëlitarum. Si primo modo, ſtultum erat orare pro eo,quod neceſſarium erat,vt dictum eſt.Si ſecundo modo,poterat Elias orare,vt certiſſimè eueniret id, quod dubium erat, & tamen tunc videretur iniuſtè agere, quia potiùs deberet orare contrarium, ſcilicet,vt non eueniret. Sicut Samuel prædixit regnum auferendum eſſe de domo Saulis, & tamen orabat, vt non auferretur,ſuprà primo libro,cap.15. Sic etiam Ioel prædixit brucum,& locuſtam vaſtaturos terram Iudæ, & tamen poſteà dedit conſilium ad hoc, quòd iſta non euenirent, vt patet Ioel.ſecundo, & ſic incident iſti in id, quod volebant euitare, ſcilicet, quod Elias non oraret iniuſtum. Tertiò patet hoc efficaciùs, quia ſi Elias oraſſet iſtud euenire, poſtquàm Deus prædixerat, dato quòd eueniret, non eueniret propter orationem Eliæ, ſed quia Deus prædixerat, & ſic oratio Eliæ paruæ efficaciæ eſſet,& tamen falſum eſt,quia Iacobi vltimo ſignatur, quòd propter orationem Eliæ iſtud venit, quia probat ibi Iacobus, quod orandum eſt ſemper, eo quod oratio virorum iuſtorum eſt magnæ efficaciæ, & probat dicens, Multum enim valet deprecatio iuſti aſſidua, Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & orationem orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres,& menſes ſex, ergo videtur quod tota efficacia huius ſiccitatis fuit ex oratione Eliæ. Dicendum igitur, quod Elias orauit Dominum,vt non plueret, antequàm Deus denunciaret ei aliquid. Fuit,autem motiuum ſuum,ſcilicet quia Iſraëlitæ erant magni peccatores, & non corrigebantur Deo dante eis proſperã:ideo condolens cæcitati eorum, petiuit vt nõ plueret ſuper terram aliquanto tempore, & ſic cognoſcentes à Deo pœnam inflictam propter iniquitates ſuas,emendarentur,& ſic orauit.Non tamẽ oratione ſua petiuit determinatè quãto tempore non plueret,ſed ſolũ, quòd pluuiæ ceſſarent aliquãto tempore:Deus aũt acceptans orationem eius,qa ad bonum finem erat, & mouebatur ex deſiderio charitatis,reuelauit ei, quòd pluuia & ros ceſſarent aliquanto tempore, fortè tamen non dixit ei quantum eſſet iſtud tempus, ſed ſolùm iuſſit,quòd loqueretur ad Achab, quòd nõ eſſet ros nec pluuia,quouſq; illud denunciaret Elias. Ad rationem primã in contrarium,cum dicitur,quod non eſt petendum malum contra malos,ſed bonũ pro bonis,& malis.Dicendum,quòd regulariter non licebat alicui, nec licet malum orare contra malos, quia omnes, ſiue boni,ſiue mali proximi noſtri ſunt, & tenemur eos diligere ex charitate, eſt tamen malum duplex, ſcilicet quoddam malum culpæ, & aliud malum pœnæ. Primum eſt malum ſimpliciter, ita quod non poteſt eſſe bonum faciendi in vllo caſu, & de iſto dicendum, quod non licet alicui orare, vt alius incidat in peccatum, quia iſtud eſt peccatum in Spiritum ſanctum, & vocatur inuidentia charitatis fraternæ,vel reducitur ad illam. Aliud eſt malum pœnæ,& iſtud interdum eſt malum, inquantum eſt diminutiuũ alicuius boni temporalis,vel qualiſcunque,interdum autem & per accidens eſt malum pœnæ bonum, quia ex eo ſequitur bonum ſpirituale, vel cautela dirigens circa temporalia, quæ magis nobis prodeſt, quàm malum pœnæ inflictæ nocuit:ideo ex hoc ſequitur,quod quandocunque malum pœnæ eſt determinatum ad malum totaliter, ita quòd non poſſit ex eo prouenire aliquod bonum temporale, vel ſpirituale,nunquàm alius licitè poteſt velle, aut orare malum pœnæ pro alio,cùm Iſtud malum non poſſit reduci in bonum:ideo ſequitur, quod non poteſt aliquis licitè deſiderare, vel orare quòd aliquis ſit in inferno, quia licèt illud ſit ſolum malum pœnę,qa tamen iſta pœna non ordinatur ad aliquod bonum ſpiri-

E

F

Nulli licet orare, aut optare malũ culpæ alicui, benè tamẽ malũ pœnæ temporalis ſed non æterna.

A

ſpirituale, vel temporale ipſius puniti, ſed ad ſolã vindictam, quæ in eo exercetur. Peccat ergo mortaliter, qui orat, quòd aliquis ſit in inferno. De pœna autem purgatoria nõ eſt omninò ſimile: ideo dicendum, quod dum aliquis homo viuit, licitum eſt nobis orare, quòd aliquando ille puniatur in purgatorio, non quidem inquantum pœna illa habet aliquam grauitatem, ſed inquantum ille, qui ſuſtinet eam, habet certitudinem vitæ æternę, & iſta certitudo eſt magnum bonum, & quia quamdiù aliquis viuit incertus eſt de vita æterna, vel de morte æterna, licitum eſt orare pro illo, quòd aliquando ſit in purgatorio. Poſtquàm tamen mortuus eſt, non licet orare de illo, vt ſit in purgatorio. Ratio huius eſt, quia pœnæ purgatorij, ſecundùm ſe quoddam malum, & doloroſum eſt, nec poteſt eſſe bona, niſi inquantum dat certitudinem de vita æterna, & tamen poſtquàm aliquis deceſſit, iam habet certitudinem vitæ æternæ, vel mortis æternæ: ideo iam non licet orare pro illo, quòd ſit in purgatorio, quia cauſa propter quam licitum erat iſtud deſiderium, vel oratio, iam ablata eſt, ideo poſtquàm aliquis mortuus eſt, non licet orare pro illo, niſi quòd quieſcat in vita æterna, vel quòd educatur de pœnis purgatorijs ad vitam æternam. Alia ſunt mala pœnæ, quæ accidunt nobis viuentibus, ſiue in rebus noſtris, ſiue in corpore, aut quomodocunque, & iſta ſunt talia, quæ in ſeipſis mala ſunt, inquantum diminuunt perfectionem hominis, & tamen poſſunt eſſe bona per accidens, quia per

B

illa poteſt homo conuerti ad Dominum. Ideo dicendum, quodcunque malum potens accidere homini in vita, poteſt peti ab aliquo viro bono pro alio. Attendendum tamen ad hoc, quod requiritur in tali petitione, vel deſiderio, quòd hoc fiat pro viris malis, ſcilicet vt illis eueniant mala pœnalia, per quæ conuertantur ad Deum. Pro bonis autem nunquàm licet deſiderare mala, niſi ipſi per mala pœnalia interdum efficerentur virtuoſiores, ſicut patet in Abraham, & in Iob. Ratio differntiæ eſt, quia viris malis non ſolùm malum pœnæ eſt vtile ad cõuerſionem, ſed etiam eſt debitum, ſcilicet, quia ipſi merentur puniri, ideo ex his duobus poteſt peti malum pro malis. In bonis autem licèt malum pœnæ eſſet vtile ad augmentum virtutum, tamen malum pœnæ non eſt eis debitũ, ſed potiùs præmium. Secunda cauſa, & principalior eſt, quia in malis conuerſio ad Dominum eſt neceſſaria, ad habendum vitam æternam: in bonis autem augmentum virtutum non eſt neceſſarium ad vitam æternam, ſed ſolùm vtile, ideo licet deſiderare conuerſionem malorum, ſiue per pœnas, ſiue alias, pro bonis autem non licet deſiderare pœnam, cùm ſine illa poſſint habere vitam æternam. Secundum eſt, quod illi, qui petunt, vel deſiderant malum pœnæ pro malis, non deſiderent iſtam pœnam inquantum eſt vindicta peccatorum, vel quia mali ſunt, ſed inquantum eſt occaſio ad conuerſionem eorum, quia puniri malos, inquãtum mali ſunt, vel in vindictam peccatorum,

C

licèt ſecundùm ſe iuſtum ſit, tamen non eſt bonum ipſis malis, qui puniuntur, ideo nõ licet nobis deſiderare ſub iſta ratione, cùm ſolùm nobis liceat deſiderare id, quod bonum eſt proximo, inquantum bonum eſt. Sic autem fuit de Elia, quia Elias ſciebat Iſraëlitas eſſe peccatores, & quia per pœnam à Deo inflictam poterant conuerti, deſiderauit ſiccitatem ſuper eos venire. Sciendum tamen, quòd quanquàm mali poſſint conuerti ad Dominum per pœnas inflictas, quia tamen non ſemper per eas conuertuntur, ſed interdum efficiuntur peiores: meliùs eſt non orare, quòd mala pœnæ veniant eis, quàm orare, quòd veniant. Poſtquàm tamen à Deo inflicta fuerint, nobis non petentibus, non expedit, quòd oremus illas pœnas eis auferri, vel relaxari, niſi videamus eos conuerti, vel credamus, quòd per relaxationem pœnarum conuertentur.

Quod eſt maius peccatum an optare alicui, quòd incidat in peccatum, vel in infernum.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR, quia dictum fuit hic, quod non licebat alicui deſiderare, quòd alius incideret in peccatum, nec quòd puniretur æternaliter, in quo iſtorum magis peccatur. Reſpondendum, quod peccatum aggrauatur ex multis, ſed ad præſens ſolùm dico duo, ſcilicet quòd aliquis peccat magis, quanto maiora mala vult. Secundò quod peccat magis, quanto ex peiori voluntate aliquid vult. Et ſecundùm hoc poteſt de vtroque iſtorum dici, quod eſt peius alio. Nam deſiderare, quòd aliquis incidat in peccatum mortale, ſecundùm ſe peius eſt, quàm deſiderare, quòd puniatur in inferno. Cauſa eſt, quod incidere in peccatum eſt culpa, puniri in inferno eſt pœna, quælibet autem culpa quantumcunq; parua peior eſt, quàm quæcunque pœna quantumcunque magna, qa per quãlibet culpam quantumcunq; paruam Deus offenditur, per nullam autem pœnam quantumcunque magnam, offenditur: ideo maius malum deſiderat pro altero, qui deſiderat, vt incidat in peccatum, quàm qui deſiderat, vt puniatur in inferno. Si tamen conſideretur voluntas deſiderantis, vel orantis, peius eſt deſiderare alteri, quòd ſit in inferno, quàm quòd incidat in peccatũ, eo quòd ex maiori odio deſiderat aliquis alteri mortem æternam, quàm quòd incidat in peccatum. Item ille, qui deſiderat alteri mortem æternam putat ſe maiora mala deſiderare ei, quàm ſi deſideret, quòd incidat in peccatum, & pro maiori vindicta deſiderat. Item licèt abſolutè, vel ſecundùm ſe peius ſit peccatũ mortale, quã mors æterna, & tamen per accidens peior eſt mors æterna, quàm peccatum mortale, quia qui incidit in peccatum mortale, poteſt liberari ab eo, & habere vitam æternam, qui tamen ſemel habet pœnam inferni, nunquàm poteſt ab illa liberari, & ſic iſta peior eſt. Vnde poteſt dici abſolutè, quod

E

magis peccat, qui deſiderat pro altero, vt ſit in inferno, quã qui deſiderat, vt in peccatum mortale alius incidat.

An ſiccitas, quæ venit tempore Achab, fuerit naturalis, vel ſupernaturalis, & an generalis, vel particularis. Et an potuiſſet Aſtrologus etiam cognoſcere.

QVÆSTIO VIII.

VLTERIVS quæretur de iſta ſiccitate, vel ceſſatione pluuiarum, quę venit tempore Achab, an fuerit ſupernaturaliter, vel naturaliter. Aliquis dicet, quod fuit neceſſariò ſupernaturaliter, eo quod ipſa fuit propter peccata Achab, & Iſraëlitarum. Reſpondendum, quòd iſtam ſiccitatem venire ſupernaturaliter poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quod in corporibus cœleſtibus nõ erat diſpoſitio aliqua ad cauſandã ſiccitatem, ſed potiùs eſſent venturæ pluuiæ tẽporibus ſuis, & ꝙ Deus perturbauerit corpora cœleſtia, faciendo ceſſare ab operatione ſua, ſicut dicimus, ꝙ ſupernaturaliter factũ eſt, quòd ſol ſtaret tẽpore Ioſue, vt patet Ioſ. 10. Alio modo poteſt intelligi, ꝙ euenerit ſupnaturaliter, id eſt, quòd ordinata fuerit illa ſiccitas, quã corpora cœleſtia influxura erant in terrã, ad vindictã peccatorum, & iſta ordinatio fuerit facta à cauſa ſupnaturali. Dicendum, ꝙ nõ debet dubitari, quin ipſa ſiccitas ordinata fuerit à Deo ad punitionẽ peccatorũ Iſraëlitarum. Et tamen per quem modum iſtorũ

F

non conſtat: nam vtroq; modo fieri poterat, quia aliquando Deus fecit aliqua ſupernaturaliter ad vindictam malorum, quod erat contra diſpoſitionem corporum cœleſtium, ſicut quòd ſol ſtaret quaſi ſpacio vnius diei tempore Ioſue, ad hoc quòd ipſe poſſet occidere Chananæos, Ioſue 10. & tamen iſtud erat contra conditionem naturæ, id eſt, contra curſum communem: ita ergo poterat fieri, quòd licèt corpora cœleſtia ſecundùm ſe diſpoſita eſſent ad cauſandam abundãtiam pluuiarũ in terra, quòd cauſarent ſiccitatẽ, immò faciliùs erat perturbari corpora cœleſtia in hoc, quã circa motum ſuum, eo quod motus eſt aliqua proprietas magis adhærens corpori cœleſti, quàm efficacia ſuper terram; cùm influentia corporum cœleſtium cauſetur ex motibus, & non è contrario. Sic etiam cuilibet rei propinquior eſt ſua proprietas, quàm ſua operatio, ſi igitur poteſt tolli ꝓprietas, poteſt tolli operatio. Et ſic dicẽdum, quod quocunq; modo iſtorũ poterat induci iſta ſiccitas, & eſſet ad punitionem peccatorum; quia manifeſtum eſt, quod multa naturaliter eueniunt, quæ ſunt ad punitionem peccatorum. Quod patet, quia manifeſtum eſt, quod nullus homo poteſt pati aliquid, niſi pro peccato ſuo, vel alieno, vel quia ipſe ſponte ſe ſubijcit illi pœnæ. Et tamen certum eſt, interdum naturaliter venire peſtem, & fluminum inundationes, & pluuias magnas, & ſiccitates

A

nimias, quæ tamen naturaliter faciũt ipſa corpora cœleſtia, cùm habeant virtutem ad hoc. Si autem dicas, quod iſta mala eueniunt hominibus ſine aliquo peccato, auferetur tota Dei prouidentia, ſcilicet quia nõ dabitur pœna pro vitijs, & præmium pro virtutibus, & iſtud repugnat perfectioni Dei, & ſtatui vniuerſi. Si autẽ dicas, quod iſta mala naturaliter eau ſata, nunquàm eueniunt niſi peccatoribus, tunc aut dices, quod Deus ordinauit illa, ad hoc, quòd eſſent pœnæ peccatorum, aut veniunt ſine ordinatione Dei. Si ſecundum dicas, tolletur prouidentia Dei, quia ad prouidentiam pertinet diſponere de ſingulis rebus, ordinando illas in fines ſuos: oportet ergo, quòd concedantur duo, ſcilicet, quòd omnia iſta mala naturaliter inflicta quibuſcunque eueniunt, propter peccatum eueniunt. Et etiam, quod Deus ordinauit illa ad hoc, quòd euenirent illis, quibus eueniunt, ideo poterat iſta ſiccitas naturaliter euenire, & ordinari à Deo ad punitionẽ peccatorum Iſraëlitarum, & ſic prẽnunciauit illam, quanquã naturaliter eſſet ventura.

Et tunc dicendum, quòd illa ſiccitas, quæ denunciabatur ab Elia, poterat denunciari ab aliquo Aſtrologo. Sed iſta nimis differrent, quia Elias per prophetiam cognoſceret determinatam durationem ſiccitatis : Aſtrologus autem non poterat tantum limitare tempus illud. Etiam poterat cognoſcere Elias alias circunſtantias particulares circa ſiccitatem, ſcilicet in quibus rebus, & in quibus locis, & in quibus magis, & in quibus minùs : Aſtrologus autem non poteſt tam particulariter iſta dicere, quia vt ait Ptolomæus in Centiloquio, propoſitione prima: Aſtrologus non debet denunciare rem particulariter, ſed vniuerſaliter, ſicut qui cognoſcit rem per materiam, & non per formam. Etiam Elias prædixit vnum, quod nõ poterat prædicere aliquis Aſtrologus, ſcilicet non erit ros, nec pluuia his annis, niſi iuxta verba oris mei, id eſt niſi quando ego dixero. Vnde ſi Elias per decem annos non veniret ad denunciandum futuram pluuiam, nõ accideret pluuia in illis, & tamen de Aſtrologo nihil differebat, quòd diceret, vel non diceret pluuiam futuram, quia propter ſuum affirmare, vel negare, loqui aut ſubticere, nihil mutaretur in re. Ratio eſt, quia verba Prophetæ habent poteſtatem, cùm ſint verba Dei: verba autem Aſtrologi nõ habent poteſtatem aliquam.

Sed obijciet aliquis, quòd ſi iſta ſiccitas venit naturaliter, ſequeretur quod etiam ſi non prænunciaret illam Elias, veniret, quod videtur eſſe contra modum prophetiæ. Reſpondendum, quòd iſta ſiccitas naturaliter eueniebat, eueniret etiam ſi non prænunciaret illam Elias, & tamen non ſequeretur ex hoc aliquod inconueniens. Nam ſi ipſe nõn prænunciaſſet, Iſraëlitæ non minùs peccarent, pœna tamen dabatur pro peccato, ideo non ſequebatur aliquod iniuſtum eueniente illa ſiccitate. Sed aliquis dicet, ponamus, quòd poſtquàm Elias prænunciaret Iſraëlitis malum ſiccitatis, conuerterẽtur ipſi à peccatis ſuis, nunquid eueniret ſiccitas? ſi dicatur, quòd eueniret, eſſet inconueniens, quia tunc æqualiter punirentur benè agentes, & malè agentes. Si autem dicas, quòd non eueniret ſiccitas, videtur inconueniens, quia naturaliter ventura erat, naturalia autem non mutantur propter actus noſtros. Dicendum, quòd ſi conuerterentur Iſraëlitæ, non eueniret illa ſiccitas, quanquàm naturaliter ventura eſſet. Et quando dicitur, quòd naturalia non mutantur propter actum noſtrum. Dicendum, quod verum eſt, & tamen Deus mutat illa aliquando propter actus noſtros. Sic patet de Ezechia, qui ægrotabat ad mortem morbo peſtifero, & naturaliter moriturus erat, & Deus prædixit ei, quòd moreretur, tamen quia plorauit ad Dominum, Deut mutauit conditionem naturæ, & dedit ei quindecim annos vitæ, ſequenti libro, cap. vigeſimo. Sic etiam Deus ſuſcitat aliquos mortuos precibus viuorum, & tunc agit ibi ſuper naturam, vel contra illam: ita ergo quanquàm corpora cœleſtia naturaliter diſpoſita eſſent ad cauſandam ſiccitatem, Deus auerteret illam faciendo pluuias multas, quod non poterant facere cœli. Ad rationem in contrarium patet ſolutio ex dictis.

* * *

Deus mutat naturalia propter actũ noſtros

C

B

D

An iſta ſiccitas fuerit ſuper omnes terras, & an peſtis aliqua, ſiue fames, aut aliquod aliud infortunium poſſit eſſe generale in toto orbe.

QVÆSTIO IX.

VLTERIVS quæretur, an iſta ſiccitas fuit ſuper omnes terras. Aliquis dicet, quòd ſic, quia Iacobi vltimo innuitur hoc, cùm dicitur: Elias homo erat ſimilis nobis, & orationem orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex, & hic dicitur, quod orauit, vt non plueret ſuper terram, per quod intelligitur tota terra. Reſpondendum, quòd nõ fuit iſta ſiccitas per totam terram, quia aut fuit iſta ſiccitas inducta ſupernaturaliter, & contra conditionem corporum cœleſtium, aut fuit inducta naturaliter. Si primo modo, manifeſtũ eſt, quòd non eſſet ſuper totam terrã, quia Deus inducebat eam propter peccata Achab, & Iſraëlitarum: ergo nõ induceret eam ſuper totum orbem. Sed aliquis dicet, quod poterat eſſe, quòd induceretur ſuper totum orbem, quia fortè totus orbis peccauerat, cùm omnes eſſent idololatræ, ideo poterat iſta ſiccitas rationabiliter induci in omnibus. Reſpondendum, quod ſatis erat poſſibile, quòd totus orbis declinaſſet tunc ad peccatum, & tamẽ non eſt concedendum, quòd puniretur totus orbis eadem pœna, & æquali, quia nõ contingeret, quod omnes gentes æqualiter peccaſſent, vt æqualiter puniri mererentẽ. Item patet hoc, qa dato, quòd peccaſſent Gẽtes in idololatria, ſicut Iſraëlitæ, Deus non puniret ſic Gentes, vt Iſraëlitas, eo quòd Iſraëlitis dederat legẽ, & nõ Gentilibus, ideo peccata Gentilium magis reſeruabantur punienda in alio ſęculo, quàm punirentur hic. Sic patet Amos 3. cùm loquitur Deus ad Hebræos dicẽs, Tantum modò vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, iccirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. Et ſic videtur innuere, quòd ſuper Gentiles non viſitaret illas. Si autem dicatur, quod venit iſta ſiccitas naturaliter, ſcilicet quòd corpora cœleſtia ex conditione ſua inducebant eam. Dicendum, quod non poterat eſſe generalis in omni terra, quia non poteſt cauſari eodem tempore idem accidens ex corporibus ſupra cœleſtibus influxum in toto orbe. Cuius cauſa eſt, qa, ſiue ſit fames, ſiue peſtis, ſiue vbertas, aut quodcunq; aliud, illud cauſatur ex certa habitudine aſpectus ſtellarum fixarum principaliter, & ſtellarum erraticarum minùs principaliter, & tamen impoſſibile eſt, ad totam terrã in eodem tẽpore eundem eſſe aſpectũ ſtellarum, tam fixarũ, quàm erraticarum: ergo impoſſibile eſt, eundẽ effectum eodẽ tempore cauſari à corporibus ſupra cœleſtibus in tota terra, maximè in terris illis, quæ differunt ſecundùm latitudinem, ſcilicet ad meridiem, & ad aquilonẽ, quia nunquàm cauſantur effectus ſimiles in eodem tempore, nec in diuerſis, ſub polo arctico, & ſub torrida zona. In terris autem, quæ differũt per longitudinem, ſcilicet per differentiam meridianorum, ſcilicet ab oriente in occidentem, poſſunt cauſari ſimiles effectus in diuerſis temporibus, & tamen in eodẽ tempore, eundem effectum in eis, ſi multum vna diſtat ad orientem, & alia ad occidentem, eſt impoſſibile. Si igitur ſiccitas iſta naturaliter euenit, non potuit eſſe eadem in tota terra, & eiſdem tem poribus. Sed obijciet aliquis, quod diluuium fuit vniuerſale, & tamen diluuium cauſatur naturaliter, ſicut ſiccitas, & alia accidentia. Reſpondendum, quòd diluuium illud non fuit cauſatum naturaliter, ſed Deus induxit ipſum. Quod ſatis ſignificatur Gen. 7. cùm dicitur, quod Deus aperuit chataractas cœli, & rupit fontes abyſſi mannæ. Aliter poteſt dici, quod dato quòd concederemus diluuium illud veniſſe naturaliter, non ſequebaẽ contra dicta, qa impoſſibile eſt, quod ſtellæ fixæ, vel erraticæ cauſantes diluuium per directionem ſuam, & aſpectum, habeant aſpectum ad omnem terram, ſed ad aliquam ſolùm, & ſuper illam ſolùm cauſandum erat diluuium, quia tamen aqua non eſt terminabilis termino proprio, ſi corpora cæleſtia cauſent diluuium aquarum ſuper quandam terram, illæ aquę fluent ad omnes terras, cùm terra ſit ex omni parte rotunda: & ſic cauſato diluuio in vna terra, erit per accidens diluuium in omnibus terris, ſi magnitudo aquarum fuerit, quæ poſſit refluere ad omnem terram. Sic patet de alluuionibus fluminũ, quia interdum fiunt alluuiones

Nota Aſtrologę prophetiam de futuris.

E

F

A uiones magnæ in terra,in qua nō pluit propter flumina trāſeuntia per terras illas,in quibus multùm pluit. Quòd autem nō fuerit nunc ſiccitas in tota terra, ſed ſolùm in terra Iſrael, declarant Hiſtoriographi Gentilium, qui ſcripſerunt geſta quorundam regum contemporaneorum ipſi Achab.Sic fuit Menāder,qui in geſtis regis Vnalitorum meminit huius ſiccitatis,faciens mentionem de Iudæis,in his verbis,ſcilicet,Et ſiccitas ſuper eos facta eſt à menſe hyperiberiton vſque ad alium hyperitri,qui dum Deo ſupplicarēt,multa flumina ſunt emiſſa.Hoc etiam refert Ioſeph.8.Antiq.

Ad rationem in contrarium. Dicendum,quod accipitur ibi terra,non pro tota terra indiſtinctè, ſed ſolùm pro tota terra Iſrael. Dixit tamen Iacobus in terra,non determinādo aliquam,quia ipſe quādo loquebatur,erat in iſta terra Iſrael, in qua fuerat fames. Sed adhuc obijcietur, quia Luc.4.dixit Chriſtus,In veritate dico vobis, quòd multæ viduæ erant in Iſrael in diebus Eliæ,quādo clauſum eſt cœlum annis tribus, & menſibus ſex,& facta eſt fames magna in omni terra. Dicendū, quod accipitur omnis terra pro tota terra illa,in quibus erat Chriſtus, ſcilicet in omnibus partibus terræ Iſrael,& in aliquibus locis coniunctis. Sed adhuc obijcietur, quia in Sarepta Sidoniorū erat fames,vt patet hic,& tamen non erat de terra Iſrael. Reſponderi poterat,quod Sarepta erat in terra Iſrael,licèt non poſſideretur ab Iſraëlitis, ſed à Sidonijs. Aliter & meliùs, quòd iſta ſiccitas venit naturaliter ex habi-
B tudine corporum cœleſtium, ideo non ſolùm euenit ſuper terram Iſrael,ſed etiam aliqua loca cōiuncta tetigit, ſed pauca erant, & principalius fuit in terra Iſrael.

Achab quare non poſuit Eliam prophetantem in vinculis.

QVÆSTIO X.

VLTERIVS quæretur, quare Achab nō tenuit Eliam, & poſuit in vinculis, cùm diceret, non eſſe venturam pluuiam nec rorem,quouſque ipſe diceret,cùm poſteà inquiſiuerit eum nimis per omnes terras, ad hoc,quòd iſtud diceret,vt patet ſeq.cap.

Reſpondendum, quod quando Elias dixit iſtud ad Achab,non attendit Achab ad verba Eliæ, ſcilicet curans de illis,putans quòd non ſic euenturum eſſet. Et hoc fuit propter duo.Primum eſt, quia Elias ante hoc nunquàm oſtenſus fuerat, vt Propheta, ſed iſtud fuit primum ſignum,quod oſtendit, ideo non credebatur ei, tanquàm non approbato. Iſtud eſt veriſimile, quia ante hoc non legitur aliqua ſigna feciſſe,aut aliquid propheticè prædixiſſe.

Secundum fuit, quia Deus mouit animum Achab, vt non attenderet nimis ad verba Eliæ, nec curaret tenere eum,quia ſi tenuiſſet illum,cùm inciperet venire ſiccitas,vi-
C dens Achab compleri prophetiam Eliæ,compelleret eum ad dicendum,quòd veniret pluuia,cùm ipſe dixiſſet,quòd non veniret pluuia, niſi iuxta verba oris ſui. Deus autem voluit, quòd ſiccitas duraret ſuper terram magno tempore, ideo fuit neceſſarium,quòd Elias nō teneretur ab Achab, ne verberibus cogeretur ad orandum aliquid, cōtra id,quod Deus diſpoſuerat.

Et factum eſt. Hic ponitur ſecundum, in quo Elias à coruis paſcitur,ſcilicet tempore ſiccitatis,Et dicitur.

Et factum eſt verbum Domini ad eum. Scilicet locutus eſt ei Deus, ſicut loqui ſolet alijs Prophetis, ſiue per apparentiam Angeli loquentis ei,ſiue per vocem ſolam formatam in aëre, non apparente aliqua effigie, ſiue per ſomnium,ſiue per ſolam immutationem intellectus, ſiue per ecſtaſim, quia iſti quinque modi ſunt, quibus Deus conſueuit loqui Prophetis,vt declaratum eſt ſupra decimotertio.

Dicens recede hinc,& vade contra Orientem. Nunc erat Elias in Samaria, quando iſta ſibi dicta ſunt à Deo,poſtquàm ipſe reuelauerat regi Achab ſiccitatem futuram. Et dicitur ad Orientem, id eſt,ad partem orientalem, quia torrens iſte,in quo latuit Elias,erat orientalis reſpectu Samariæ.

*Et abſcondere in torrente Carith.*Scilicet non vageris per terram diſgrediendo per loca, ſed manè abſconditus in torrente,ſcilicet in aliqua ſpelunca apud torrentem.

Qui eſt contra Iordanem. Scilicet torrens iſte eſt à fronte Iordanis, & iuxta illum. Fuit autem miſſus ad iſtum torrentem,quia ibi erat aqua multa. D

Quare iuſſit Deus Eliæ, quòd recederet de Samaria.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quare iuſſit Deus Eliæ, vt recederet de Samaria.Reſpondendum,quod Deus volebat illicò immittere ſuper terrā ſiccitatem, quam prædixerat Elias, & cùm videret Achab ſiccitatem illam, teneret Eliam,& cogeret eum per tormenta ad orandum Deum, vt veniret pluuia:vt ergo non poſſet tenere eum,debuit recedere.

Alia ratio etiam fuit, quia Deus inducturus erat magnam famem ſuper terram, in qua vix haberent homines quid cōederent, & multi fame perirent: Deus autem noluit,quòd Propheta ſuus pateretur pœnā iſtam cum peccatoribus,ideo miſit eum ad locum vbi ſufficienter paſceretur quotidiè pane & carnibus à Deo miſſis.Sed prima ratio efficacior eſt.

Quare Elias non eſt miſſus à Deo ad aliquam ciuitatem, vt aleretur ibi tempore famis potius,quam ad torrentem.

QVÆSTIO XII.

E

VLTERIVS quæretur, quare Elias non miſſus eſt ad aliquam ciuitatem, vt ibi tempore famis paſceretur,ſicut miſſus eſt ad torrentem. Reſpondendum, quòd non decuit,quia tunc aut eſſet iſta ciuitas de terra Iſrael, aut de alia terra. Si primo modo ſequerentur duo inconuenientia. Primum erat, quia in tota terra Iſrael erat fames valida, & vix poſſet in aliqua earum habere cibum. Secundum erat, quia Achab videns veniſſe famem prænunciatam ab Elia, credidit quòd ipſo loquente ceſſaret,ſicut dixerat Elias,ideo inquireret eum diligenter per totam terram Iſrael, ad cogendum eum orare pro auferēda fame. Si autem iret ad aliquam de ciuitatibus aliarum terrarum, ſequeretur, quòd etiam ibi inueniretur,& duceretur ad Achab:nam non fuit aliqua terra in qua non faceret Achab inquiri Eliam, vt patet ſequen. cap.cùm dixit Abdias ad Eliam, Viuit Dominus, quod non eſt gens aut regnum, quò non miſerit Dominus meus,te requirens: & reſpondentibus cunctis, Non eſt hic, adiurauit regna ſingula,& gentes,eo quòd minimè reperireris: debuit igitur eſſe extra loca populata, ad quæ non mitteret Achab, & ſic fuit in torrente Carith, quia ibi non erat populus,ideo quanquàm inquireretur Elias per omnem terram, non inquireretur ibi.

Quare non eſt potiùs miſſus ad Iordanem quàm ad torrentem.

F

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR vlteriùs,quare Elias miſſus eſt ad torrentem Carith,& non magis ad Iordanem,quia Deus mittebat Eliam ad torrentem illum, vt biberet de aqua torrentis, & tamen aqua illa defecit poſt aliquot dies, vt patet in litera,aqua autem Iordanis non defecit, quia ille erat maximus fluminum in tota terra Iſrael, ideo magis mitti debebat ad Iordanem. Reſpondendum, quod Deus volebat, quòd Elias non inueniretur, quanquàm ſolicitè inquireretur. Si autem iret apud Iordanem fortè inueniretur, & hoc quia fortè non erat ibi tale latibulum, ſicut apud torrentem Carith,& cùm nuncij Achab diſcurrerent per totam terram reperirent eum apud Iordanem,ſi ibi eſſet: nam & apud torrentem Carith inueniretur,niſi diligenter lateret,ideo Deus dixit ei, Abſcondere in torrente Carith, ſcilicet in ſpelunca aliqua,quæ eſſet apud torrentem.

Secunda cauſa fuit, quia Iordanis erat fluuius famoſiſſimus in tota terra Iſrael,ideo & Achab,poſtquàm inquiſiuiſſet Eliam in omnibus vrbibus & oppidis, & non inueniſſet, faceret eum inquiri apud Iordanem,putans quòd fortè propter abundantiam aquarum, & amœnitatem ripæ Iordanis, illuc declinaſſet, torrens autem Carith nō erat famoſus,ideo non iuberet ibi inquiri Eliam.

A Tertia causa est, quia fortè torrens Carith erat in locis valdè desertis terræ Israel, loca autem in ripa Iordanis erant valdè habitata propter amœnitatem aquarum, ideo poterat latere conuenienter in torrente Carith, & non apud Iordanē.

Quarta causa, & efficacior est, quia Iordanis erat fluuius magnus, in quo nunquā deficiebant aquæ, ideo propter humorem aquarum erant aliquæ herbæ in circuitu fluminis, & ad saluandum pecora saltem, & propter aquam, quæ non habebatur in alijs locis, declinabāt Israëlitæ ad Iordanem, & sic tota ripa Iordanis erat plena viris, & non posset ibi latere Elias; sic patet seq. cap. cùm dixit Achab ad Abdiam dispensatorem suum, Vade in terram ad vniuersos fontes aquarū, & in cunctas valles, si fortè inuenire possimus herbam, & saluare equos & mulos, & non penitùs iumenta intereant. Sicut ergo Achab declinauit ad inquirendum omnes fontes, & valles pro herba, ita credendū est, quòd totus populus declinaret ad Iordanem pro herba, quæ esset in ripa, ideo non posset ibi Elias manere absconditus.

Siccato torrente quare missus est Elias in Sareptam Sidoniorum.

Qvæstio XIIII.

B Vlterivs quæretur, quare Elias siccato torrente missus est in Sareptam Sidoniorum, vt patet infrà, quia tunc staret inconueniens suprà assignatū, scilicet quòd ibi illicò inueniretur: potissimè cùm iam notum esset in omnibus locis, quòd inquireretur Elias ab Achab. Item si dicatur, quòd ibi poterat Elias manere absconditus siccato torrente, ita potuisset à principio, & non oporteret, quòd Deus mitteret eum ad torrentem Carith, & quòd ibi pascerent eum corui.

Respondendum, quòd quanquàm Elias iret in Sareptam Sidoniorum, nō cognosceretur, quòd ibi esset. Et patet hoc, quia ibi mansit, & tamen nunquàm cognitum est, quousque ipse præsentauit se Achab. Si tamen iuissset Elias à principio famis in Sareptam, non posset ibi latere. Ratio diuersitatis est, quia mox, vt venit siccitas super terram, Achab misit per omnia regna ad vrbes, ad querēdum Eliam, sequen. cap. cùm autem non inueniret eum, cessauit quærere, ideo si à principio famis iuisset in Sareptam, ibi inueniretur, cùm illuc missi fuerint nuntij, sicut ad omnia regna & vrbes. Nunc tamen quando desiccatus est torrēs, & iuit Elias in Sareptam, cessauerat Achab inquirere Eliam, quia in nullo loco inueniebatur, ideo non inueniretur in Sarepta. *Et ibi de torrente bibes.* Scilicet latebis apud torrentem Carith, & bibes de torrente.

Elias à coruis pascitur. C *Coruisq; præcepi, vt pascant te ibi.* Scilicet ordinaui coruos ad te pascendum, ducendo carnes & panem manè, & vespere. *Abijt ergo, & fecit iuxta verbum Domini.* Scilicet recessit de Samaria, & iuit ad torrentem Carith, sicut Deus iusserat. *Cumq; abijsset, sedit in torrente Carith, qui est contra Iordanem.* Scilicet sedit iuxta torrentem in spelunca: nam Deus iusserat, quòd absconderetur, vt si contingeret aliquos transire per locum illum ad quærendum Eliam, vel aliàs, non inuenirent eum, inuenirent tamen si non lateret, ideo si Elias in hoc tempore vellet declinare ad aliquam vrbem, vel ostendere se alicui homini, peccaret, quia faceret contra mādatum Dei, qui iusserat eum manere absconditum. *Corui quoque deferebant ei panem, & carnes manè, & similiter panem & carnes vesperi.* Scilicet toto tempore quo mansit apud torrentem Carith, Deus mittebat ei bis quotidiè panem & carnes ad saturitatem. *Et bibebat de torrente.* Scilicet nō mittebat ei Deus vinum, sed cogebatur bibere de torrente, & ob hoc Deus miserat eum ad torrentem, vt biberet ibi de aqua eius.

An essent veri corui portantes panem & carnes Eliæ, vel Angeli accipientes speciem coruorum. Et in quibus operationibus Angeli ministrant hominibus.

Qvæstio XV.

Qværetvr, an isti qui portabant carnes, & panem Eliæ essent corui, & quomodo portabant, vel vnde.

Respondendum, quòd litera vult istos esse coruos. Sciendum tamen, quòd possemus dicere istos fuisse Angelos, qui ministrarent Eliæ ducendo ei cibos, cùm sint Angeli ministri Dei ad omne opus, & ordinantur ad ministerium saluatiōis nostræ. Sic patet ad Hebræos primo, scilicet. Sunt administratorij Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiūt salutis. Potest etiam dici, quòd essent veri corui, quia illi poterant in rostris panem ducere & carnes pro Elia. Quomodocunq; tamen dicatur oportet dici, q̄ ipsi Eliæ appareret effigies coruorū, siue illi essent veri corui, siue Angeli in specie coruorum: nam quamcunque figuram Angeli possunt sibi assumere, cùm materia corporalis seruiat eis ad nutum. Videtur tamen magis dicendum, quòd essent corui veri quàm Angeli, & hoc fuit, quia ista ministratio erat tanquàm inferioris ad superiorem, scilicet, quòd ducerent cibos, sicut famuli dominorum seruiunt eis in cibis. Ideo videtur dicendum, quòd in istis operationibus, quæ sunt per modum ministerij, vel seruitij, rarò Angeli hominibus ministrent, eo quòd superiores sunt. Aliæ autem sunt ministrationes per modum superioris ad inferiorem, sicut liberare à morte, vel à periculis, aut illuminare intellectum nostrum, vel conferre quodcunque aliud beneficium, quod Dominus conferret subdito, & esset honor in conferēdo illud & non ministerium. Et sic sæpè Angeli ministrāt hominibus, apparentes eis, & prænunciātes aliqua ex parte Dei ad salutem animarum. Sicut Angelus, qui apparuit, & increpuit Israëlitas de peccato idololatriæ, & communicationis cum Gentilibus, Iudic. 2. Aliquando etiam apparent ad instruendum nos circa actum virtutum, sicut fuit de Angelo apparente Gedeoni, Iud. 6. & de Angelo apparēte patri & matri Samsonis, Iudic. 13. Interdum etiam apparent ad declarandum ea, quæ non intelligimus, sicut fuit in Daniele, ad quem Deus mittebat Gabrielem in specie viri, vt declararet ei visiones, quas nō intelligebat Daniel, vt patet Dan. 8. & 9. & 10. Sic etiam Angelus præcessit Israëlitas in columna nubis, ostendēdo eis viam, Exod. 14. & in multis alijs Angeli apparentes hominibus ministrauerunt: In qua ministratione, non erāt ipsi, vt inferiores, sed vt superiores, ministrare tamen cibos est inferioris ad superiorem, ideo Deus non dignatus est, quòd Angeli ministrarent hominibus in hoc, saltem tempore veteris Testamenti. Si autem posteà in similibus ministrauerint existente nouo Testamento, ambiguum est, & dato quòd ministrauerint, esset hoc propter maiorem excellentiam naturæ humanæ nunc quàm tunc, sed magis credendum est, quòd non ministrauerint. Soli autē Christo Angeli ministrare debuerunt in cibo, quia ipse simpliciter erat maior Angelis, nō solùm in deitate, sed etiam in humanitate, quia humanitas sua glorificata propter vnionem ad verbum diuinum, maior est Angelis. Hoc etiam probat Apostolus ad Hebr. 1. Et propter hoc, cùm Deus vellet, quòd portaretur cibus Danieli existenti in lacu leonum in Babylone, non portatus fuit per Angelum, sed per Habacuc, Dan. 14. Et hoc videtur quasi manifestè: nam Angelus Domini portauit Habacuc de Iudæa per capillum capitis in Babylonem ad lacum leonum cum panibus, & potuisset facilius ipse Angelus portare solum panem, quem ferebat Habacuc in alueolo, non portando ipsum Habacuc in Babylonem, & tamen ne videretur ipse ministrare Danieli, non portauit per seipsum panes, sed tulit Habacuc portātem; & ipse Habacuc locutus est ad Danielem, & dedit ei panes, & Angelus non fuit locutus, sed posteà reduxit ipsum Habacuc in Iudæam, Dan. 14. & hoc fuit, vt non videretur aliquis hominum æqualis Christo: nam ipsi per seipsos tulerunt cibos Christo, & assistebant ei comedenti, & ministrabāt, Matth. 4. poterat autē esse, quòd essent isti Angeli in effigie coruorum, & hoc vt Elias non crederet Angelos sibi ministrare, sed coruos.

Sed obijcietur, quòd Angeli ministrabant Iudeis in deserto, quia ipsi faciebant manna, quod comedebant Hebræi, vt patet cùm dicitur Psal. 77. Panem Angelorum manducauit homo, & intelligitur ibi de manna.

Respondendum, quòd Angeli faciebant māna, quod comedebant Hebræi, tamen non dicebantur ex hoc ministrare Hebræis, quia tunc diceretur, quòd Deus ministraret nobis, quia ipse facit segetes oriri de terra, & omnia de quibus alimentamur, sed non dicitur ministrare nobis. Etiam ministrare alicui in cibo, est præsentare ei cibum confectum, ita vt nihil restet ei, nisi comedere, & sic faciebāt corui Eliæ præsen-

tantes

A tantes ei panem,& carnes, sed non faciebant sic Angeli conficientes manna Hebræis, quia solùm conficiebant illud per noctem in aëre, & in aurora cadebat per circuitum castrorũ in modum pruinæ, Exod.16. & non præsentabant ipsi illud Hebræis,nec apparebant eis,sed Hebræi in aurora egredientes de castris, colligebant manna iuxta mensuram gomor, & deinde coquebant illud in olla, frangentes prius lapidibus molaribus,vel terentes in mortario, & cùm coxissent in olla,& reduceretur in pastam, formabãt inde tortulas, de quibus singulis diebus comedebant, Numer.11. & sic ipsi ministrabant sibi,& non Angeli eis.

Dicendum vlteriùs,quòd si isti erant veri corui,non intelligebant mandatum Domini, nec Deus aliquid eis mandabat,quia stultum esset loqui lapidibus, & lignis, sed inclinabat Deus coruos aliquos ad hoc, quòd quotidiè ferrent ipsi Eliæ panem,& carnes. Nam Deus, qui est Dominus totius naturæ, potest facere quamcunque impressionem in re naturali ab eo condita. Etiam Deus mouet cor hominis quocunque vult, quia cor hominis est in manu Domini,& quocunque voluerit vertet illud, Prou.21.à fortiori ergo poterit mouere brutorum inclinationes quocunque voluerit, & sic faciebat in coruis.

Sed obijcietur,quia Angelus Domini portauit Eliæ panẽ subcinericium,& vas aquæ,infrà 19.

B Dicendum,quòd non fuit propriè ministratio,quia Elias non vidit quando sibi ducebatur, sed quando surrexit de somno,vidit apud se panem,& aquam;& tamẽ ad perfectam ministrationem requirebatur,quòd videnti Elia ista præsentarentur ei,nunc autem ipse non vidit,quis tulisset hæc,ideo dicendum sicut sup.de Angelis conficientibus manna.

Vnde ducebantur panes,& carnes Eliæ, & an essent miraculosè creata,vel ducerentur de aliquo loco,in quo erant reposita,& quare Deus non faciebat ferri vinum.

QVÆSTIO XVI.

VLTERIVS quæretur, qui sibi erant isti,qui portabantur Eliæ quotidiè, & vnde portabantur. Respondendum,quòd isti cibi poterant esse facti diuinitùs, sicut Deus quotidiè faciebat manna in deserto per Angelos pro Iudæis,ita quotidiè crearet,vel faceret panem aliquem & carnes,vt ducerentur Eliæ.

Vel potest dici, quòd isti panes & carnes erant naturales, scilicet quia aliquis habebat ista in cibum pro se parata, & Deus faciebat illa duci Eliæ per coruos, sicut fecit,quòd cibus,quem parauerat Habacuc messoribus suis,portaretur in Babylonem pro Daniele.vt patet Dan.14. Et tunc dicẽdum, quòd si isti erant Angeli, qui portabant istos cibos in figura coruorum, quod facilè erat eis ingredi in domum Achab,& capere de cibis regijs quotidiè pro Elia, & dato,quòd reperiretur in cibis domus regis quotidiè aliquid deficere, nõ poterat videri,quis illud auferebat, quia etiam præsentibus ministris regis,& diligenter attendentibus, ne quis tolleret de cibis quid, quasi Angeli auferrent non videntibus eis, & deferrent ad Eliam.Si autem dicatur, quòd erãt veri corui,difficilè erit assignare, quomodo ipsi possent introire in aliquã domum quotidiè pro cibis,& nõ viderentur,potissimẽ,quia illo tempore propter magnitudinem famis cibi tenerentur in magna custodia.

Dicendum ergo videtur istud rationabiliter, quòd isti, qui portabant cibos,essent veri corui, cùm Deus dicat hic, quod præcepit coruis, vt pascerent eum, & tamen isti non ingrediebantur in aliquam vnam domum, vel plures ad capiendum inde cibos, sed Angelus Dei quotidiè acciperet bis de cibis regis Achab, & poneret in aliquo loco certo in deserto, vbi manebant illi corui,& ponebat cibos, illo tempore,quo expediens erat, ferri illos ad Eliam, & videntes corui cibos appositos in loco suo, ducebãt illos ad Eliam, qa Deus inclinabat eos ad hoc, quòd ducerent cibos illuc,& sic corui nunquàm recederent de deserto, nec variarent loca, de quibus cibos ducere debebant.

Quòd autem isti cibi essent de domo regis Achab, tatis verisimile est, scilicet quòd potiùs Deus vellet punire illum, subtrahendo illi bis quotidiè cibos in pœnam peccati,quàm alicui pauperi de terra Israel:potissimè,quia tunc cibi preciosi valdè erant propter magnam famem. Quòd autem isti cibi ducerentur ab Angelis ad aliquem locum in deserto, de quo corui ducerent ad Eliam, satis verisimile est, quia sic etiam Deus iubens Abrahæ immolare filium suum Isaac, parauit ei quendam arietem hærentem cornibus inter vepres, Gen.22.de illo autem manifestum est, quòd per Angelos positus fuisset in loco illo, quia ibi nunquàm fuerant arietes, nec erat locus dispositus ad habendum arietes: maximè,quia ille aries inuentus est hærens cornibus inter vepres. Considerandum etiam, quod verisimile est, quod cùm illi corui pascerent Eliam quotidiè, quòd ipse pasceret eos,dando eis reliquias ciborum suorum, vel Angeli darent eis cibos pro se,vt semper manerent in officio ministrandi Eliæ,quamdiù opus esset. Et istud officium habuerunt corui, dum mansit Elias apud torrentem Carith. Posteà verò nunquàm Angeli duxerunt carnes ad locum vbi erant corui, & ipsi nihil inuenientes ibi, non redierunt posteà ad torrentem Carith, vbi solebat esse prius Elias. Etiam Deus non inclinabat illos ad hoc, quòd irent vltrà ad Eliam, ideo dato,quòd ibi inuenirent carnes, non portauissent eas ad Eliam, sed ipsi comederent eas.

D

Quare non fecit Deus vinum ferri Eliæ.

QVÆSTIO XVII.

E

VLTERIVS quæretur, quare Deus non faciebat ferri vinum Eliæ, cùm ferret ei carnes & panem. Respondendum,quòd hoc fuit propter duo. Primò,quia poterat Elias conuenienter sustentari, habendo panẽ & carnes, & non habendo vinum,cùm haberet aquã de torrente:Deus autem solùm volebat prouidere Eliæ in necessarijs, ideo solùm dedit panem & carnes.

Sed dicetur, quòd etiam in solo pane poterat Elias sustentari:sic enim dicitur Eccles.29.Initium vitæ hominis panis & aqua.

Respondendum, quòd licèt possit homo sustentari aliquanto tempore in pane & aqua, tamen diminuitur corpus, & salus, maximè in cholericis propter caliditatem, & siccitatem complexionis, ideo si aliquanto tempore viuunt hoc cibo solo,est vita difficilis: Deus autẽ nolebat Prophetam suũ innocẽtem fame cruciare,cùm illa fuisset inducta in pœnam peccatorum, ideo prouidit ei sufficiẽter,dans panem,& carnes. Secundum & principale fuit, quia corui ferebant cibos Eliæ, & ipsi poterant portare panem & carnes in rostris, & tamen non poterant portare vasa vinaria. Hoc autem satis apparet,siue illi essent corui veri,siue Angeli in specie coruorum. Quia si essent veri corui manifestum est,quòd non poterant ferre vasa vinaria in rostris,vel vnguibus. Si autem essent Angeli in specie coruorum, poterant quidem ferre vasa vinaria etiam magna,& tamen non expediebat,quòd ferrẽt. Causa huius est, quia si Angeli laterent in specie coruorum, hoc fieret,vt non putaret Elias sibi ministrari ab Angelis, sed à coruis,vt non reputaret se magnæ dignitatis,sed si portarẽt illi corui vasa vinaria in rostris, vel vnguibus, cognosceret Elias,quòd non erant isti corui,quia non poterant hoc facere corui,ideo putaret illos esse Angelos, & hoc Deus volebat euitare, ideo non debuit portari vinum Eliæ per coruos, vel Angelos,& ista fuit causa potissima.

C F

Cùm ferrentur quotidiè carnes Eliæ, quid comedebat diebus ieiuniorum,& in festo Azymorum.

QVÆSTIO XVIII.

VLTERIVS quæretur,cùm quotidiè ferrentur panis & carnes Eliæ manè,& vespere, quid comederet in diebus ieiuniorum. Aliquis dicet,quòd Deus absoluebat Heliam nũc à ieiunijs, quia in tempore necessitatis, nulla lex obligat,& sic cùm esset Helias in deserto, vbi nullum cibum poterat habere, licebat ei comedere quodcunque posset habere,& tamen non poterat habere, ibi nisi panem,& carnes, ergo licebat ei comedere.

Sed ista ratio non stat, quia si esset aliquod ieiunium ne-

A

ceſſitatis, & Elias non haberet niſi panem, & carnes, non licebat ei comedere carnes, ſed ſolo pane veſci debebat, hoc autem dico, ſi eſſent ieiunia, quæ ſic obligarent ſicut ieiunia noſtra.

Dicendum ergo, quòd iſta quæſtio ſublata erat inter Iudæos, quia inter eos non erat aliquod ieiunium, niſi vna die in anno, ſcilicet 10. die Septembris, quæ erat dies propitiationis, & in illa die tenebantur omnes Iſraëlitæ affligere animas ſuas, quia qui non affligeret ſe die illa periret de populo Dei, Leuit. 16. & 33. Sed Hebræi non ieiunabant ſicut nos: Nã die illa, qua ieiunabant, nihil comedebãt, ſcilicet quia à ſolis occaſu diei noni Septembris, vſq; ad ſolis occaſum diei decimi non comedebant, & iſte erat vnus dies integer: ideo in diebus ieiuniorũ non comedebant cibos carnium quotidianos, nec aliquid aliud, & ſic non eſt quæſtio aliqua de Elia, quid ipſe comederet in diebus ieiuniorum. Sed obijcietur, quòd Hebræi haberent multa ieiunia neceſſitatis, quia Zachar. 8. ponuntur ſaltem quatuor ieiunia, ſcilicet ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi. Dicendum, quòd iſta ieiunia fuerũt introducta ab Iſraëlitis propter aliquas triſtitias, & mala, quæ eis deuenerunt, & non fuerunt à Deo inſtituta: Quod ſatis patet ibidem, cùm dicitur: Hæc dicit Dominus, Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & in ſolennitates præclaras, veritatem tantùm, & pacem diligite: & ſic videtur, quòd propter aliqua mala, quæ acciderãt Iſraëlitis, fuerant inſtituta iſta ieiunia, & Deus promittit, quòd ſi diligerent pacem, & veritatem, ipſe mutaret ieiunia in feſtiuitates præclaras, & ſic ceſſarent tunc ieiunia. Si tamen à Deo inſtituta fuiſſent, non ceſſarent, quanquàm Iſraëlitæ diligerent pacem, & veritatem. Et ſic nõ fuerant iſta ieiunia inſtituta tempore Eliæ, & ſic non tenebatur ipſe ad ea, vnde non eſt quæſtio de iſtis ieiunijs. Dicendum igitur, quod dato, quòd Iſraëlitæ haberent multa ieiunia neceſſaria, & eſſent talia, qualia ſunt noſtra, ſcilicet quòd ſemel in die comederemus, abſtinendo à carnibus, & ab eis, quæ à carnibus ſementinam ducunt originem, non cogeretur Elias ieiunare, ſed faceret ſicut corui faciendum admonerent. Nam ſi corui illis diebus ducerent panem, & carnes, licebat ei comedere panem, & carnes, quia manifeſtum eſt, quòd iſta veniebant à Deo, cùm Deus dixiſſet Eliæ, quòd corui paſcerent eum, ſed omnia, quæ Deus nobis dat ad cibum, ſunt licita in quocunque tempore dederit, quia ipſe, qui cõdidit legem de ieiunijs, poteſt in ea diſpenſare, vel eam auferre in totum, ideò licitum erat comedere, quod ipſe ſpecialiter dabat. Immò dicendum, quòd ſi in aliquo die ieiuniorum miſiſſet Deus Eliæ per coruos panem, & carnes, & ipſe propter obſeruantiam legis abſtineret à carnibus, ſuperſtitioſus eſſet, cùm Deus pro illa die ſpecialiter mitteret ei carnes, ideò potiùs peccaret, abſtinendo à carnibus, quàm comedendo. Sed non erant talia ieiunia inter Hebræos tunc, ſed vnicum ſolùm, & in die illa, nihil licebat comedere Iſraëlitis, & in veſpere diei, ſcilicet poſt ſolis occaſum, licebat eis comedere carnes, & quicquid vellent. Si tamẽ in illa die mitterentur Eliæ panis, & carnes, debebat comedere non obſtante ieiunio, quia Deus abſoluebat eum ex cauſa ſuprà aſſignata.

Ieiunia Iudæorũ non erant ſubpcepto.

B

Determin. q.

C

De agno paſchali.

In feſto azymorum quid comedebat Elias.

Qvæstio XIX.

Vlterivs quæretur de illis diebus, in quibus erat feſtum azymorum, & phaſe, quid comedere debebat Elias. Et dubium eſt in duobus. Primum eſt, quia quartadecima die menſis primi debebant Iſraëlitæ comedere agnum Paſchalem ad veſperum de neceſſitate, Exod. 12. & Leuit. 23. Secundum dubium eſt, quia per ſeptem dies debebãt comedere azyma, & ſi quis comederet fermentatum, occidendus erat, præallegatis cap. Elias autem non habebat agnum Paſchalem, quid ergo comederet? etiam non habebat panes azymos, nunquid ergo comederet fermentatum? Ad primum dicendum, quod lex non obligabat aliquem ad impoſſibile, ſed Elias non poterat habere agnum Paſchalem: ergo non peccabat, non comedendo. Hoc patet, quia non ſolùm obligabantur Iſraëlitæ comedere agnum Paſchalem die 14. menſis primi, ſed etiam ire illa die in locum Sanctuarij, Exod. 23. & 34. & tamen Elias nõ obligabatur ire in Sanctuarium, immò ſi iret in Sanctuarium, peccaret mortaliter, quia Deus iuſſerat ei, quòd maneret abſconditus in torrente Carith, ſup. in litera. Etiam tenebantur Iſraëlitæ ire tribus temporibus per annum in Sanctuarium, eiſdem cap. & tamẽ non tenebatur Elias aliqua vice iſtarum ire illuc, quia peccaret, vt dictum eſt. Item non ſolùm debebant Iſraëlitę comedere agnum Paſchalem die 14. menſis primi, ſed etiam obligabantur occidere agnũ illum in Sanctuario, & comedere in loco Sanuarij, in alijs autem locis terræ Iſrael non erat licitum comedi agnum, Exod. 34. & Deute. 16. ſed Elias non poterat ire in Sanctuariũ, quia peccaret eundo: ergo non ſolùm nõ obligabat comedere agnũ Paſchalem, ſed è contrario magis obligabatur, non comedere illum. Ad ſecundum dicendum, quòd de hoc videretur maior difficultas, eo quod dato, quòd Elias non poſſet habere panem azymum, poterat ſeruare legem, non comedendo panem fermentatum, quia lex non obligabat ad comedendum azymum, ſed ad non comedẽdum fermentatum, poterat autem Elias abſtinere à fermentato, & ſic ſeruaret legem.

D

E

Dicendum, quòd ſi Elias poſſet viuere ſine fermentato, & azymo, non habendo azymum, teneretur nõ comedere fermentatum. Si tamen non poſſet viuere, licebat ei comedere fermentatum. Iſtud autem eſt generaliter verum, ſed non in caſu Eliæ: vtpotè ſi aliquis Hebræus in diebus azymorũ caſu eſſet in aliquo loco, in quo non poſſet habere panes azymos, tenebatur abſtinere à fermentatis, ſi comedẽdo aliquid aliud poterat viuere, ſi tamen non poterat, licebat ei comedere fermentatum, quia lex rationabilis eſt, & nõ obligat hominem ad mortem per abſtinentiam cibi. In caſu autem Eliæ dicendum, quod licebat ei comedere quicquid Deus ſibi mitteret, ſiue eſſet fermentatum, ſiue non, quia cùm Deus ſpecialiter & pro diebus illis daret ſibi tales cibos, diſpenſabat ſecum in lege vetante fermentatum. Immò ſi Elias vellet abſtinere à fermentato diebus azymorum, & propter hoc non comederet tunc de pane fermento, quem corui ferrent ſibi, videretur eſſe ſuperſtitioſus, vt ſuprà declaratum eſt.

Quare Deus non ſuſtentauit Eliam ſine cibo ſicut Moyſen quadraginta diebus.

Qvæstio XX.

Vlterivs quæretur, quare Deus non ſuſtentauit Eliam ſine cibo toto iſto tempore, ſicut ſuſtentauit Moyſen bis quadraginta diebus in monte ſine cibo, vt patet Exod. 34. & Deut. 9. & 10. Ad hoc reſponderi poterat, quod non erat quærenda ratio de iſto, quia iſta facit Deus ex liberalitate ſua, ideo non eſt reddenda ratio de illis, quia beneficia ſine meritis ſunt. Secùs autem, quando Deus diſpenſat aliquid non ex beneficio, ſed ex iuſtitia, quia de illo poteſt reddi cauſa. Secundò dici poteſt, qud Deus fecit hoc, quia noluit facere Eliam æqualẽ Moyſi. Nam quòd Moyſes 40. diebus manſerit ſine cibo, & hoc per duas vices, pertinuit ad magnam excellentiam, quam Deus voluit oſtendere in illo. Sic etiam dedit ei, quòd facies eius fulgeret nimis, ita vt non poſſent Iſraëlitæ intueri vultum eius præ fulgore, ſed ponebat ante faciem ſuam velamen, cùm loqui deberet eis, & ſic audiebant verbum eius, Exod. 34. & 2. ad Corinth. 3. iſtud autem nulli vnquàm Prophetæ datũ eſt. Sic fortè noluit Deus concedere Eliæ, quòd maneret ſine cibo tribus annis, & ſex menſibus, quibus durauit fames, quia tunc eſſet maior Moyſe in hoc. Iam tamen dictum fuerat Deuteron. vltim. quod non ſurrexit vltrà in Iſrael Propheta ſicut Moyſes, quem nosceret Dominus facie ad faciem, ad quem Deus tam familiariter ſe haberet. Tertiò dici poteſt, quod Moyſes fortè non comedit, nec bibit in illis 40. diebus, eo quod continuè loquebatur cum Domino, & non poterat vacare cibo, & potui. Sic dicitur Exod. 34. quod erat facies eius cornuta ex conſortio ſermonis Domini, ſed Elias non loquebatur nunc aſſiduè cum Domino, ita vt non poſſet vacare cibo, & potui, ideo Deus miſit ei cibos p coruos. Quartò dici poteſt, quod hoc factum eſt, tanquàm præambulum quoddam ad aliud,

F

quod

A quod Deus volebat facere per Eliam, scilicet volebat eũ mittere in Sareptam Sidoniorum, ad faciendum tria notabilia. Primum, quòd aleret mulierem Sareptanam, quæ fame peritura erat. Secũdum erat, quòd Deus multiplicaret farinam in hydria mulieris, & oleum in lecytho ad verbum Eliæ. Tertium erat, quòd Elias suscitaret filium mulieris illius. Ista omnia venerunt ex hoc, quod missus est Elias in Sareptam, vt aleretur ibi à vidua. Si tamen præcedenti tempore Elias non comedisset, non oportebat, quòd desiccato torrente mitteretur in Sareptam, vt aleretur ibi, ergo fuit conueniens nunc pasci à coruis Eliam, vt esset istud præambulum, ad mittendum eum in Sareptam. Quintò dici potest, quod Deus fecit hoc, ad ostendendum diuersa genera potentiæ suæ. Nam iam ostenderat in Moyse, quod ipse poterat hominem sine cibo conseruare, nunc verò volebat ostendere in Elia, quod poterat homini non habenti cibum, illum miraculosè dare.

Elias, quid egerit apud torrentem.

QVÆSTIO XXI.

VLTERIVS quæretur, quid faciebat Elias, cùm esset magno tempore latens apud torrentẽ Carith. Respondendum, quod Elias non fuit illuc ire iussus, vt ibi aliquid faceret, sed vt ibi lateret, ne inueniret eum Achab, nihil ergo habebat agendum, nec tamen ociosus erat, quia sicut vir habẽs literas, ociosus esse nõ potest, si nolit, & tũc minùs ociosus est, quãdo solus est, à fortiori vir ille tam eleuatæ contẽplationis, & cognitionis Dei, non poterat esse ociosus. Nã sæpè Deus ei loqueretur, cùm Propheta esset, & quando Deus non loqueretur ei, ipse contemplaretur, & aliquando Angeli ei apparerent, ita vt nullum tempus ei sine opere laberetur. Et si dicas, quid agebat? Dicam quod illud agebat, quod nunc agit manens in paradiso terrestri. Constat enim eum ibi esse, quia tulit illum Dominus in curru igneo, seq. lib. cap. 2. constat tamen, quod ibi ociosus nõ est, quia ocium magna imperfectio est, & tamen ibi nihil agẽdum habet, nisi intelligere, & sumere cibũ, nisi aliter velimus dicere, de quo magis declarabitur sequen. libr. cap. 2. *Post dies autem siccatus est torrens.* Id est, post dies multos. Nescitur tamen quot fuerint isti dies. Satis tamen dici potest, quòd essent quasi tres anni, quia tribus annis, & sex mensibus durauit ista fames, Iacobi vltimo, & quadam particula istius temporis mansit Elias apud viduam Sareptanam, vt patet infrà. *Non enim pluerat super terram.* Id est, fuit desiccatus torrens, quia non pluerat toto tempore, quo mansit apud eum Elias. *Factus est ergo sermo Domini ad eum.* Scilicet postquàm desiccatus est torrens, & non poterat ibi manere Elias, quia non habebat aquam, Deus locutus est ei ostendens, quò ire deberet.

C *Elias mittitur in Sareptam ad viduã.*

Surge, & vade. Hic ponitur tertium, in quo Elias à vidua Sareptana suscipitur. Secundò filius eius mortuus suscitatur, ibi. *Factum est.* Circa primum dicitur. *Surge, & vade in Sareptam Sidoniorum.* Id est, iam non potes manere hic, ideo surge, & vade in Sareptam, vt ibi pascaris. Et vocatur Sarepta Sidoniorum, quia est in terra Sidoniorum. *Et manebis ibi.* Scilicet non recedas inde ad alia loca, quia ibi pascam te. *Præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt pascat te.* Non est sensus, quòd Deus præceperat viduæ, vt pasceret Eliam, reuelando ei, quòd Elias venturus esset ad eam: nam ipsa nesciebat aliquid, quando Elias iuit ad eam, & petiuit, vt daret sibi paululum panis, ipsa autem respõdit, se nihil habere, nisi parum farinæ pro se, & filio suo, si tamen Deus dixisset ei de Elia venturo ad ipsam, non responderet ei sic: sed dicitur Deus præcepisse viduæ, vt pasceret eum, id est, quod Deus dispoſuerat, quòd apud illam viduam pasceretur. Sic dicitur suprà, quod Deus præceperat coruis, vt pascerent eum: & tamen manifestum est, quod nihil locutus fuerat coruis, cùm corui non possint intelligere vocem loquentis, sed dispoſuerat, vt per coruos pasceretur.

(∴)

B E

D

Quare Deus non fecit, quòd non siccaretur torrens.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR, cùm Deus supernaturaliter benefaceret Eliæ mittendo ei cibum per coruos apud torrentem Carith, quare etiam non fecit supernaturaliter, quòd torrens ille non siccaretur.

Respondendum, quod hoc non expediebat propter duo. Primò, quia si torrens ille semper habuisset aquam toto tempore famis, cùm alia loca aquarum desiccata essent, vbi erant maiores torrentes, & flumina, mirarentur Israëlitę, vnde hoc proueniebat, & inquirerent caput illius torrentis, & inquirendo inuenirent Eliam. Secundum erat, quia hoc repugnabat dispositioni Dei: nam ipse dispoſuerat mittere Eliam in Sareptam, ad faciendum illa tria bona, quæ suprà posita sunt, si tamen non desiccaretur torrens, non iret Elias in Sareptam Sidoniorum, ideo conueniens fuit, vt Deus permitteret torrentem siccari, vt iret Elias, ad alendum viduam Sareptanam, immò si torrens naturaliter non desiccaretur, antequàm finiretur farina viduæ, Deus exsiccasset torrentem supernaturaliter, & iussisset Elię ire ad viduam, vt pasceretur, ne deficiente farina in hydria viduæ, moreretur ipsa, & filius suus, sicut ipsa dixit ad Eliam veniẽtem, quod ibat ad faciendum modicum pulmenti pro se, & filio suo, vt comederent & morerentur.

Sarepta de qua terra esset.

QVÆSTIO XXIII.

VLTERIVS quæretur, an Sarepta esset de terra Israel, vel esset in terra Gentilium. Respondendum, quod Sarepta erat in terra Sidoniorum, qui Gentiles erant, ideo vocatur Sarepta Sidoniorum. Et erat ista ciuitas parua inter Tyrum, & Sidonem, & iuxta eam erat sylua quædam, quæ etiam vocabatur Sarepta, vt ait Iosephus 8. Antiq. Ista autem ciuitas de sortibus filiorum Israel erat, eo quod erat in terra Tyri, & Sidonis, & tamen Tyrus, & Sidon, & territoria sua erant in terra Chanaan, & consequenter cadebãt in sortibus Israëlitarum, vt declaratum est suprà 5. non tamen tenebatur ista ciuitas ab Israelitis, nec vnquàm possessa fuerat ab Israëlitis, vnde ista mulier Gẽtilis erat, sed colebat Deum. Quòd autem esset ciuitas Gentilium patet, quia Luc. 4. probans Christus, quòd Prophetæ nõ sunt accepti in patria sua, & ob hoc potiùs faciebant virtutes ad alienigenas, quàm ad viros de terra sua, dicens, In veritate dico vobis multæ viduæ erant in diebus Elię in Israel, quando clausum est cœlum annis tribus, & mensibus sex, cùm facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sareptam Sidoniæ ad mulierem viduam: ergo videtur, quod illa mulier non erat de Israel, cùm dicatur, quod ad nullã viduarum Israel missus est Elias. Item patet hoc ex exẽplo sequenti: nam dixit Christus, Multi leprosi erant in Israel sub Elisæo Propheta, & nemo eorum mũdatus est, nisi Naaman Syrus. Iste autem alienigena erat: ita ergo mulier Sareptana, cùm illa exempla inducantur ad eundem finem. Item patet ex intentione Christi, quia ipse volebat probare, quod Prophetæ potiùs faciebant virtutes inter extraneos, quàm inter suos, si tamen mulier Sareptana non esset Gentilis, nõ applicaretur proposito suo, ideo Gentilis erat. Sed obijcietur, quòd mulier Sareptana esset in terra Israel, & de Iudæorum stirpe, quia Ionas Propheta fuit filius eius, scilicet iste puer qui suscitatus est per Eliam, vt ait Hier. in prologo super Ionam, & tamen Ionas fuit de populo Hebræorum, vt patet Ionæ 1. ergo mater sua erat Hebræa. Respondendum, quod mater Ionæ non fuit ista mulier Sareptana, vt infrà declarabitur in quadam quæst. Sed adhuc obijcietur, quia fames fuit prænunciata solùm super terram Israel, & tamen fames erat in Sarepta, vt patet in litera: ergo erat de terra Israel. Dicendum, quod erat in terra Israel, sed non tenebatur ab Israëlitis, sed à Sidonijs. Vel quòd ista siccitas tetigit aliqua loca coniuncta terræ Israel, sed principaliter Israel, & sic erat Sarepta.

F

Elias ad quid miſſus eſt ad mulierem Sareptanam.

QVÆSTIO XXIIII.

VLTERIVS quæretur, ad quid miſſus fuit Elias ad mulierem Sareptanam. Aliquis dicet, quod hoc fuit, vt paſceretur ab ea, quia Eliam iam non habebat cibum nec potum.

Sed dicendum, quod non ſtat, quia ſi propter hoc fuiſſet miſſus, potiùs mitteretur ad aliquem alium virum de Iſrael, vel de Gentilibus, qui dives eſſet, & poſſet meliùs paſcere Eliam, quàm mulier illa, quia illa non habebat niſi modicum farinæ pro ſe, & filio ſuo, quando iuit Elias, vt patet infrà.

Dicendum igitur, quòd quanquàm Elias iret, vt paſceretur ab iſta muliere, magis tamen ibat ad paſcendum eam, & in hoc Deus voluit benefacere iſti mulieri valdè, pluſquàm omnibus viris, & mulieribus Iſrael. Nam ipſa iam conſumenda erat fame, cum filio ſuo, quia non habebat niſi modicum farinæ in hydria, & iam putabat ſe certiſſimè perituram fame, vnde dixit ad Eliam. En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciat illud mihi & filio meo, vt comedamus & moriamur, id eſt, poſtquàm comederimus, moriamur fame, quia iam nihil habemus vltrà, quòd comedamus. Deus autem benefecit ei multiplicando farinam in hydria, & oleum in lecytho vt nunquàm minueretur vſque ad diem, quo ceſſaret fames. Fuit etiam aliud maius beneficium, quia filius viduæ moriturus erat febribus, & ſi non eſſet ibi Elias, omninò maneret mortuus, Elias autem ſuſcitauit eum. Iſtud autem voluit, quia iſta mulier erat Deo deuota, & voluit Deus ei benefacere, nam ad quamcunque aliam miſiſſet Eliam Deus, contuliſſet ei iſtud beneficium, ſcilicet quòd toto tempore famis abũdaret panibus. Quòd autem Deus miſerit Eliam ad mulierem principaliter ad benefaciendum mulieri, patet Lucæ 4. vbi Chriſtus dixit, quòd Prophetæ potiùs faciebant virtutes extra terram ſuam quam in illa, inquiens, In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus 6. & ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi in Sareptam Sidoniæ ad mulierem viduam.

An multo tempore manſit Elias in domo mulieris Sareptanæ.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR vlteriùs, an Elias ſemel, aut pluries paſtus fuerit in domo mulieris Sareptanæ. Aliquis dicet, quod ſemel tantùm, quando fecit pugillum de farina mulier illa pro Elia, & pro ſe, & pro filio ſuo. Sed dicendum, quod Elias manſit multo tempore in domo mulieris illius. In quo ſciendum, quod fames durauit ſuper terram tempore Eliæ annis tribus, & menſibus ſex, Luc. 4. & Iacob. vltim. & quadam parte iſtius temporis ſtetit Elias apud torrentem Carith, ſcilicet quouſq; deſiccatus eſt torrens, reliqua parte temporis manſit apud viduam Sareptanam, vnde quando Elias iuſſus eſt à Domino in fine iſtius tẽporis apparere corã Achab, vt ceſſaret fames, ipſe erat in domo mulieris Sareptanæ. Quòd autem multo tempore ibi paſtus ſit, apparet, quia Deus dixit ei quando erat apud torrentem Carith, Vade in Sareptam Sidoniorum, & manebis ibi, ergo debebat ibi manere toto tempore, quo duraret fames, ſi autem ſolùm ſemel debuiſſet ibi comedere, non diceret Deus, & manebis ibi. Item quia dicitur immediatè: præcepi enim mulieri viduæ, vt paſcat te, ergo referendo iſtum paſtum ad manere, de quo ſuprà dicebatur, oportebat, quòd multo tempore ibi paſceretur. Item quia infrà dicitur, factum eſt poſt hæc, ægrotauit filius mulieris, & Elias ſuſcitauit eum mortuum, ergo videtur, quod manſerat ibi Elias aliquanto tempore, poſtquàm prima vice comedit de pugillo farinæ. Item quia infrà dicitur, tulitque eum de ſinu illius, & portauit in cœnaculum vbi ipſe manebat, ergo videtur, quod Elias in domo viduæ morabatur. Item quia dixit Elias ad Dominũ, Domine Deus, viduam, apud quam ego ſuſtẽtor, afflixiſti, ergo ibi ſuſtentabatur Elias, manens per multos dies. Dicendum igitur, quod Elias veniens ad mulierem nunciauit ei, quod non debebat deficere de hydria eius farina, & de lecytho eius oleum, vſq; ad diem quo Deus daret pluuiam, & etiã reuelauit ei, quod Deus iuſſerat, vt maneret apud illã, & aleretur toto tẽpore famis, & tunc ipſa dedit Eliæ in domo ſua cœnaculũ quoddam, vbi Elias manebat, & dormiebat, vt patet infrà cũ dicitur, quod ipſe tulit puerum mortuũ in cœnaculum, vbi ipſe manebat, & poſuit ſuper lectum ſuum. Et ſic mãſit Elias in Sarepta quouſque Deus iuſſit ei oſtendere ſe regi Achab. *Cumq; veniſſet ad portam ciuitatis.* Id eſt, quando venit Elias ad portam Sareptæ vrbis. *Apparuit illi mulier vidua colligens ligna.* Iſta mulier vidua erat, apud quã manſurus erat Elias, & Deus fecit, quòd ipſa occurreret Eliæ apud portam vrbis, vt non cogeret Elias illã inqrere per vrbem, colligebat aũt ligna aliqua parua apud portam vrbis, ſicut colligere ſolent pauperes fragmẽta lignorum. *Et vocauit eam.* Scilicet clamauit ad illam, quia ipſa iam collectis lignis recedebat in domum. *Dixitq; ei, Da mihi paululum aquæ in vaſe, vt bibam.* Petiuit Elias nunc aquam, & poſteà petiuit panem, quia maius erat. *Cumq; illa pergeret, vt afferret.* Scilicet iſta mulier promptè obediuit, eundo in domum ſuam pro aqua pro viro iſto, de quo neſciebat qs eſſet, vel vnde. *Clamauit poſt tergum eius dicens, Affer mihi obſecro & buccellam panis in manu tua.* Iſte eſt modus eorũ, qui non audent ſimul plura petere præ verecundia, vt cùm petiuerint vnum, & conceſſum fuerit, petunt aliud.

Quomodo petiuit Elias aquam vel panem à muliere reperta apud portam, quia neſciebat an illa eſſet, ad quam Deus eum mittebat.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR, quomodo Elias petiuit aquã vel panem ab iſta muliere, quia poterat eſſe, quòd non eſſet iſta, ad quam mittebat eum Deus, & ſic erraret, quia non multiplicaretur panis nec oleum in domo ſua, ſi non eſſet illa, de qua Deus loquebatur, & ſic eſt dubium, an cognouerat illam eſſe, de qua Deus dixerat, & ſi cognouerat, quomodo cognouerat.

Reſpondendum, quod quando Elias accedens ad portam vrbis, vidit mulierem iſtam, ſciuit illam eſſe, de qua Deus locutus fuerat, alioquin nõ locutus fuiſſet ad ipſam, quia eſſet in vanum ſermo ſuus. Modus autem cognoſcendi illam fuit, ſecundùm quod vult Ra. Sa. per poſtulationem aquæ, ſcilicet quod Elias, quando acceſſit ad vrbem, nõ cognoſcebat, quæ eſſet mulier, de qua Deus dixerat, ideo orauit ad Dominum, quòd oſtenderet ei illã ſub hoc ſigno, ſcilicet quòd quæcunque mulier ei petẽti aquam ſpontè tribueret eſſet illa, ad quã Deus miſerat eum. Credidit autem, quòd Deus exaudiuiſſet orationem eius, ideo quando venit ad portam vrbis, & inuenit mulierem illam colligentem ligna, petiuit ab illa aquam, volens experiri, an illa eſſet, quam Deus parauerat ei: & videns quòd ſpontè pro aqua iret, locutus eſt ei, quòd daret ſibi panem, ſciens quòd iſta erat, apud quam paſcendus eſſet. Simile fuit de Eliezer ſeruo Abrahæ, quando iuit in Meſopotamiam Syriæ ad quærendum vxorem pro Iſaac, dixit, Domine Deus occurre mihi hodiè, & fac miſericordiam cum Domino meo Abraham: igitur puella cui dixero, Inclina hydriam tuam vt bibam, & illa reſponderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac, & per hoc intelligam, quòd feceris miſericordiam cum Domino meo.

Sed iſte modus licèt aliqualiter poſſet ſtare, tamen non eſt conueniens: quia iſte modus non cauſat magnam certitudinem, eo quod ille, qui ſic orat, neſcit, an à Deo exaudiatur oratio ſua, ideo ſignum eſt inſufficiens. Eliezer tamen ſeruus Abrahæ non potens habere aliam certitudinem, commiſit ſe huic ſigno. Elias tamen erat Propheta, cùm Deus ei ſæpè loqueretur, & poterat aliter certificari. Item Elias non auderet prænunciare aliquid futurum mulieri, ſi non cognoſceret eam eſſe, ad quam Deus mittebat illum ſub maiori certitudine, qui poterat errare.

Ideo dicendum, quod Deus reuelauit Eliæ, quando venit apud portam vrbis, & vidit mulierem, quod illa erat, ad quã mittebat eum. Et patet hoc ex ſimili. Nam illicò, cùm peteret Elias panem, & mulier negaret ſe habere, dixit Elias,

A Elias, Hæc dicit Dominus: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur, & ista dixit Elias immediatè, vt petiuit aquam & panem. Et de istis certum est, quod Deus ei tunc reuelauit, quia aliàs per signum aliquod de datione aquæ non poterat Elias scire, an lecythus olei minueretur, & hydria farinæ. Sicut igitur Deus istud reuelauit ei tunc, ita reuelaret, quod mulier illa erat, ad quam mittebat eum. Fuit autem modus, quod quando Elias erat apud torrentem Carith, Deus dixit ei, quod pascendus erat apud quandam viduam Sareptanam, & quòd iret illuc, sed non dixit ei tunc, quæ erat illa: cùm verò accessit ad vrbẽ, fecit quòd mulier illa occurreret ibi Eliæ, & tunc dixit Deus ei, Ista est de qua dixeram tibi. Simile patet de Samuele. Nam antequã veniret ad eum Saul, dixerat Deus illi, Cras mittam ad te virum de Beniamin, & vnges eum in ducem super populum meum, & deinde cum sequenti die stetisset Saul coram Samuele, & non cognosceret eum Samuel, dixit Deus ad Samuelem, Ecce vir, quem dixeram tibi, ipse dominabitur populo meo, suprà primo libro, cap. 9. Simile etiam est de reuelatione facta Ahiæ Siloniti contra Ieroboam, cùm veniret ad eum vxor Ieroboam mutato habitu, dixit Deus ad Ahiam, Ecce vxor Ieroboam ingreditur, id est, ista est, quæ nunc ingreditur, suprà 14.

Elias quare petijt aquam ab ista muliere.

B

QVÆSTIO XXVII.

VLTERIVS quæretur, ad quid Elias petiuit paululum aquæ ab ista muliere, cùm iam sciret istam esse, apud quam pascendus erat. Rab. Sal. respondet vt suprà, scilicet, quod petiuit aquam ad sciendum, an illa esset mulier, ad quam Deus mittebat eum, sed istud suprà improbatum est.

Dicendum igitur, quod Elias sciebat istam esse mulierem, & poterat ei dicere, Deus iussit, vt venirem ad te, & pascerer me, & tamen quia iste modus loquendi non erat coloratus, voluit Deus, quòd haberet Elias occasionem loquendi ex verbis eius, & ob hoc petiuit aquã, vt ex illa videretur, quomodo mulier respondebat, & sic posset procedere in petitione. Deinde cùm mulier promptè iret ad ferendum aquam, Elias clamauit petens panem, & tunc ipsa respondit, se non habere nisi parum farinæ, & parum olei, volebatq; illud facere sibi & filio suo, & morerentur. Tunc Elias habuit locum loquendi propheticè, scilicet quòd non deficeret farina de hydria eius, nec oleum de lecytho. Sed dicetur, ad quid petebat Elias aquam, quia istud nihil agebat ad hoc, quòd ipse loqueretur mulieri, ea quæ Deus iusserat?

Respondendum, quod fuit propter duo. Primò propter ordinem petitionum. Nam petentes obseruant istum modum, quòd priùs petant ea, quæ parua sunt, deinde cùm viderint fauorem eorum, à quibus petunt, confidunt, & petũt maiora, sic Elias petiuit primò aquam, quia istud erat minimum, quod poterat mulier dare: deinde petiuit panem, quia istud erat maius donum.

C Secundum est, quia voluit Elias petere aquam priùs ad probãdum bonitatem mulieris illius, & vt in hoc ipsa mereretur: nam cùm ipsa promptè iret in domum suam, vt daret aquam isti viro, quem nunquàm viderat, nec sciebat vnde esset, merebatur. Sic patet Matthæi 10. & Marci 9. scilicet, Quicunq; potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, Amen dico vobis, Non perdet mercedem suam. Et per hoc ista mulier merebatur, quòd augeretur farina sua & oleum, & non periret fame ipsa nec filius suus.

Quæ respondit, Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. Apparet ex hoc affectio mulieris ad dandum si habuisset, & tamen nullum panem habebat, sed solùm habebat modicum farinæ in hydria, quantum poterat capere pugillus, & sic non poterat dare panẽ mulier Eliæ. Quod autem vellet dare, si habuisset, apparet ex verbis, quia dixit, Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, id est, iuro per vitam Dei tui, quod non habeo. Si tamen ipsa non curasset de verbis Eliæ, nec desideraret ei dare panem, si haberet, non curauisset excusare se per ista verba, scilicet, Viuit Dominus, quia ista significant affectionem. Dixit autem de pugillo farinæ & modico olei, quia miscebat oleum farinæ, & sic conficiebat panem. D

En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo. Scilicet, etiam ligna non habeo, sed colligo nunc ligna duo, vt commisceam illud modicum farinæ oleo, & factum panem coquam in prunis, & comedamus ego & filius meus. Habebat autem fœmina aliam familiam, & tamen solùm expressit hic de filio, quia illum diligebat magis quàm totam familiam.

Vt comedamus, & moriamur. Id est, iam non habeo spem comedendi aliquid post hoc, quia nihil aliud comedendum habeo in domo mea, ideò postquàm comederimus nunc ego & filius meus, nihil nobis restat, nisi expectare mortem. Ex hoc patet quanta sit Dei benignitas, qui in vltimo articulo in quo moreretur, succurrit: nam iam nil restabat mulieri & filio, nisi mori, si Elias tunc non veniisset.

Ad quam Elias ait, Noli timere. Ista loquebatur Elias ex parte Dei certificans mulierem, quòd non peritura esset fame, ideo dixit, Noli timere, scilicet, quòd moriaris tu & filius tuus, postquàm comederis.

Sed vade, & fac sicut dixisti. Id est, fac subcinericium panem mixtum oleo sicut dixisti.

Veruntamen mihi primum fac de ipsa farimula subcinericium panem paruulum, & affer ad me. Id est, fac tibi & filio tuo, & tamen priùs fac mihi, vt ego comedam, & deinde facies tibi. Et dixit, affer ad me, scilicet, quia Elias volebat manere nunc extra vrbem, vbi inuenerat mulierem, quousque ipsa adduceret ei panem, quanquàm postea habebat intentionem introeundi in vrbem, & manendi ibi in domo viduæ, vt pasceretur, & sic postea fecit, vt patet infrà in litera. E

Elias quare iußit mulieri, quòd prius faceret ei panem.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR, quare Elias dixit mulieri, quòd faceret ei priùs panem paruulum quàm sibi & filio suo.

Respondet Nicolaus, quod hoc fuit, quia Elias tunc erat famelicus nimis, & magis necessarius erat sibi cibus quã mulieri & filio. Vel potest dici, quod hoc fecit Elias ad probandum mulieris fidem & bonitatem. Nam quanquàm Elias diceret mulieri, quod Deus dicebat, nunquàm defecturam farinam, nec oleum de domo illius vsque ad diem pluuiæ: non apparebat adhuc, an ipse Propheta esset, vel diceret ista causa fallendi, vt mulier daret sibi cibum, quem habebat pro se, & filio suo. Quòd ergo non habita aliqua alia experientia, mulier consentiret dare illi priùs cibum quàm sibi & filio suo, & poterat esse postea delusa, magna fides erat, ideo vt mulier ista magis mereretur, tentauit eam Elias in multis. Et etiam in hoc obediuit, nam priùs fecit ei panem quàm sibi & filio suo, & per hoc valdè meruit. F

Tibi autem & filio tuo facies postea. Scilicet, postquàm ego comedero.

Hæc autem dicit Dominus Deus Israel, hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur. Scilicet hydria, quæ nihil farinæ habebat ablato illo modico, quod tunc erat ibi, repleta fuit farina, & lecythus parùm habens repletus fuit oleo, & quanquàm quotidiè acciperetur magna pars farinę & olei, semper manebat plena hydria & plenus lecythus.

Vsque ad diem in qua daturus est Dominus pluuiam super faciem terræ. Scilicet, tunc incipiet minui lecythus & hydria, quia Deus vult, quòd miraculum istud solùm maneat eo tempore, quo non potest sustentari, nisi miraculosè, cùm autem venerit pluuia super terram, potest aliter sustentari, ideo deficiet miraculum. Sic factum est de Israëlitis, quibus Deus dedit manna in deserto, dum nihil haberent, nec habere possent quòd sumerent in cibum, & durauit manna quadraginta annis vsquequò Israëlitę ingressi sunt in terram Chanaan, & comederunt de panibus regionis illius, nam tunc cessauit manna, vt patet Iosue 5.

A

Quomodo hydria quæ modicum habebat de farina, & lecythus modicum de oleo, ſubitò repleti ſunt, & an fuerit per multiplicationem, vel per additionem nouæ quantitatis, & quomodo nunquàm minuebatur.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR, quomodo hydria iſta, quæ modicum habebat de farina, & lecythus modicum de oleo, ſubitò repleti ſunt farina & oleo, & quomodo poſteà cùm ſemper de hydria & lecytho aliquid deduceretur, nunquàm deficiebat.

Reſpondẽdum, quod hoc poterat fieri dupliciter, ſcilicet per multiplicationem farinæ & olei præexiſtentis, vel per adiunctionem alterius farinæ & olei. Primo modo, quòd non apponeretur aliqua farina ab extra in hydria, nec aliquod oleum in lecytho, ſed de illo modico oleo fieret multum, & de illa modica farina fieret multa, ita quod in toto tempore famis, quo fuit Elias apud viduam, nihil comederent, niſi illud modicum farinæ, quod priùs vidua habebat, ſcilicet vnũ pugillũ, & tamen iſtud modicũ farinæ creſcebat per extenſionẽ. Sicut cùm aliqua res rarefit, incipit occupare maiorẽ locum quàm prius. Differebat tamẽ, quia quando aliqua res rarefit, non acquirit maiorem quantitatem, ſed maiorem extenſionem, ideò non magis nutriret ſumpta in cibum res duorum palmorum exiſtens ante rarefactionem, vel eadem exiſtens quatuor palmorum poſt rarefactionem, nec etiam magis ſaturarẽt quatuor palmi de re rarefacta, quàm duo palmi eiuſdem rei ante rarefactionem. Hic autem non ſolùm farina & oleum accipiebant maiorem extenſionem vel locum, replendo totam hydriam & totum lecythum quam prius, ſed etiam recipiebant maiorem quantitatem, ideo magis nutriret, & ſaturaret hydria plena per miraculum, quàm pugillus farinæ præexiſtens, quanquàm non fuerit ibi poſita alia farina aliundè ducta, vel nouiter creata. Sed erat hic aliqua ſimilitudo ad augmentationem, quæ fit naturaliter, nam augmentatio eſt ad maiorem quantitatem, 5. Phyſicor. & iſtud non eſt per rarefactionem rei ad habendum maiorem extenſionem & locum, quia res rarefacta non dicitur augmentata, & res condenſata non dicitur diminuta, quia nec in rarefacta augetur quantitas, nec in condenſata minuitur, ſed ſolùm extenſio & locus, ſed res dicitur augmentari per ſuſceptionem nouæ quantitatis, & diminui per perditionem alicuius præexiſtentis quantitatis, non quidem addendo quantitatem quantitati, quia cùm iſta adiunctio non cauſet continuitatem, ſed contiguitatem, non diceretur res præexiſtens maior, ſed exiſteret æqualis ſemper, cùm quantitas poſita iuxta eam non ſit pars ſua, ſed oportet fieri hoc per intus ſuſceptionem, ſcilicet quòd res, quæ augetur ſuſcipiat intra ſe quantitatẽ exteriorem, & efficiatur illa pars ſua, & ſic ipſa res dicatur verè nũc maior quam priùs, eo quòd aliquã quantitatem de nouo ſuſcepit, quam priùs non habebat. Iſtud autem eſt in ſolis rebus, quæ nutriuntur, quia ſuſcipiẽtes intra ſe alimentum, quod eſt alicuius quantitatis, faciũt partes alimenti adhærere partibus ſuis, tranſmutando in ſubſtantiã ſuam, & ſic continuè ſunt maiores partes ipſius rei, quæ nutritur. Fuit quaſi ſimiliter in farina & oleo, de quibus dicitur, nam iſta non poſſunt nutriri, nec augmentari naturaliter, cũ non ſint animata, tamen Deus fecit ſuſcipi intra illud modicum farinæ maiorem quantitatem, & intra oleum maiorem quantitatem, tanquàm ſi iſta naturaliter fuiſſent augmentata & nutrita, & ſic ſubitò repleuerunt hydriam & lecythum, & deinde cùm quotidiè acciperetur aliquid de farina, & aliquid de oleo, faciebat Deus iſta illicò ſub tanta quantitate creſcere, quanta ablata fuiſſet, & iſto modo nunquàm poterat deficere oleum nec farina.

B

De iſta quantitate noua, quæ ſuſcipiebatur intra oleum & farinam, ad hoc quòd farina & oleum priora eſſent maiora: Dicendum, quod à Deo creabatur, non quidem adiungendo illam priori farinæ & oleo, quia tunc non eſſet augmentatio, ſed interiùs ponendo, ita quòd faceret iſtam quantitatem, nouiter inductam, eſſe quantitatem prioris olei & prioris farinæ, & verè diceretur, quòd impleta hydria farina, & lecytho pleno oleo non diceretur, quod erat alia farina vel aliud oleum, niſi id quod priùs exiſtebat.

C

Secundo modo poteſt dici, quòd hoc eſſet per additionẽ vel iuxta poſitionem nouæ quantitatis. Et iſtud poterat eſſe dupliciter. Primò, quòd Deus faceret ſubitò per Angelos duci inuiſibiliter multum de oleo & farina, vt repleretur hydria & lecythus, & quotidiè cùm educeretur aliquid de farina, & de oleo, ſubitò Angeli æqualis quantitatis farinam & oleum apportarent. Secundo modo, quòd Deus creaſſet farinam, quam adiunxiſſet priori farinæ, & oleum oleo, & ſic repleretur hydria & lecythus, & cùm quotidiè tolleretur aliquid de farina & oleo, ſubitò Deus crearet æquale de farina & oleo, & ſic nunquàm minueretur lecythus & hydria. Primus tamen modus iſtorum videtur potiùs fuiſſe, licèt vterque æquale miraculum contineat, quia iſtud videtur magis conuenire multis exemplis ſcripturæ, quàm modus ſecundus. Sic patet de oleo, quod multiplicauit Eliſæus, ſcilicet, quando mulier vna habens modicum olei in lecytho mittebat de illo in multa alia vaſa, & replebantur omnia, ſequenti libro, cap. 4. Sic etiam cùm Chriſtus ſatiauit quinque millia hominum de quinque panibus & duobus piſcibus, non poterat ibi dici, quod fuit creatus panis nouus, quia tunc non ſolùm eſſent quinque panes, ſed multi, & tamen quinque panes ſolùm fuerunt, & cùm illi frangerentur à Chriſto incipiebant eſſe maioris quantitatis, vt ſi vnus panis duorum palmorum frangeretur in duas partes, & quælibet pars inciperet eſſe rurſus duorum palmorum, ſicut totus panis, & ſic poſteà fieret milleſies diuiſio, & in qualibet earum quælibet pars diuiſionis eſſet duorum palmorum, ſicut totus panis à principio, & ſic neceſſe eſt, quòd fuerit ibi facta multiplicatio quantitatis præexiſtentis per intus ſuſceptionem, ſicut in rebus nutritis & augmentatis, & non fuerit noua quantitas creata, quia tunc non oportuiſſet frangi panes, ſed cum illis quinque panibus creaſſet Deus alios mille, vel quinque millia, & tamen non fecit, ſed frangebat minutatim: ergo videtur, quod per iſtam minutationem incipiebat quælibet pars eſſe maioris quantitatis.

D

Varia exẽpla de multiplicatione farinæ & olei.

E

Item ſi non fuiſſet multiplicatio, vel augmentatio, ſed fuiſſet creata noua quantitas panis, neceſſe erat panem creatum eſſe diſtinctum à pane non creato, quem Chriſtus frangebat, quia ſi dicas, quod non erat diſtinctus, neceſſariò eſſet eadem quantitas panis creati, & nõ creati, cùm eſſet ibi continuitas vnius quantitatis ad aliã, & non contiguitas, ſed in continuo tota quantitas eſt eadem quãtitas, ſed impoſſibile erat, quantitatẽ nouiter creatã & præexiſtentem eſſe eandem, niſi quantitas creata incorporaretur quantitati priori, ſicut alimentum rei alimentatæ, ideo neceſſe erat dici, quod illa erat augmentatio, & non additio, vel iuxta poſitio. Si autem dicas, quòd quãtitas panis creata à Chriſto erat diſtincta, & ſeparata à priori, tunc dicetur, quòd quando frangerentur quinq; panes, non fierent de eis maiora fragmẽta, quàm erant ipſi quinq; panes, ſed Chriſtus crearet alia fragmenta noui panis, & tunc ſuperfluum erat frangere panem, ſed poterat dare illos panes quinq; integros, & alia fragmenta, quæ crearet, vel panes integros.

F

Item patet, quia Chriſtus accepit panes illos quinque, & benedixit gratias agens, & fregit, Ioan. 6. Si tamen quantitas alterius panis creanda erat, non fieret miraculum aliquod ſuper panes præexiſtentes, ideo non oportebat illos benedici, ſed orari pro creatione nouorum panum, ſed benedixit illos quinque: ergo miraculum factum eſt in illis quinque, ſcilicet, quòd Deus illos multiplicauerit, vel augmẽtauerit. Iſtud etiam magis concordat menſuris factis de manna, quia qui multum accipiebat, non habebat niſi gomor, & qui modicũ accipiebat, etiam habebat gomor, Exod. 16. & tamen iſta meliùs ſaluantur per augmentationem quàm aliàs, de quo ibi declaratum eſt. Ideo hic licèt teneri poſſet rationabiliter vterque modus, tamen rationabilior eſt primus. In fractione tamen panum Chriſti indiſtinctè tenendus eſt primus modus, quia ſecundus non conuenit.

Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ. Scilicet, mulier illa, quæ erat ad portam vrbis, iuit in domũ ſuam, & fecit panem paruulum pro Elia, & deinde pro ſe & filio ſuo.

Et comedit ipſe, & illa, & domus eius. Scilicet, farina & oleum multiplicata fuerunt, & fuit abundantia panis pro Elia, & pro vidua, & pro domo ſua, id eſt, pro familia. Ex hoc patet,

quòd

A quòd non ſolùm habebat mulier illa filium, ſed etiam habebat familiam aliquam, licèt paucam: fecerat tamen ipſa mentionem ſuprà ſolùm de ſe & filio ſuo. Intelligendum autem, poſt hoc Elias dixerit viduæ, quòd Deus iuſſerit ei manere in domo illius toto tempore famis, & tunc ipſa parauerit ei cœnaculum & locum, in quo maneret, & manſit ibi, vt patet infra.

Et ex illa die hydria farinæ non defecit. Id eſt, non fuit diminuta, ſcil. quia non ſolùm non fuit poſtea vidua in inopia panis ſicut prius, ſed etiam hydria ſemper erat plena: & dato, quòd ſemper educeret inde farinam, nunquam minuebatur, ac ſi nunquam educeret quidquam inde.

Et lecythus olei non eſt imminutus. Scilicet, repletus fuit ſubitò oleo, & poſtea nunquam minuebatur, ſubtrahendo inde quotidie oleum. Iſtud autem fuit, vt vidua illa comederet ſine timore, quia ſi minueretur hydria vel lecythus, quamquā rurſus implenda eſſent, illa timeret, quòd euacuato lecytho, & hydria, Deus non daret ei vltra de farina, & de oleo, & hoc comederet ad parcitatem: vt ergo putaret, quòd ſemper haberet cibum, & comederet confidenter, non deficiebat aliquid de lecytho, nec de hydria, quamquam quotidie inde ſubtraheret. Iſtud autem fuit vſque ad diem, quo Deus pluit: nam ex tunc cœpit minui hydria, & lecythus, ſcilicet, quòd quantum ſubtrahebat, tantùm minuebatur, quouſque omnino defecit farina, & oleum, ſed iſtud fuit in tempore, quo

B iam ipſa poterat aliunde habere cibum.

Iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Eliæ. Scilicet nunquam defecit, nec minutus eſt lecythus, & hydria vſq; ad pluuiam, quæ ſic Deus prædixerat per Eliam.

Factum eſt autem. Hic ponitur filij viduæ ſuſcitatio: nam accidit, quòd moreretur manente ibi Elia, & ipſe ſuſcitauit eum. Et dicitur.

Factum eſt autem poſt verba hæc. Id eſt, accidit poſt iſta, quæ dicta ſunt, mori filium viduæ. Accipitur enim verbum pro ipſa re, quæ fit. Sic accipitur ſæpè ſupra decimoquinto, & præcedenti capitulo, cùm dicitur de Libro verborum dierum regum Iuda, vel Iſraël, & vocatur Liber verborum, id eſt geſtorum.

Ægrotauit filius mulieris matrisfamilias. Id eſt, filius mulieris viduæ in domo cuius manebat Elias. Et vocatur materfamilias, quia vidua erat, & domina domus: nam ſi habuiſſet virum, ipſe eſſet princeps domus, & non illa: ideo vocaretur ipſe paterfamilias, & illa non vocaretur materfamilias, quia tamen vir erat mortuus, & ipſa erat princeps domus, vocabatur materfamilias.

Et erat languor fortißimus, ita vt non maneret in eo halitus. Scilicet, fuit ægritudo illius pueri fortiſſima, ita vt moreretur, & iſtud eſt, quòd non remanſerit in eo halitus, id eſt anhelitus, quia poſtquam homo deſinit inſpirare & reſpirare, moritur.

C *Dixit ergo ad Eliam, Quid mihi & tibi vir Dei?* Scilicet mater pueri mortui conquerens de Elia dixit, quid mihi & tibi vir Dei? Id eſt, quid ego feci tibi mali, vt filius meus moreretur propter te? putabat enim mulier, quòd ſi Elias non veniſſet, non mortuus fuiſſet filius ſuus.

Ingreſſus es ad me. Id eſt, ingreſſus es in domum meam. Iſta locutio interdum ſignificat cognitionem carnalem. Sic patet Geneſ. 16. ſcilicet, Ingredere ad ancillam meam, id eſt cognoſce eam carnaliter. Sic etiam dixit Iacob Geneſ. 29. Da mihi vxorem meam, quia iam tempus eſt expletum, vt ingrediar ad illam, id eſt cognoſcam illam carnaliter. Aliquando ſignificat ingreſſum in aliquem locum, & ſic accipitur communiter. & ſic accipitur hic, quia Elias erat vir ſanctus & vidua illa deuota, & certum eſt, quòd non perpetrarent tale ſcelus, vt cognoſceret illam carnaliter.

Vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meũ. Putauit enim, quòd propter præſentiam prophetæ mortuus fuerat filius eius, non quidem propter peccata prophetæ, ſed propter peccata matris: credebat tamen, quòd peccata ſua erant in obliuione apud Deum, & propter præſentiam Eliæ Deus recordatus eſt peccatorum eius, & occidit filium ſuum.

Quare credidit mulier, quòd propter Eliam mortuus eſſet filius eius.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR quomodo mulier iſta dicebat, quòd propter Eliam mortuus fuerat filius eius, cùm Elias eſſet vir ſanctus, & eius præſentia potius cauſaret bonum, quàm malum.

Reſpondendum, quòd mulier iſta credebat, quòd peccata ſua promerebantur mortem filij ſui, & tamen putabat, quòd peccata ſua erant apud Deum in obliuione: ideo quod non puniret eam occidendo filium: nunc autem, quia Elias præſens erat, & ipſe erat nimis ſanctus, ex præſentia eius videbantur peccata mulieris eſſe maiora, & ob hoc erant digna maiori pœna: & ſic videbantur nunc redire ad memoriam Dei, & propter illa occidit filium eius. Simile enim habetur ſæpè in Scriptura: cùm per comparationem vnius rei ad aliam, illa, quæ prius videbatur bona, poſtea non videtur bona. ſic enim dicitur Iob 25. ſcilicet, Nunquid poteſt iuſtificari homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce etiam luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis? Et alibi dicit, quòd coram Deo cœli mundi non ſunt, & in Angelis ſuis reperit iniquitatem. Ob hoc aũt antiquitùs hoīes, qui non erant vitæ perfectæ, timebant manere apud viros vitæ perfectæ, putantes, quòd peccata ſua viderentur eſſe maiora, per comparationem ad bonitatem virorum perfectorum. Sic enim dixit Petrus ad Chriſtum, quando voluit introire in nauem ad eum, ſcilicet, Exi à me Domine, quia homo peccator ſum ego. Sic etiam multoties aliqui mali vocantur boni comparati ad alios peiores. Sic patet Ieremiæ 3. Scilicet, Iuſtificauit animam ſuam aduerſatrix Iſraël comparatione præuaricatricis Iudæ. Sic etiam mali dicuntur iudicare alios malos, inquantum quidam mali, comparati ad alios, peiores videntur. Sic patet Matthæi 12. Scilicet, Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, id eſt, peior apparebit generatio iſta, quàm Regina Auſtri: quia illa venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, qui erat minor me, & iſta generatio habens me præſentem, audire noluit. Sic igitur putauit mulier peccata ſua reducta in memoriam Dei, propter comparationem ad bonitatem Eliæ. *Et ait ad eam Elias, da mihi filium tuum.* Confidens Elias, quòd filius mulieris pietate Dei ſuſcitari poſſet, & compaſſus mulieri, à qua tantam humanitatem ſuſceperat, petiuit, vt daret eum ſibi, ſcilicet, vt oraret pro eo, & ſuſcitaretur. *Tulítque eum de ſinu illius, & portauit in cœnaculum, vbi ipſe manebat.* Habebat enim mater filium defunctum in gremio ſuo, exhibens pietatis officium, lachrymando ei quem genuerat. Elias autem ſuſcepit illum, & tulit in cœnaculum, vbi ipſe manebat, id eſt, in domum quandam, quam ipſe habebat intra domum viduæ. Cœnaculum enim propriè vocatur domus facta ad comedendum ibi: & dicitur à cœnando, quia cœnare accipitur pro quocunque cibo, & quacunque hora, & tamen generaliter vocatur cœnaculum quæcunque domus, vt dictum eſt, Iudicum 3. & 4.

Habebat autem Elias in domo illius viduæ, quandã partem ſeparatam, quam dederat ei vidua, in qua maneret, & ibi habebat lectum, & illuc duxit puerum. *Et poſuit ſuper lectum ſuum.* Tanquam eſſet ægrotus, & ipſe debebat incubare ſuper eum, vt patet infra. *Et clamauit ad Dominum.* Scilicet, Orando ex magno deſiderio, vt ſuſcitaretur puer, quia nimis ipſe deſiderabat, vt puer ſuſcitaretur compatiens matri. *Et dixit, Domine Deus meus, etiam viduam, apud quam ego vtcunq; ſuſtentor, afflixiſti, vt interficeres filium eius?* Dicebat iſta Elias, quaſi cõquerens, ſcil. Domine Deus, nunquid tantùm volebas me affligere, vt viduam apud quã ego maneo, nimis affligeres occidendo filium ſuum? quaſi dicat. Iſtud eſt maximũ malum, vel dolor grauior, quàm ego pati poteram: ideo oro, vt viuat. Et dixit apud quam ego ſuſtentor, ſcil. quia Elias manebat in domo illius viduę, & ibi ſumebat cibũ. Et dixit, vtcunq;, id eſt aliqualiter, quia nõ totaliter ſuſtentabatur, cũ pleniùs ſuſten-

D

Iob 4.

E

Mali vocantur quãdoq; boni comparatiuè, & è contra.

F

taretur, quando manebat apud torrentem Carith, quia ibi dabantur ei bis in die panis,& carnes, ſupra in litera: hic autem ſolùm habebat panem mixtum cum oleo,cùm vidua nihil aliud haberet.

An iſte puer ſuſcitatus ab Elia fuerit Ionas Propheta.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR de iſto puero occiſo quis fuerit. Sciendũ, quòd non dubitatur hic quis fuerit, id eſt, de quo loco oriundus fuerit,vel quæ erat mater eius, quia vtrumque notum eſt:ſed quæritur quis fuerit, id eſt, qualis homo poſt ſuſcitationem fuerit.

Hebræi dicunt, quòd iſte fuerit Propheta Ionas, & volunt hoc, quia Ionas vocatur filius Amathi, vt patet Ionæ 1. Amathi verò in Hebræo ſignificat veritatem: dicunt autem eum filium veritatis fuiſſe, quia quando ſuſcitatus eſt, dixit mater ſua ad Eliam,Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei tu es, & verbum Domini in ore tuo verum eſt. Hanc poſitionem multi noſtrorum tenent, & recitat eam Hieronymus in Prologo ſuper Ionam, qui incipit: Ionam Sanctum, Hebræi affirmant, filium fuiſſe mulieris viduæ Sareptanæ, quem Elias Propheta mortuum ſuſcitauit, matre poſtea dicente ad eum: Nunc cognoui, quia vir Dei es tu,& verbum
B Dei in ore tuo eſt veritas, & ob hanc etiam cauſam ipſum puerum ſic vocatum Amathi: Amathi autem in noſtra lingua veritatem ſonat, & ex eo quòd verum Elias locutus eſt, ille,qui ſuſcitatus eſt, filius eſſe dicitur veritatis. Hanc poſitionem an Hieronymus teneat, non apparet, cùm ſolum recitet eam.

Videtur autem dicendum, quòd non fuerit iſte puer filius illius viduæ: quia iſtud fundamentum eſt multum leue: potiſſimè, quia ſacra Scriptura conſueuit ponere in titulis aliquorum Prophetarum,tam minorum, quàm maiorum nomina patrum,& interdum auorum,& proauorum. De Iona tamen dicitur,quòd erat filius Amathi: ideo videtur, quòd Amathi fuerit vir. Et tamen Hebræi exponunt hoc multum metaphoricè,ſcilicet,quòd fuerit filius Amathi,id eſt veritatis:quia Elias verum dixit,ſuſcitando puerum.Item hoc non ſtat,quia mater iſtius pueri non erat Hebræa, ſed Sidonia extra terram Iſraël,vt probatum fuit ſuprà in quadam quæſtione:ergo filius eius non erat Hebræus ſaltem origine.Ionas tamen erat Hebræus origine, quia quando cecidit ſors ſuper Ionam,vt mitteretur in mare,quæſitum eſt ab eo,de qua terra,& de quo populo erat:& reſpondit, Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cœli ego timeo: ergo non erat Sidonius, ſed Hebræus;iſte puer tamẽ erat Sidonius: ergo non fuit iſte Ionas.Hebræi tamen mouentur ſæpè facili motiuo.Quid autem poſtea de iſto puero factum ſit, non habetur. *Et expandit*
C *ſe,atq; menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus.* Scilicet, Poſtquam collocauit ſe ſuper puerum orauit, & iterum expandit ſe, & poſtea orauit,& ſic fecit tertia vice. Poſuerat enim Elias puerum ſuper lectum ſuum, & ibi metiebatur ſe ſuper eum, ſcil. extendens ſe totum ſuper illum,& ponens manus ſuas ſuper manus pueri, & ſingula membra ſua ſuper ſingula membra pueri mortui: & iſtud vocatur metiri ſe, id eſt, extendere ſe ſecundùm totam ſuam longitudinem. *Clamauitq; ad Dominũ, & ait,Domine Deus meus reuertatur, oro,anima pueri huius in viſcera eius.* Ordo fuit iſte,quòd primò orauit ad Dominum,vt ſuſcitaret puerum,& tunc extendit ſe ſuper eum: & cùm ſic nõ ſuſcitaretur, ſurrexit iterum, & orauit,& poſt orationem incubuit ſuper puerum extendens ſe ſuper eum: & cùm etiam ſic non reſurgeret, ſurrexit, & orauit tertiò, & poſt orationẽ extendit ſe ſuper puerum, & in hac tertia vice puer ſurrexit: & ſic fuerunt tres extenſiones cum tribus orationibus. *Exaudiuit Dominus vocem Eliæ.*ſcilicet, Quando orauit in tertia vice, quia in primis duobus non exaudiuerat. *Et reuerſa eſt anima pueri intra eum,& reuixit.* Scilicet, Reuerſa anima apparuit vita pueri,quia prius corpus mortuum non habebat aliquas operationes vitales.

Suſcitatur puer mortuus precibꝰ Eliæ.

Quare tulit Elias puerum in cubiculum ſuum.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR, quare Elias tulit puerum in cubiculum ſuum ad ſuſcitandum eum.

Reſpondendum,quòd Elias intẽdebat facere aliquid ſuper puerum, ſcil. incumbere ei, & iſtud non erat honeſtum, quòd videret mater ſua, vel aliquis alius: ideo debuit hoc facere Elias ſolus intra cubiculum ſuum. Item Elias oraturus erat ſæpè pro ſuſcitatione pueri, & ſi mater pueri videret, q̃ poſtquàm ſemel pro eo orauerat, & incubuerat ſuper ipſum, non ſuſcitabatur,deſperaret eum ſuſcitandum, & iſta infidelitas matris fortè impediret ſuſcitationem pueri:quia fides illorum, qui offerunt aliquem, ad hoc quòd fiat miraculum ſuper illum, promeretur maximè fieri miraculum. Sic patet quando Chriſtus ſuſcitauit mortuos, & ſanauit cæcos: nam dixit,Creditis quòd poſſum hoc facere vobis? & dixerunt,vtique Domine,& tunc ſanati ſunt,Matt.9. Sic etiam patet de illis,qui ferebant paralyticum ad Chriſtum,& cùm non poſſent intrare in domum præ turba, aſcenderunt ſuper tectum domus,& nudauerunt tectum, & per locũ illum ſubmiſerũt grabatum, in quo iacebat paralyticus:Chriſtus autem videns fidem illorum,ſanauit paralyticum.Marc.2.ſcilicet, ſi autem
E illi non habuiſſent fidem,fortè non ſanaſſet eum:ita eſſet hic de matre pueri: ideo ne ſua infidelitas, vel dubitatio aliquid impediret,non debuit eſſe præſens mater.

Quare Elias extendit ſe ſuper puerum.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Elias extendit ſe ſuper puerum iſtum,quando ſuſcitauit eum?

Reſpondet Nicolaus, quòd ad hoc ſunt duæ cauſæ, vna literalis,& alia myſtica. Prima eſt, ad ſignificandum affectionem Eliæ ad ſuſcitationem pueri, ſcilicet, quia non ſolùm orabat pro illo, ſed etiam incumbebat ei. Secunda eſt ad ſignificandum, quòd filius Dei aſſumpturus erat carnem noſtram,& acciperet menſuram humanitatis noſtræ,ſicut Elias metiebatur ſe ſuper puerum, ſed iſtæ rationes multum ſunt extraneæ.

Dicendum igitur videtur, quòd Elias fecit hoc, tanquàm per iſtud conferret aliquid ad ſuſcitationem pueri: ſciebat enim Elias, quòd calor eſt inſtrumentum animæ operantis in corpore: omnes enim operationes animæ radicem habent à calore: nam fragilitas non ponit pedem in operatione naturæ, niſi per accidens: dato ergo, quòd anima ſit in corpore,ſi corpus eſt omnino frigidum, non poteſt exercere operationem aliquam in corpore: ideo Elias volebat, quantum ex ſe poterat, agere ad ſuſcitationem iſtius pueri: ſciebat enim, quòd ad ſuſcitationem requirebatur, quòd anima rediret in corpus pueri, & ad hoc ſciebat Elias ſe non poſſe aliquid cooperari, quia erat purè ſupernaturale: ſed quia poſtquàm anima eſſet in corpore, debebat habere operationes vitales, & iſtæ non poſſunt eſſe ſine calore, ad hunc autem calorem poterat aliquid conferre Elias, & iſtud erat coniungendo membra ſua calida corpori pueri frigido: ideo incumbebat ſuper eum ad calefaciendum ipſum. Hoc autem aliqualiter apparet: nam quia anima exiſtens in corpore, debet totum corpus mouere, & operari per illud, requiritur calor in ſingulis partibus corporis: ideo Elias non ſolùm conatus eſt calefacere aliquas partes corporis pueri, ſed totum corpus:& ob hoc menſus eſt ſuper eum,id eſt, extendit ſe ſecundùm totam menſuram ſuam, ſcilicet, caput ſuper caput, & brachia ſuper brachia, & ſic de cæteris partibus corporis.Iſtud magis patet adhuc in Eliſæo, quando ſuſcitauit filium alterius mulieris,ſequenti libro, capitulo quarto.Nam dicitur: Incubuit ſuper puerum,poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum. Quòd autem Elias faceret iſtud ad calefaciendum carnem pueri,& ſic poſſet anima facilius operari in corpore, patet, quia cùm in allegato c.dicitur de Eliſæo,quòd poſuit os ſuũ ſuper os pueri,&

A oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, ſequitur: Et calefacta eſt caro pueri. quaſi dicat, quòd ad hunc finem fiebant iſta, vt calefieret caro pueri: quia alioquin fruſtra poneretur, quòd calefacta fuerit caro pueri.

Quare Elias voluit calefacere membra pueri ad operationes animæ, quia Deus, qui infundebat animam, faceret iſta. Et quæ ſit operatio animæ in corpore, quo ad vitam.

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Elias voluit facere hoc, quia non erat opus: nam Deus, qui animam corpori veniret, calefaceret corpus, vt operaretur anima in illo. Sic patet in alijs ſuſcitationibus mortuorum, quas Chriſtus fecit, & viri ſancti: nam illi non iacebant ſuper mortuos ad calefaciendum eos. Sic etiam patet de quodam mortuo, qui ſuſcitatus eſt in ſepulchro Eliſæi: nam quidam volentes ſepelire hominem, videntes latrunculos ex oppoſito, vt citò facerent, proiecerunt cadauer in ſepulchrum Eliſæi, & vt tetigit oſſa eius, ſurrexit homo & ſtetit ſuper pedes ſuos, ſequenti libro, cap. 13. & ibi nullus calefecit carnem illius.

Reſpondendum, quòd non erat neceſſe calefieri carnem pueri per Eliam, ad hoc quòd ſuſcitaretur: quia Deus qui animam poterat corpori reunire, poterat cauſare calorem in corB pore, quod minus erat. Secundò ſciendum eſt, quòd dato, quòd anima reuniretur corpori, non poterat manere vnita, vt forma, nec vt motor, niſi corpus calefieret, immò impoſſibile erat aliquo modo animam corpori vniri, niſi corpus prius calefieret. Quod patet, quia diſpoſitiones requirũtur ſemper in materia, ad hoc quòd vniatur ei forma, & materiæ nullo modo diſpoſitæ, nequaquam poteſt vniri forma. Item illa diſpoſitio, qua pereunte neceſſario anima recedit à corpore, oportet quòd ſit prius in corpore, quàm anima introducatur, quia alioquin exiſteret anima in corpore, antequam eſſet diſpoſitio illa, & conſequenter poſſet etiam manere recedente illa, ſed anima nõ poteſt manere in corpore, poſtquàm omnino infrigidatum fuerit, ideo impoſſibile eſt animã introduci in corpus, niſi prius calidum fuerit. Tertiò ſciẽdum, quòd anima non poteſt calefacere corpus, niſi illud calidum repererit: nam ipſa vnita corpori, vtitur calore vt inſtrumento ad digeſtionem, & ad alias operationes: & tamen non poteſt cauſare calorem, nec frigus, nec aliquam aliam qualitatem: quia tunc cùm animæ omnium hominum in ſeipſis ſint æquales in perfectione, æqualiter cauſarent calidum, vel frigidũ, & alias qualitates. Etiam ſequeretur, quòd anima nunquam, aut ſæpè recederet à corpore, eo quòd ipſa poſſet cauſare frigiditatem, vel caliditatem, & conſeruaret harmoniam ſemper, cùm ipſa anima non mutetur in ſe ipſa, cùm ſit omC ni tempore æqualiter potens, & impaſſibilis à rebus corporalibus.

Dicendum igitur, ſecundùm veritatẽ rerum naturalium, quòd anima ſiue hominis, ſiue pecorum, & maximè anima hominis, cùm non ſit corpus, nec pars corporis, nec accidens corporale, non poteſt cauſare aliquam qualitatem, vt frigus, vel calorem, nec poteſt deſtruere aliquam, ſed ſolùm eſt operatio ſua, quòd dirigat qualitates actiuas, & paſſiones exiſtentes in corpore, vtendo illis, tanquàm inſtrumento, & aſſimilando operationes eorum ad conuenientiam ſpeciei corporis: quod non poſſent facere qualitates, niſi eſſent inſtrumentum animæ operantis, vtpotè calor, qui conuenit igni ſecundùm ſeipſum habet reſoluere, & comburere incinerando: calor tamen eſt in corpore humano ad digerendum alimentũ, & ille non incinerat alimentum deſiccando illud, ſed potius conuertit in ſubſtãtiam, & ſpeciem corporis humani. Quòd autem calor iſte reſoluitur, & liquefaciat alimentum ſiccum mixtum humori, habet à ſpecie ſua, ſicut calor ignis digerit, & diſſoluit carnes exiſtentes in olla, quòd tamen conuertat alimentum in carnem humanam, vel neruum, aut os, non habet à ſeipſo, ſed habet ab anima cuius inſtrumentum eſt, quia ſicut quodlibet operans vtitur inſtrumento ad finem ſuum, aſſimilando operationem intentioni ſuæ: ita anima dirigit calorem, ad conuertendum alimentum in ſpeciem carnis corporis humani: quia ad hoc habet anima vires, cùm ipſa ſit forma, vel ſpecies corporis. Sic etiam bruta digerunt per D calorem, & conuertunt alimentum in carnem ſpeciei ſuæ, quod non poterat facere calor, ſed facit illud anima bruti, vtens calore, vt inſtrumento. Quòd autem conuertatur illud alimentum potius carnem vnius ſpeciei, quàm alterius, contingit propter ſpeciem animæ, ſcilicet, quia ipſa eſt de ſpecie huius bruti, & non alterius. Item, quòd anima faciat hoc, & non calor, patet quia in omnibus, qui digerunt cibum, calor eſt inſtrumentum digerendi, ſi tamen ipſe calor eſſet principale agens, cùm ſit calor eiuſdem ſpeciei in omnibus habentibus digeſtionem, conuerteretur alimentum in omnibus, quę aluntur in vnitatem carnis eiuſdem ſpeciei: & tamẽ quot ſunt ſpecies rerum habentium digeſtionem, tot ſunt ſpecies rerum, quæ fiunt ex alimento: impoſſibile eſt ergo iſtud prouenire ab alio, niſi à forma corporis, ſcilicet, ab anima vtente calore, ſicut inſtrumento, ita vtitur alijs qualitatibus, vt inſtrumentis in diuerſis operationibus.

His omnibus præſuppoſitis de habitudine animæ ad corpus. Dicendum, quòd Elias motus fuit ad calefaciendum carnem pueri, iacendo ſuper eum, propter duo: Primum eſt, quia quamquam ſciret Elias, quòd Deus poterat animam corpori reunire, & ante hoc cauſare calorem per quem anima poſſet corpori vniri, & operari in eo: tamen non attendit ad id, quod Deus poterat facere, ſed ad id, quod facere conſueuerat. Videbat enim Elias, quòd Deus infundebat animam omni corpori, ad hoc quòd viuens eſſet: & tamen anE tequam infunderet, corpus erat ſufficienter diſpoſitum naturaliter calore, & humore contemperatis, ita vt reperiretur ibi harmonia, quæ requiritur, ad hoc quòd anima poſſit vniri corpori, vt forma, & operari per illud, vt motor. Nunc autem ſi Deus deberet animam reunire iſti corpori pueri, nõ erat ibi calor, qui principaliter requirebatur, ad hoc quòd anima infunderetur corpori: ideo volebat ipſe ſupplere iſtud, calefaciendo carnem pueri, vt ſic vniretur anima. Et non peccauit Elias in hoc, nec fuit modicæ fidei, tanquàm ipſe vellet agere hoc, & Deus illud non poſſet facere, ſed voluit facere, quia Deus nunquam conſueuerat hoc facere, & putabat, quòd Deus vellet, quòd ipſe hoc faceret: ſicut Deus vult, quòd naturaliter diſponatur corpus in matrice, ad hoc quòd ipſe ſolùm infundat animam.

Elias extẽdit ſe ſuper puerũ propter duo.

Fuit autem ad hoc principale motiuum, quia ante Eliam nullus mortuus vnquam ſuſcitatus fuerat: ideo neſciebat Elias, quis modus teneretur in reunione animæ ad corpus: & quia ipſe videbat quotidie, quis erat modus primę vnionis animæ ad corpus, ſcilicet, quòd corpus eſſet prius calidum, putauit, quòd talis debebat eſſe modus in reunione. Hunc etiam modum tenuit Eliſæus, quando ſuſcitauit filium cuiuſdã mulieris, ſequenti libro, cap. 4. Nam ante ſe non fuerat aliquis ſuſcitatus à morte, niſi per Eliam, & quia ille calefecerat prius carnem pueri, quàm ſuſcitaretur, ſecutus eſt doctrinã eius Eliſæus, cùm fuiſſet diſcipulus eius, & habuit eadem motiua, quæ Elias. F

Secundum motiuum fuit, quia Deus voluit, quòd Elias ſic ſuſcitaret puerum, inclinando eum ad calefaciendum carnem eius, & hoc, vt videretur differentia inter ſuſcitationes, quas ipſe fecit, & ſuſcitationes antiquorum Prophetarum: nam illi orabant ſæpè, vt Deus ſuſcitaret, quos ipſi petebant, & poſt multam, & longam orationem Deus ſuſcitabat. Chriſtus autem non orabat, ſed iubebat, ſicut cùm dixit filio viduæ: Adoleſcens tibi dico ſurge. Et iterum ad puellam filiam Archiſynagogi dixit: Puella ſurge. Et non ſolùm orabant Prophetæ ad ſuſcitandum mortuos, ſed etiam calefaciebant carnem mortuorum, vt præmitterent diſpoſitionem iſtam ad ſuſcitationem: Chriſtus autem nihil horum faciebat. Eodem modo diſcipuli ſui ſuſcitantes mortuos, non faciebant hæc, ſed inuocantes Chriſtum ſuper mortuos, illicò ſuſcitabant eos, eo quòd dixerat eis Chriſtus: Maiora horum facietis, id eſt, quòd facerent maiora, & plura miracula, quàm Chriſtus. Et non ſolùm Deus voluit, quòd Elias iſtud faceret, ſed etiam quòd ſcriberetur in ſacra Scriptura, qualiter ille egiſſet, vt poſteri, videntes differentiam ſuſcitationis mortuorum à Chriſto, & à Prophetis, cognoſcerent differentiam poteſtatis Chriſti: & per hoc inducerentur ad ſciendũ, quòd ipſe Deus erat. Vnde Hebræi, qui ſine inuidia poterant attendere ad actus Chriſti, mirabantur

de modo doctrinæ eius,& operationum,dicentes,quòd non docebat ipſe,ſicut Phariſæi,& alij legiſlatores, qui ſolùm docebant; ſed docebat, ſicut poteſtatem habens, ſcilicet, quia imperabat mortuis,& ægris,& ventis,& mari, & quibuſcunque volebat.Lucæ 4.cap.

Quare incubuit Elias ter ſuper puerum.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Elias ter incubuit ſuper puerum, extendendo ſe totaliter ſuper eum, ad hoc quod ſuſcitaretur. Reſpondet Nicolaus, quòd fuerunt duæ duæ cauſæ,vna literalis,& alia allegorica. Prima fuit,quia omnis perfectio conſiſtit in tribus, ſcilicet,in principio, medio, & fine:ideo ad perfectam ſuſcitationem, fuerunt conuenientes tres extenſiones ſuper puerum. Secunda cauſa eſt allegorica,ſcilicet, quia Elias ſuſcitabat puerum in fide Trinitatis, & ad exprimendam illam in actu ſuo,ter incubuit ſuper puerum. Sed dicendum, quòd iſtæ rationes ſunt multum alienę, & licèt ipſe dicat vnam literalem,& aliam allegoricam, vtraque tamen eſt metaphorica. Nam in tribus ſignificatur perfectio, & tamen non inducunt quælibet tria perfectionem, nec maior perfectio erat,quòd Elias ter incubaret,quā quòd bis, immò ſi incubare ſuper puerum aliquid efficiebat, plus efficeret, quater incubando, quàm ter ſolùm. Item videtur, quòd Elias nō egerit hoc propter perfectionem ternarij, nec ad ſignificandam fidem Trinitatis, quia Eliſæus diſcipulus Elię ſecutus fuit doctrinā eius,& incubuit ſuper puerum quē ſuſcitauit:tamen non incubuit ter, ſed bis ſolùm, & ſuſcitatus eſt puer,ſequenti libro,cap.4.Si tamen perfectio, quæ eſt in tribus,aliquid proficeret ad hoc, & potiſſimè ſi fides Trinitatis,multum operās in miraculis, ſignificaretur per iſtam triplicem extenſionem, extendiſſet ſe ter Eliſæus ſuper puerum, ſicut Elias, quia non minoris fidei erat Eliſæus, quàm Elias,nec minus deicola. Sed dicendum, quòd nihil iſtorum conſiderauit Elias, ſed ſolum id quod ſupra diximus, & eadē cauſa fuit,incumbendi ſuper puerum,& ter incumbēdi. Pro quo ſciendū,quòd modus fuit iſte,quia Elias (vt dictum fuit ſupra)ſciebat,duo neceſſaria eſſe ad ſuſcitationem pueri,ſcil. quòd anima reduceretur ad corpus,& quòd corpus prius eſſet calefactum,vt anima poſſet ei vniri,& manere in illo:&qa Deus non conſueuerat cauſare calorem præcedentem ad vnionem animæ,ſed ſolùm infundere animam corpori iam calido, voluit ipſe calefacere corpus pueri, vt Deus ſolùm infunderet animam. Et ad hoc tenuit iſtum modum, quòd priùs orauit ſemel Deum,quantum neceſſe putauit,vt reduceret animam ad corpus pueri, & tunc expleta oratione credens Deum inclinatum ad faciendum hoc, ipſe incubuit ſuper puerum,ad calefaciendum carnem eius,vt anima, quam Deus mitteret,poſſet corpori vniri, & tamdiu manſit ſuper puerum, quouſque caro gelida mortui calefacta eſt, & tunc erat diſpoſita ad hoc, quòd Deus animam infunderet, ſcilicet,quia tunc poſſet conuenienter vniri.Calefacta tamen carne,vidit Elias,quòd puer non reuixerat, & ſic Deus non miſerat ei animam, ideo ſurrexit, & orauit ſecundò, inſtanter petens animam corpori reuniri,& expleta oratione, incubuit ſecundò ſuper puerum,& calefecit eum, ſicut prius, expectans quòd in hac vice Deus animam reuniret.Calefacta autem carne vidit,quòd non operabatur puer aliquid vitaliter, ideo ſurrexit tertiò ad orandum,& hac vice inſtantius,quàm in præcedentibus orauit,& expleta oratione confidens incubuit ſuper puerum, & calefecit eum, & cùm fuiſſet perfectè calectus,apparuit motus in puero: quia illa tertia vice Deus animam corpori vnierat. Et ſic dicendum, quòd non incubuit Elias ſuper puerum magis ter, quàm quater propter aliquid quod ſpecialiter efficeret,vel ſignaret numerus ternarius: ſed ter incubuit, quia in tertia vice placuit Deo animam reunire:& ſi in prima reuniuiſſet, ſolū ſemel incubuiſſet ſup puerum,& ſi vſque ad octauam, vel decimam vicem orandi, Deus non reuniuiſſet animam, octies, vel decies incubuiſſet Elias ſuper puerum, ſcilicet, quotieſcunque oraret: nam ſemper poſt orationem incumberet ei, tanquàm eſſet iſtud neceſſarium ad calefaciendum carnem eius.

Eliſæus quare bis tantùm incubuit ſuper puerum.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR, quare Eliſæus ſuſcitans puerum incubuit ſolum bis ſuper eum,ſequenti libro,cap.4.Et Elias incubuit ter.

Reſpondendum, quòd ex eodem fundamento procedit iſtud,& operatio Eliæ: nam Eliſæus incubuit ſuper puerū ad calefaciendum carnem eius, vt poſſet anima vniri corpori calecto:orauit autem ſemel, vt vniretur anima, & expleta oratione incubuit ſuper puerum, & tamdiu manſit ſuper eum, quouſque calefacta eſt caro pueri, prælegato cap. Et tunc Deus non reuniuit animam: ideo ſurgens Eliſæus orauit ſecundò, & incubuit poſt orationem ſecundò ſuper puerum, & tunc reunita eſt anima ei, & quia in iſta ſecunda vice reuixit,non incubuit vlteriùs Eliſæus ſuper puerum.Si autē quęras,quare ad ſuſcitationem pueri ab Elia neceſſaria fuit trina extenſio ſuper puerum, & in Eliſæo ſolùm bis? Reſpondendum, quòd hoc fuit, quia Deus noluit exaudire Eliam, niſi ter orantem, Eliſæum verò exaudiuit orantem bis. Hoc autē fuit fortè,quia Eliſæus fuit maioris fidei in orādo, & fides eſt quæ maximè operatur in petitionibus à Deo, vt patet Iacobi 1.Scilicet,Poſtulet autem in fide,nihil hæſitans,qui enim hæſitat,ſimilis eſt fluctui maris,qui à vento mouetur,& circunfertur:non ergo exiſtimet ille homo, quòd accipiat aliquid à Domino.Vel magis dicendū,quòd Deus exaudiuit Eliſæum citius,quàm Eliam,quia ſpiritus prophetiæ erat duplex in Eliſæo:nam quando Elias raptus eſt in cœlum, petiuit Eliſæus ab illo, vt ipſe haberet ſpiritum prophetiæ duplicem, quàm Elias,ſequenti libro,cap.2.Et conceſſum eſt ei, ideo poſt hoc operationes Eliſæi ſemper fuerunt duplices in virtute ad operationes Eliæ:nam Elias vnicum mortuum ſuſcitauit, Eliſæus verò duos,ſcilicet,vnum cum viuebat,ſequenti libro,c.4. Et alium,cùm ipſe mortuus eſſet, ſcilicet, per hoc quòd oſſa defuncti tetigerunt oſſa ſua,eodem lib.c.13. Sic etiam in modo ſuſcitādi fuit duplex virtus Eliſæi ad Eliam, quia Elias ter orauit,Eliſęus autem ſolùm ſemel,& dato,quòd Elias quater oraſſet,ſolùm bis oraret Eliſæus,& exaudiretur.Sic etiam patuit in omnibus alijs operationibus duplex virtus Eliſęi:quia computatis miraculis eius plura fuerūt,quàm miracula Elię. Et viri ſancti ſequentes eos, quia perfectiores fuerunt Elia, & Eliſæo,non oportuit, quòd multoties orarent pro ſuſcitatione alicuius mortui, nec quòd aliquando incumberent ſuper eum ad calefaciendum carnem ſuam, ſed ſolùm inuocato nomine Chriſti ſuſcitabant mortuos: immò quod maius, & mirabilius erat, aliquando Apoſtoli non inuocato nomine Chriſti,nec aliquid loquentes,aut intendentes facere, ſanabant infirmos,& ſuſcitabant mortuos. Sic enim in Ieruſalē exiſtente B.Petro cum alijs Apoſtolis, ponebant Iudæi infirmos in plateis in grabatis, vt tranſeunte Petro ſaltem vmbra eius tangeret illos,& ſanaret,Act.5. Et in hoc fuerunt ſimiles Apoſtoli Chriſto, qui ſanauit mulierem patientem fluxum ſanguinis,nihil loquendo, ſed cùm ipſa occultè tetigiſſet fimbriam veſtimenti eius.Matth.9.& Luc.8.

Cùm anima iſtius pueri teneretur iam in aliquo loco,quomodo potuit inde reduci ad corpus ſine præiudicio ſuo, vel iuſtitiæ Dei. Et quòd ſunt quatuor loca inferiora pro animabus.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR vlteriùs de anima iſtius pueri, quomodo potuerit reduci ad corpus ſine præiudicio alicuius illorum locorum, in quo erat. Reſpondendum, quòd anima pueri pro illo tempore non poterat eſſe, niſi in vno de quatuor locis,ſcilicet,in lymbo Abrahæ, vel in lymbo puerorū, vel in purgatorio, aut in inferno damnatorum: nam quintus locus,ſcilicet paradiſi,non patebat tunc alicui, nec patuit vſque ad mortem Chriſti.De primo loco iſtorum,ſcilicet,de ſinu Abrahæ poterat puer duci ſine præiudicio: quia illi,qui ibi erant,habituri erāt vitam æternam,cùm iuſti eſſent, & nō eſſent obligati per aliquam culpam, nec per reliquas alicuius

A pœnæ nondum ſolutæ in vita, ſed erant ſufficienter diſpoſiti ad habendum vitam ęternã, niſi quòd tempus habendi nondum venerat, quia nondum fuerat paſſio Chriſti. Dicendum tamen, quòd ſi de iſto loco pueri anima educta eſt, non fuit præiudicium aliquod legi Dei: quia qui ibi ſunt, non tenẽtur ad aliquod pœnale, ſed videbatur magis fieri præiudicium puero, qui iam ſecurus erat de vita æterna, & exemptus erat ab omnibus laboribus, & nunc reducebatur ad labores vitæ mortalis, iterum moriturus. Et maius eſt, reducebatur ad incertitudinem vitæ æternæ, quia poterat poſtea peccare, & perire ęternaliter. Dicendum igitur, quòd ſi de iſto loco educta fuit anima, Deus dederit ei tantam gratiam, vt poſtea non poſſet perire, ſed rediret in maiorem gradum gloriæ, quàm prius habiturus erat, ſi non fuiſſet ſuſcitatus. Sic enim fuit de beato Lazaro fratre Mariæ Magdalenæ, qui mortuus eſt, & à Chriſto ſuſcitatus, habuit tamen poſtea maiorem gradum gloriæ valde, quia fuit Epiſcopus, & ſanctus martyr.

Si autem erat anima pueri in purgatorio, aut plenè purgauerat quicquid purgandum erat, aut non, ſi plenè purgauerat, quando ſuſcitatus eſt, non fuit aliquod præiudicium factum legi Dei: quia etiam ſi non ſuſcitaretur, non maneret vltra in pœnis, ſed tranſiret ad lymbum Sanctorum, in quo nulla pœna erat, ideo in hoc caſu idem erat, ac ſi educeretur de lymbo Abrahæ, de quo iam dictum eſt, ſi autem nondum

B purgaſſet quicquid purgandum erat, videtur tunc difficile, quia videtur fieri præiudicium legi Dei, ſcilicet, quòd non prius aliquis liberetur de purgatorio, quàm ſoluerit completè pœnam.

Aliquis diceret, quòd ſi quando ſuſcitatus eſt puer, nondum perfectè ſoluerat pęnas debitas in purgatorio, Deus faceret, quòd quaſi ſubitò puniretur, ita grauiſſimè, quòd in breui ſolueret omnes pœnas, quas in multo tempore ſoluturus erat, vt mutaretur extenſio pœnæ in intenſionem. ſic enim futurum eſt de illis, qui morientur in vltimo die ſæculi, ſcilicet, per ignẽ conflagrationis, quia multi morientur ibi in charitate, & habituri ſunt vitam æternam, & tamen obligati ſunt ad magnas pœnas, quas viuentes non expleuerunt, & tamen poſt illam conflagrationem, erit illicò iudicium, & poſt illud non durabit pœna purgatoria, ſed infernus, aut vita æterna: ergo neceſſe eſt in illo breuiſſimo tempore, morientes puniri acerrimè, vt quaſi in hora expleant, quod in viginti, vel triginta annis de pœnis ſublaturi erant, ita ergo eſſet de iſto puero, quia in breuiſſimo tempore poterat puniri anima eius valde, ad hoc quòd quando ſuſcitaretur, & vniretur corpori, iam ſoluiſſet omnes purgatorias pœnas. Iſte modus loquendi in ſe conueniens eſt, & tamen pro nunc non eſt conueniens. Sed dicendum, quòd dato, quòd anima pueri punienda eſſet in purgatorio per viginti annos, & non expleuiſſet niſi pœnam vnius horæ, non puniretur atrociter in illa hora, ad hoc quòd in illo paruo momento ſolueret pœnas viginti

C annorum, ſed educeretur anima de purgatorio non ſoluta pœna, niſi vnius horæ, & reliqua ſubſoluta manente. Nec in hoc aliqua iniuria fiebat legi Dei: quia qui in purgatorio sũt, non poſſunt inde exire, quouſque omnes pœnas ſoluerint: verum eſt de illis, qui tranſituri ſunt de purgatorio ad vitam æternam, vel ad ſinum Abrahæ. Et ratio eſt, quia ſicut vita æterna non recipit aliquem infectum culpa, vel macula: ita nõ recipit aliquem obligatum ad pœnam: quia qui obligatus eſt ad pœnam, oportet quòd aliquando ſoluat, vel iniuſtè agetur, ſed poſtquam aliquis eſt in vita æterna, nullam pœnam toleraturus eſt, quia ibi ſemper erit gaudium: ergo ad hoc, quòd non agatur iniuſtè, neceſſe eſt, quòd antequam exeat de purgatorio, omnes pœnas ſoluerit. Idem autem eſt de illo, qui tranſit ad ſinum Abrahæ: quia poſtquam ibi fuerit, nullã pœnam toleraturus eſt. Secus tamen eſt de animabus, quæ educuntur de purgatorio, vt reuniantur corporibus: quia in corpore poterunt ſatisfacere pro ijs, quæ toleraturi erant in purgatorio, ſicut nos, antequam moriamur, per bona, quæ agimus hic, excuſamus omnino pœnas purgatorij, vel ſaltem minuimus eas. Et dato quòd anima reunita corpori, non ſatisfaciat in corpore pro eo, quod in corpore toleratura erat, manet ei locus ſatisfaciendi poſt ſecundam mortem: nam ibi plenè punietur in purgatorio pro omnibus, quæ tenebatur in prima vita, & in ſecunda.

Item patet hoc, quia purgatorium non eſt ſecundùm ſe receptaculum animarum, ſed ſolùm quædam diſpoſitio animarum, tranſeuntium ad vitam æternam: cùm ergo aliqua anima poſt mortem non tranſitura eſt ad vitam æternam, ſed reuocanda in corpus, non eſt ſibi neceſſarius locus purgatorij: ideo quòd inde educatur, non fit aliquod præiudicium legi Dei. D

Si autem quæratur de lymbo puerorum. Dicendum, quòd qui ibi ſunt, in morte æterna manent: & idem dubium eſt de illis, quod de exiſtentibus in ſinu damnatorum. Sed nunc non erat dubium de hoc loco circa puerum: quia manifeſtum erat, quòd non poterat eſſe in ſinu puerorum: nam non poteſt aliquis adultus ire ad locum illum. Quod patet, quia in loco illo ſolùm tenentur illi, qui in ſolo originali reatu mortui ſunt, & tamen poſtquam aliquis eſt adultus, non poteſt mori in ſolo peccato originali, ſed neceſſe eſt mori in peccato mortali, aut gratia. Quod patet, quia poſtquam aliquis eſt adultus, neceſſe eſt, quòd operetur per libertatem aliquem actum bonum, vel malum: ſi operatur aliquem actum bonum directum in Deum, neceſſe eſt per illum actum tolli peccatum originale, cùm impoſſibile ſit manere culpam mortalem, vel obligationem ad mortem æternam cum charitate, & tunc iſte adultus ſi moritur in his actibus bonis, non iuit in lymbum puerorum, ſed in ſinum Abrahæ. Si autem poſt iſtum actum bonum operetur mala, & moriatur in illis, peribit æternaliter: & tamen non moritur iſte in peccato originali, quia ſemel ablatum fuit, ſed E in ſolo actuali mortali: & pro iſto manifeſtum eſt, quòd non debeat eſſe in lymbo puerorum, ſed in inferno damnatorum. Si autem adultus nunquam operatus fuit bonum, poſtquam cœpit habere libertatem operandi, & moritur in malis, perit æternaliter, & in iſto nunquam ablatum fuit peccatum originale, quia nihil fuit per quod auferretur, & tamen iſte licèt moriatur in originali, non vadit ad lymbum puerorũ, eo quòd moritur ſimul in actuali, & originali: & qa actuale requirit pœnam ſenſus, & damni, quæ eſt in inferno damnatorum, neceſſe eſt quòd ibi puniatur: & ibi patitur tam pro originali, quàm pro actuali, quia pro originali priuationem, & pro actuali pœnam ſenſus. Patet ergo, quòd nullus adultus poteſt eſſe in lymbo puerorum. hęc autem dicta ſunt ſecundùm conditionem Gentilium dum durauit lex Moyſi, & ſecundùm conditionem omnium hominum, ſimul ab orbe condito, vſque ad datam circunciſionem, quia ille modus erat tunc tollendi originale. ſi autem intelligamus de Iudæis, eo tempore, quo durabat circunciſio ante perfectè publicatum Euangelium, facilius eſt: nam tunc in octauo die circunciſo puero, tollebatur peccatum originale, in fœminis autem tollebatur adhuc citius per fidem parentum, ideo non poterat mori in peccato originali poſt octo dies à natiuitate. Si autem intelligatur de modo auferendi peccatum originale poſt publicationem Euangelij, manifeſtius eſt, quia per baptiſmum tollitur, vel per fidem non exiſtente baptiſmo: in Chriſtianis ergo tollitur peccatum originale poſt paucos dies à natiuitate, ſcilicet, cùm baptizantur. In Iudæis autem, & Sarracenis non poteſt tolli, cùm obligentur ad baptiſmum, ideo de illis eſt eadem argumentatio, quæ fiebat ſupra de Gentilibus, quando veniebant ad ætatem adultam. Sed iſte puer filius viduæ erat iam aliqualiter adultus, & erat Gentilis, cùm mater ſua eſſet Sareptana, vt ſupra dictum eſt: ergo non poterat mori in peccato originali, & ſic non poterat deſcendere ad lymbum puerorum.

Si autem aliquis contendat, quòd erat paruulus, & Gentilis, & ideo quòd non poterat adhuc ablata eſſe originalis culpa in eo.

Dicendum, quòd per fidem matris tolleretur: nam inter Gentiles, quando erant parentes fideles rectè ſentientes de Deo, tollebatur culpa originalis in filijs paruulis, fide parentum. De omnibus receptaculis animarum poſt mortem, & q̃ animæ ibant ad illa, & quomodo ibi ſe habebant, & de modis & conditione omnium morientium, & de modo diuerſo auferendi peccatum originale in omnibus gentibus ab exordio ſæculi vſq; ad finem, declaratum eſt latiſſimè in libro de quinque metaphoricis paradoxis, particula 5.

Si autem anima pueri huius fuiſſet in inferno damnatorũ, erat dubium, quomodo inde poterat educi. Dicendum,

quòd

Nullus adul: poteſt eſſe in lymbo.

Peccatũ originale quomodo auferebatur.

F

A quòd non eſt dubium, quin Deus poſſet educere animas inde, quotquot vellet: Deus tamen nunquam agit, quantum poteſt, ſed id quod iuſtum iudicat: nõ videtur autem iuſtum aliquam animam de inferno damnatorum educi, quia qui ibi ſunt, obſtinati ſunt in malo, & facti hoſtes Dei: & inſuper teſtimonio Scripturæ in inferno illo redemptio nulla eſt: videtur ergo dicendum, quòd nullum Deus inde vnquam eduxerit, aut aliquando educat.

Si autem obijciatur de anima Traiani, quæ precibus Gregorij inde liberata eſt, dicam quid ſentio, ſequenti libro, cap. 4. De anima autem pueri huius dicendum, quòd non fuerit educta de inferno, nec de lymbo paruulorum, ſed de ſinu Abrahæ, vel de loco purgatorio, & ſic nulla iniuria facta eſt in hoc legi Dei. *Tulitq; Elias puerum, & depoſuit eum de cœnaculo in inferiorem domum.* Scilicet, Poſtquam Elias vidit puerum viuere, tulit eum de cœnaculo ad dandum matri ſuæ. Vocatur autem cœnaculum quædam domus alta, in qua erat lectus Eliæ, & diuerſorium, vbi ipſe manebat: erat autem ibi ſuperior pars domus: ideo dicitur, quòd tulit inde puerum in partem inferiorem domus. *Et tradidit matri ſuæ, & ait illi, En viuit filius tuus.* Iſtud fecit Elias ex gaudio quodam, volens matri pueri congaudere, ideo prẽſentauit ei puerum. *Dixitq; mulier ad Eliam, Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu.* Scilicet, In hoc, quòd ſuſcitaſti puerum, cognoui, quòd es vir Dei, id eſt, Propheta, quia alioquin non potuiſſes ſuſcitare eum. *Et*
B *verbum Domini in ore tuo verum eſt.* Id eſt, Ex hoc apparet, quòd ea, quæ dixiſti ex parte Dei, vera ſunt, & non finxiſti illa de corde tuo.

An mater pueri per ſolam ſuſcitationem filij cognouerit Eliam eſſe virum Dei.

QVÆSTIO XXXVIII.

QVÆRETVR, quomodo mulier dixit, Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu, quia ante hoc cognoſcebat, vel cognoſcere debuerat, quòd erat vir Dei: nã prius oſtenderat Elias miraculum, ſcilicet, quòd lecythus repletus fuit oleo, & nunquam minuebatur, & hydria farinę etiã non minuebatur, ſed iſta non poterant eſſe niſi à Deo.

Reſpondendum, quòd mulier non dixit iſtud, tanquàm nunc nouiter cognouiſſet Eliam eſſe Prophetam, quia ante hoc cognouerat, ſed dixit, Nunc in iſto cognoui, id eſt, etiam in iſto cognoui: quia ſicut præcedens ſignum, quod fecerat Elias, oſtendebat ipſum eſſe Prophetam, ita etiam iſtud: & ſic quotieſcunque Propheta oſtenderit ſigna, demonſtrat ſe eſſe Prophetam. Sic enim locutus eſt beatus Petrus, Act. 10. Scilicet, Nunc in veritate cognoui, quoniam non eſt acceptor perſonarum Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi, & tamen manifeſtum eſt,
C quòd beatus Petrus ante hoc ſciebat, quòd Deus non eſt acceptor perſonarum: quia Deuteronom. 10. dicitur, Quòd Deus perſonam non accipit, non ergo dixit beatus Petrus, tanquam per illum actum nouiter cognoſceret, Deum non eſſe acceptorem perſonarum, ſed quia ille actus ſufficienter oſtendebat, Deum non eſſe acceptorem perſonarum: dato, quòd non manifeſtatum fuiſſet ei per aliud ſignum.

Aliter poteſt dici, quòd mulier non dixit hoc ad demonſtrandum Eliam eſſe Prophetam, ſed maximum prophetarum: nam per hoc, quòd Elia loquente repletus eſt lecythus oleo, & hydria farina, apparuit eum eſſe Prophetam; iſtud tamen ſignum non erat ſpeciale, quia ſimilia, & maiora fecerãt alij Prophetæ: nullus tamen Prophetarum ſuſcitauerat aliquem mortuum ante Eliam: ideo per hoc quòd ipſe mortuum ſuſcitauit, apparuit ipſum eſſe excellentiorem omnibus Prophetis præcedentibus, & ſic dixit mulier nunc, In iſto cognoui, quia vir Dei es tu, id eſt, quod es ſpecialiter vir Dei, plus quàm alij Prophetæ.

Aliter poteſt dici, quòd mulier dixit hoc ad confirmationem verborum Eliæ: nã apparuerat iam Eliam eſſe Prophetã per hoc, quòd repleuerat hydriam, & lecythum, & tamen dixerat, quod nunquam minuerentur vſq; ad diem, quo Deus daret pluuiam ſuper terram. Iſtud autem nõdum apparuerat, an futurum eſſet verũ, & per hoc, quòd Elias ſuſcitauit nunc mortuum, apparebat quod omnia, quæ ipſe dixerat, vera erant. Et hoc videtur ſentire mulier, cùm dixit nunc, In iſto cognoui, quia vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt. Poterat tamen cognoſci veritas Prophetiæ per aliud, ſcilicet, quia Elias dixit, quòd non deficeret oleum de lecytho, nec farina de hydria vſque ad diem quo Deus plueret: & tamen poſtea repleta eſt hydria, & lecythus; ergo per iſtud ſignum probabatur Eliam verum dixiſſe, licèt eſſet futurum; quia nihil aliud requiritur in Propheta ad probandum futurum prænunciatum eſſe verum, niſi quòd præmittat ſignum mirabile. Deut. 13.

CAPVT XVIII.

POST dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens: Vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam ſuper faciem terræ. Iuit ergo Elias, vt oſtenderet ſe Achab: erat autem fames vehemens in Samaria.

Deſcripto in præcedentibus primo ſigno cœleſti in ſiccitate data: hic ponitur ſecundum ſignum in igne dato de cœlo ad remouendum Achab à peccatis ſuis. Et diuiditur in duo: quia primò ponitur ſigni datio. Secundò Eliæ perſecutio, ſequenti cap. Prima in duas, quia primò ponitur ſignum principale: ſecundò ponitur aliud ſignum de datione pluuię, ibi. *Et ait Elias.* Prima in tres: primò ponitur Eliæ ad terram Iſraël reuerſio: ſecundò ignis ſuper holocauſtum deſcenſio, ibi. *Veruntamen nunc mitte.* Tertiò Prophetarum Baal occiſio, ibi. *Dixitq; Elias.* Prima in duas: primò Elias reuertitur: ſecundò præcepto Domini agnoſcitur, ibi. *Erat autem fames.*

An ordo continuus ſit.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic, fuerint facta poſt præcedentia, vel ſit ordo mutatus, & an fuerint immediatè facta, vel multo tempore poſt.

Ad primum dicendum, quòd fuerunt iſta poſt ea, quæ habentur præcedenti capitulo. Quia ibi habetur de eis, quæ contigerunt Eliæ tempore famis tam apud torrentem Carith, quàm in ciuitate Sareptana: hic agitur de his, quæ facta ſunt, quando data eſt pluuia: ideo neceſſario fuerunt iſta poſt illa.

Ad ſecundum dicendum, quòd iſta non fuerunt multis annis poſt præcedentia, licèt litera dicat hic, quòd poſt multos dies factum eſt verbum Domini ad Eliam. Vnde dicendum, quòd non potuerunt eſſe tres anni inter ea, quę habentur ſupra, & ea, quæ habentur hic: quia dicitur hic, quòd factum eſt verbum Domini ad Eliam, in tertio anno, & computantur iſti anni à principio famis, & tamen Elias ſteterat in torrente Carith aliquanto tempore, quouſque deſiccatus eſt torrens, & ibi fortè pertranſiret medius annus, aut plus: deinde ſtetit Elias in domo viduæ Sareptanæ, antequam ſuſcitaret filium ſuum aliquanto tempore: ideo ad plus potuerunt eſſe tres anni inter ea, quæ habentur ſupra, & ea, quæ habentur hic.

Poſt dies multos factum eſt verbum Domini ad Eliam. Iſti dies multi computantur à ſuſcitatione pueri, filij viduæ Sareptanæ: & intelligendum eſt, quòd omnibus iſtis diebus Elias ſtetit in domo viduæ Sareptanæ: quia Deus dixerat, quod maneret ibi vſque ad finem ſiccitatis, nec receſſiſſet Elias de domo illa, niſi Deus iuſſiſſet ei: nunc verò iuſſit, quod appareret coram Achab. *In anno tertio.* Scilicet, Verbum Domini factũ eſt ad Eliam anno tertio.

Elias an venerit ad Achab anno tertio, vel quarto.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, quomodo dicitur hic, quòd Elias iuerit ad Achab anno tertio: nam mox, vt Elias iuit ad Achab facto ſacrificio in monte Carmelo; pluit, vt patet

infra,

A infra, & tamen tribus annis, & ſex menſibus non pluit tunc, vt patet Lucæ 4. & Iacobi vlti. Ergo Elias nõ venit ad Achab anno tertio, ſed anno quarto in fine ſex menſium eiuſdem anni. Reſpondent quidam quòd dicitur annus tertius compudando à tempore, quo Elias receſſit de Samaria, licet eſſet iam medietas quarti anni: nam volunt, quòd Elias poſt annunciationem factam Achab de ſiccitate futura, manſerit in Samaria ſex menſibus, & poſtea iuerit ad torrentem Carith, & ex illo tempore vſque ad pluuiam primam ſequentẽ, fuerunt tres anni, & nunc quando Elias venit ad Achab, nondum erant completi illi tres anni à receſſu Elię de Samaria. Sed iſtud non ſtat, quia ſi poſtquam Elias denunciauit ſiccitatem futuram Achab, manſiſſet in Samaria ſex menſibus, videns Achab toto illo tempore non eſſe pluuiã, teneret Eliam, vt ipſe oraret Dominũ pro pluuia, cum dixiſſet, ꝙ nõ eſſet ros, nec pluuia in illis annis, quouſq; ipſe loqueretur: & tamen non tenuit eum, & miſit ad quęrendum ipſum per omnes terras, vt patet infra in litera ergo non eſt veriſimile, quòd manſerit tanto tempore in Samaria, poſtquã locutus eſt ad Achab. Item confirmatur hoc, quia præcedenti cap. Mox vt locutus eſt Elias ad Achab, ſequitur, ꝙ Deus dixerit ei, Recede hinc, & vade contra Orientem, & abſcondere in torrente Carith. Nicolaus reſpondet aliter, ſcil. quòd Elias receſſerit de Samaria mox, vt denunciauit ſiccitatẽ futuram Achab, & manſit apud torrentẽ Carith. menſibus ſex, & tũc

B deſiccatus eſt torrens, & poſt hoc iuit in Sareptam, exeundo de terra Iſrael, & à tempore illo, quo exiuit de terra Iſrael, computat Nicolaus iſtos tres annos, & tunc verum eſt, quòd non erat completus tertius annus à receſſu Eliæ de terra Iſrael, quando venit coram Achab, & tamẽ iam erant tres anni, & quaſi ſex menſes, computando à principio ſiccitatis, quando facta fuit denunciatio Achab. Sed adhuc iſtud non multùm verum videtur, quia ponit ſolum, quòd fuerit ſex menſibus Elias apud torrentem Carith. Videtur tamen, quòd fuerit maiori tempore: quia quando Elias iuit in Sareptam, iam Achab miſerat per omnia regna terræ ad quærendum Eliam, & tamen non poterat hoc fieri, niſi in aliquanto tempore. Etiam Achab non mitteret ad inquirendum Eliam per omnes terras immediatè, vt Elias prænunciaret ſiccitatem, quia tunc adhuc non credebat Achab verbis eius, ſed tranſirent prius tres, vel quatuor menſes ſine pluuia, & tunc cognito defectu pluuiarũ, mitteretur ad quęrendum eum. Quòd autem quando venit Elias in Sareptam, iam quæſiuiſſet eũ Achab per omnes terras, patet, quia aliàs contingeret nuncios diſcurrentes venire in Sareptam, & inueniretur Elias.

Dicendum ergo videtur, quòd manſerit Elias apud torrentem Carith vno anno, aut plus: & ſic non poteſt computari iſte annus tertius à receſſu Eliæ de torrẽte Carith. Sed

C dicendum eſt, quòd dicitur iſte annus tertius, computando ab initio ſiccitatis: nam hic non videtur alius terminus ex litera, à quo deberet fieri computatio, & iam erant elapſi tres anni, & ferè ſex menſes à tempore illius denunciationis. Dicitur tamen, quòd erat annus tertius, qui ſcriptura conſueuit interdum, non computare annos inchoatos, ſed finitos, & quia annus quartus non fuerat finitus, quanquam iam eſſet medietas eius, dicebantur ſolum tres anni. *Vade, & oſtende te Achab.* In toto tempore præcedenti Achab non potuerat inuenire Eliam, quanquam diligenter feciſſet eum inquiri per omnes terras. *Vt dem pluuiam ſuper faciem terræ.* Deus miſericors eſt, & quanquam nos filij peſtilentes ſimus, & veriùs hoſtes eius, quando grauiter, & pertinaciter peccamus, ipſe tamen leuiter percutit, & manum alleuiat. Et quia iam ſi illa ſiccitas maneret, multi perituri erant, immo tota terra Iſrael breuiter deſolaretur, voluit pluuiam mittere ſuper Iſraelitas, quanquam ipſi adhuc peccatores eſſent, non diuertentes ab idolis: Deus tamen quia miſericors eſt, facit Solem ſuum oriri ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. Matth. 5. dixit autem Oſtende de Achab, vt dem pluuiam, quaſi dicat, quòd Deus non erat daturus pluuiam, quouſque Elias appareret coram Achab. Hoc autem erat ad verificandum dictum Eliæ, quia ipſe dixerat præcedenti cap. Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta verba oris mei, id eſt, non erit pluuia, nec ros, niſi ego prænunciauero, vel quouſque ego prænunciem. *Iuit ergo Elias, vt oſtenderet ſe Achab.* Scilicet, Obediuit verbo Domini, & iuit contra Samariam, vbi erat Achab: & tunc occurrit Abdiæ diſpenſatori eius, vt patet in litera. D

Erat autem. Hic ponitur ſecundum, ſcilicet, qualiter Elias regi Achab oſtenditur, & dicitur. *Erat autem fames vehemens in Samaria.* Iſtud ponitur tanquam redditiuum cauſæ inferiorum dictorum: quia infra dicitur, quòd Achab, & Abdias diſpenſator eius ibant per totum Iſrael, ad inquirendum herbam in vallibus, & apud fontes, vt ſaluarent equos. Hoc autem erat, quia in Samaria erat magna fames, & non habebant quid darent equis regis. Quòd autem eſſet magna fames, ſatis erat rationabile, quia iam tranſierant tres anni, & ferè ſex menſes, in quibus non pluerat.

Vocauitque Achab Abdiam diſpenſatorem domus ſuæ. Iſte vocabatur diſpenſator, quia non ſolum diſpenſabat ea, quæ pertinebant ad ſumptus Regis, ſed etiam erat princeps inter omnes officiales domus regis, & fortè nullus erat maior in toto regno, nec magis acceptus regi. Quod patet, quia rex dixit ei, quòd iret Abdias per vnam viam, & ipſe iret per aliam, & iſta erat quaſi quædam æqualitas. Iſte Abdias fuit poſtea Propheta, & vnus de duodecim minoribus Prophetis, qui inter eos ponitur quartus. *Abdias autem timebat Dominum valde.* Scilicet, Colebat eum, & ambulabat in omnibus præceptis eius. E

Quare Abdias cum eſſet bonus, manebat cum Achab peßimo. Et quòd Deus ſæpè collocat bonos in domibus malorum.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR cum eſſet Achab vir tam iniquus pervertens totam legem, & declinans ad idola, cur manebat Abdias apud eum, cum eſſet Abdias vir bonus, timens Deum. Reſpondendum, quòd Abdias non cogebatur recedere ab Achab, quanquam ille vir malus, quia ſolum obligabatur ipſe, quòd eſſet bonus: & tamen non obligabatur manere cum bonis, vel cum malis, ſed vbicunque vellet manere, liberum ei erat. Item patet hoc de alijs viris bonis, & Prophetis: nam Ahias Silonites erat Propheta Domini vir bonus valde, & tamen manebat in Silo, quæ erat ciuitas terræ Ieroboam, poſtquàm omnes de terra illa declinauerant ad idola, ſupra 14. Elias quoque erat vir excellentiſſimus, & quaſi ignis ardens inter omnes Prophetas, Eccleſiaſtici 48. Et tamen ipſe manebat inter idololatras, & loquebatur cum Achab: nam erat Elias de habitaroribus Galaad, præcedenti cap. Et ſic habitabat in terra idololatrarum.

Alia cauſa, & potiſſimè erat, ex Dei ordinatione, & ſumma prouidentia. Nam ipſe interdum collocat aliquos viros bonos tacitè in domo potentum, qui nequiſſimi ſunt, & facit eos mereri gratiam, & fauorem ipſorum potentum, pluſquam mali mereantur. Et hoc propter duo. Primò, vt ipſi interdum ipſos principes à malis coerceant, diſſuadendo ſaltem indirectè. Secundò, vt ipſi miſereantur virorum bonorum, quos Deus tradidit interdum in manum iniquorum. Sic patet hic de Abdia, qui ſecretè erat vir bonus, habebatque nimium fauorem apud Achab, & ipſe liberauit multos de Prophetis Domini ad mortem ductos. Nam Iezabel occidebat omnes Prophetas Domini, & cum Abdias eſſet in poteſtate magna, tenuit modum, vt haberet centum de illis Prophetis, & occultauit eos in duabus ſpeluncis, deditque eis ibi cibum, nec occideret illos Iezabel. Sic etiam Deus dedit gratiam Reginæ Eſther, & Mardochæo, qui boni erant coram Rege Aſſuero, qui malus erat, vt Iudæi, qui tunc cultores Dei erant, liberarentur à periculis per Eſther, & Mardochæum. Nam Aſſuerus precibus Aman iuſſerat omnes Iudæos occidi in regno ſuo, & occidendi erant, niſi interceſſiſſet Eſther coram Aſſuero, vt patet Eſther 7. Quòd autem propter hoc Deus exaltauit Eſther ad ſtatum Reginæ, patet Eſther 4. Scilicet, Et quis nouit vtrum iccirco ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris? id eſt, propter hoc facta es Regina, vt parata eſſes in hoc tempore liberare Iudæos. Sic etiam Deus fecit, quòd F

A

Ioseph, qui erat vir bonus, haberet magnum fauorem in domo Pharaonis, vt tota cognatio sua saluaretur in tempore famis, & etiam multi populi, qui aliàs perijssent, Genes. vltim. Scilicet, Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, & Deus vertit illud in bonum, vt exaltaret me. sicut in præsentiarum cernitis, & saluos faceret multos populos. Sic etiam Deus dedit magnum fauorem Danieli coram Rege Nabuchodonosor, & coram alijs regibus Chaldæorum, & Persarum, vt Iudæi, qui in captiuitate erant, benè tractarentur ab eis, & vt ostenderentur mirabilia Dei apud ipsos reges per Danielem: intantum, quòd semel Nabuchodonosor publicauit, quòd in omnibus Regnis suis nullus auderet blasphemare contra Deum Hebræorum, & quicunque blasphemaret, occideretur, & periret domus eius, Daniel. 3. Etiam aliqui de Hebræis fuerunt positi in magnis principatibus tempore Nabuchodonosor, scilicet, Sidrac, Misac, & Abdenago, eodem cap. Non ergo peccauit Abdias manendo in domo Achab, sed potius merebatur, quia Deus posuerunt eum ibi ad conseruandum Prophetas, quando Iezabel occidebat illos, & ad multa alia bona.

Nam cum interficeret Iezabel Prophetas Domini. Iusserat enim Iezabel occidi omnes Prophetas Dei in Israel, & qa ipsa erat Regina, & rex permittebat ei agere quicquid vellet, occidebantur Prophetæ ad mandatum illius. *Tulitq; ille centum Prophetas.* Scilicet, Abdias accepit centum de istis, eruens illos à morte. Non est autem intelligendum, quòd ipse publicè acciperet eos, quia non posset resistere tunc Reginæ, sed potius ipsa occideret eum, & illos: sed accepit eos occultè, quia fortè dedit pecuniam multam ministris Iezabel, qui ferebant Prophetas illos ad occisionem, & accepit eos secretè, & sic euaserunt.

B

Et abscondit eos quinquagenos in spelunci. Id est, abscondit istos centum Prophetas per quinquagenos, & quinquagenos, scilicet, posuit eos in duabus spelunci, & in qualibet earum quinquaginta Prophetas.

Et pauit eos pane, & aqua. Scilicet, Dum manserunt in illis spelunci, nec hoc sciret Iezabel, dabat eis Abdias panem, & & aquam: quia fortè non poterat prouidere eis de alijs cibis, ne eundo sæpe ad prouidendum illis, cognosceretur, quòd laterent, & reuelaretur hoc ipsi Iezabel.

Qui essent isti Prophetæ abscondit ab Abdia.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR, qui Prophetæ erant istis, de quibus dicitur hic. Respondet Nicolaus, quòd erant viri religiosi inter Hebræos, scilicet, quòd aliqui viri inter Israelitas volentes specialiter colere Deum, non solum complebant ea, quæ lex mandabat, sed etiam sequestrabant se à terrenis curis, & conueniebant multi simul in vnum domum, & ibi vacabant orationi: & quia isti continuè erant in laudibus Dei, dicebantur esse Prophetæ, quia laudare Dominum, dicendo aliquos Psalmos, dicitur prophetare. Sic patet primo Paralipomenon 25. Vbi dicitur de Asaph, & Eman, & Idithum, & filijs eorum, quòd prophetabant in citharis, & psalterijs: & tamen illud non erat, nisi laudare Deum. Mouetur autem ad hoc, quia isti Prophetæ erant multi, scilicet, centum, & multi alijs occisi fuerant: non videtur autem, quòd tot essent Prophetæ, accipiendo propriè Prophetas, quia videbantur esse tot inutiles.

C

Dicendum tamen videtur, quòd isti erant verè Prophetę, scilicet, qui prænunciabant futura, sicut Elias, & Elisæus, & cæteri. Et hoc patet, quia Elias dixit infra in litera, Ego remansi Propheta Domini solus, id est, quòd de Prophetis Domini solus ipse mansérat, & omnes alij fuerant occisi: ergo videtur, quòd cæteri essent Prophetæ, prænunciantes futura, cum ipse nominet se vnum de illis, & tamen ipse erat Propheta, cui Deus loquebatur. Nec est ad admirandum, quòd tot essent Prophetæ, quia loquebatur multis ad instructionem Iudæorum.

D

Quare Iezabel fecit omnes Prophetas Domini occidi.

QVÆSTIO V.

VLTERIVS quæretur, quare Iezabel fecit occidi omnes Prophetas Domini. Respondendum, quòd Iezabel erat filia regis Sidonis, & colebat Baal, quando erat in terra sua: postquam autem accepta est in vxorem à rege Achab, introduxit cultum Baal, & fecit fabricari templum Baal in Samaria, supra 16. Prophetæ autem Domini zelantes cultum Dei, aduersabantur nimis ipsi Iezabel. Primò, quia increpabant eam dicentes, quòd Deus destrueret eam, & domum Achab, propter peccata sua: sic enim patet de Elia, qui ait ad Achab, Canes comedent Iezabel in agro Iezrael, infra 21. Sic alij Prophetæ prænunciabant, & ipsa habens illos exosos, iubebat occidi, quotquot inueniebat.

Secundum erat, quia isti Prophetæ Domini distrahebant populum à cultu Baal. Nam Iezabel fecerat, quòd totus Israel colebat Baal, scilicet, quòd quilibet flecteret genua coram eo, & oscularetur manum eius, vt declaratum est supra 16. Prophetæ autem dissuadebant multis hoc facere: ideo plerique potius volebant mori, vel fugere de terra, quàm colere idola, & multi abscondebantur, vt non colerent illa. Sic patet sequent. cap. cum dixit Elias, Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum solus. Et respondit Dominus, Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata coram Baal: & quia Prophetæ Dei in hoc repugnabant intentioni Iezabel, persequebatur eos ad mortem.

E

Tertium erat, quia Iezabel, ad dandum magnam auctoritatem cultui Baal, constituit sibi multos sacerdotes, & Prophetas: erantque isti Prophetæ Baal quadringenti quinquaginta, vt patet infra: & tantum fauorem habebant apud Iezabel, quòd omnes comedebant de mensa eius, infra in litera. Istos autem Prophetas persequebantur Prophetæ Dei, Dicentes eos esse mendaces, & prænunciantes mala contra eos, & occidentes eos, quando poterant. Sic patet de Elia, qui occidit quadringentos quinquaginta Prophetas Baal apud torrentem Cison, infra in litera, & ob hoc nimis exosos habebat Iezabel Prophetas Dei, quia ista iniuria videbatur fieri ei: Sic patuit in Elia: nam postquàm ipse occidit Propheta Baal, misit ad eum nuncium Iezabel, dicens; Hæc faciant mihi Dij, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius de illis, sequenti cap.

Quo tempore Abdias occultauit centum Prophetas.

QVÆSTIO VI.

F

QVÆRETVR vlterius, quando Abdias occultauit centum Prophetas Domini in spelunci, Dicendum videtur quibusdam, quòd istud fuit tempore famis: ideo dicitur, quòd pauit eos ibi pane, & aqua, scilicet, propter angustiam temporis, quasi nihil aliud haberet, quod eis daret. Sed videtur dicendum potius, quòd hoc fuit ante tempus famis, & occultauit solum illos pauco tempore, quandiu cessabat magnus furor Iezabel contra Prophetas Domini, & postea dimitteret eos in viam securam. Et patet hoc aliqualiter quia quando Elias obuiauit Abdiæ, adhuc durante fame, vt patet infra, dixit Abdias, Nunquid non indicatum est tibi, quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, quòd absconderim de Prophetis Domini centum viros? & sic videtur, quòd istud factum iam publicatum erat per totum Israel, & ob hoc mirabatur Abdias, quomodo nesciret illud Elias: & tamen adhuc durabat fames: ergo non fuit factum nunc recenter tempore famis, sed multo tempore ante. Item patet, quòd non posuerit eos Abdias in spelunci ad seruandum eos tempore famis, quia nunc dum dixit ista Abdias, durabat adhuc fames, & tamen iam publicatum erat factum, quòd ipse tenuerat: & dimiserat illos, & nunc non tenebat: si tamen tenuisset eos ad pascendum in fame, tenuisset nunc dum adhuc durabat: ergo non tenuerat illos, vt pasceret eos in tempore famis. Cùm autem dicitur, quòd tenebat eos tempore famis, & ob hoc dabat ipsis panem, & aquam,

nihil

A nihil aliud dare potens præ anguſtia temporis. Dicendum, quòd non tenebat eos tempore famis, ſed quando Iezabel occidebat omnes Prophetas Domini, abſcondit iſtos centum Abdias: & vt non inueniret illos Iezabel, occultauit ipſos per aliquot dies, quouſque non haberetur ſuſpicio aliqua de ipſis: & quia dum tenebat eos, volebat eſſe nimis abſconditos, tenuit ipſos in duabus ſpeluncis: & quia ſi vellet prouidere eis de alijs cibis, oportebat ſæpe tranſmitti miniſtros ad ipſas ſpeluncas, & tunc cognoſceretur, quòd ibi erant Prophetæ: ideo dedit eis panem, & aquam ſolum, & poterant habere ſimul cibum pro multis diebus, & non oportebat tranſmitti miniſtros ad eos.

Dixit ergo Achab ad Abdiam. Iſtud fuit in fine trium annorum, & ſex menſium famis, cum iam defecerat in Samaria omnis cibus pro equis regis.

Vade in terram. Id eſt, Diſcurre per totam terram Iſrael. Locutus eſt enim Achab potius ad Abdiam, quàm ad aliquem alium, eo quòd iſte erat diſpenſator domus eius, & cui magis rex confidebat, & incumbebat ei cura de rebus regis.

Ad vniuerſos fontes aquarum, & in cunctas valles. Iſtud erat, vt reperirent ibi aliquam herbam, quia in Samaria nullum pabulum erat pro equis Apud fontes autem propter humorẽ fontiũ, poterat reperiri aliqua herba. In vallibus autẽ ꝓpter profunditatẽ terræ conſueuerunt eſſe humiditates cõgeſtæ, quæ producunt herbas, & etiam in vallibus ſolent eſſe loca manantia. *Si fortè inuenire poſſimus herbam.* Non habebant iam alium cibum pro iumentis, & apud Samariam herba nulla erat, ideo volebat per totam terram mittere Achab. *Et ſaluare equos, & mulos.* Id eſt, Quòd poſſimus ſaluare eos à morte in tempore huius famis. Habebat enim rex equos multos ad bellum, & mulos ad ferendum onera, & dolebat nimis, quòd perirent fame. *Et non penitus iumenta intereant.* Id eſt, Inueniamus herbam aliquam, vt non pereant omnino iumenta, id eſt, equi, & muli, qui vocantur iumenta: quia omnia talia nomine communi iumenta vocantur, quia nos iuuant, ſcilicet, ferendo onera, & an alijs miniſtrationibus, Dixit autem, & non penitus, id eſt, quanquam aliqua iumenta pereant fame, tamen inquiramus herbam, vt ſaltem non pereant omnia. Vel aliter, inquiramus ſaltem modicam herbam, vt quanquam non poſſimus iumentis dare copiam pabuli, & ex hoc langueſcant, & debilitentur nimis: tamen ſaltem non intereant omnino, quòd continget ſi non inuenimus herbam. *Diuiſeruntque ſibi regionem, vt circuirent eam.* Scilicet, Achab, & Abdias diuiſerunt inter ſe regionem totam Iſrael, dando Achab vnam partẽ terræ, quam ipſe perambularet, ad inueniendum aquam, & dando aliam partem ipſi Abdiæ, vt perambularet eam. *Achab ibat per vnam viam, & Abdias per alteram viam ſeorſum.* Scilicet, Quia diuiſerant ſibi regionem, ibat Achab per vnam viam, ad inquirendum herbam in fontibus, & vallibus, & Abdias ibat per aliam.

B

C

Achab quare ibat ad quærendum herbam.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR, quare Achab per ſeipſum ibat ad quærendum herbam, quia poterat mittere nuncios quoſcunq; per vrbes ſuas, iubendo eis, qui erant in vrbibus, vt inquirerent ſi erat aliqua herba, & ipſi certiſſimè inuenirent.

Reſpondendum, quòd non confidit eis Achab, quia tempus tantæ famis erat, quòd non dicerent verum regi ſubditi, ſed occultarent loca herbarum, quantum poſſent, vt ibi paſcerent iumenta ſua, & pecora, quorum lacte aliqualiter viuerent in tempore magnæ famis, ideò licet irent illuc nuncij regis, ipſi dicerent nullam herbam eſſe. Sed dicetur, quòd mitteret rex aliquos de ſeruis ſuis, qui per ſeipſos inquirerent loca herbarum, & ſic non poſſent falli à ruſticis. Dicendum, quòd Achab non confidit aliquibus viris de ſeruis ſuis, quia etiam putauit, quòd ipſi minus diligenter inquirerent loca herbarum, vel corrupti pretio ab incolis locorum, ſubticerent, & non reuelarent regi voluit ergo per ſeipſum ire, & quia maximè confidebat Abdiæ, miſit eum per aliam viam. *Cumque eſſet Abdias in via, Elias occurrit ei.* Scilicet, In illa die, qua cœperunt Achab, & Abdias recedere de Samaria, ad inquirendum herbas, occurrit Elias Abdiæ, quia tunc veniebat Elias iuſſu Domini de Sarepta, vt oſtenderet ſe Achab. Quòd autem eſſet in eadem die, qua receſſerant de Samaria, vel paulo poſt, patet, quia quando occurrit Elias Abdiæ dixit ei, Viuit Dominus, quia hodie apparebo coram Achab, & tamen ſi à multis diebus receſſiſſent ambo de Samaria, diſtarent inter ſe itinere aliquorum dierum, & non poſſet Elias in ipſo die apparere coram Achab. *Qui cum cognouiſſet eum.* Scilicet, Abdias cognouit Eliam. *Cecidit ſuper faciem ſuam.* Scilicet, Abdias cecidit ſuper faciem ſuam adorando Eliam: nam quanquam eſſet Abdias vir potentiſſimus in domo regis, tamen adorauit Eliam, procidendo coram eo, eò quòd Elias erat Propheta magnus: & potiſſimè, quia per verbum eius venerat ſiccitas, quam nunc patiebantur Iſraelitæ, & non erat tollenda, niſi per verbum eius. *Et ait, Num tu es, Domine mi, Elias?* Cognoſcebat Abdias Eliam, quia iam alias viderat eum in Samaria, & fortè quando loquebatur ad Achab de ſiccitate futura: & tamen iam erant tres anni, quibus eum non viderat, & ſex menſes, ideo dubitauit, in ipſe eſſet. *Cui ille reſpondit, Ego.* Noluit negare Elias, maximè cum ipſe veniret ad ſe manifeſtandũ. *Vade & dic Domino tuo, Adeſt Elias.* Volebat Elias, quòd Abdias manifeſtaret ipſum Achab: & forte volebat hoc, quia Elias ſciebat Abdiam eſſe virum bonum, & ſi denunciaret Achab, quòd veniebat Elias conſequeretur ab ipſo magna munera propter bonam annunciationem. *Et ille, Quid peccaui, inquit, quoniam tradis me ſeruum tuum in manu Achab, vt interficiat me?* Scilicet, Quanquã Elias putaret ſe facere gratiam Abdiæ, quòd denunciaret aduentum ſuum Achab: tamen ipſe habuit hoc, vt moleſtum, & dixit: Quid peccaui, quaſi dicat: Non debet pœna infligi niſi pro peccato, & tamen ſi mittis me ad Achab, occidar ab eo: ergò non debet eſſe hoc, niſi propter aliquod peccatum meum: & ſic iſte eſt modus conquerendi Abdiæ, ne mittatur ad Achab. *Viuit Dominus Deus tuus.* Id eſt, Iuro per vitam Dei tui. Dixit Abdias, Dominus Deus tuus, non quidem, quòd ipſe non coleret Deum, quem colebat Elias, quia immediatè ſubiungit, quòd ipſe timebat Dominum ab infantia ſua, ſed dixit Deus tuus, id eſt, qui ſpecialiter eſt Deus tuus, ſcilicet, quia Elias erat Propheta, cui Deus ſpecialiter loquebatur: Sic enim dixit Saul Samueli, Obtulimus Deo tuo ſupra 1. libro, cap. 15. & tamẽ idem Deus erat vtriuſque, cum Saul non coleret idola. *Non eſt gens aut regum, quo non miſerit Dominus meus, te requirens.* Scilicet, Achab miſit, ad inquirendum Eliam per omnes gentes, & regna, & hoc fuit à principio famis. *Et reſpondentibus cunctis, Non eſt hic.* Scilicet, Omnes gentes reſpondebant non eſt hic, eo quòd illo tempore, quo Elias quęrebatur per omnes gentes, manebat apud torrentem Carith, & paſcebatur à coruis, præced. cap. Ideo non poterat inueniri in aliquo loco. *Adiurauit regna ſingula, & gentes, eo quòd minimè reperieris.* Poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd adiurauit, id eſt, ſub iuramento, & maledictione inquiſiuit ab omnibus gentibus, ſcilicet, videns Achab, quòd non inueniretur Elias apud aliquam gentem, credidit, quòd aliqua gens mentiebatur, quia neceſſe erat eum manere apud aliquam gentem, ideo inquiſiuit rurſus ab omnibus gentibus ſub iuramento, an ibi eſſet Elias, interponens maledictionem, quæ vocatur adiuratio, ſcilicet, ſi non dixeritis mihi verum, Deus maledicat vobis, vel deſtruat vos. Aliter poteſt intelligi, quòd adiurauit gentes ſingulas, & regna, id eſt, maledixit eis, ſcilicet, fecit Achab inquiri Eliam per omnia regna, & quia non reperiebatur in aliquo, credidit, quòd aliqua gens mentiebatur, occultando Eliam: ideo maledixit omnibus.

D

E

F

Et nunc dicis mihi, Vade, & dic Domino tuo, Adeſt Elias. Quaſi dicat: Si omnib⁹ gentibus maledixit, quia tu nõ inueniebaris, à fortiori maledicet mihi, & occidet me, ſi ego annuncio ſibi, te adeſſe, & poſtea tu non inueniaris. Hoc dicebat Abdias, quia timebat, quòd dum ipſe iret ad nunciandum Achab, fugeret Elias, vel raperetur à Domino, & non inueniretur: & tunc credens Achab mentitum fuiſſe ſibi Abdiam, occideret eum.

Quare Achab miſit ad quærendum Eliam per omnes terras, & quæ fuerunt iſtæ terræ.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quare Achab miſit ad omnes gentes, & regna, ad inquirendum Eliam. Reſpondendum, quòd Elias prænunciauerat Achab ſiccitatem futuram, & tunc non aduertit Achab ad verba eius, credens quod non futurum eſſet ſic eo quòd nunquam viderat Eliam facientem aliqua ſigna, poſtea autem recedente Elia, ſecuta eſt ſiccitas, ſicut ipſe dixerat, & tunc credidit Achab, verum dicere Eliam, & quia Elias dixerat Achab, quòd non veniret ros, nec pluuia, niſi iuxta verba oris ſui, credidit Achab, quòd ſicut verum fuerat hoc quòd dixerat Elias de ſiccitate: ita verum eſſet, quòd nunquam veniret ros, & pluuia, quouſque ipſe diceret: ideo faciebat eum diligenter inquiri per omnes gentes, credens totam ſalutem populi eſſe in hoc, quòd Elias inueniretur. Cum autem non inuentus fuiſſet in aliquo loco, putans Achab, quòd fortè Deus occultaret eum, vt non loqueretur, & veniret aqua, deſtitit ipſum inquirere, committens ſe Deo, ſcilicet, quòd ipſe daret pluuiam, quando vellet.

Achab an miſerit ad omnes gentes ad quærendum Eliam.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quomodo poterat eſſe verum, quòd mitteret Achab ad omnes gentes ad inquirendum Eliam. Reſpondet Nicolaus, quòd non miſit ad omnes gentes, ſed ſolum regnum Iuda, & Moab, & Edom, & ad regnum Sidoniorum. Nam Rex Sidonis erat ſocer Achab, eo quòd Achab habebat filiam eius Iezabel in vxorem. Ad regnum Iuda miſit, quia rex Iuda erat affinis regi Achab: & etiam filius Ioſaphat, ſcilicet, Ioram accepit Athaliam filiam Achab in vxorem. De Ioſaphat Rege Iudæ patet 2. Paralipomenon 18. De Ioram patet eodem libro, cap. 21. Ad Regem Moab miſit, quia ille tributarius erat Achab: dabat enim ei quolibet anno centũ millia arietum cum velleribus ſuis, ſequenti libro, cap. 3. Miſit etiam ad regem Edom, quia ille erat tributarius regis Iudæ, & propter amicitiam, & affinitatem Achab, & Regis Iudę ſeruaret veritatem Rex Edom ipſi Achab. Dicendum tamen videtur, quòd Achab non miſit ad omnes gentes, & regna, quia non poterat ipſe mittere ad omnes illas, cum nondum eſſet cognita via ad omnes gentes, ſicut ad Indos, & ad extrema Æthiopiæ, & ad alios angulos orbis, ad quos nondum illo tempore perueniebat communicatio aliorum hominum. Etiam quia quædam regna erant ita longinqua à terra Iſrael, quòd non erat veriſimile, quòd Elias illuc iret: ideo fruſtra erat, mitti illuc, ad quærendum eum. Sed dicendum, quòd miſit Achab ad quærendum eum per multa regna, & gentes, non ſolum per illa, quæ nominata ſunt, ſed etiam per multa alia, quæ propinqua erant terræ Iſrael, ſcilicet, per terram Philiſthinorum, Ammonitarum, & Syrorum: nam omnes iſtæ gentes erant in lateribus terræ Iſrael. Miſit etiam ad alias gentes, quæ erant aliquantulum diſtantiores à terra Iſrael, de quibus credi poterat, quòd iret illuc Elias, & inquirendo eum ibi, dicebatur inquiſitus fuiſſe in omnibus regnis, & gentibus, quia omnis ſæpe ponitur pro multis in ſcriptura, vt patet Geneſ. 41. Omnes prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt emerent eſcas, & tamen manifeſtum eſt, quòd non ibant illuc omnes prouinciæ. Et illud quod habetur in Pſalm. 65. Scilicet, Omnis caro ad te veniet, & tamen non venit omnis caro ad Deum. *Cumque receſſero, à te, ſpiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro.* Scilicet, Dum ego vado ad nunciandum Achab aduentum tuum, ſpiritus Domini portabit te ad aliquem locum, vbi ego te non inueniam, & putabit Achab, quòd ego mentitus ſum, & occidet me. Et dixit, Spiritus Domini aſportabit te, & non dixit ibis in locum, quem ego ignoro, quia ſi Elias ſponte occultaret ſe ab Abdia, poſtquàm dixiſſet ei, quòd denunciaret aduentum ſuum Achab, malitioſè videretur agere, & hoc non credebat Abdias de Elia, cũ eſſet vir ſanctus, & bonus, *Et ingreſſus nunciabo Achab.* Scilicet, Quòd tu veneris. *Et non inueniens te, interficiet me.* Scilicet, Poſtquàm non inuenerit te, putabit quòd ego mentitus ſum, & interficiet me.

An Elias ſæpe raptus eſt à ſpiritu Domini.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, quomodo dixit hic Abdias, quòd ſpiritus Domini raperet Eliam in alium locum: nam hoc non viſum fuerat de aliquo Propheta, vt ſic poſſet exiſtimari de Elia. Reſpondendum, quòd Elias ſæpe hoc habuit, quòd raperetur à ſpiritu Domini ad diuerſa loca, & quanquam hoc non reperiebatur expreſsè ſcriptum, niſi de tempore illo, quo raptus eſt in cœlum in curribus igneis, ſequenti libro, cap. 2. Tamen ex ipſa ſcriptura colligitur, quòd aliquando ſimilia paſſus fuerit. Et apparet hoc, quia quando Elias raptus eſt, dixerunt filij Prophetarum ad Eliſæum: Ecce ſerui tui ſunt quinquaginta viri fortes, qui poſſunt ire, & quærere Dominum tuum, ne fortè tulerit eum ſpiritus Domini, & proiecerit in vno montium, aut in vna vallium, ſequenti libro, cap. 2. Si tamen Elias nunquam paſſus fuiſſet ſimile, non arbitrarenturiſti filij Prophetarum, quòd ſpiritus Domini tulerat Eliam, & proiecerat eum in aliquo monte. Item non ſolum videtur, quòd hoc eſſet in Elia, ſed etiam quòd alij Prohetæ interdum mouerentur à Deo de loco ad locum ſubito. Sic patet de Habacuc, qui de Iudæa ductus eſt in Chaldæam ab Angelo, quaſi in momento, Daniel. 14. Etiam conueniebat hoc Prophetis, quia interdum Deus volebat mittere illos ad aliquas gentes longinquas, ad denunciandum verba Dei: & quia per ſe difficile erat, quòd illuc irent, rapiebat eos ſpiritus Domini, & ibant quaſi in momento. Item patet hoc, quia Abdias habebat ſpecialem cauſam cogitandi hoc. Nam in toto tempore ſiccitatis Elias quæſitus fuerat per omnes gentes, & regna, & non fuerat inuentus, & nunc ſubito apparebat coram eo, credebat quòd ſpiritus Domini, tuliſſet eum in aliquam terram valde longinquam toto iſto tempore ſiccitatis, in qua non potuerit inueniri, vel ad quam propter magnam diſtantiam non acceſſerint nuncij Achab: ita credebat nunc, quòd Deus raperet eum ſubito, & non inueniretur.

Quis ſpiritus erat, qui rapere poſſit Eliam.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quis ſpiritus Domini erat iſte, de quo dicebat Abdias, quòd raperet Eliam. Reſpondendum, quòd ſpiritus ſecundum propriam, & primariam ſignificationem ſignat flatum. Deinde autem accipitur ſecundum conſuetudinem pro anima noſtra, vel pro quacunque ſubſtantia incorporea. Et ſic Deus, quia incorporeus eſt, vocatur ſpiritus, Ioan. 4. Scilicet, Deus ſpiritus eſt, & eos qui eum colunt, oportet in ſpiritu adorare: Sic etiam Angeli, quia ſunt incorporei, vocantur ſpiritus, ſic patet Pſalm. 101. ſcilicet. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Animæ etiam hominum vocantur ſpiritus, quia incorporeæ ſunt. Sic dicitur, quòd exiuit ſpiritus, eius & non reuertetur in terram ſuam, Pſalm. 145. Animæ etiam brutorum, quia ſunt incorporeæ, vocantur ſpiritus, ſic patet Eccleſiaſtes 3. Scilicet, Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum? dæmones quoque, quia incorporei ſunt, vocantur ſpiritus, vt patet ſupra 1. libro, cap. 16. & 18. & 19. cum dicitur, quòd ſpiritus Domini malus arripiebat Saulem, id eſt, dæmon. Hic autem accipi poteſt ſpiritus Domini pro Angelo, eo quòd iſti vocãtur propriè ſpiritus Domini, quia ſunt ſpiritus miniſtrantes ei. De animabus autem noſtris, & pecorũ, non ita propriè dicitur, quòd ſunt ſpiritus Dei, quia nunquã Deo miniſtrant. De dæmonibus eodem modo non dicitur, quòd ſint ſpiritus Dei, niſi cum quadam adiunctione, ſcil. q̃ dicatur, quòd ſunt ſpiritus Dei mali. Sic patet ſupra 1. lib. cap. 16. ſcilicet, Spiritus Domini receſſit à Saul, & exagitabat eum ſpiritus nequam à Domino; & iterum ibi, Spiritus Dei malus arripiebat Saul. Simile 18. & 19. cap. hic tamen

vocatur

A vocatur ſpiritus Dei abſolutè: ideo oportet, quòd accipiatur pro bono ſpiritu, & iſte eſt Angelus. Item hoc conuenit valde, quia Angelus Domini tulit Habacuc Prophetam de Iudæa in Chaldæam, Dan. 14. Sic ergo ferret Eliam, quia etiam erat Propheta. Item patet hoc quia Deus non facit iſta per ſe, ſed per miniſtros ſuos: miniſtri tamen Dei ad bona non ſunt, niſi Angeli, ideo vocantur Angeli, id eſt, nuncij. Etiam vocantur miniſtri, cum dicitur, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignē vrentem, Pſalm. 103. Ergo Angeli ferrent Eliam. Aliter poteſt dici, quòd accipiatur ſpiritus pro vento. Sic patet Pſal. 9. ſcilicet, Spiritus procellarum, pars calicis eorum. Et iterū Pſal. 104. ſcil. Spiritus procellarū, quæ faciunt verbum eius, id eſt, ipſi venti, & ſic Geneſ. 1. Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, id eſt, ventus à Deo miſſus ad deſiccandum aquas. Et ſic fortè iſti filij Prophetarum, & Abdias dicebant, quòd ſpiritus Domini tolleret Eliam, id eſt, ventus à Deo miſſus, qui raperet eum, & poneret in aliqua regione longinqua, & quia ille ventus dirigeretur à Deo, poneret Eliam in loco, vbi Deus vellet, ſicut ſi Angelus moueret eum.

Quæ prædictarum opinionum ſit verior, ſcilicet, an à vento, vel ab Angelo ſit raptus. Et quòd in ſcriptura raro accipitur ſpiritus pro Angelo, ſæpe tamen pro vento.

B

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR quis modus iſtorum ſit veriſimilior, ad ferendum Eliam. Reſpondendum, quòd quanquam vterq; modus ſit ſatis conueniens, tamen magis conuenit ſententiæ, quòd accipiatur ſpiritus Domini pro aliquo vento miſſo à Deo, quam pro Angelo. Primo patet hoc, quia in ſcriptura rarò accipitur ſpiritus pro Angelo, & tamē multoties accipitur pro vento. Item patet, quia ſic Deus interdum accipit ventū, vt miniſtrantem ſibi, ad mouendū res de loco in locum, ſicut quando tulit coturnices de vltra mare rubrū in caſtris Iſraelitarum, Num. 11. Item patet ex verbis filiorū Prophetarum, ſequenti libro, cap. 2. ſcilicet. Ne fortè tulerit eum Spiritus Domini, & proiecerit in vno montium, aut in vna vallium: & tamen proijcere non pertinet, niſi ad ferendum ex impetu, & non tenentem, ſed impellentem. Si autem Angelus tuliſſet eum, diceretur, quòd poneret eum in vno montium, aut in vna vallium, & nō quod proijceret; ventus autem non poterat ponere, ſed proijcere, cum ventus non teneat aliquid, nec ponat quaſi agēs ex ratione, ſed proijciat ceſſante impetu eius, ideo videtur, quod ventus eſſet, de quo loquebantur. Item patet efficacius eodem cap. quia dicitur, quòd Elias per turbinem raptus eſt in cœlum: turbo autem ad ventum pertinet, & non ad Angelum, & filij Prophetarū loquebantur de illo turbine, per quem Deus leuare volebat Eliam in cœlum: ergo intellexerunt, quòd ſpiritus Domini tulerit Eliam, id eſt, ventus à Deo miſſus: & ſic intelligeret Abdias, potius quàm de Angelo. *Seruus autē tuus timet Dominum ab infantia ſua.* Iſtud dixit Abdias, orando Eliam, ne mitteret eum ad Achab, denunciaturū aduentū eius, quia occideretur, & tamē ipſo non meruerat hoc, quia colebat Dominum ab infantia ſua, & timebat eum ambulans in vijs eius. *Nunquid non indicatum eſt tibi Domino meo, quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini.* Iſtud dicebat Abdias, ad oſtendendum innocentiam ſuam, & inſuper bona opera, & ideo non erat tradendus morti, mittendo eum ad Achab. Et dicit: Nunquid non indicatum eſt tibi? q. d. tu deberes cognoſcere, quia credo, ꝙ indicata ſunt tibi bona opera, quæ ego feci Prophetis Domini. *Quòd abſconderim de Prophetis Domini centū viros.* Non potuit plures de Prophetis liberare, reliquos enim occidit Iezabel. *Quinquagenos, & quinquagenos in ſpeluncis.* Scil. In duabus ſpeluncis, quia centum erant, & in qualibet ſpelunca ponebat quinquaginta. *Et pauerim eos pane, & aqua.* Scilicet, Toto illo tempore, quo fuerunt abſconditi, ne inueniret eos Iezabel, de dedi eis panem, & aquam. *Et nunc tu dicis, Vade, & dic Domino tuo, Adeſt Elias vt interficiat me.* Quaſi dicat, Poſtquàm omnia iſta bona fecerim, tu vis tradere me morti, mittendo me ad Achab denunciandum ei aduentum tuum, quaſi dicat, iniuſtum eſt, quòd virum innocentem morti tradas.

C

An peccauerit Abdias laudando ſe, ſcilicet, quòd timebat Dominum, & faciebat bona. Et bona opera, quando ſunt facienda in publico, & quando in ſecreto. Et agere in occulto bona prodeſt ad multa. Et quando liceat alicui referre opera ſua bona, & quando non. Et quomodo intelligitur, quòd de purgatorio non poteſt exire quiſquam, quouſque ſoluat omnes pœnas.

D

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, an peccauerit Abdias laudando ſe, quia dixit, quòd timebat Dominum, & ꝙ liberauerat Prophetas à morte. Aliquis dicet, ꝙ ſic, quia Chriſtus iuſſit, quòd faceremus opera bona occultè intantū ꝙ nō videret manus dextra manū ſiniſtram, patet Matt. 6. ſcil. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus. Et poſtea exemplificat de bonis operibus in ſpeciali, vt de eleëmoſyna, dicens. Te faciente eleëmoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid facit dextra tua, vt ſit eleëmoſyna tua in abſcondito. De oratione etiā dicitur ibi, ꝙ orantes nō maneamus in angulis platearū, aut in ſinagogis, ſed intra cubiculum noſtrū. Item non ſolū prohibetur, ꝙ faciam⁹ bona opera in publico, ſed etiā, quòd recitemus illa, quia magis videtur pertinere ad inanē gloriā, quòd aliquis referat bona facta ſua hominibus, quàm ꝙ faciat illa corā eis: ſed prohibitū eſt fieri bona opera corā hominibus: ergo à fortiori peccaret Abdias, denūciando opera ſua bona Eliæ. Item ille, qui Deo recitat bona opera ſua, peccat: ergo à fortiori ille, qui recitat ea hominibus, quia coram Deo non poteſt homo habere inanem gloriam, cum ſciat opera eius cognita eſſe à Deo. Etiam quia in conſpectu Dei nullus poteſt iuſtificari, dicente Dauid, Quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, Pſal. 145. Etiam dicente Iſaia, quòd iuſtitiæ noſtræ, tanquàm pannus mulieris menſtruatæ reputatæ ſunt coram Deo. Quòd autem peccet enarrans opera ſua bona Deo, patet Lucæ 18. De illo Phariſæo, qui dixit in oratione ſua, Ieiuno bis in ſabbato, decimas do omninm, quæ poſſideo, & ibi Chriſtus increpat illum. Reſpondendum eſt, quòd Abdias non peccauit, referendo bona opera ſua Eliæ. Pro quo ſciendum, quòd hic ſunt duo dubia. Primum eſt, an liceat bona opera publicè fieri, ita quòd ab omnibus videantur. Secundum eſt, an liceat alicui referri alteri, vel multis bona opera ſua, vel dona, quæ ei Deus dedit. Ad primum dicendum, quòd non eſt illicitum bona opera fieri in publico, & non differt fieri illa in publico vel in ſecreto: Chriſtus tamen dedit regulam, de faciendo bona opera in publico vel in occulto, non tanquā ſit magis illicitum ſic quàm ſic, ſed quia in hoc datur cautela hominibus, vt non perdant fructum laboris ſui, quiaquandocunque homo agit bonum aliquod ad gloriam ſæculi, nihil per illud meretur, ſed totam mercedem ſuam recepit in gloria ſæculi. Sic patet Matth. 6. Cum dicitur de hipocritis, qui faciunt eleëmoſynam, vt honorificentur ab hominibus, in vicis, & ſinagogis: Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam. Illi autem, qui in occulto bona opera faciunt, ſunt ſecuri de mercede ſua apud Deum, quia conſtat eos non agere ad gloriam ſæculi, quia vbi nullus eſt, nulla gloria ſæculi eſt: & propter hanc ſecuritatē Deus iubebat per modum conſilij, quòd faceremus opera noſtra in occulto. Si autem aliquis homo ſit firmatus in virtute, ita quòd nō timeat ſibi inſurrecturam inanem gloriam, quanquam publicè bene agat: tunc laudabile eſt agere in publico. Et hoc Chriſtus ſuadet, Matth. 5. dicens, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Sciendum autem, quòd agere bona opera in publico, ſolum prodeſt ad vnum, ſcilicet, ad hoc, quòd videntes laudent Deum, qui incitauit illum ad bene operandum, & quòd ipſi moueantur ad ſimilia agendum. Agere autem in occulto prodeſt ad multa. Primò, quia conſtat hominem non agere propter inanem gloriam, quæ in occulto agit. Sic enim dixerunt cognati Chriſti ad eum, Tranſi hinc, & vade in Iudæā, vt diſcipuli tui videant opera, quæ tu facis: nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipſe in palam eſſe: ſi hæc facis, manifeſta teipſum mundo, Ioan. 7. Et ſic qui opus bonum in abſcondito facit, non vult

E

F

A

cite in palam per inanem gloriam. Secundum eſt, quia qui agit in occulto, eſt ſecurus de mercede, quæ poterat tolli per inanem gloriam. Nam interdum homines non mouentur ad bonũ opus propter inanem gloriam, ſed propter Deum, & tamen cum fecerint in publico, ſubrepit eis quidam motus gloriationis, & elationis, & iſte diminuit de quantitate boni operis qui autem in abſcondito agit, non ſolùm non agit propter inanem gloriam, ſed etiam ſecurus eſt de illa, quòd non inſurget, cùm non ſit aliquis, qui opus occultum poſſit laudare, vel approbare, aut venerari auctorem. Tertium eſt, quia tollitur occaſio detrahendi multis. Nam cum quis publicè bene agit: quia totus mundus poſitus eſt in maligno, ſicut dixit Beatus Ioannes, inclinantur homines potius ad iudicandum malum, quàm bonum. 1. Ioan. vltim. Scilicet, Quia dicunt hominem agere ad inanem gloriam: ideo ad tollendum alijs locum murmurandi, & peccandi, bonum eſt in occulto bene agere. Dicendum igitur per modum conſilij, quòd quando aliquis vult agere bonum opus, aut eſt magnum, aut paruum, quòd communiter ab omnibus fit: ſi ſit magnum, aut ille, qui agit eſt vir imperfectus, timens poſſe vinci ab inani gloria, ſicut omnes homines communes, aut eſt vir exercitatus in virtute, qui confidit non ſibi inſurrecturam inanem gloriam. Si primo modo debet agere in occulto, ne exponat ſe periculo, ad perdendum mercedem ſuam, ſcilicet, inſurgente inani gloria. Si ſecundo

B

modo vtile eſt, quòd agat in publico, ad hoc, quòd videntes laudent Deum. In hoc tamen relinquendum eſt arbitrium viro prudenti oblata opportunitate agendi: quia tũc ſi credit, quòd viſo bono opere, plures laudabunt Deum, & incitabuntur ad ſimile agendum, debet publicè agere. Si autem credit, quòd incitabuntur ad murmurandum, & non agent ſimile, quia alius præceſſit eos, non debet agere in publico, ſicut ſunt plurimi de hypocritis, & deſiderantibus inanem gloriam, qui quando viderint alios egiſſe aliquod bonum, nolunt ipſi agere ſimile: quia alius incepit, ne ipſi videantur ſequi exemplum aliorum, quanquam prius fortè deſiderabant agere illud bonum: ſed ceſſant à benè agendo, vel agunt alia bona minus vtilia. Si autem credit, quoſdam ad bonum mouendos, alios verò ad murmurandum. Dicendum eſt, quòd ſi plures credit mouendos in bonum, quàm in malum, publicè agere debet: ſi autem credit plures murmuraturos, conſultius eſt in abſcondito agere, quàm publicè. Quòd autem ſupra diximus, quòd ille, qui timet inanem gloriam ſurrecturam, debet agere in ſecreto bonum opus: intelligendum eſt de illis operibus, quæ poſſumus facere in publico, vel occulto: quædam tamen ſunt, quæ ſolum in publico fieri poſſunt: Et de illis dicendum eſt, quòd nullus debet recuſare facere in publico, ſed committere ſe Deo, qui ſeruet eum ab incurſu inanis gloriæ. Si au-

C

tem ſint parua bona, & communia ea, quæ facimus, non differt ea fieri in publico, vel ſecreto, quia ex illis non eſt veriſimile, aliquem mouendum ad deſiderium inanis gloriæ, ſi tamen aliquis mouendum ſe putet ab inani gloria, debet facere, ſicut ſupra diſtinximus. Secundum dubium eſt, an liceat alicui dicere bona, quæ fecit alteri. Reſpondendum, quòd dicere illa ſecundum ſe non eſt malum, ſed poteſt eſſe malum, inquantum ex relatione iſta, poteſt inſurgere inanis gloria: & quia facilius inſurgit inanis gloria, quando aliquis recitat bona, quæ fecit, quàm cum quis fecit, illa publicè, magis euitandum eſt, quòd quis referat bona, quæ egit, quàm quòd faciat illa publicè. Sciendum tamen, quòd dicere bona, quæ fecimus alteri, interdum poteſt eſſe bonum. Pro quo ſciendum, quòd aut homo dicit illa Deo, aut hominibus. Si primo modo dicendũ, quòd licet homini enarrare Deo bona, quæ facit, quia ſicut licitum eſt, immo valde meritorium, quòd in oratione ſua homo recitet beneficia à Deo collata ſibi, & pro illis gratias reddat: ita etiam meritorium eſt, quòd aliquis recitet in oratione ſua bona, quę fecit, referendo Deo gratias immenſas, quia ex ſola gratia ſua mouit eum ad faciendum illa bona, & aliàs non poterat illa facere. Iuxta illud; Sine me nihil poteſtis facere. Ioan. 15. Id eſt, Si ego non dedero vobis gratiam motiuam: vtpote ſi aliquis homo eſt continens, poteſt dicere in oratione ſua, gratias ago tibi Domine, quia dediſti mihi, quòd continens eſſem: Iſtud autem eſt, quia continere eſt donum datum à Deo, & non poteſt homo continere, niſi Deus ei dederit, Sapientiæ 8. Scilicet, Veni ad corpus incoinquinatum, & ſciui, quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. Sic etiã poteſt orari, referendo omnia bona noſtra Deo in oratione. Si autem aliquis referat bona ſua Deo in oratione, non referendo gratias Deo de illis, ſed ſimpliciter tranſeundo, peccatum magnum eſt: quia iſta eſt præſumptio grauis, ſcilicet, quòd homo velit apparere iuſtus coram Deo, & tamen non poteſt coram eo aliquid iuſtificari, Pſal. 101. Si autem homo dicat bona, quæ fecit, alteri homini. Dicendũ, quòd quaſi regulariter non licet, eo quòd iſtud referre, videtur pertinere ad oſtentationem eius, qui refert: tamen oſtentatio boni tollit in totum, aut diminuit meritum boni operis. Poteſt tamen aliquis referre bona ſua alteri, ſi credit ſe ex hoc non mouendum ad inanem gloriam, & ſi putat, quòd ille, cui refert, ex hoc incitabitur ad bonum. Vt tamen magis videatur, quando licet referre bona, quæ fecimus, diſtinguendum, quia aut neceſſe eſt ad ſaluationem noſtram, vel liberationem ab aliquo malo, referre illa, aut ſponte illa referimus. Si primo modo dicendum, quòd licitũ eſt cuicunq; homini referre bona ſua: vtpote ſi quis accuſetur de crimine, quòd non egit, & procedendum eſt per ſuam confeſſionem, licitum eſt ei ſe innocentem dicere, & referre quæcunque bona ſua, ab purgandum ſe ab infamia. Et iſtud maximè eſt, quando quis infamatur, & propter infamiam ſine accuſatione proceditur contra eum: quia tunc ad purgandum ſe

E

ab infamia, licet ei referre bona, quæ egit, vt probet veriſimile eſſe, ſe non cõmiſiſſe tale delictum, cum bona hæc egiſſet. Sic etiam ſiquis per violentiam, & tyrannidem vult occidere alium, vel lædere bona eius, licet ei ad liberandum ſe enarrare bona, quæ egit, vt ſic inclinet tyrannum ad non nocendum ipſi. Si autem ſponte quis bona ſua referat, aut refert ad bonũ ſuum, vel ad bonum alterius: ſi ad bonum ſuum, aut illud eſt gloria quædam inanis, quam deſiderat, aut eſt lucrũ aliquod temporale: vtpote quod cõferatur ei beneficiũ, aut alia emolumenta. Si primo modo perdidit mercedem boni operis ille, qui conuertit illud ad inanem gloriam: nam ſicut agendo propter inanem gloriam perditur præmium operis, Matth. 6. ſcilicet, Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam: ita referẽdo illud ad inanẽ gloriam alijs perditur merces operis. Si autẽ referat ad conſequendũ aliquod lucrum, aut illud eſt temporale ſolum, vt pecunia, vel iuriſdictio, aut alia emolumenta, vel eſt aliquod beneficium eccleſiaſticum. Si primo modo dupliciter peccat. Primò quia perdit mercedem ſuam, cùm referat opus ſuum propter lucra temporalia. Secundò, quia efficitur iniuſtus acquiſitor, cum acquirat rem eo modo, quo non licet. Si autem agat ad conſequendum beneficiũ eccleſiaſticum peccat tripliciter, ſcilicet, duobus modis præcedentibus, & inſuper, quia committitur quidam modus ſimoniæ indirectè, vel ſaltem accedit ad ſimilitudinem ſimoniæ, eo quòd iſte vult promereri beneficium eccleſiaſticum eo modo, quo non licet. Si autem referens dicat bona, quæ egit propter bonum aliorum. Dicendum, ꝙ aut iſte referẽdo putat ſe poſſe ſuperare inanem gloriam, aut non: ſi putat, non poſſe ſuperare illam, etiam ſi ſit magna vtilitas proximorum, nunquam debet referre bona, quæ egit, quia non debet aliquis exponere ſe periculo peccandi, vt benefaciat alteri: cum Apoſtolus iubeat, quòd in omnibus operibus, quæ facimus propter proximos, caueamus ne tentemur. Si autem putat, quòd non ſuperabitur ab inani gloria, poteſt licitè bona ſua alijs referre: ſi tamen intelligat, ꝙ alij ex hoc incitabuntur ad bonũ, alioquin nõ eſt licitum: & ob hoc ſi aliquis vult bona ſua alijs enarrare, debet illo tempore maximè enarrare, quando putat maximã auctoritatem ſibi exhibendam, & ꝙ dictum ſuũ valde proficiet. Et ob hoc debet homo potius in articulo mortis enarrare bona, quæ egit quam alio tempore propter duo. Primò quia tunc maximè creditur homini, & attenditur ad verba eius, quia extrema ſunt. Secundò quia tunc creditur, quòd homo non dicat illa ad inanem gloriam, quia iam non eſt in tempore inaniter gloriandi: ſed potius creditur, quòd Deus illum moueat ad dicendũ, cùm iam pertineat ad aliud ſeculum. Si tamen in alia parte vitæ credat enarrationem iſtam vtilem eſſe, licitè poteſt. Si autem aliquis arguat de factis Apoſtoli, quia ipſe enarrauit bona, quæ egerat, & dona quæ à Deo recipiebat.

F

In morte potius, quis enarrare debet bona quæ egit.

2. ad

2. ad Cor.11. & 12. Dicendum, quòd ibi Apoſtolus non enarrauit illa, ad hoc quod gloriaretur, nec ad hoc, quòd proficeret proximis: ſed ad excuſationē ſuam, purgando ſe de eo, ꝙ aliqui obijciebant cōtra ipſum, vt colligitur, 2. ad Cor.10. & 11. De Abdia autē dicendum, ꝙ non peccauit enarrando bona ſua Eliæ: quia fecit ipſe ad excuſandū ſe à periculo: nā Elias mittebat eum ad Achab, & ex hoc poterat ei mors euenire: ideo refert bona ſua, vt ſe liberet à morte, & ſic cuicunque eſt licitum. Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd Chriſtus non vetuit ſimpliciter opera noſtra bona fieri in publico, ſed vetuit fieri in publico ad laudem hominū, cùm dicitur, Matt. 6. Attendite ne iuſtitiam veſtrā faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. q. d. non eſt licitum bona noſtra fieri coram hominibus, ſcilicet, fieri coram eis, ad hoc quòd videamur, ſcil. eſſe boni, ita qui refert bona, vt videatur bonus, illicitum agit, ſed ſi ex alijs cauſis refert, licitum eſt. Ad ſecundum dicendum, quòd illicitum eſt referre bona, quæ facimus ſi ad gloriam ſeculi referamus, ſed aliàs non: & ſic fecit Abdias. Ad tertiū dicendum, quòd magis illicitū eſt referre bona noſtra homini quàm Deo, eo quòd facilius poteſt ſequi inanis gloria, referendo homini quàm Deo: & tamen interdum eſt peccatum referre Deo, & interdum homini, & interdum vtrique licitè referimus. De illo phariſæo, quem dominus increpat, aliquis dicat, quòd ideo increpatur, quia retulit bona ſua Deo ex elatione, & non cum gratiarum actione. Sed hoc non ſtat, quia Luc. 18. dicitur, quòd ille phariſæus dixit, Deus gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri hominum. Sed dicendum, quòd reprehenditur ille Phariſæus propter duo. Primò quia non ſolum in oratione ſua ſe laudauit, ſed etiam alios homines contempſit: contemnere autem, vel iudicare alios peccatum eſt ad Roma. 14. ſcilicet, Tu quis es qui iudicas alienum ſeruum? ſuo Domino ſtat, aut cadit. Secundo peccauit in præſumptione, quia corā Deo reputauit ſe iuſtum: ſed iſtud magnæ dementiæ eſt. Iſta duo patent, Lucæ 18. cum dicitur: Dixit autem ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros: confidere autem, & aſpernari erant duo peccata. Patet etiam ex oratione Phariſæi, cum dixit, Gratias ago tibi Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Si tamen iſte Phariſæus retuliſſet bona ſua Deo ſolum dando gratiam, quia mouerat eum ad faciendum illa bona, non peccaret, & ſic ſæpiſſime Dauid in Pſalmis refert bona ſua; vtpote, Media nocte ſurgebam ad confidendum tibi. Et iterum, Septies in die laudem dixi tibi, Pſalm. 118. Sed Dauid dicebat iſta ad gratiarum actiones, vt patet ex ipſis Pſalmis.

Abdias quare excuſauit ſe cum Elia, de eundo ad Achab.

QVÆSTIO XIV.

QVÆRETVR vlterius, quare Abdias retulit iſta bona, quæ fecerat, Eliæ, quia ipſe poterat per ſe nihil referendo, euadere, ſcilicet, quòd nollet ire ad Achab, quanquam iuberet ei Elias, & tunc non eſſet ei aliquod periculum. Reſpondendum, quòd Abdias tenuit Eliam, ſcilicet, quòd ſi nollet ire ad Achab ex mandato Eliæ, infligeret ei aliquam maledictionem, orando malum ſuper ipſum: & quia erat Propheta Domini, cuius verba complebantur, timebat, quòd eueniret ei malum, quod prænunciaret Elias: ideo nō audebat Abdias clarè repugnare dicto Eliæ. Si autem iret ad Achab obediens Eliæ, timebat mortem, quia fortè raperetur Elias à Domino interim, & quando quæreretur, non inueniretur, & putans Achab, quòd mentitus fuerat Abdias, occideret eum, & ſic erat Abdias in perplexitate, non habuit ergo quid ſecurè ageret Abdias, niſi ꝙ oraret Eliam, vt non mitteret eum ad Achab, & ſic nō imprecaretur maledictionē ſuper eum, tanquàm ſuper inobedientē. Hoc autē perſuaſit Abdias dupliciter, ſcil. demonſtrando ſe innocentē, & benè operantem. De primo patet, quia dixit, quòd timebat Dominum ab infantia ſua, & tamē timere Deum facit recedere à malo. De ſecundo patet, quia dixit, ſe pauiſſe Prophetas, & ſeruaſſe illos à morte, & iſtud erat opus excellens, ideo Elias videns Abdiæ intentionē, & quòd formidabat ire ad Achab, deſtitit ei iubere, quòd iret illuc. *Et dixit Elias, viuit Dominus exercituum.* Id eſt, iuro per vitam Dei, qui eſt Dominus exercituum, id eſt, Angelorum, qui vocantur milites, & exercitus eius, Iob 25. Scilicet, Nunquid eſt numerus militū eius? *Ante cuius vultum ſto.* Iſte modus loquendi erat Eliæ, qui dicebat ſe eſſe coram Deo, eo quòd non poterat eſſe alicubi, vbi Deus non eſſet: ſic enim iurauit, præcedenti cap. *Quia hodie apparebo ei.* Id eſt, Tu times apparere coram Achab indicando aduentū meum, & tamen ego nō timeo, ſed iuro, ꝙ hodie apparebo coram illo. *Abijt ergo Abdias in occurſum Achab, & indicauit ei,* Scilicet, Poſtquàm iurauit hoc Elias, abijt Abdias in occurſum Achab, ad denunciandum ei aduentum Eliæ, & nunciauit ei. *Venitque Achab in occurſum Eliæ.* Iſtud fecit Achab ad honorandum Eliam, quia per verbum eius ventura erat pluuia, & ſic Rex iuit in occurſum ei.

Abdias quare nunc auſus eſt ire ad nunciandum Achab aduentum Eliæ, cum prius non auderet.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, quomodo Abdias nunc auſus eſt ire ad nunciandum aduentū Eliæ ipſi Achab, cum prius ſemper recuſaſſet, excuſans ſe valde de hoc. Aliquis dicet, quòd prius timebat Abdias, quòd dum ipſe iret ad nunciandum Achab aduentum Eliæ, recederet Elias, & tunc videretur ipſe mentitus, & occideretur: nunc autē ibat Elias cum Abdia, & ideo non timebat illuc ire. Sed iſtud non ſtat, quia Abdias iuit ad nunciandum Achab, & tunc ipſe venit in occurſum Eliæ, vt patet in litera. Sed dicendum, quòd Abdias prius timebat ire ad denunciandum ex cauſa ſupra aſſignata: nunc autem, quia iurauit Elias, quòd hodie appareret coram Achab, credidit Abdias, ꝙ nullo modo falleretur ipſe, & ſic confidenter iuit ad Achab, arbitrans quòd interim non recederet Elias. Sed obijcietur, ꝙ iſtud iuramentum Eliæ, vel promiſſio, non certificabat ipſum Abdiam, quia iuramentū, & promiſſio ſemper intelliguntur, iuxta poſſibilitatem eius, qui iurat, vel promittit, & ſubintelligitur ſemper, ſi Deus voluerit, & ſi Deus perturbet euentum rei, nō ex hoc eſt periurus, qui iurauit. Sic enim Apoſtolus promiſit ſe iturum in Hiſpaniam, ad Rom. 15. Et tamē poſtea non venit in illam, quia cum veniret, occiſus eſt Romæ, vel Spiritus ſanctus dictauit ei aliud faciendum, & ſic quanquā iuraſſet Elias, ſe apparitum hodie coram Achab, nō obligabatur, niſi facere, quòd in ſe erat, & Deus poterat eum rapere in turbine ad locum, quē neſciret Abdias, ſicut ipſe ſupra dixerat, & ſic falleretur. Reſpondendum, quòd Abdias putauit ſe eſſe ſecurū, quòd non recederet Elias, & etiā quod non ferret eum Deus inde. Iſtam ſecuritatē accepit ex verbis Eliæ, quia ipſe dixit, Viuit Dominus, quòd hodie apparebo coram Achab: ideo credidit, ꝙ Elias certificatus erat à Deo, ꝙ nō raperet eum, ſed ꝙ appareret illa die corā Achab. Item patet hoc magis, quia poſtquā dixit Abdias, ꝙ ſpiritus Domini fortè raperet Eliā, & duceret eum ad aliquē locū, dixit ei Elias, Viuit Dominus, ꝙ hodie apparebo corā Achab: & ſic per hoc non ſolum certificabat Abdiā, quòd ipſe non recederet, ſed etiam quod Deus non ferret eum inde: nam Abdias nō dubitabat, an vellet inde Elias recedere, ſed an inde raperetur ad alium locum: ergo verba Eliæ referenda erant ad dubitationem Abdiæ certificandam, & ſic ſecurè iuit Abdias ad Achab, & fortè Elias reuelauit Abdiæ, ꝙ Deus iuſſerat ei, vt veniret ad oſtendendū ſe Achab. *Et cum vidiſſet eum.* Scilicet, Achab vidit Eliam. *Ait, Tu ne es ille, qui conturbas Iſrael?* Cœpit enim Achab loqui durè ad Eliam, putans ꝙ iam haberet eum in poteſtate ſua, & dixit hoc propter iram magnā, quā cōceperat contra ipſum, cum tempore præterito non pluiſſet, & ipſe ſe abſcondiſſet, vt non veniret pluuia. Dixit autem Achab, quòd Elias turbabat Iſrael, id eſt, ponebat eum in hac turbatione, quòd non plueret: & tamen hoc falſum erat, quia nō ceſſauerant pluuiæ propter Eliam, ſed propter peccata populi: Achab tamē dicebat iſtud, quia Elias prædixit pluuiam non venturā, & non venit toto tempore, quo ipſe dixit: & ſic videbatur ipſe cauſa eſſe, vt non veniret pluuia. *Et ille ait, Non ego turbaui Iſrael ſed tu, & domus patris tui.* Elias nō formidabat reſpōdere regi dura, ſcil. nō ego turbaui Iſrael, ſed tu, &

A domus patris tui, ſcilicet, non fui ego cauſa, vt non plueret, ſed tu, & domus patris tui fuiſtis cauſa, quia iſta ſiccitas venit à Deo propter peccata veſtra, ſcilicet, propter idololatriam magnam, quã tu, & domus patris tui induxiſtis. Nam Achab peccauit in idolis, pluſquam omnes reges, qui fuerant ante eum, vt patet ſupra 16. Et propter iſta peccata induxit Deus ſiccitatem. Dicitur etiam propter peccata domus patris tui, id eſt, cognatorum tuorum, qui erant de domo patris eius, ſcilicet, de domo Amri: nam Amri pater Achab fuit idololatra nimis, ſupra 16. Et omnes cognati Achab incitabant eum ad idololatriam. *Qui dereliquiſtis Dominum, & ſecuti eſtis Baalim.* Scilicet, Dereliquiſtis legem Dei, non colendo eum, ſed diuertendo ad idola, & præcipuè ad Baalim, & propter hoc abſtulit pluuiam: nam ſic prænunciatum erat, Deut. 11. ſcil. Cauete ne fortè decipiatur cur veſtrum, & recedatis à Domino, ſeruiatisq; Dijs alienis, iratusq; Dominus claudat cœlum, & pluuiæ non deſcendant, nec terra det germen ſuum, & pereatis velociter de terra optima. Dicitur hic Baalim, quòd eſt pluralis numeri apud Hebræos, & tamen accipitur pro vnico idolo, quòd alio nomine vocatur Baal. Vnde ſcriptura nõ facit differentiam, quòd aliquando vocet Baal, vel Baalim, & ſic ponitur multoties, vt ſupra 1. lib. cap. 7. ſcil. Auferte de medio veſtri Deos alienos Baalim, & Aſtharot. *Veruntamen.* Hic ponitur ignis ſuper holocauſtum deſcenſio in ſacrificio Eliæ, & dicitur, *Veruntamẽ nunc mitte, & congrega ad me vniuerſum Iſrael.* Id eſt, Tu dereliquiſti Dominũ, & non mereris habere pluuiam, & tamẽ congrega vniuerſum Iſrael, & habebis pluuiam. Et dicitur, vniuerſum Iſrael, ſcil. magnã partem Iſrael, quia omnes non poterant congregari. Vel dicuntur omnes, id eſt, excellentiores, quia maiores de regno videntur eſſe totũ regnum, eo q̃ quicquid ab eis ſtatuitur, ab alijs obſeruatur. *In monte Carmeli.* In iſto monte factũ eſt ſacrificium, vt patet infra, & non eſt iſte mons Carmeli in quo erat Nabal Carmelita, de quo habetur ſupra 1. lib. c. 25. Nam ille Carmelus erat in ſorte Iudæ apud vrbem Iezrael, & Chermel, vt declaratum fuit ibi, & tamen iſtæ vrbes ſunt in ſorte Iudæ, Ioſue 15. Nunc autem non erat iſte Carmelus in terra Iudæ, ſed in regno Iſrael, in quo dominabatur Achab, & erat in ſorte Iſſachar, vt quidam volunt, & alij volunt, quòd ſit in ſorte Zabulon, alij vero in ſorte Aſer, & iſtud eſt verum, Ioſue 19. Et vocatur iſte Carmelus maris, quia erat circa mare, & vocatur ſic ad differentiã alterius Carmeli, qui eſt in ſorte Iudæ: nam ille non eſt iuxta mare. *Et Prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetaſq; lucorum quadringentos.* Id eſt, Congrega iſtos Prophetas in monte Carmeli. Vocantur Prophetæ Baal aliqui viri idololatræ, qui vt haberent fauorẽ Iezabel, fecerunt ſe Prophetas Baal, & alij erant Prophetæ lucorum, & iſtos fecit vocari Elias, quia cum eis voluit experiri an Deus Iſrael eſſet verus Deus, vel Baal eſſet verus Deus, & volebat occidere omnes, ſicut poſtea fecit. *Qui comedunt de menſa Iezabel.* Scilicet, tantum fauorem habebant iſti apud Iezabel, q̃ comedebant de menſa eius. Non eſt autem intelligendum, quòd omnes commederent de menſa eius, id eſt, de cibis menſæ eius, qui apparabantur pro Iezabel, ſed dicebantur comedere de menſa eius, quia de redditibus aſſignatis menſæ Iezabel prouidebatur iſtis viris in neceſſitatibus ſuis, ſcilicet, in cibo, & potu, & veſtibus. *Miſit Achab ad omnes filios Iſrael, & congregauit Prophetas in monte Carmeli.* Scilicet, Miſit Achab nuncios per totum Iſrael, vt omnes venirent ad montem Carmeli: congregauit etiam diligenter omnes Prophetas tam Baal, quàm lucorum.

B

Mons Carmeli duplex.

C

Quare Achab ad vocem Eliæ miſit in vniuerſum Iſrael.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR quomodo Achab voluit ad vocem Eliæ mittere in vniuerſum Iſrael, cum haberet eum exoſum. Reſpondendum, quòd Elias dixerat, quòd nõ veniret aqua, quouſque ipſe loqueretur, ſupra præced. & hoc ſciebat eſſe verum Achab per experientiam: nunc autem Elias dixerat, quòd vocaret Achab totum Iſrael, & veniret aqua, ideo vocauit omnes, quia etiam ſi aliud grauius ei dixiſſet, ſpontè feciſſet illud: & dato quòd nõ dixiſſet Elias ad Achab, quòd ventura eſſet aqua vocato Iſrael, vocaret ipſe Iſrael ad iuſſum Eliæ, quia Achab volebat perſuadere Eliæ, vt oraret Dominum pro pluuia, cum aliàs crederet ſe nõ poſſe habere illam, & ob hoc ſi non faceret, quòd dicebat Elias, exſperaretur, & nollet orare pro pluuia, ideo conſentiebat ei in omnibus Achab.

D

Ad quid voluit Elias, quòd congregarentur.

QVÆSTIO XVII.

VLTERIVS quæretur, ad quid voluit Elias, vt congregaretur populus, & Prophetæ, ad dandum aquam. Nam Deus dixerat, quòd volebat dare aquam. Ideo quòd Elias appareret coram Achab, & ſic non videbatur aliud neceſſarium, niſi quòd Elias oraret Dominum pro pluuia, & Deus daret illam. Reſpondendum, quòd omnia iſta fecit Elias de mandato Dei. Nam ſicut ipſe de mandato Dei venit ad ſe oſtendendũ Achab, ſupra in litera: ita credendum eſt, quòd omnia, quæ hic fecit, de mandato Domini egit, quanquam non exprimatur, quia non aureret Elias ſola voluntate ſua rem tam grauem aggredi. Dicendum autem, quòd Deus voluit fieri iſtam congregationem propter multa. Primo, quia ipſe abſtulerat pluuias iratus contra Iſraelitas propter idololatriam magnam, nunc autem volebat dare pluuias, ideo prius habere volebat quanquam ſatisfactionem de peccato, vt placaretur. Iſtud autem fuit, quòd occiderent Prophetæ Baal. Et proficiebat hoc ad duo. Primo ad executionem iuſtitiæ: nam iſti incitabant Reginam Iezabel in cultu Baal, videntes quòd placeret ei, & hoc vt haberent magnum fauorem eius. Ipſi etiam magnificabant Baal dupliciter, ſcilicet, in multitudine cæremoniarum, quantum ad ſacrificia, & in diuinitate reſponſorum: nam reſpondebant ad aliqua occulta ex nomine Baal, ſicut reſpõdebant Prophetæ Domini, & ex hoc faciebant ipſum Baal verè Deum. Incitabant etiam populum, ad colendum eum, ſicut Prophetæ Dei incitabant ad colendum Deum verum: populus autẽ Iſrael licet peccaſſet, tamen nõ eaat peccatum ſuum graue in comparatione peccati Prophetarum, quia inuiti trahebantur ad flectendum genua coram Baal, & ad oſculandum manum eius, vt declaratum eſt ſupra 16. & dicetur ſequenti. cap. Voluit ergo Deus capere vindictam de iſtis, tanquàm iſti ſoli eſſent hoſtes eius. Secundum fuit propter vtilitatem futuram, ſcilicet, quia poſtquàm occiſi eſſent omnes Prophetæ, & ſacerdotes Baal, non eſſent aliqui, qui incidarent populum ad idololatriam, & haberet populus maiorem opportunitatem colendi Deum. Alia cauſa fuit propter populum. Nam Deus volebat nunc dare aquam: & quia ſi iſta aqua veniſſet, non præmiſſa aliqua cæremonia, vel miraculo, non putaſſet populus eſſe aliquid ſpecialius, quàm in alijs temporibus, cum pluuia deſcẽdebat, ideo voluit, quòd totus populus adeſſet, & videret miraculum de igne deſcendente in ſacrificio Eliæ, & aquam poſtea venientem ad preces eius, & ſic videret manifeſte, iſta omnia à Deo fieri. Alia cauſa fuit, vt populus conuerteretur ad Dominum. Nam ſi non fuiſſet vocatus populus, manſiſſet in idololatria ſua, etiam ſi veniſſet aqua, immo ſic manſiſſet tenacius, videns, quòd licet eſſent idololatræ, non prohibebatur cœlum pluere ſuper eos. Nunc autem cum fuerunt vocati, manifeſtè viderunt falſitatem Prophetarum Baal, & quòd Baal non erat Deus, & viderunt veritatem diuini cultus, & quòd Deus, quem colebat Elias, erat verus Deus, quia exaudiebat per ignem, & in hoc fuerunt inclinati ad deteſtandum Baal, intantum, quòd ipſi tenuerunt omnes ſacerdotes Baal, ad hoc quòd occiderentur ad mandatum Eliæ, vt patet in litera. Poſtea etiam viderunt pluuiam conſecutam ad preces Eliæ, ideo inclinati fuerunt nimis ad Dominum: ſi autem non fuiſſet facta iſta congregatio, & neniſſet pluuia, Prophetæ Baal perſuaſiſſent populo, quòd Baal mittebat illam pluuiam. Alia cauſa fuit ad oſtendendum peccatum populi, ſcilicet, quòd Deus clauſerat cœlum propter idololatriam, nunc verò quia conuertebantur ad ipſum, & occidebant ſacerdotes Baal, placatus eſt, & dedit pluuiam: & ſic ſciret populus, quòd peccatum ſuum erat cauſa omnium pœnarum ſuarum, & ſic recederent ab idololatria, timentes pœnam.

E

F

Qui erant Prophetæ Baal, & qui Prophetæ lucorum, & quomodo differebant.

QVÆSTIO XVIII.

QVÆRETVR vlterius, qui erant iſti Prophetæ Baal, & Prophetæ lucorum, qui ſimul erant octingenti quinquaginta. Reſpondendum, quòd non vocantur Prophetæ propriè: quia Propheta eſt qui cognoſcit aliquas veritates ſupernaturaliter reuelatas, & ad hoc oportet eſſe diuinam inſpirationem: iſti autem non inſpirabantur à Deo, cum non eſſent Prophetæ eius, ſed Prophetæ dæmonum. Vocantur tamen Prophetæ dupliciter. Vno modo Prophetæ à reuelatione abſconditorum. Alio modo à prophetando, id eſt, laudando, vel canendo, ſicut filij Aſaph, & Eman, & Idithum dicebantur prophetare in citharis, & lyris. 1. Paralip. 25. Id eſt, Cantare. Vterq; modus iſtorum cõueniebat Prophetis Baal: nam quidam ipſorũ dicebantur Prophetæ à reuelatione abſconditorum, eo quòd ipſi per artẽ dæmonũ cognoſcebant aliqua occulta, & reuelabant ea populo, & ſic videbantur verè prophetare. Multi enim dæmones apud Gentiles hoc habuerunt, ſicut Apollo in inſula Delphos, qui reſpõdebat ad omnia quæſita, & confluebant ad eum de omnibus partibus orbis, & habebantur reſponſa ſua, tanquam certiſſima. Sic igitur Baal reſponderet cultoribus ſuis, & quia iſti erant dedicati ad inquirendũ à Baal reſponſa, dicebantur Prophetæ eius. Etiam dicendum, quòd dato ꝙ Baal nihil reſponderet, quicquid ipſi per artem necromanticam, & alias ſuperſtitiones poterant inuenire, reſpondebant inquirentibus, & dicebantur illa ſibi reſponderi à Baal. Alij vocabantur prophetæ Baal ſecundo modo, à canendo vel laudando, & iſto modo omnes ſacerdotes Baal vocabantur prophetæ eius, quia manebant ſemper in laudibus ſuis, ſic patet infra in litera, ſcil. Poſtquam autẽ tranſijt meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo ſacrificiũ offerri ſolet: & ponitur ibi prophetare, id eſt, laudare, quia omnes laudabant Baal, & inuocabant eum. Nam dicitur infra, quòd inuocabant nomen Baal de mane vſq; ad meridiem, dicentes, Baal exaudi nos. Iſtud etiam patet, quia iſti prophetæ Baal obtulerunt ſacrificium: ſi tamen non accipiantur prophetæ pro ſacerdotibus, non obtuliſſent ipſi ſacrificiũ, ſed ſacerdotes, quia iſtud officium non eſt prophetarum, ſed ſacerdotum: ergo iſti erant ſacerdotes. Item ſi iſti non eſſent ſacerdotes, ſed ſolum prophetæ manifeſtum eſt, quòd præter iſtos haberet Baal ſacerdotes, & illos etiã faceret vocari Elias, vt occiderentur, quia illi fallebant populũ ſicut prophetæ Baal, honorando ipſum magnis cæremonijs. Item ſi non acciperentur hic prophetæ pro ſacerdotibus & prophetis, nõ eſſet veriſimile, quòd tantus numerus eſſet prophetarũ, ſcilicet, octingenti quinquaginta. Ideo dicendum eſt, quòd iſti erant omnes ſacerdotes & prophetæ ſimul, qui erant in regno Achab, & hos omnes vocauit Achab ad exhortationem Eliæ.

Prophetæ Baal & lucorum, quomodo differebant.

QVÆSTIO XIX.

VLTERIVS quæretur, quomodo vocantur quidam iſtorum prophetæ, Baal, & alij prophetæ lucorum. Reſpondendum, quòd prophetæ Baal, ſicut ſupra dictum eſt, erant ſacerdotes & prophetæ, & tamen videtur, quòd erant duplices prophetæ Baal. Quidam erant in vrbe Samaria in templo magno, quòd ibi fecerat Achab ſupra 16. & ibi erat maior pars iſtorum quadringentorum & quinquaginta. Alij autem erant diſperſi per alias vrbes Iſrael, & ibi colebant Baal facientes ei ſacrificia. Prophetæ autem lucorum vocantur ſacerdotes, & prophetæ aliorum deorum, quos Iſraelitæ colebant, quia non ſolum colebant Baal, ſed etiam multos alios deos, quos ipſa Iezabel introduxerat infra 21. ſcilicet, Concitauit eum Iezabel vxor ſua, intantum, vt ſequeretur idola, quæ fecerunt Amorrhæi. Inter omnes tamen iſtos deos Baal habebatur tanquam excellentior: & ideo ipſe ſolus habebat quadringentos & quinquaginta prophetas: & prophetæ lucorum, id eſt, omnium aliorum deorum erant ſimul quadringenti ſolùm. Quòd autem prophetæ lucorum non eſſent prophetæ Baal, ſed aliorum deorum, patet: quia tunc omnes eſſent prophetæ eiuſdem Dei, & tamen Elias dixit ad eos, inuocate nomina deorum veſtrorum. Vocantur autem prophetæ lucorum, id eſt, ſacerdotes excelſorum, quia alij dij præter Baal non habebant templa in vrbibus, ſed in montibus conſtituebantur eis altaria, & erant illa inter arbores condenſas propter vmbram magnam, ad vacandum libidini poſt ſacrificia, vt declaratum eſt ſupra 15. quælibet autem talis congregatio arborum vocabatur lucus, quaſi luce carens propter vmbram magnam. Aliter dici poteſt, quòd omnes prophetæ Baal erant in Samaria in templo, quòd ibi fecerat Achab: & omnes alij prophetæ & ſacerdotes, qui erant diſperſi per totum Iſrael, vocabantur prophetæ lucorum ex cauſa aſſignata, & aliqui illorum colebant Baal, & alij alios deos. *Accedens autẽ Elias ad omnem populum.* Scilicet, poſtquam conuenit totus populus in Carmelo, Elias aſtitit eis ad loquendum, vt audiretur à toto populo. *Vſquequo Claudicatis in duas partes?* Quaſi dicat non eſt bonum nunc declinare in vnam partem, & nunc in aliam, ſed quòd teneatis firmiter vnam illarum. Iſtud dicebat Elias, quia Iſraelitæ non omnino colebant Dominum, recedendo à Baal, nec etiam omnino colebant Baal, recedentes à Domino, ſed aliquando offerebant ſacrificium Deo verò, & aliquando Baal, ſicut dicitur de Samaritanis, ſequen. lib. cap. 17. Scilicet fuerunt gentes iſtæ timentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idolis ſuis ſeruientes. In Hebræo dicitur. *Vſquequo tranſitis ſuper duas cogitationes.* Scilicet aliquando cogitatis, quòd eſt bonum colere Baal, & aliquando quod eſt bonũ colere Deum, ſed iſtud non cõuenit, quia debetis firmari in aliqua ſententia. *Si Dominus eſt Deus ſequimini illum, ſi autem Baal ſequimini illum.* Scilicet, oportet vos determinari ad colendum Deum, quia verè Deus eſt, & non poteſt eſſe, quòd Dominus ſit Deus, & Baal ſit Deus, ſed neceſſe eſt, alterum eorum ſolum eſſe Deum, ideo ſequimini Baal, ſi Deus eſt, vel ſequimini Dominum, ſi Deus eſt. Vocatur hic Dominus ipſe Deus Iſrael, quia conſueuerant Iſraelitæ, vocare eum ſemper Dominum propter reuerentiam & vniuerſalitatẽ poteſtatis, & ſic non poſuit ei Elias nomen proprium, ſicut poſuit ipſi Baal, ſed vocauit eum Dominum, quia ſic magis eum honorabat, vocando eum Dominum ſine determinatione, id eſt, Dominum omniũ rerum. *Et non reſpondit ei populus verbum.* Scilicet, quanquam optimè proponeret Elias, populus non reſpondit, tanquam non acceptans propoſitionem.

Populus quare non reſpondit Eliæ.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR, quare populus non reſpondit Eliæ. Dicendum, quòd hoc fecit propter multa. Primò, quia non apparebat eis propoſitio Eliæ bona, quia Elias præſupponebat, quòd vel ſolum Dominus erat Deus, vel Baal ſolũ erat Deus, & non poterant ambo ſimul eſſe veri dij. Populus tamen fortè credebat poſſe eſſe plures deos veros: immo iſta erat opinio omnium idololatrarum, quia aliàs non colerent diuerſa idola, niſi putarent verè eſſe multos deos. Elias tamen loquebatur veriſſimè, quia impoſſibile erat eſſe multos deos, ſed ipſe vocabat Dominum eſſe Deum, & populus vocabat Baal Deum, ideo neceſſe erat aliquem mentiri, & volebat, quòd recurreretur ad illum, qui erat verè Deus. Secundum fuit, quia dato ꝙ appareret iſta propoſitio rationalis, tamen erat vniuerſalis, & neſciebat populus, quomodo deberet conſtare, an Dominus eſſet Deus, vel Baal: ideo putauit ſuperfluũ reſpondere, & poſtea quando Elias propoſuit modum in particulari, conſenſit populus propoſitioni eius. Tertiũ fuit, quia populus erat nimis aſſuetus ad idololatriã, & non dimitteret illam ſine ratione nimis vrgente, & quia quando Elias locutus eſt vniuerſaliter, iſta ratio non vrgebat, cùm non eſſet determinata ad particulare, & ob hoc habebat modicam apparentiam, ideo non aſſenſit. Quartum fuit, quia propoſitio Eliæ erat, ad inueniendũ aliquem modum, per quem cognoſceretur, an Dominus eſſet Deus, vel Baal eſſet Deus, & quia aliquis modus experiendi eſſet, quem populus non acceptaret, noluit reſpondere, quouſq;

A Elias proponeret modum in particulari, & cum propoſuit, placuit modus populo, & tunc reſponderunt. *Et ait rurſus Elias ad populum.* Videns, quòd non reſpondebant primæ propoſitioni, & cognoſcens cur non reſponderent, propoſuit alium modum. *Ego remanſi propheta Domini ſolus.* Scilicet, omnes alij occiſi fuerunt à Iezabel, ſicut dicitur ſupra in litera.

An Elias eſſet tunc ſolus propheta in Iſrael.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR quomodo dicebat Elias, quòd manſerat ipſe ſolus, quia ſaltem manſerunt centum prophetæ, quos eruit Abdias de manu Iezabel ſupra in litera. Item multi alij manebant, quia ſequen. cap. dixit Deus, Reliqui mihi ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata Baal. Reſpondendum ſecundum Nicolaum, quòd non manſerat aliquis de prophetis Domini niſi ipſe, quia cæteri declinauerant ad idololatriam. Sed iſtud non eſt ſatis rationabile, nam licet illi Iſraelitæ qui non erant prophetæ, concedantur declinaſſe ad idololatriam, tamen non eſt veriſimile, quòd illi, qui erant verè prophetæ Domini, conuerterentur ad idola. Item patet, quia occidebantur multi prohetę Domini à Iezabel, & tamen ſi voluiſſent conuerti ad idola, non occiſi fuiſſent. Etiam patet maximè de illis centum prophetis, B & quos liberauit à morte Abdias, nam illi non fuerunt conuerſi ad idola, quia tunc non oportebat, ꝙ abſconderet eos Abdias, ſed ipſi præſentarent ſe Iezabel, & honoraret eos magnis honoribus, ſi vellent eſſe prophetæ Baal. Dicendum igitur, quòd alij prophetæ Domini erant, & tamen Elias dixit, quòd ipſe relictus erat ſolus, ſcil. quia omnes alij occiſi fuerant à Iezabel. Etiã intelligebat Elias de prophetis Domini in terra Achab regis: nam in terra regis Iuda nõ dubitat, quin eſſent multi prophetę, ꝙ ibi colebatur Deus, ſe tamen ſolũ dixit, quia illi non poterant venire, vt adiungerẽtur ei ad fouendũ partẽ Domini, ſicut octingenti & quinquaginta prophetæ fouebant partẽ Baal. Ad primam rationem de centum prophetis, quos liberauit Abdias. Dicendum, quòd iſti non fuerunt conuerſi ad idololatriam, cum ipſi valde fugiſſent eam, ſed etiam non fuerunt occiſi à Iezabel, quia Abdias liberauit eos, ſed fugerunt in terram Iuda, eo quòd non poterant ſecurè manere in terra Achab propter Iezabel.

Ad ſecundam dici poteſt, quòd de illis ſeptem millibus, quorum non erant curuata genua coram Baal, nullus erat propheta, ſed omnes erant viri ſimplices. Aliter dicendum & melius, quòd ſiue eſſet aliquis propheta inter iſtos, ſiue nõ nihil differt, quia Elias non putabat iſtos manſiſſe in terra, quia etiam poſtquam fuit facta diſceptatio inter eum & ſacerdotes Baal, & fugit ipſe à facie Iezabel, conqueſtus eſt C Deo, quòd relictus fuerat ſolus, & Deus reſpondit, quòd reliquerat ſibi ſeptem millia virorum.

Prophetæ autem Baal quadringenti quinquaginta, prophetæque lucorum quadringenti viri ſunt. Omnes iſti octingenti quinquaginta prophetæ congregati fuerant, qui erant nunc coram Elia.

Cur Elias dixit ſe eſſe ſolum prophetam Domini, & prophetas Baal octingentos quinquaginta.

QVÆSTIO XXII.

QVÆRETVR, quare dixit Elias, quòd ipſe erat ſolus de prophetis Domini, & erant octingenti quinquaginta viri de prophetis idolorum.

Reſpondendum, quòd fecit hoc propter duo. Primo, quia voluit oſtendere rationabilem eſſe propoſitionem, quã nunc exponebat populo, ſcil. quòd prophetæ Baal inuocarent Baal, & ipſe inuocaret Deum, & ille, qui exaudiret, eſſet Deus. Prophetæ autem Baal, cum eſſent plurimi, poterant faciliter inuocare Baal, ad hoc quòd exaudiret eos, ſi Deus erat, & facilius quidem quam Elias poſſit inuocare Dominum, cum ipſe ſolus eſſet, & ſic Elias dabat maiorem fauorem Baal quam Deo vero, vt ſi ipſo inuocante Dominus exaudiret, & inuocantibus omnibus octingentis quinquaginta prophetis, non exaudiret Baal, appareret manifeſtè, quòd Deus Eliæ erat verus Deus, & ſic magis conuincerentur cultores Baal, non habentes excuſationem. Secundum fuit, ad dandum eis honorem, vt ipſi prius ſacrificarent, quia plures erant: ſic enim dixit infra, quòd prophetæ Baal facerent primi ſacrificium, quia plures erant. D

Dentur nobis duo boues. Scilicet, ipſi accipiant vnum & ego alium. *Et eligant bouem vnum.* Scilicet, nolo ego eligere bouẽ, ſed ipſi eligant. Dixit autem Elias, dentur nobis boues, & non dixit, accipiam ego boues, vt non ſuſpicarentur aliqui, quòd ipſe aliqua arte ſuperſtitioſa eligebat tales boues, quorum carnes poſſent comburi, & eſſet in hoc aliqua fallacia dæmonum, ſed dixit, dentur, ad tollendam ſuſpitionem. Dixit etiam, quòd ſacerdotes Baal eligerent, ad tollendam ſuſpitionem, & ad magis conuincendum, quia ſi ipſe elegiſſet, poterat credi, quòd accepiſſet bouẽ, qui artificio dæmonum igne nõ ſuppoſito poſſet cremari, & reliquiſſet bouem, qui non poſſet cremari: voluit autem in omnibus Elias dare meliorem partem prophetis Baal, vt non haberent excuſationem.

Et in fruſta cædentes ponant ſuper ligna. Scilicet, diuidant eum in partes. Iſtud erat ſecundum ritum ſacrificiorum: nam etiam in ſacrificijs Dei ſic fiebat, vt ponerentur in ligna in altari, & fruſta animalis ponerentur ſuper ligna, Leuit. 1. *Ignem autem non ſupponant.* Iſtud erat ad probationẽ deitatis, ſcilicet, an Baal eſſet Deus, dando ignem. *Et ego faciam bouem alterum.* Id eſt, occidam bouem, & decoriabo. Et iſtud vocatur facere, id eſt, diſponere. Sic enim loquuntur interdum poetæ, vt Virgilius in Bucolicis, ſcilicet. E

Cum facio vitulam pro frugibus, ipſe venito.

Id eſt dum coquo vitulam, vade pro pane. *Et imponam ſuper ligna.* Scilicet, diuiſum bouem in fruſta. *Ignemque non ſupponam.* Iſtud erat, vt etiam Elias inuocaret Deum ſuum, ad experiendum, an ipſe poſſet dare ignem. *Inuocata nomina deorũ veſtrorum.* Loquebatur ad prophetas Baal, & lucorum, qui habebant varios deos, & in hoc dedit eis magnum fauorem, ſcilicet, quòd ipſi inuocarent quotcunque deos vellent, & Elias inuocaret ſolùm vnum. Nam poterat eſſe, quòd nõ eſſet Deus verus Baal, & eſſet verus Deus aliquis De alijs, quos colebant prophetæ lucorum, & ſic dando eis locum inuocandi quotcunq; deos vellent, concedebat eis multum, ſed omnia erant ad conuincendum efficacius.

Et ego inuocabo nomen Domini Dei mei. Id eſt, ego ſolum inuocabo vnum Deum, & ſic ſi Deus Eliæ daret ignem, & non dij prophetarum octingentorum quinquaginta, appareret, quòd ſolus iſte Deus erat potentior omnibus alijs dijs ſimul.

Et Deus, qui exaudiuerit per ignem, ipſe ſit Deus. Id eſt, Deus qui exaudierit inuocẽtes ſe, dando ignem pro ſacrificio ſuo ipſe ſit Deus, id eſt, habeatur ab omnibus inconcuſſe pro Deo, & non ſit varietas, in duas partes claudicando. F

Reſpondens omnis populus ait, Optima propoſitio. Placuit populo iſta propoſitio, quia viderunt, quòd ſic faciliter, & in promptu poterat cognoſci, quis eſſet verus Deus.

An iſte modus, inueniendi veram deitatem per dationem ignis in ſacrificio, eſſet conueniens.

QVÆSTIO XXIII.

QVÆRETVR an iſte modus, inueniendi veram deitatem, eſſet conueniens.

Reſpondet Nicolaus, quòd erat conueniens, eo quòd ſic apparuerat acceptatio ſacrificij Abel, ſcil. quia Deus inflammauit ſacrificium ſuum, de quo dictum eſt Geneſis 4. Etiam quando Aaron cępit miniſtrare prima die poſt conſecrationem ſuam, Deus miſit ignem de cœlo, Leui. 9. Sed dicendũ, quòd non erat iſta cauſa motiua ad experiendum veram deitatem, quia ſi populus concederet, quòd Deus miſiſſet ignẽ ſuper ſacrificia Aaron, & propter hoc vellent nunc experiri in igne, non oportebat fieri diſceptationem, quia iam populus concederet, quòd Deus ille, qui dederat legem Moyſi poterat exaudire per ignem, & tamẽ populus voluit videre quis eſſet verus Deus: ergo dubitauit, an poſſet Deus, qui dedit legem Moyſi, dare ignem in ſacrificio, quia aliàs non concederet populus talem diſceptationem, quia de notiſſimis nullus diſceptat reuocando in dubium.

Et ſic dicendum, quòd Iſraelitæ per hoc, quòd conuertebantur ad idola, negabant omnia, quæ erant in lege Moyſi, vel ſaltem dubitabant de illis. Sed Elias propoſuit iſtum modum, quia putauit, quòd placeret populo, & populus acceptauit illum, quia viſus eſt ſibi conueniens & facilis.

Sed videtur, quod iſte modus non eſſet conueniens, quia dæmones poterant inflammare ſacrificiũ, quòd fiebat Baal: nam dæmones habent poteſtatem ſuper materiam corporalem, & poterant ipſi ducere aliquam partem ignis de ſphæra ignis, ad cremandum ſacrificium. Vel ducerent ex alia parte terræ ignem flammantem in lignis multis, & facerent ligna non apparere, ſed flammam ſolam, & putaretur venire ille ignis de cœlo. Vel poterant dæmones facere, quòd ipſa ligna ſacrificij ſuccenderentur, applicando ibi aliqua, per quæ non appoſito igne ſuccenderentur ligna, quia etiam hoc naturaliter fit, & populus non videret, quomodo ſuccendebantur ligna, & putaret eſſe ignem à Deo vero.

Dicendum verum eſſe, quòd dæmones poterant faciliter incendere ſacrificium illud, quia alia valde maiora faciunt, & hoc benè nouerat Elias, ſed ſciebat, quòd Deus comprimeret hic poteſtatem dæmonum, ita quòd nihil facerent de eo, quod alias facere poterant, vt conuinceretur error colentium Baal, & ſic ſecurè iniuit Elias iſtud pactum, tanquã ſciens, quòd nullo modo permitterentur dæmones inflammare ſacrificium Baal.

Qua ratione prophetæ Baal conſenſerunt propoſitioni Eliæ.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR quomodo prophetæ Baal, & lucorum voluerunt venire in hanc compoſitionẽ, cum incumberet eis malum, ſcilicet, quòd non poſſent inuocando Baal exaudiri ad hoc quòd inflammaretur ſacrificium ſuum.

Reſpondendum, quòd prophetæ Baal & lucorum non ſponte venerunt in hanc compoſitionem, tamen non potuerunt effugere eam, quia populus compulit eos ad acceptandam illam cum placuiſſet iſta propoſitio populo, qui dixit, Optima propoſitio Eliæ. Secundum fuit, quia forte prophetæ Baal confidebant ſe poſſe obtinere ignem à Deo ſuo, & hoc quia forte alias experti fuerant, quòd ſacrificium ſuum fuerat inflammatum, & nunc ſic confidebant. Nam dæmones poſſunt facere, quòd deſcendat ignis de cœlo, & ſic fiet tempore Antichriſti, ſic patet Apoc. 13. ſcil. Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in conſpectu hominum. Etiam 2. ad Theſſ. c. 2. dicitur quòd aduentus Antichriſti erit ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis & prodigijs mendacibus.

Tertium fuit quia in iſto pacto Eliæ cum prophetis Baal ſolum fuit interpoſitum, quòd ille, qui exaudiret per ignem, eſſet Deus, id eſt haberetur in Deum ab omnibus, & nõ fuit ſtatutum, quòd qui ſuccumberet, occideretur, vel pateretur aliquid mali, ideo nõ formidauerunt ſubire examen. Quartum erat quia dato, quòd interponeretur mors in contractu iſto ſuccumbenti, melius erat ſacerdotibus Baal & prophetis, quòd ſe exponerent ſubeundo conditionem, quam quod fugerent eam, nam ſi refugerent eam, populus cognoſceret duo mala contra ipſos. Primum erat, quòd ipſi fouebant iniquam cauſam, cum non auderent ſubire iuſtiſſimam conditionem Eliæ, & per hoc eſſet quæſtio determinata, ſcilicet, quòd Baal non erat Deus. Secundum erat & grauius contra ipſos, ſcilicet, quòd toto tempore præcedenti ipſi ſciebant Baal non eſſe Deum, & tamen ſeducebant populum, inclinantes illum ad cultum eius, & pro hoc iuſtius merebantur mortem, quam pro eo, quòd coluerant eum, qui non erat Deus. Nam valde remiſſibilius eſt, quòd aliquis colat illum, qui non eſt Deus, putans eſſe Deum, quàm ſciens non eſſe Deum, colat illum, & inſuper alios ad colendum inducat, ideò dato quod ſuccumberent prophetæ Baal, facilius populus parceret eis, ſciens quòd decepti fuerant, putãtes Baal eſſe Deum, quàm ſi ipſi refugerent conditionem Eliæ: quia per hoc conſtaret eos fuiſſe ſeductores populi, & tunc populus non parceret eis.

Quid indicatum ſuiſſet ſi vtrique haberent ignem, aut ſi nemo ignem habuiſſet.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR, quid ſi vtrique haberent ignem à Deo, ſcilicet, Elias à Deo verò, & prophetæ à Baal, an deberet iudicari de aliquo illorum, quòd erat verus Deus, vel de vtroque, vel de nullo. Reſpondendum, quòd tam Elias, qui propoſuit, quam populus acceptans propoſitionem, putauit, quòd non poterat accidere, quòd vtrique impetrarent ignem à Deo ſuo, ideò credebant, quòd ille, qui daret ignẽ, eſſet Deus verus. De Elia patet, quia ipſe faciebat iſta à Deo motus, ideo ſciebat, quòd ſacerdotes & prophetæ Baal non poterant habere ignem in ſacrificio ſuo, quia Deus impediturus erat dæmones, ne operarentur id, quod aliàs facere poterant. De populo patet, quòd credebat populus, quòd non poterat aliquis dare ignem in ſacrificio inuocatus à cultoribus ſuis, niſi eſſet Deus verus, & ſi vnus eſſet Deus verus, non erat alius Deus verus, ideo qui daret ignem inuocantibus, manifeſtè eſſet Deus, & ſic non putabant, quòd vterq; poſſet dare ignem in ſacrificio. Sed dicetur, quid ſi accideret, quòd vtriq; haberent ignem, quia iſtud poſſibile erat, cum dæmones poſſent ducere ignem aliunde, vt ſupra declaratũ eſt. Dicendũ, quòd ex verbis Eliæ videbatur, q̃ vterq; eſſet verus Deus, quia vterq; exaudiebat per ignem: & tamẽ quia Elias dixerat iſta verba innuens, quòd vnus illorũ erat daturus ignem ſolum, cum ait, quòd qui exaudierit per ignem ipſe ſit Deus, ſolum fieret experientia in primo, & ſi primus exaudiret per ignem, non fieret experientia in ſecundo, quia primus haberetur pro Deo. Vnde cum prophetę Baal primo fecerint ſacrificium, ſi ipſi impetrauiſſent ignẽ pro illo, conſtaret Baal eſſe verum Deum, & conuictus eſſet Elias, nec inquireretur amplius, an Deus Eliæ eſſet verus Deus, ſed coleretur Baal. Sed dicetur, quid ſi neuter iſtorum deorum, reſponderet in ignem? Dicendum, hoc ſatis poſſibile eſſe ſcil. quòd Deus verus nollet exaudire Eliam, dando ignẽ, & dæmones prohiberentur à Deo inflammare ſacrificium Baal, & tamẽ Elias ſciebat hoc eſſe impoſſibile, quia Deus ſuus diſpoſuerat exaudire per ignem, ſed dato quod hoc euenirſet, non probaretur de aliquo iſtorũ, quòd eſſet verus Deus, ſed maneret æqua conditio Dei veri & Baal. *Dixit ergo Elias prophetis Baal, Eligite vobis bouem vnum.* Acceptauerunt prophetæ Baal conditionem Eliæ ex cauſis ſupra aſſignatis, & tunc dixit eis Elias, quòd de duobus bobus, quos populus dederat ad iſtam experientiam, eligerent ipſi prophetæ bouem vnum, & hoc ad faciendum conditionẽ eorum meliorem, & vt non haberent quid reſpõderent. *Et facite primi.* Id eſt, offerte vos prius ſacrificium quam ego. *Quia vos plures eſtis.* Id eſt, quia vos eſtis plures, debet vos deferri honor, ideo iuſtum eſt, quòd vos prius offeratis. *Et inuocate nomina deorum veſtrorum.* Scilicet, quia multos deos habebant, licet inter eos præcipuus eſſet Baal, vt ſupra dictum eſt. *Ignemque non ſupponatis.* Scilicet, ad probationem deitatis.

An Elias rectè egit dando in iſta probatione maiorem honorem cultui Baal, quam cultui Dei.

QVÆSTIO XXVI.

QVÆRETVR an Elias rectè egerit dans maiorem honorem cultui Baal, quã cultui Dei, cum dixit, q̃ ſacerdotes Baal prius ſacrificarent quam ipſe. Reſpondendum, quòd etiam ſi daret maiorem honorem nunc Elias cultui Baal quam cultui Dei, rectè agebat, quia nunc vertebatur in dubium, quis eſſet iſtorum verus Deus, & de hoc inquirebatur, ideo non præiudicabatur honori Dei, quòd Elias daret nunc ad horam maiorẽ honorem Baal quã Deo verò, cum poſt modicum appariturum erat, quis eorũ verus eſſet Deus. Aliter dici poteſt, quòd Elias non dedit maiorem honorem cultui Baal quam cultui Dei, ſed ſolum dedit honorem ipſis cultoribus, nõ quia cultores erãt Baal, ſed quia multi erant, & ex hoc, cæteris paribus, merebantur honorem maiorem quam Elias, qui ſolus erat, & dato quod ſecundũ veritatem

Elias,

A Elias, qui bonus erat, mereretur maiorem honorem, quam omnes octingenti quinquaginta prophetæ Baal, & Iucorũ, tamen ex vrbanitate detulit eis honorem, quia virtuosi viri est alteri honorem deferre, quanquam ipse illum mereatur, sic dicit Apostolus ad Roma. 12. scilicet, Honore vos inuicem præuenientes. Aliter adhuc efficacius dicendum, quòd Elias non dedit eis honorem principaliter, quia multi erant, sed quia ad honorem Dei veri, sic expediebat. Nam si Elias feciſſet à principio sacrificium, & inuocante eo Deus dediſſet ignem, & per hoc appareret Deus verus, tamen istud nõ esset nimis efficaciter, quia adhuc posset credi, quòd Baal daret etiam ignem inuocantibus prophetis suis, & sic esset æqualitas vtriusque, decuit ergo ad ostensionem totaliter virtutis Dei, quòd Elias concederet prophetis Baal, vt ipsi à principio facerent, & cum ipsi post multum tempus inuocando Baal, nihil proficerent, Elias subito ad vnam vocationem faceret descendere ignem de cœlo, & sic per iuxtapositionem oppositorum appareret maximè potentia Dei. *Qui cum tulissent bouem quem dederat eis.* Scilicet, sacerdotes acceperunt bouem, quem dedit eis Elias ad immolandum.

Quomodo acceperunt bouem prophetæ Baal.

QVÆSTIO XXVII.

B QVÆRETVR quomodo acceperunt bouem, quem dedit eis Elias, cum Elias dixisset eis, quòd eligerent bouem, quem vellent. Respondet ad hoc Ra. Sa. quod cum prophetæ Baal vellent accipere vnum de illis bobus, bos ille confugit ad Eliam, quasi volens latere sub pallio eius, & hoc quia horrebat nutu Dei, quòd de ipso fieret sacrificium idolis, & sic assistentes erudirentur in bruto animali, quantum idololatria vitanda esset, & tunc Elias tradidit bouem illum eis, quanquam ad ipsum confugisset, vt per eius immolationem sanctificaretur Deus, sicut per immolationem alterius bouis, quia per istum fuit ostensa falsitas idololatriæ, & per alium veritas latriæ. Sed ista sunt nimis ficta, & similia consueuit fingere Rab. Sal. & alij Hebræi. Dicendum autem, quòd Elias ostenderat se fouere partem iustam, & esse nimis audacem, cum in omnibus daret electionem ipsis prophetis Baal: ipsi verò vt non viderentur timere, & etiam ostenderent se fouere causam iustam, non respuerunt electionem, sed potius concesserunt electionem Eliæ, quòd ipse eligeret pro se, quem vellet de bobus, & alium daret eis. Susceperunt autem, quòd ipsi primo facerent sacrificium, non quidem tanquam istud adiuuaret causam suam, quia volebant per omnia æquales esse Eliæ subeundo pactum, sed per quia ipsi digni erant maiori honore, cum plures essent: & sic Elias videns intentionem illorum, dedit eis bouem vnum: & tunc dicitur, quòd ipsi tulerunt bouem, quem dedit eis Elias. *Fecerunt.* Id est, immolauerunt illum & decoriauerunt, & in frustra cæsum posuerunt super altare.

C *Et inuocabant nomen Baal de mane vsque ad meridiem.* Incæptũ fuit opus istud in principio diei, & ad tollendum calumniam conuentum est inter partes, quòd sacerdotes Baal facerent sacrificium, & haberent tempus limitatum ad faciendum illud à mane vsque ad meridiem, & Eliæ datum est ad sacrificandum à meridie vsque ad vesperam. Et causa fuit, quia si prophetæ Baal viderent, quòd vsque ad meridiem non exaudiret eos Baal, peterent maiorem dilationem, dicentes, quòd quanquam nondum exaudiuisset eos Baal, exaudiret eos postea, & sic haberent locum effugiendi, ideo postquam aduenit meridies, non permissi sunt vltra clamare ad Baal, sed datus est locus Eliæ ad sacrificandum, vt patet infra.

Dicentes Baal Exaudi nos. Istud clamabant tota die, quia Baal erat deus principalis eorum. *Et non erat vox, nec qui responderet.* Scilicet dato, quòd clamarent vsque ad meridiem, non audiebatur aliqua vox respondens eis. Etiam non erat aliquis, qui posset respondere, & istud peius erat. Intelligitur hoc, quòd Baal nihil erat Deus, sed quoddam lignum vel lapis: ideo non poterat respondere. Si autem accipiatur, quòd Baal erat aliquis dæmon, qui colebatur in idolo illo: Dicendum, quòd Deus non permittebat ei respondere, nec aliquid agere. Et accipitur hic respondere mathematicè non pro responsione vocali, sed ad intentionem istorum prophetarum scilicet, quòd Deus suus daret ignem, quem ipsi petebant, etiam si nullam vocem emitteret. D

Transiliebantque altare, quod fecerant. Id est, saltabant sacerdotes super altare, & circuibant illud perambulantes in gyro, quia ista erat cæremonia in sacrificijs quorundam idolorum.

Cumque esset iam meridies, illudebat eis Elias. Videns Elias aduenisse meridiem, vbi finiebatur tempus sacrificandi prophetarum Baal, & non habuerant ignem, cœpit eis illudere Elias, gaudens de eorum confusione, quia idololatræ erant.

Dicens, Clamate voce maiore. Ista erat magna illusio: nam Deus non habet aures, nec quidquam audit, sed omnia sua summa intelligentia percipit: ergo clamarent ad eum valde inutile erat. Item significabatur in hoc, quòd Baal erat Deus surdus, & oportebat, quòd clamarent voce magna, vt exaudiret eos.

Deus enim est. Illusio est, quasi dicat, confidenter potestis clamare, quia etiam si hactenus non exaudierit, exaudiet post hoc, quia Deus est, & non fallet cultores suos.

Et forsitan loquitur, aut in diuersorio est. Ista erat maior illusio, quia dixit Elias, quòd Baal forsitan loquitur, quasi dicat, Deus vester est loquendo cum aliquo, & non exaudit vos: ideò clamate voce maiore, vt exaudiat. Sed istud est ridiculum, quia Deus nulli loquitur, & dato quòd loqueretur, nõ impediretur exaudire inuocantes: quia conditio potentiæ limitatæ est, quòd dum ad plura attenderit, in singulis minus efficax sit: potentia tamen illimitata non magis diminuitur, attendendo ad vnum quàm ad omnia, ideo dato quòd loqueretur Deus alicui, non impediretur exaudire cultores. Dixit autem, quòd forsitan erat in diuersorio. Est enim diuersorum domus apud viam ad quam declinant viatores, vt quiescant ibi, sic dicitur Lucæ 2. Et non erat ei locus in diuersorio. Volebat autem significare Elias, quòd Baal longè erat & cum cœperunt clamare cultores eius, ipse cœpit venire ad exaudiendum eos in igne, & quia via longa erat, declinauerat ad aliquod diuersorium, vt maneret ibi, & postea veniret ad exaudiendum eos, ideo vt exaudiret cum esset in diuersorio, debebant clamare validè, sed ista illusio est, quia Deus verus vbique est; & non discurrit de loco ad locum, & dato quòd discurreret sicut homo, non egeret diuersorio, vt declinaret illic ad quiescendum, qui nunquam fatigatur. E

Diuersorum quid.

Aut in itinere. Id est, fortè est in itinere veniendo ad vos, ideo, vt cito veniat ante lapsum meridiei, clamate voce magna.

Aut certe dormit, vt excitetur. Id est, fortè dormit nunc Deus vester ad recreationem, ideo clamate fortiter, vt excitetur à sopore, & veniat ad adiuuandum vos: ista illusio est, quia Deus nõ dormit, cum non sit animal, cuius sumi ascẽdentes à stomacho ligent omnes vires operatiuas, & sensitiuas quod fit in somno, & tamen licet ista diceret Elias illudendo non esset illusio secundum gentiles, quia ipsi confitebantur Deos suos in cœlo carnaliter commisceri, & filios gignere, & epulis vacare, sed ad hæc somnus, & multa alia accidentia sunt. F

Clamabant ergo voce magna. Quanquam Elias diceret hoc eis illudendo, & ipsi viderent: tamen pressi angustia temporis clamabant voce magna, vt aliquando exaudirentur.

Et incidebant se iuxta ritum suum cultris, & lanceolis. Scilicet, sacerdotes illi incidebant carnem suam, vt effunderent sanguinem, & hoc cultris, & lanceolis: cultri erant ad secandã, & faciendum longum vulnus: lanceolæ erant quædam instrumenta ferrea acuta non ad scindendũ, sed ad pungendũ, & vtroque modo fundebatur sanguis.

Incisio in sacrificijs dæmonum.

Donec perfunderentur sanguine. Id est, hoc faciebant, vsquequo videretur esse corpus suum opertum sanguine, & istud erat iuxta ritum suum. Nam in sacrificijs quorundam deorum, mos erat, quòd sacerdotes se inciderent: sic erat in sacrificijs Berecynthiæ, quæ vocabatur Bona dea, vel mater deorum, & alijs multis nominibus. De hoc Augustin. 2. de Ciui. & Ouidius in Fastis: & Seneca in tragœdijs: & sic erat consuetudo in sacrificijs Baal: fiebat autem istud ad placandum dæmones. Nam dæmones valde delectantur cum immolatur eis sanguis humanus, eo quòd homo sit dignissima creaturarum: sic enim antiquitùs in sacrificijs Saturni offerebantur partes hominum occisorum, & quia istud sacrificium erat crudelæ, Hercules vadens in Italiam tempore

A Euandri regis mutauit istud sacrum faciens, quòd offerrentur de cera effigies illorum membrorum humanorum. De hoc tangit Ioannes Boccatio de Certaldo in libro de Genealogia deorum. De hoc etiam Virgilius Æneide. Sic etiam fuit de sacrificijs Dianæ in regione Ethaurica. Nam offerebantur ei in sacrificium extranei venientes in terram illam. Accidit autem, quòd veniret in terram illam Orestes, filius Agamemnonis regis Mycenarum, & inueniens ibi sororem suam Ephigeniam, quæ erat sacerdos Dianę rapuit illam, & Dianam Ethauricam, & sic cessauerunt sacrificia crudelia in terra illa. De hoc Ouidius in lib. Fastorum: & Paulus Orosius 5. libro de Ormesta mundi. Prophetæ ergo Baal videntes, quòd non exaudirentur, incœperunt se perfundere sanguine, quia istud erat per quod maximè poterant deos suos incitare ad exaudiendum ipsos.

Postquam autem transijt meridies. Hic ponitur de sacrificio Eliæ, scilicet, postquam transiuit meridies, qui erat terminus limitatus ipsis cultoribus Baal: Elias dixit, quòd illi cessarent à sacrificio, & quòd conueniret totus populus ad sacrificium quod ipse facere volebat. *Et illis prophetantibus venerat tempus, quo sacrificium offerri solet.* Scilicet, manebāt isti prophetæ Baal semper prophetando, id est laudando Baal, & inuocando eum, & tamen manentibus eis in hoc transierat tempus, in quo sacrificium offerri solet, scilicet, vsq; ad meridiem, quasi dicat, sacrificia offerri solent vsque ad meridiem: & tamen iam transierat meridies. Istud dicitur ad tollendum excusationem, quia si post meridiem consueuissent offerri sacrificia Baal, possent dicere prophetæ eius, quòd Baal nollet exaudire vsquequo veniret tempus, quo solebat ei fieri sacrificium, & sic dicitur, quòd iam transierat hora faciendi sacrificium ipsi Baal. *Nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat.* Id est, non audiebant vocem aliquam Baal respondentis in voce, aut in re, scilicet dando ignem.

Nec attendebat orantes. Scilicet, non curabat Baal de Prophetis suis orantibus respondendo eis: eo quòd Baal non erat, qui respondere posset, cùm nihil esset: & si erat dæmon, non permittebatur respondere, nec succendere sacrificia. *Dixit Elias omni populo, venite ad me.* Scilicet cùm iam transisset tēpus concessum sacerdotibus Baal ad offerendum sacrificia, & appareret manifestè, quòd iam Baal non erat exauditurus eos, vocauit Elias omnem populum, vt venirent ad sacrificiū quod ipse faciebat, quia iam erat tempus suum. *Et accedente ad se omni populo.* Scilicet prius totus populus accedebat ad sacrificia Baal expectando, an Baal mitteret ignem de cœlo, & nunc cęperunt accedere ad Eliam.

Curauit altare Domini, quod destructum fuerat. Istud altare dicitur esse altare, quod fecerat Saul in monte Carmelo, quando veniebat de terra Amalec capta præda, & immolauit in eo victimas, supra 1. libro, cap. 15. istud altare destructum fuerat mandato Iezabel, eo quòd fuerat consecratum pro sacrificio Domini, & ipsa habebat exosas cæremonias Dei veri, & diligebat cæremonias Baal. *Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob.* Scilicet posuit duodecim lapides ad faciendum de eis altare, & istud erat in signum, quòd offerretur sacrificium super istud altare pro duodecim tribubus Israël, quę erant de filijs Iacob: nam Iacob habuit duodecim filios, & ab illis debebant denominari duodecim tribus, & tamen vnus illorum, scilicet Leui nō denominauit tribum, sed Ioseph diuisus est in duas tribus, scil. in Ephraim, & Manasse. Gen. 48. sic enim factum est in introitu in terram Chanaan: nam iussit Deus, quòd tollerentur duodecim lapides de Iordane, & ponerentur in Galgalis in memoriam duodecim tribuum Israël, Iosue 4. sic etiam in confirmatione legis positi fuerunt duodecim tituli, & oblati fuerunt duodecim vituli, Exod. 24. ad memoriam earundem tribuum. *Ad quem factus est sermo Domini, dicens: Israël erit nomen tuum.* Istud dicitur de Iacob ad significandum, quòd habuit duo nomina, scilicet, Iacob, & Israël. Nam prius vocabatur Iacob, & postea Angelus mutauit nomen eius, dicens: nequaquam, inquit, appellabitur nomen tuum Iacob, sed Israël, Gen. 32. & iterum dixit ei Deus istud, Gen. 35.

Et ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini. Id est, ædificauit altare ad laudem Dei, quia istud altare erat ad offerendum ibi sacrificium Domino. Alia autem ædificata erant pro idolis. *Fecitq; aquæductum quasi per aratiũculas in circuitu altaris.* Volebat Elias quòd ostenderetur miraculum in diuino cultu, & istud non solùm descendendo ignem de cœlo ad cremandum sacrificium, sed etiam cremando aquam, & ad hoc voluit Elias fundere aquam super sacrificium, & ligna, & super altare, & in circuitu eius: dicitur hoc esse in aquæductu per duas aratiunculas. De isto aquęductu dicit Rab. Sal. quòd erat quoddam fossatum magnum in circuitu altaris, & erat quadratum habēs quinquaginta cubitos in quolibet latere, & sic dicit fuisse de altari holocaustorum in atrio tabernaculi, vt patet Exod. 27. Sed dicendum est, quòd atrium sanctuarij non erat quadratum, sed quadrangulum, quia duo latera, scilicet Orientale, & Occidentale erant minora, cùm quodlibet contineret 50. cubitos, & alia duo erant maiora, scilicet quodlibet centum cubitorum, quicquid tamen sit de isto aquæductu, vult quòd esset quadratum, & tantæ quantitatis, vt possent ibi seminari duo fata sementis, & istud vocat litera nostra duas aratiunculas, id est duo spacia terræ ad arandum: nam in Hebræo dicitur: *Fecit sulcum duorum satorum in circuitu altaris.* Scilicet, fecit vnum sulcum in circuitu altaris ad comprehendendum in medio ipsum altare, & terram sibi coniunctam, erat autem ambitus istius sulci tātus, vt intra eum possent seminari duo fata de semente. Secundùm veritatem constat, quòd istæ aratiunculæ non sunt duo sulci, vt aliqui putant, sed duo spacia terræ ad arandum in eis, velut si quis diceret duo iugera, & istæ duæ aratiunculæ continebantur intra sulcum illum: & ille non apparet an fuerit figuræ quadratæ, vel circularis: & vocatur iste sulcus aquæductus, quia per illum aqua labi debebat. Vult Rab. Sal. quòd in toto spacio clauso sub illo sulco esse fossatum vsq; ad pauimentum altaris per gyrum, ita quòd Elias eduxisset totam terram ad faciendum istud fossatum, & sulcus non fuisset factus, nisi ad ponendum terminum fossato. litera nostra vult, quòd non esset aliquod fossatum factum, sed solùm esset sulcus continens altare, & quandam partem terræ in circuitu, & aqua proiecta super altare flueret ad illum sulcum: & non extenderetur per totam, & ideo vocatur aquæductus, quia per circuitum illius aqua fluebat. De figura autem huius, & de causa eius infra dicetur. *Et composuit ligna.* Scilicet, posuit ligna super altare. Iste erat modus in sacrificijs, quòd prius ponerentur ligna, & super ligna ponerentur carnes diuisæ in frusta. *Diuisitq; per membra bouem, & posuit super ligna.* Scilicet, occidit bouem suum, & decoriauit: deinde diuisit per membra, sicut fiebat in sacrificio Domini, & posuit ista membra super ligna, sic patet Leui. 1. *Et ait, implete quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna* Istud dixit Elias ad assistentes de populo, & iussit impleri quatuor hydrias, & fundi aquam super holocaustum, id est super carnes, quæ erant positæ ad faciendum holocaustum, & super ligna, scil. super ea, quæ erant sub carnibus in altari. *Rursumq; etiam secundo dixit hoc facite.* Id est, postquam semel effusæ fuerunt quatuor hydriæ aquæ super altare dixit Elias, vt facerent hoc secundò, id est vt alias quatuor hydrias funderent rursus super holocaustum.

Qui cùm fecissent, & secundò: ait, Etiam tertiò id ipsum facite. Id est, iussit vt tertia vice funderent alias quatuor hydrias, & sic erant iam duodecim hydriæ effusæ super holocaustum.

Feceruntq; tertiò. Id est, ministri tertiò fuderunt aquas, quia obediebant Eliæ in omnibus, quæ iubebat. *Et currebant aquæ circa altare.* Scilicet, fundebantur aquæ super altare, & quia multæ erant, currebant in circuitu altaris. *Et fossa aquæductus repleta est.* Scilicet, sulcus ille, qui factus fuit in circuitu altaris repletus fuit aqua.

Quare iussit Elias perfundi sacrificium aqua.

QVÆSTIO XXVIII.

QVÆRETVR, quare iussit Elias fundi aquam super sacrificium. Respondendum, quòd hoc fuit ad ostendendum magnitudinem diuini miraculi. Nam prophetæ Baal orantes magno tempore non potuerant ostendere aliquod signum deitatis: Elias autem non solùm voluit ostendere signum deitatis Dei veri, sed etiam voluit quòd esset illud valde magnum, vt sicut apparuerat magna impotentia, & defectus in Baal, ita ex opposito appareret supereminens potestas in Deo Eliæ: erat autem potestas diuina, & eminens mit-

A tere ignem ſuper ſacrificium ſuum: erat tamen ſupereminens quòd ſacrificium aſpergeretur aqua, vt eſſet multa aqua in circuitu altaris, & ſacrificium cum aqua ſimul cremaretur, & ſic factum eſt, nam non ſolùm ſacrificium, & aqua combuſta ſunt, ſed etiam lapides altaris, & puluis, vt patet infra, & ſic conueniens fuit poni aquam ad oſtendendam ſupereminẽtem poteſtatem Dei.

Quare voluit quòd tantum duodecim hydriæ effunderentur ſuper ſacrificium.

QVÆSTIO XXIX.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Elias fecit effundi ſuper ſacrificium duodecim hydrias aquæ, & non plures, nec pauciores.

Reſpondendum, quòd ſiue Elias effudiſſet duodecim hydrias, ſiue triginta millia hydriarum nõ differebat, quia ignis veniens à Deo, qui ſubitò vorauit carnes, & ligna, & lapides altaris, & duodecim hydrias aquæ fuſas, & exiſtẽtes in aquæductu, potuiſſet triginta millia deuorare, ſed fecit hoc Elias ad ſignificationem, ſcil. quia iſtæ hydriæ aquę effundebantur ſuper altare ad oſtendendum diuinum miraculum, & quia iſtud erat ad reducendum omnes Iſraëlitas in cultu veri Dei, & Iſraëlitæ erant in 12. tribubus, effudit hydrias 12. ad ſignificandum quòd pro omnibus illis fiebat iſtud miraculum, & ſic magna culpa eſſet cuiuſcunq; Iſraëlitæ, qui poſt iſtud miraculum relicto Dei cultu tenderet ad idololatriam. Quòd autem fieret ad iſtum finẽ patet, quia altare factum eſt ex 12. lapidibus, in quo immolatum eſt illud ſacrificium, & dicitur quòd fuit propter duodecim tribus filiorum Iſraël, ſcil. ad ſignificandum quòd offerebatur ſacrificium in illo altari pro omnibus duodecim tribubus, ita ergo duodecim hydriæ fundebantur in ſignum quòd miraculum fiebat ad reducendum duodecim tribus Iſraël à cultu idolorum.

B

Quare fecit per tres vices fundi aquam.

QVÆSTIO XXX.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Elias iuſſit per tres vices fundi quatuor hydrias aquæ, & non iuſſit ſimul fundi duodecim.

Reſpondendum, quòd fecit hoc ad mouendum magis in ſtuporem Iſraëlitas, & ad oſtendendum magnam confidentiam ſuam de Deo, nam ex hoc, quòd iubebat aliquã aquam fundi ſuper altare, mirabantur Iſraëlitæ, quia iſtud impediebat conſumptionem ſacrificiorum ab igne: ſi autem ſemel iuſſiſſet fundi duodecim hydrias ſemel obſtupeſcerent, quia tamen iuſſit ſemel, & illo facto iuſſit iterum totidem fundi, &

C poſtea tertia vice mirati ſunt ter Iſraëlitæ. Etiam ex hoc oſtẽdebat magnam confidentiam de Deo Elias, quia videbatur, quòd quaſi nihil ipſe curaret an funderetur multa aqua, vel pauca ſuper ſacrificium, quia vtroque modo Deus poſſet inflammare illud.

Figura aquæductus qualis eſſet.

QVÆSTIO XXXI.

QVÆRETVR vlteriùs de figura foſſati, vel aquæductus. Reſpondendum quod in magnitudine ſua non eſt aliqua ambiguitas, quia litera noſtra dicit, quod erat duarum aratiuncularum, vel duorum ſatorum ſecundùm Hebræos, quod idem eſt. Quòd autem ſatum vel aratiuncula ponatur magnæ, vel paruæ quantitatis non eſt cura: præter hoc etiã de figura aquæductus, an eſſet quadrata, vel quadrangula, aut circularis, non eſt differentia. Nam Rab. Sal. dicit eam eſſe quadratam, ſed hoc non refert, quia litera non ponit an quadrata, ſed concedamus, ſi volumus fuiſſe quadratam. Sed differentia eſt, quia Rab. Sal. ponit, quòd intra ſulcum illum, & altare erat totum foſſatum, & quòd illud totum impletum fuit aqua. Litera autem noſtra vult, quòd non fuerit aliquod foſſatum factum niſi ipſe ſulcus, qui vocatur aquæductus.

D Sed obijcietur contra Rab. Sal. ſcilicet, quòd non potuerit eſſe tale foſſatum, quia dicitur hic quòd foſſa erat plena aqua, & tamen ſolùm fuerant effuſæ 12. hydriæ aquæ, quę non poterant implere tantum ſpacium terræ foſſati, ſcilicet, quia erat ducentorum cubitorum in quadro, & non poterat repleri, etiam ſi effunderentur centum hydriæ de aqua. Reſpõdet ad hoc Rab. Sal. quòd illi duodecim hydriæ non ſufficiebant replere foſſatum, ſed erat ibi inter effundentes aquam Eliſæus, qui nondum erat diſcipulus Eliæ, ſed caſu venerat inter cæteros, & ipſe fuit vnus de effuſoribus aquæ, & cùm effunderet hydriam aquæ, tetigit caſu manus Eliæ aqua, & tunc cœpit diſtillare de digitis Eliæ aquarum abundantia nimia, ſicut de fontibus, & ſic repletum eſt foſſatum, quod aliter non fuiſſet repletum. Ad hoc ducit in concordantiam, quod habetur ſequenti libro, cap. 3. cùm tres Reges ſolliciti eſſent pro aqua, & peterent an eſſet aliquis Propheta Domini ibi. reſpondit quidam eſt hic Eliſęus filius Saphat, qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ, q. d. iſte conueniens erit ad præbendum aquam, quia fundente aquam ſuper manus Eliæ diſtillauerunt aquæ plurimæ de manibus eius ſicut de fontibus. Sed iſta ridicula ſunt intantum, quòd non egent redargutione: & tamen manifeſtum eſt, quòd litera nihil de illo intendit, nam ille qui dixit, quòd Eliſæus fundebat aquam ſuper manus Eliæ, non dixit niſi ad innuendum, quòd Eliſæus conuerſatus fuerat cum Elia, & ex hoc haberet ſpiritum prophetiæ, cùm maneret ſemper cum ipſo, & ſeruiret fundendo E aquam ſuper manus eius. Item non ſtat, quia litera dicit, qui fundebat aquam, & iſtud apportat aſſuetudinem, vel officium, & tamen illud, quod dicit Rab. Sal. ſi fuiſſet non fuiſſet niſi ſemel, vt ipſe vult, & ſic Scriptura volens exprimere illud, non diceret qui fundebat, ſed qui fudit. Item iſtud erat magnum miraculum ſi accidiſſet, & non erat veriſimile, quòd Scriptura enarrans hic diligenter alia mirabilia, quæ acciderunt, ſubticuiſſet iſtud. Item Rab. Sal. videtur hoc fruſtra loqui, quia oportet ipſum confiteri, quòd Elias diſcooperuit totam ſuperficiem terræ intra ſulcum illum ad hoc quòd eſſet totum foſſatum, & tamen Scriptura non cogit eum ad hoc: ponere autem pluralitatem ſine neceſſitate peccatum eſt, vt patet 1. Phyſicorum. Item videtur hoc eſſe contra literam, quia dicitur ſecundùm literam noſtram, quòd fecit aquæductum: ſi tamen eſſet foſſatum iſtud totum, quod comprehendebatur intra ſulcum, non eſſet ibi aliquis aquæductus, ſed ſolum foſſatum. Si autem dicatur ſecundùm literam Hebræam, dicitur ſolùm, quòd fecit ſulcum, & ſic non erat aliud foſſatum niſi ſulcus, & patet, quia infra dicitur, & foſſa aquæductus repleta eſt, ergo non erat alia foſſa, niſi ille ſulcus, vel aquæductus. Item quia dicitur, quòd currebant aquæ circa altare, & foſſa aquæductus repleta eſt: aquæ tamen non currunt, niſi in loco, vbi non poſſunt teneri. Si tamen eſſet foſſatum in circuitu altaris vſq; ad ſulcum non currerent aquæ, ſed cadentes de altari manerent ibi: ergo videtur, quòd F apud altare non erat foſſa, ſed locus planus, ideo currebant aquæ cadentes de altari vſquequo inciderent in ſulcum, vel aquæductum, qui diſtabat aliquantulum ab altari. Item patet, quia infra dicitur, quòd cecidit ignis, & vorauit holocauſtũ, & aquam, quæ erat in aquæductu, & ſecundùm Hebræos dicitur in ſulco: ergo non erat aqua, niſi in ſulco, & non in aliquo foſſato apud altare. Dicendum igitur ſecundùm quòd ſatis planè colligitur ex litera noſtra, & ex Hebræa, quòd altare poſitum erat in loco plano, & apud pauimentum eius non fuit factum aliquod foſſatum, ſed longè ab eo per gyrum fuit factus quidam ſulcus profundus ambiens altare circulariter, vel quadratè, & tunc cùm defluerent aquę de altari in pauimentum, non poterant ibi teneri, & fluebant vſque ad ſulcum illum, qui erat profundus, & tunc duodecim hydriæ effuſæ fuiſſent ſuper altare, repletus fuit ille ſulcus aqua, & ſic ſtat tota litera plana, & non oportet poni aliqua figmenta, qualia ponit Rab. Sal. de diſtillatione aquarum de manibus Eliæ, vt repleretur foſſatum.

Elias quare fecit ſulcum in circuitu altaris.

QVÆSTIO XXXII.

QVÆRETVR quare Elias fecit iſtum ſulcum in circuitu altaris? Aliquis dicet, quòd fortè factus eſt, vt nullus auderet intrare in ipſum ad accedendum in altare propter ſanctitatem illius. Sic enim fiebat in altari holocauſtorum, quod erat extra tabernaculum, & vt non poſſent accedere ad illud populares, factũ eſt atrium in circuitu eius per quatuor latera de columnis, & velis, Exod. 27. Sed iſtud non multum conuenit. Dicendum igitur, quòd factus fuit iſte ſulcus ad oſtendendum diuinũ miraculum. Nam aqua fuit effuſa ſuper ſacrificium propter miraculum, vt ſupra dictum eſt, ſi tamẽ non fuiſſet factus iſte aquæductus, vel ſulcus, aquę cadentes de altari currerent per planum omnino recedentes, vſquequo inuenirent locum, in quo tenerentur, vel abſorberentur à ſiccitate terræ, & tunc non appareret miraculum de combuſtione aquarum. Nunc autem apparuit in eis magnum miraculum, quia quando cecidit ignis de cœlo ſuper ſacrificium, etiam cecidit ſuper aquæductũ illum, qui aliquantulũ diſtabat ab altari, & combuſſit totam aquam duodecim hydriarum, quæ erat in eo, & puluerem aquæductus, vt patet in litera. Aliter etiam dici poteſt, quòd iſtud fuerit, ne aquæ diſcurrerent ad omnem partem cadentes ab altari, & immundum facerent locum, in quo populus manebat: nunc autem receptæ in aquæductu non poterant vltra tranſire. Præcedẽs tamen ratio melior eſt, & verior. *Cumq́, iam tempus eſſet, vt offerretur holocauſtum.* Dicitur quòd erat tempus, ſcilicet quia iã facta fuerãt omnia, quæ iuſſerat Elias effundendo aquam ſuper ſacrificium: & repletus erat aquæductus, ideo nihil reſtabat, niſi vt offerretur holocauſtum, id eſt vt cremaretur.

Accedens Elias propheta ait. Hic orauit Elias ad Dominum, vt daret ignem in ſacrificio ſuo, & dicitur accedens, ſcilicet ad altare, quia hic operabatur ipſe, vt ſacerdos. *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël.* Dicendum eſt de iſta oratione, quòd ipſe fecerit eam in voce alta, vt audiret totus populus, & videret, quòd finita oratione veniret ignis, & ſic veniebat à Deo, & non opere magico, vel aliàs. Et dicitur Deus Iſraël, id eſt Iacob, quia Iacob vocatus eſt Iſraël, vt patet ſupra in litera.

Hodie oſtende, quia tu es Deus Iſraël, & ego ſeruus tuus. Id eſt, da ignẽ ſuper ſacrificium, & ſic oſtendes quòd tu es verus Deus Iſraël, quia Baal nõ potuit dare ignem ſuper ſacrificium ſuũ. Etiam oſtendebatur in hoc, quòd Elias erat ſeruus Dei, quia dato quòd verus Deus potẽs eſſet ad faciendum omnia hæc, ſi tamen Elias non eſſet ſeruus eius, non mitteret ignem de cœlo ad preces ipſius. *Et iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Scilicet, Elias egit omnia iſta, quia Deus iuſſerat ſibi, vt ſic faceret, & non egit aliquid de corde ſuo.

An per ignem deſcendentem de cœlo oſtendebatur, quòd Elias feciſſet omnia hæc mandato Dei.

QVÆSTIO XXXIII.

QVÆRETVR quomodo oſtendebatur per ignem qui veniret ſuper ſacrificium, quòd Elias fecerat omnia hęc de mandato Dei, quia dato quòd Deus non mandaſſet Eliæ facere hæc, ſed ipſe feciſſet ſacrificium de corde ſuo, & oraret deuotè quòd deſcenderet ignis de cœlo, Deus mitteret ignem ſi Elias vir bonus erat, ſic patet in operatione omnium miraculorum, quæ fiunt ad preces ſanctorum. Nam Deus non dixit ſanctis, quòd facerent illa, & tamen ipſi confidentes de bonitate Dei petunt, & Deus illicò fecit, ſic patet Lucæ 17.

Dicendum quòd per ignem deſcendentem de cœlo conſtabat, quòd Elias fecerat iſta de mandato Dei. Sed conſiderandum in hoc, quia aut antequam deſcenderet ignis Elias aliquid orauerat aut non, ſi nihil orauerat, dicendum, quòd deſcendente igne de cœlo conſtabat de poteſtate Dei: non tamen conſtabat, quòd Elias recepiſſet à Deo iſta in mandatis, immò nec conſtabat, quòd Elias eſſet ſeruus Dei, quia poterat Deus hoc facere ad oſtendendum poteſtatem ſuam, & non propter merita Eliæ: ſi autem Elias aliquid oraret pro deſcenſione ignis de cœlo: aut in oratione illa exprimeret, quòd Deus ſibi iuſſerat hoc facere, aut non: ſi non exprimeret conſtabat ſolum Eliam eſſe ſeruum Dei, quia ad preces eius mittebat ignem de cœlo: & tamen non conſtabat quòd Deus iuſſerat ei iſta facere, quia poterat mittere ignem de cœlo ſuper ſacrificium ad preces Eliæ, vt dictum eſt ſuprà de alijs miraculis. Si autem exprimeret Elias in oratione, quòd Deus iuſſerat ei facere omnia hæc, & poſtea veniret ignis de cœlo, conſtabat ipſum Eliam eſſe ſeruum Dei, & etiam Deus iuſſerat ei hęc. Quòd patet, quia Deus nunquam eſt teſtis falſitatis, ſed Elias petebat ignem de cœlo ad probandum quòd Deus eſſet verus Deus, & quòd ipſe iuſſiſſet ei facere hæc: ergo ſi non iuſſiſſet Deus hæc, non mitteret ignem de cœlo, quia tunc mitteret eum in teſtimonium falſitatis. Item Deus dixit de Prophetis, quòd quando oſtenderent ſignum ad probationem prophetiæ, quam prædixerant, crederẽtur eis quando illud ſignum eueniret, & ſi non veniret ſignum prænunciatum: nõ erat vera prophetia. Deuteronom. 18. Sed hic Elias induxit ſignum ad confirmationẽ eius, quod iam dixerat: ergo verum erat, cùm ſignum ſecutũ fuerit.

Exaudi me Domine, exaudi me. Repetitio ſententiæ eſt ad ſignificãdum magnum affectum, quem Elias habebat ad hoc, quòd veniret ignis.

Vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus. Scilicet, quòd non eſt Baal Deus, nec aliquis alius, ſed tu ſolus es Deus, qui potes mittere ignem de cœlo, & facere quæcunq; vis. *Et tu cõuertiſti cor eorum iterum.* Id eſt, ſcient per hoc, quòd tu vis conuertere cor eorum ad te ſecunda vice. Dicitur hoc, quia Deus conuertit prima vice Iſraëlitas ad ſe, quando dedit eis legem faciendo, vt eſſent populus ſuus, Exod. 19. nunc autem ſecũda vice conuertebat cor eorum, quia iam receſſerant ab ipſo colendo Baal. *Cecidit autem ignis Domini.* Scilicet, illicò, vt Elias compleuit orationem, cecidit ignis ex alto ſuper ſacrificium, & non fuit ibi expectando nec clamando ſicut Prophetæ Baal, qui clamauerunt vſq; ad meridiem, & nihil habuerunt. *Et vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides.* Dicitur voraſſe, quia non ſolum combuſſit incinerando carnes, & ligna ſicut facit ignis noſter, ſed vorauit, id eſt omnino conſumpſit ſicut homo, qui vorat cibum nihil relinquit de cibo extra ſe: ita ignis iſte vorauit omnia ita, vt nõ relinqueret, nec cinerem, ſed videretur quaſi, quòd nihil ibi fuiſſet, & iſta erat magna potentia ignis, ſcil. quòd lapides voraret, quia alij ignes nõ ſoluunt ſic faciliter lapides in cinerem: maximè quando lapides ſunt ſaxei, ſicut erant iſti, de quibus erat factum altare.

Puluerem quoq;, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens. Id eſt ignis ille vorauit aquam, quæ erat in aquæductu, id eſt in ſulco facto in circuitu altaris, ſcil. ignis deſcendit etiam ſuper aquæductum, & conſumpſit aquam, quæ ibi erat: & etiam totum puluerem, id eſt terram motam, quæ erat in aquæductu, & ſic manſit aquæductus mundus tanquam nunquam fuiſſet ibi aqua, nec puluis. *Quod cùm vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam.* Non fecerunt hoc ex timore, ſcilicet quòd territi propter miraculum caderent in terram, ſed fecerunt ex reuerentia, quia Deus oſtenderat coram eis tantùm miraculum, ideo debebant humiliari coram eo propter illud: potiſſimè quia per aduentum ignis ſignificabatur præſentia Dei, & ſic humiliati ſunt, tanquam coram Deo humiliarentur. Sic enim quando prima die, qua miniſtrauit Aaron, Deus miſit ignem de cęlo, totus populus corruit in terram ex reuerentia, Leuit. 9. ſcil. quod cùm vidiſſent turbę laudauerunt Dñm ruentes in facies ſuas. *Et ait, Dominus ipſe eſt Deus: Dominus ipſe eſt Deus.* Iſtud duplicatur ad ſignandum magnum deſiderium, quia ex toto corde dixerũt illud, ſcil. Dominus ipſe eſt Deus, id eſt ille, qui vocatur à nobis Dominus, ſcil. Deus Iſraël, ipſe eſt verè Deus, & nullus alius præter ipſum.

An peccauit Elias offerendo ſacrificium extra locum ſanctuarij.

QVÆSTIO XXXIIII.

QVÆRETVR an peccauit Elias, vel egit contra legem, offerendo ſacrificium.

Reſpondendum, quòd Elias faciebat hic contra legem principaliter in duobus. Primò, quia non erat ſacerdos, nec

A Leuita,ſed laicus,vt declaratum eſt præced.ca. & tñ immolauit ſacrificium,quod ad ſolos ſacerdotes pertinebat. Num.3. & 18. Et ſi quis non ſacerdos vellet miniſtrare,occidebatur à Deo.Num.16.Secundò egit contra legem,quia obtulit ſacrificium extra ſanctuarium. Nam in ſolo ſanctuario offerendum erat in altari holocauſtorum,Leuit.17. & Ioſue 22. Elias autem obtulit hic in monte Carmeli. Dicendum tamen, quòd non peccauit,quia fuit hic diſpenſatio: immò mandatum Dei,quòd ſic faceret, vt patet ſupra, cùm dixit Elias oſtende,quòd ego ſum ſeruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.Item patet,quia Deus exaudiuit orationem Eliæ mittendo ignem de cœlo: ſi tamen peccaret Elias faciendo hæc, Deus non mitteret ignem de cœlo ad preces eius,quia orationes peccatorum nõ exaudit Deus, Ioan.9. & maximè in ipſo actu peccati, cuiuſmodi erat ſacrificium Elię ſi peccaſſet faciendo illud, non peccauit ergo, ſed potius meruit nimis, quia ex magno zelo Dei opponebat ſe contra omnes cultores Baal faciendo hæc. *Dixitq; Elias ad eos.* Hic ponitur prophetarũ Baal occiſio. *Apprehendite prophetas Baal.* Poſtquam vidit totum populum conuerſum ad Deum toto corde, & paratum agere quicquid Deus iuberet, iuſſit eis comprehendere Prophetas Baal ad occidendum ipſos, & dixit q̃ apprehenderent eos, quia illi erant in medio populi circa altare Baal,& poterat populus tenere illos,ne fugeret aliquis illorum,& vocantur hic Prophetæ Baal largè omnes tam prophetæ Baal,quàm lucorum. Nam omnes voluit Elias occidi, B cùm omnes eſſent rei, quia ſeducebant populum. *Et nec vnus quidem fugiat ex eis.* Scilicet,diligenter facite ne aliquis fugiat, quia omnes ſunt rei mortis. *Quos cùm comprehendiſſent.* Obediuit populus Eliæ, & tenuit omnes octingentos, & quinquaginta prophetas Baal,& lucorum. *Duxit eos ad torrentem Cyſon.* Scilicet, iuſſu Eliæ ducti ſunt, quia ipſe non poterat ducere omnes. Torrens Cyſon eſt apud montem Thabor, & in iſto torrente occiſi ſunt multi de Chananæis,qui venerant cũ Siſara principe militiæ regis Iabin. Nam circa ipſum torrẽtem pugna fuit Barac ducis Iſraelitarum, & Siſaræ ducis Chananæorum.De hoc Iudic.4.& 5.& dicitur, torrens Cyſon contraxit cadauera eorum. *Et interfecit eos ibi.* Noluit interficere Elias prophetas Baal in mẽte,quia erat iam conſecratus ille mons Deo per oblationem ſacrificij ibi factam, ſed duxit eos ad torrentem Cyſon, qui eſt ad radices montis, vel prope illum,& ibi occidit eos.

An peccauit Elias occidendo prophetas Baal.

QVÆSTIO XXXV.

QVÆRETVR quare Elias iuſſit nunc occidi Prophetas Baal,cùm non fuiſſet facta conuentio,quòd qui ſuccũberet occideretur,& an peccauerit in hoc.

C Reſpondendum,quòd Elias nõ peccauit occidendo prophetas Baal, ſed potius meruit apud Deum. Primò, quia ipſi merebantur mortem,cùm eſſent valde idololatræ,& non ſolum erant idololatræ, ſed etiam populum ſeducebant, inclinando vt coleret Baal,& idola alia, populus autem reliquus, licèt coluiſſet idola,non tam grauiter peccauerat, quia ſeductus à prophetis Baal,& lucorum faciebat hoc.Secundò non peccauit, quia mandato Dei egit hoc, nam Deus iuſſit Eliæ facere omnia,quæ ſuprà egerat,vt ipſe dixit ſuprà in litera,ita ergo credendũ eſt,quòd iſtud dixerit,quia non auderet Elias tantam rem aggredi ſine Dei iuſſu.

Tertiò non peccauit,quia egit iſtud ex zelo Dei, ſcilicet, motus contra idololatras,nam omnia, quæ egit hic ex magno zelo erant,vt patet ſequenti cap. ſcilicet,Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, & hoc erat, quia ad ſuaſionem iſtorum prophetarum Baal occiſi fuerãt prophetæ Domini, ideo ipſi merebãtur occidi pro illis. Etiam credendum eſt, quòd Deus placatus fuerit per occiſionem iſtorum prophetarum Baal,& lucorum, & ob hoc inclinauerit Eliam,vt ipſe occideret eos. Dicitur hic, quòd Elias occidit iſtos prophetas,ex quo non concluditur,quòd ipſe per ſe occideret illos,ſed ſatis eſt,quòd dicatur,quod iuſſit illos occidi à populo,ſicut dicitur, quòd ipſe duxit eos ad torrentem Cyſon, & tamen manifeſtum eſt,quòd nõ duxit ipſe, ſed populus,quia ipſe ſolus non poterat ducere octingentos, & quinquaginta viros.Dici tamen poteſt,quòd ipſe occiderit per ſe aliquos iſlorum,vel fortè omnes populo tenente illos, & hoc quia ipſe ardebat magno zelo contra eos propter mala ipſorum. *Et ait Elias ad Achab.* Hic ponitur aliud ſignum de datione pluuiæ,& ponitur immediatè poſt occiſionem ſacerdotum, quia mox vt illi occiſi ſunt, denunciauit Elias pluuiam ipſi Achab,& tamen fuit, quia Deus iratus propter peccata idololatrantium non dabat pluuiam,nunc autem, occiſis ſacerdotibus, placatus erat,ideo dedit pluuiam illicò, & ſic totam pœnam populi ſoluerunt prophetæ Baal, & lucorum, quia ipſi erant inſtigatores populi ad idololatriam. *Aſcende,comede,& bibe, quia ſonus multæ pluuiæ eſt.* Id eſt vade in domum tuam ad comedendum,& bibendum confidenter, & iam non ſoliciteris de ſiccitate,quia ſonus multæ pluuię eſt,id eſt multa pluuia ventura eſt nunc,& ſonus eius,id eſt veſtigium iam apparet. Nõ eſt intelligendum,quòd nunc præcederet ventus,vel nubes,aut aliquod aliud ſignum pluuię,quia nondum quicquam apparuerat, ſed aſcendit Elias in montem Carmeli, de quo iam deſcenderat,& ibi ſępè orans miſit puerum,& adhuc non videbat nubem, nec aliquod ſignum pluuiæ vſq; ad ſeptimam vicem,in qua vidit nubeculam aſcendentem de mari, vt patet infra in litera: ergo nullum ſignum,aut ſonitũ pluuiæ videbat,vel audiebat Elias, ſed dixit hoc, quia Deus reuelabat ei,quòd pluuia citò ventura erat,& ob hoc videbatur quaſiẽ iam videre venientem. *Aſcendit Achab vt comederet, & biberet.* B Non redijt ad comedendum in Samariam, ſed prope montẽ Carmeli comedit in aliquo loco dum Elias orabat in monte, & completa oratione iuit ipſe Elias cum Achab in Samariã. *Elias autem aſcendit in verticem Carmeli.* Scilicet dum Achab aſcenderet ad comedendum in aliquem locum propinquũ Carmelo,vel fortè in ipſum montem Carmeli: Elias autem non comedit tunc, ſed iuit ad orandum, & aſcendit in verticem Carmeli,id eſt in partem ſupremam eius, hoc autem fuit, vt ex illo loco contemplari melius poſſet an aliqua nubes aſcẽderet de mari, vel de alia parte terræ. *Et pronus in terram poſuit faciem inter genua ſua.* Scilicet inclinauit ſe in terram vt deuotè oraret, & poſuit faciem inter genua, ſcilicet inclinauit ad genua, nam non eſt ſenſus, quòd poneret eam inter genua, quia difficile erat ſic ponere, etiam non erat bona habitudo hominis ſic manere, nec conueniebat deuotioni. *Et dixit ad puerum ſuum.* Dicitur,quòd iſte puer erat filius mulieris viduę Sareptanæ,quem ipſe Elias ſuſcitauerat à morte, præced.c.& mater ſua dedit eum illi ex deuotione tanquam filium,vt inſtrueret eum cùm eſſet propheta, & hoc ſatis rationabile eſt. Nam quando Elias iuit ad torrentem Carith,vt paſceretur ibi à coruis, nõ ferebat ſecum puerum aliquem. Deinde cùm venit ad mulierem Sareptanam, etiam ſolus veniebat, quia non audebat comparere in aliquo loco,ne cognoſceretur, & ſic non poterat puerum habere, ideo videtur, quòd manens in domo Sareptanæ habuit puerum, & ſic ſatis videtur quòd eſſet filius Sareptanę,& quòd ipſa daret eum Eliæ ex deuotione. *Aſcende, & proſpice contra mare.* Scilicet, aſpice an appareat aliquod ſignum pluuiæ in nubibus aſcendentibus. Nam ſi aliqua nubes aſcenderet,erat ſignum pluuiæ, & dixit, quòd aſpiceret cõtra mare, ſcilicet,quia ab illa parte nubes inſurgere debebant, erat enim mare circa Carmelum tam ex parte Orientali,quàm ex Occidentali.Nam ex parte Orientali erat mare Cenereth, quod vocatur in Euangelio mare Galilææ, vel mare Tyberiadis,vel ſtagnum Geneſareth, ab Occidente erat mare Mediterraneum, quod vocatur mare Palæſtinorum,ideo vocatur Carmelus maris,Ioſue 19. *Qui cùm aſcendiſſet,& contemplatus eſſet,ait,non eſt quicquam.* Scilicet,puer aſcendit in verticem Carmeli,& contemplatus eſt contra mare, & non videns aliquam nubem,ait,non eſt quidquam, id eſt nullum ſignum pluuiæ eſt. *Et rurſum ait illi reuertere ſeptem vicibus.* Scilicet, iuſſit ei,quòd reuerteretur ad contemplandum,vſq; ad ſeptem vices. Non eſt autem intelligendum,quòd iuberet Elias puero, vt indeſinenter iret, & rediret per ſeptem vices, non faciendo aliquam morulam mediam,ſed intelligendum eſt,ſicut præcedenti c.declarauimus de tribus vicibus,quibus incubuit Elias ſuper puerum mortuum, ſcil.quòd Elias primò orauit Dominum pro aqua,& poſt orationem miſit puerum ad videndum,an eſſet ſignum pluuiæ, reuerſus dixit nihil eſt,deinde orauit ſecundò, & facta oratione, miſit puerũ ad contemplandum,& reuerſus dixit,nihil eſt, & ſic fecit per

A septem vices, ſcil. quòd ſeptem vicibus orauit pro pluuia, & ſeptem vicibus completa oratione miſit puerum ad contemplandum. Scriptura tamen narrat iſta breuiter. *In ſeptima autem vice, ecce nubecula parua quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari.* Scilicet ſex vicibus iuit puer, & nihil vidit, in ſeptima autem vice vidit nubeculam paruam aſcendentem de mari, & dicitur, quod erat quaſi veſtigium hominis, id eſt veſtigium pedis, & hoc ponitur ad ſignificandum quòd erat nubes parua. *Qui ait aſcende, & dic Achab, iunge currum tuum, & deſcende.* Scilicet Elias videns, quòd aſcendebat nubecula ſciuit, quòd volebat Deus mittere pluuiam: ideo dixit puero vt iret ad Achab, qui erat præcedendo, vt citò iungeret currum, & recederet, prandebat autem Achab in aliquo loco excelſo, ſcilicet fortè in aliqua parte montis Carmeli, & illuc aſcendit puer Eliæ, ad nunciandũ ei hoc, & dixit iunge currum tuum, quia veniebat Achab in curru quatuor equorum eo modo, quo ibant milites ad bellum, & iſte erat modus regum ab antiquo. Sic enim Exodi 14. dicitur de Pharaone, quòd iunxit currum vt perſequeretur Iſraëlitas recedentes de Ægypto. *Ne occupet te pluuia.* Scil. ſi moraris hic aliquantulũ, veniet pluuia magna ſuper te. *Cumq; ſe verterent huc atq; illuc, ecce contenebrati ſunt cœli, & nubes, & ventus, & facta eſt pluuia grandis.* Scilicet quanquã puer dixerit Achab, quòd recederet, & ipſe citò pararet ſe ad recedendum, tamen prius, quàm recederet, dum verteret ſe huc, & illuc, contenebrati ſunt cœli, & operti nubibus, & vẽtus magnus ſurrexit, & ſecuta eſt pluuia grãdis, eunte Achab per viam.

B

An iſta pluuia venerit naturaliter, vel ſupernaturaliter.

QVÆSTIO XXXVI.

QVÆRETVR an iſta pluuia venerit naturaliter, vel ſupernaturaliter. Dico autem venire naturaliter, quòd per operationem corporum cœleſtium agentium ſuper elementa veniret, ſicut aliàs conſueuit venire nõ operante ſpecialiter Deo aliquid, quod pertineat ad miraculum. Aliquis dicet, quòd naturaliter venerit, & patet primò, quia mittebat Elias puerum ad videndum, an ſurgeret aliqua nubes de mari, & tamen cùm naturaliter ſurgunt nubes de mari, conuertuntur in pluuiam. Secundò patet, quia Elias nunquam iudicauit pluuiam, vſquequo vidit nubeculam ſurgentem de mari, & tunc dixit ad Achab, quòd citò iret, ne occuparetur à pluuia.

Reſpondendum eſt, quòd iſta pluuia potuit venire naturaliter, vel ſupernaturaliter, naturaliter quidem, ſcilicet per operationem corporum cœleſtium Deo non agente aliquid ſpeciale. Et tunc dicendum eſt, quòd quamquam naturaliter veniret à Deo, ordinabatur, vt tunc veniret, & non prius, quia non prius conuerſi fuerant Iſraëlitæ ad ipſum, de hoc declaratum eſt præced. cap. ſcil. quòd omnia mala, quæ naturaliter eueniunt à Deo, ordinantur in pœnã peccatorum noſtrorũ, & bona, quæ eueniunt naturaliter etiam à Deo diſpoſita ſunt, vt ſic eueniant propter aliquod bonum, vel malum ipſorum, quibus eueniunt, & aliter non euenirent. Poteſt etiam dici, quòd venerit iſta pluuia ſupernaturaliter, ſcil. quòd corpora cœleſtia nõ eſſent diſpoſita ad cauſandum pluuiam, ſed magis ad continuandum ſiccitatem, & contra diſpoſitionẽ illorum cauſauerit Deus pluuiam, & tunc poterat eã cauſare dupliciter. Vno modo, quòd produceret pluuiam de nihilo per modum creationis, ſicut in omnibus rebus propriè creatis, in quibus non præſupponitur materia, & tunc res totaliter fit à Deo. Alio modo, quòd Deus eduxerit de terra, & de aqua exhalationes conuertendas in pluuiam, & ſic produceret de mari multas exhalatiões, quæ eſſent materia pluuiæ, & tunc Deus dicebatur cauſare iſtam pluuiam: eo quòd non erat aliquod agens naturale, quòd de terra produceret exhalationes, aut de mari, & conuerteret illas in aquam, ſed Deus hoc faciebat, & hoc fortè magis tenendum eſt.

C *Omnia q̃ fiunt ſunt de potẽtia ordinata Dei.*

Ad rationem primam in contrarium dicendum, quòd quanquam mitteret Elias puerum, vt videret an aliqua nubes ſurgeret de mari. Nam ex hoc apparebat, quòd illę nubes naturaliter ſurgerent de mari, ſed putabat Elias, quòd Deus eleuaret de mari exhalationes multas conuertendas in pluuiam, ſic enim factum eſt in diluuio. Nam non confitemur diluuium veniſſe naturaliter, & tamen dicitur Gen. 7. quòd rupti ſunt fontes Abyſſi magnæ, & quòd apertæ ſunt catarrhactæ cœli, & tamen de fontibus abyſſi, & de catarrhactis cœli ſolent venire aquæ naturaliter, & ſic eadem ſunt principia materialia pro Deo operante, & pro cauſis naturalibus operantibus, & tamen operatio vocatur ſupernaturalis, quando agens eſt ſupernaturale. D

Ad cuius euidentiam ſciendum, quòd in operatione ſunt duo principia, ſcilicet principium actiuum, & principium paſſiuum, quando autem vtrunque eſt naturale, dicitur operatio purè naturalis, vt ſicut cùm aſinus generat aſinum, quia tam virtus actiua, quàm principium materiale naturale eſt. Cùm autem vtrunque principium eſt ſupernaturale, eſt operatio purè ſupernaturalis, eſt autem in ſupernaturalibus ſolùm principium operatiuum Deus. Principium autem paſſiuum nullum eſt niſi materia, vel res materialis, & quia in ſupernaturalibus nulla materia eſt, nec aliquid materiatum, dicitur eſſe vtrumque principium ſupernaturale, quando in operatione principium paſſiuum nullum exiſtit, ſed ſolùm actiuum, & iſtud eſt ſupernaturale, ſic enim eſt, quando Deus creat aliquid, nam tũc eſt principium operatiuũ ſolus Deus, paſſiuum autem nullum eſt, quia ipſa res creata non eſt principium, ſed terminus productus, quia principium eſt, quod præexigitur in operatione, & non quod producitur per operationem. Alio modo operatio fit exiſtente vno principio naturali, & altero ſupernaturali, & iſtud poterat imaginari dupliciter. Vno modo, quòd actiuum eſſet ſupernaturale, & paſſiuum naturale, aliter quòd actiuum ſit naturale, & paſſiuum ſupernaturale. De primo modo patet quandocunque Deus producit aliquam rem ſuppoſita materia, quia tunc patiens eſt naturale, & agens ſupernaturale. Secundus modus non poteſt dari, eo quòd non poteſt accidere, quòd detur agens naturale, & paſſiuum ſupernaturale, cùm paſſiuum ſit ſolùm materia, & in ſupernaturalibus nõ eſt materia, nec materiatum. Etiam dato, quòd eſſet aliquod paſſiuum ſupernaturale, non poſſent naturalia agentia in illud agere propter minorem perfectionem, ſicut non poſſunt elementa per ſuas qualitates actiuas calefacere, vel frigefacere cœlum, quamquam ibi ſit materia, quia illa eſt excellentior, quàm conditio corporũ elementalium, & operatio iſta, in qua eſt vnum principium naturale, & alterum ſupernaturale vocatur ſupernaturalis, eo quòd principium potiſſimum, ſcil. actiuum eſt ſupernaturale, etiam operatio denominatur à principio actiuo & non à paſſiuo, & ſic ſolùm ſunt tres modi operationum, ſcilicet quædam purè naturalis, & quædam purè ſupernaturalis, & quædam ſupernaturalis, non tamen purè, & tamen iſta tertia nullo modo vocatur naturalis, eo quòd nullum actiuum naturale eſt in ea.

In operatione duo principia, actiuum & paſſiuum.

Ad ſecundam rationem eodem modo dicendum, quòd quamquã exhalationes conuertendæ in pluuiam ſurrexerũt de mari, non tamen eleuauit illas aliquod agens naturale, ſed opere Dei factum eſt, ideo erat operatio illa ſupernaturalis. E F

Quare Elias miſit puerum ſepties ad videndum nubem, an ſurgeret.

QVÆSTIO XXXVII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Elias miſit puerum ſepties ad reſpiciendum, an ſurgeret aliqua nubes de mari?

Reſpondet Nicolaus, quòd fuit duplex cauſa, vna literalis, & alia allegorica. Prima eſt ad ſignificandum ſeptenarium numerum peccatorum, per quẽ intelligitur vniuerſitas peccatorum Achab, pro quibus pluuia non veniebat, & nunc ablatis illis venit pluuia. Secunda ratio, & allegorica eſt ad ſignificandum ſeptẽ myſteria Chriſti, ſcilicet Conceptionem, Natiuitatem, Baptiſmum, Prædicationem, Mortem, Reſurrectionem, & Aſcenſionem in cœlum.

Sed iſtæ cauſæ multum ſunt alienæ ad hoc, quod tunc faciebat Elias.

Dicendum igitur, quòd Elias non miſit ſepties puerum ad reſpiciendum propter aliquod myſterium, quod ſignificatur in numero ſeptenario, vel importaretur in ſeptenario, nam non curauit potius mittere ſepties, quàm bis, vel ter, aut decies, ſed modus fuit, quia Elias orabat Dominum, vt daret plu-

A pluuiam,& poſtquam ſemel orauit pro pluuia, putans,quòd Deus vellet dare illam,miſit puerum ad videndum, an appareret aliquod ſignum pluuiæ, & reſpondente puero nihil eſt, orauit Elias ſecundò pro pluuia,& expleta oratione miſit ſecundò puerum, & iterum reſpondente eo nihil eſt, orauit tertiò, & miſit puerum tertiò, & ſic fecit vſque ad ſepties, & cùm oraret ſeptima vice, miſit puerum ſeptima vice, & tunc reſpondit puer quòd aſcendebat nubecula de mari,& ſi puer vidiſſet nubeculam in prima,vel ſecunda vice,non iuiſſet pluries ad conſiderandum,& ſi non vidiſſet nubeculam etiam in ſeptima vice,miſiſſet eum Elias vſque decies, vel vigeſies, aut toties quouſque videret nubeculam, & ſic non conſiderabatur ad numerum aliquem ſpecialiter. Sic factum eſt, quando Elias ter incubuit puero mortuo,& ter orauit pro eo, præcedenti c.quia non prius exauditus eſt.

Quare Deus voluit exaudire Eliam in petitione ignis in prima oratione, non autem niſi in ſeptima, quando orauit pro pluuia.

Qvæstio XXXVIII.

Qværetvr vlteriùs,quare Elias non fuit hic exauditus,quouſq; oraret ſepties, & ter quãdo ſuſcitauit puerum, & tamen quando orauit pro igne deſcendente de cœlo B ſuper ſacrificium,ſolùm ſemel orauit,& illicò venit. Reſpondendum,quòd quando orauit pro igne,Deus miſit eum immediatè non quidem propter Eliam, ſed ad oſtendendum populo poteſtatem ſuam. Nam Elias orauit pro igne coram toto populo, vt patet ſupra in litera. Et ſi in prima vice non exaudiſſet, ſed oraret Elias ſæpiùs, populus dubitaret de poteſtate Dei,ſicut dubitabat quando prophetę Baal clamabãt, & non exaudiebantur,ideo decuit,quòd illicò, vt inuocaret Dominum pro igne, veniret ignis, pro ſuſcitatione autem pueri non orabat Elias coram populo, nec etiã coram matre pueri,ſed ſolus in cubiculo ſuo,præced.c.pro pluuia etiã non orauit coram populo,ſed ſolus in vertice Carmeli, quòd autem Deus tunc non exaudiret eum, in prima vice, non erat aliquod periculũ,nec ſequebatur ſcandalum ipſi Eliæ, quare propter hoc ipſe non diffideret de bonitate Dei, & ſic patet hic,quia quamquam ſæpius oraſſet, & Deus non mitteret aquam, non deſtitit orare, vſque ad ſeptimam vicem, in qua Deus dedit ſignum aquæ: ſcilicet nubeculam. Quòd autem Deus non exaudiret Eliam,niſi ſępius orantẽ,fortè hoc erat, vt non extolleretur Elias nimis confidens de ſe, quòd Deus exaudiret eũ velociter, vel fortè erat hoc ad ponẽdum differentiam inter ſanctos viros veteris Teſtamenti,& noui, quia in nouo Teſtamento velocius exaudiuntur. *Aſcendens itaque Achab abijt in Iezrahelem.* Scilicet ſurrexit de loco in quo comederat, qui fortè erat in monte Carmelo timens pluuiam, C quam prædicebat Elias, & iuit in vrbem Iezrahel. Sciendum quòd Iezrahel eſt duplex in Iſraël, quædam erat in ſorte Iudæ, de qua accepit Dauid primam vxorem, quæ vocabatur Achinoam, ſupra 1.lib. cap. 25. & erat iſta ciuitas apud montem Gelboe,eodem libro, cap.29. & circa illam mortuus eſt Saul in bello,ſcilicet in monte Gelboe,eodem lib. cap.vltim. de iſta vrbe,quòd eſſet in ſorte Iudæ, patet Ioſue 15. Alia Iezrahel erat in ſorte Manaſſe, Ioſue 17. & de iſta ſecunda intelligitur hic,nam ad Iezrahel primam non iret Achab,eo quòd erat in regno Iuda. *Et manus Domini facta eſt ſuper Eliam.* Id eſt, virtus Dei venit ſuper eum ad confortandum ipſum,ſcilicet, quia Elias erat debilis, eo quòd tota illa die non comederat, & iam erat quaſi veſper,& Achab currebat velociter in curru ſuo propter pluuiam,& tamen Elias velocius currebat quàm ipſe,ita vt præcederet eum vſque in Iezrahel, & ad hoc oportebat, quòd veniret ſuper eum manus Domini, id eſt robur ad confortandum eum,quia ſancti, qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem,aſſument pẽnas,vt aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient, Iſai. 40. *Accinctis lumbis currebat ante Achab.* Elias præcinxerat ſe ad currendum velociter ſicut iuuenis, & currebat plus, quàm Achab, licèt eſſet in curru ipſe Achab. *Donec veniret in Iezrahel.* Semper præceſſit eum vſquequo venit ad vrbem Iezrahel,in qua manebat pro tunc Achab.

Caput XIX.

Nvnciavit autem Achab Iezabel omnia,quæ fecerat Elias, & quomodo occidiſſet vniuerſos Prophetas Baal gladio Miſit ǵ Iezabel nuncium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis.

Descripta in præcedentibus prophetarum occiſione, hic agitur de Eliæ perſecutione, quæ orta fuit propter occiſionem prophetarum Baal, & diuiditur in tria, quia primò ponitur Eliæ trepidatio. Secundò Angelica prouiſio,ibi. *Et ecce Angelus.* Tertiò,diuina conſolatio, ibi. *Et ecce ſermo Domini.*

An ordo ſit continuus.

Qvæstio I.

Qværetvr an iſta, quæ habentur hic, fuerint poſt præcedentia, & an fuerint immediatè,vel interiecto aliquanto tempore. E

Ad primum dicendum, quòd hic eſt ordo cõtinuus, quia in præcedentibus dictum eſt de prophetarum Baal occiſione,hic agitur de perſecutione,quæ orta fuit propter illam occiſionem:nam Iezabel dixit, quòd poneret animam Eliæ ſicut animam vnius de Prophetis Baal,qui occiſi fuerant.

Ad ſecundum dicendum,quòd iſtud fuit immediatè poſt præcedentia, ſcilicet quia eodem die incœptum eſt hoc, quo facta ſunt præcedentia. Nam die, quo occiſi ſunt Prophetæ Baal venit ignis ſuper ſacrificium Eliæ,& venit pluuia, & venit Achab in Iezrahel, præcedenti cap. & eadem die narrauit Achab vxori ſuæ Iezabel, quòd Elias occidiſſet Prophetas Baal,& eadem die miſit Iezabel ad dicendum Eliæ, quòd cras ante hanc horam poneret animam eius, ſicut animam vnius de Prophetis Baal,& eadem die fugit Elias propter timorem, vt patet in litera,& ſic eadem die facta ſunt quę habentur ſuprà,& incœpta ſunt quæ habentur hic. Et dicitur.

Nunciauit autem Achab Iezabel omnia,quæ fecerat Elias. Non iuerat Iezabel in montem Carmeli, vbi occiſi fuerunt Prophetæ Baal,ideo nihil vidit de his, quæ facta ſunt ibi, ſed Achab vir ſuus nunciauit ei poſtquam redijt de monte omnia, quæ facta fuerant, & iſtud fuit in eadem die, quia veriſimile eſt,quòd Iezabel illicò quæreret ab Achab, quid factum fuiſſet in Carmelo. Etiam quia prophetæ Baal iuerant in Carmelum,& nullus eorum redibat,Iezabel tamen diligebat eos valde: nam omnibus dabat cibos de menſa ſua, vt patet præce- F denti cap. ideo veriſimile eſt, quòd mox quæreret de eis, & Achab reſponderet ſibi.

Et quomodo occidiſſet vniuerſos Prophetas Baal gladio. Scilicet, narrauit, quomodo fecit deſcendere ignem de cœlo, & poſuiſſet aquam ſuper ſacrificium, & poſtea occidiſſet Prophetas Baal. Nicolaus dicit, quòd ex malitia narrauit hæc Achab, quia quamquam vidiſſet miracula Dei per Eliam, tamen non omnino redibat ad cultum eius, & dolebat de morte ſacerdotum Baal,& placuit ei, quòd Iezabel vellet occidere Eliam, vnde conſenſit, quòd loqueretur ei verba dura. Et ex hoc ipſa eleuata locuta fuit contra Eliam ea, quæ ſequuntur.

Miſit ǵ Iezabel nuncium ad Eliam,dicens. Iezabel erat in vrbe Iezrahel,ad quam iuerat Achab die, quo factum eſt ſacrificium,præcedenti cap. & Elias iuerat in Iezrahel cum Achab,vt patet ibidem,& tunc eadem die miſit Iezabel nuncium ad Eliam,dicens quæ ſequuntur.

Hæc faciant mihi dij, & hæc addant. Modus iurandi eſt tam apud Iudæos,quàm apud Gentiles, vel potius eſt modus imprecandi. Sic enim imprecatus eſt Eli,ſuprà primo libro,capitulo tertio, ſic etiam Ionathas, & Dauid,eodem libro, capitulo vigeſimoquinto, Iezabel autem erat Gentilis omnino,ideo dixit:Hæc faciant mihi dij, quia multos deos illa colebat,& profitebatur eſſe. Et eſt ſenſus, quòd per iſta prono-

A mina demonſtratiua demonſtraret ſpecialiter aliqua mala Iezabel, quæ imprecabatur ſuper ſe.

Niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis. Doluit valdè Iezabel de morte Prophetarum Baal, eo quod diligebat eos nimis, ita vt daret eis aſſiduè cibos de menſa ſua, præced. cap. Etiam ex hoc diminuebatur, & quaſi videbatur omninò ablatus cultus Baal, cùm omnes Prophetæ ſui, & ſacerdotes, & etiam Prophetæ lucorum fuiſſent occiſi. Iezabel tamen zelabat nimis pro cultu Baal, ſicut Elias pro cultu Dei, ideo dolebat de morte ſacerdotum. Etiam putabat Iezabel, quòd mors Prophetarum Baal fuiſſet in contemptum ſuum, ſcilicet quòd occidiſſet illos Elias, vt offenderet Iezabel, quæ erat maxima patrona eorum: doluit ergo ſe contemni, & locuta eſt durè contra Eliam.

Quare Iezabel nunciauit Eliæ, quòd vellet eum occidere.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, quomodo Iezabel cùm intenderet occidere Eliam ex cauſis ſuprà aſſignatis, miſit ei ad dicendum, quòd occideret eum, quia in hoc præmonebat eum ad fugiendum, ſicut factum eſt.

Reſpondendum, quòd Iezabel ſtimulata fuit magno dolore, & morte Prophetarum Baal propter cauſas aſſignatas, &
B ideo non potuit cõtinere ſpiritum, quin illicò mitteret ei ad nunciandum pœnam, quam infligere intendebat.

Secundum fuit, quia Iezabel putauit, quòd nullo modo Elias recederet propter verba hæc; quia ipſe valdè conſtans erat, & non timuerat regem: Nam licèt offendiſſet regem Achab, & ille valdè iratus eſſet contra eum, non timuit Elias apparere coram eo, præced. cap. & cùm rex loqueretur ei durè reſpondit Elias, dicens regem eſſe turbatorem Iſraël: à fortiori ergo putabat Iezabel, quòd non timeret comparere coram ea, nec recederet propter hæc verba.

Tertium fuit, quia putabat Iezabel, quòd nullo modo poſſet fugere à facie eius, quin caperetur, ideo confidenter dixit, quòd poneret animam ſuam, ſicut animam vnius de Prophetis Baal, ſcilicet quòd occideret ipſum ſequẽti die ante veſperum.

Quartum fuit, quia Deus compatiens Eliæ, vt non occideretur incitauit Iezabel, vt denunciaret ei mala, quæ facere intendebat, & ſic præmoneretur ad fugiendum, & euadẽdum, & ſi non denunciaſſet potuiſſet eum ſecurum capere, & occidere, quòd autem à Deo moueretur Iezabel ad denunciandum hoc Eliæ colligitur, quia dato, quòd ipſa ex magna ira ſtimulata fuiſſet ad denunciandum hoc ei, immediatè, & tamen ſaltem comprehendiſſet eum, cùm miſit ei ad dicendum hoc, quia poterat tunc tenere eum, ſed non curauit tunc tenere, & ſic agebat contra conditionem eius, qui
C deſiderat vindictam, quia illicò, vt poteſt ſumit eam, & ſic Deus moueret eam ad ſic imprudenter agendum, vt liberaretur Elias.

Timuit ergo Elias. Scilicet quando nunciata ſunt ei hæc: nam Iezabel erat impijſſima, quæ iam occiderat omnes Prophetas Domini, quos repererat, ita putauit, quòd occideret ipſum ſi maneret in vrbe.

Et ſurgens abijt quocunque ferebat eum voluntas. Scilicet, diſcurrebat Elias per varia loca, & non conſiſtebat in aliquo eorum, & iſtud erat ſecundùm conditionem timentis, quia timentes non putant ſe euadere poſſe in aliquo loco, & ſic cùm Elias eſſet in vno loco, timebat ibi, & ibat ad alium, & cùm ibi maneret rurſus timebat, & ſic incertus vagabatur quocunq; eum ferret voluntas.

Venitq; in Berſabee Iuda. Eſt Berſabee quędam ciuitas in ſorte Iuda, quæ eſt in extremitate eius ad partem meridianam, ſcilicet circa deſerta Arabica, vnde Berſabee ponitur ſæpè pro termino auſtrali Iſraël, & Dan pro termino aquilonari, ſuprà primo libro, cap. 3. Cognouit vniuerſus Iſraël à Dan vſque Berſabee. Sic etiam præcedenti libro, cap. 17. & vltimò iuit ad iſtum locum Elias, quia iſte erat in extremitate ſortis Iudæ, & inde volebat recedere ad deſertum Arabicum. Nam non confidebat manere in terra Iuda, quia rex Iuda erat affinis Achab, & Iezabel, ſcilicet ipſe Ioſaphat, qui tunc regnabat 2. Paralipomenon 18. Ideo credebat, quòd ſi maneret in terra Iuda Iezabel mitteret ad regem Iuda, vt traderet eum ſibi, & ille traderet eum. D

Et dimiſit ibi puerum ſuum. Iſte eſt puer filius mulieris Sareptanæ, quem ſuſcitauit Elias, vt declaratum eſt præcedenti cap. & dimiſit eum Elias in Berſabee, nolens quòd iret vltrà cum eo, cõmendans eũ ibi alicui, quia intraturus erat Elias deſertum, & ambulaturus per terram inuiam, in qua non reperiret cibos, nec conuenientẽ locum ad manẽdum, & puer non poſſet tolerare iſtos labores.

Quare Elias nunc timuit, & fugit propter ſola verba Iezabel, cùm prius non timuerit Achab.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR, quare Elias nunc timuit, & fugit ſolùm propter verba Iezabel, qui prius non timuerat faciem Regis, & ei durè locutus fuerat, præcedenti cap.

Reſpondendum, quòd Elias timuit Iezabel, quia habebat iuſtam cauſam. Nam Iezabel erat impijſſima fœmina, quæ iam occiderat omnes Prophetas Domini, quot repererat, ideo ſic occideret eum, cùm eſſet valdè irata ſibi. Quod autem nunc Elias timeret, qui non timuerat coram facie regis Achab, nõ proueniebat ex magnitudine, vel puſillanimitate cordis eius, ſed ex motu Dei, quia quando Deus mouebat E
ipſum confidebat nimis plus quàm homo confidere poſſet. Cùm autem Deus non mouebat eum ad confidendum, timebat ſicut quilibet alius homo timeret, & cadebat in eum omnis timor, qui caderet in conſtantem virum: cùm enim ſtetit Elias coram Achab, Deus dixit ei, quòd appareret coram ipſo, & reuelauit ei cuncta, quæ facturus erat, vt patet præcedenti capitulo, cùm dixit Elias, quòd omnia fecerat de mandato Dei, & tunc ſciebat certiſſimè Elias, quòd non occidendus eſſet ab Achab, ideo confidenter loquebatur, & illa erat confidentia maior, quàm hominis, quia nullus homo priuatus ſicut Elias auſus fuiſſet vocare regem turbatorem populi, ſicut vocauit Elias, ſed non timuit, quia ſciebat, quòd non occidendus erat, nec malum ſibi inferendum erat, nunc autem Deus non mouit Eliam ad confidendum, quia non dixit ei, quòd ageret aliquid coram Iezabel, vel quòd non occideretur ab ipſa, ſed reliquit eum in conſilio ſuo, & tunc Elias humanè agens timuit, & cauit ſibi fugiens à conſpectu Iezabel: ſimile enim eſt de Moyſe, & alijs Prophetis, & viris ſanctis, quia interdum Deus mouebat eos, & operabantur grandia. Interdum verò relinquebat eos ſibi-ipſis, & timebant ſicut cæteri homines. Nam Moyſes non timuit cum paucis viris de Leuitis aggredi bellum contra ſexcenta millia Iſraëlitarum tranſeundo per media caſtra ipſorum, & occidendo quotquot volebant, ita vt occiderent viginti tria millia, & nullus de Iſraëlitis auderet reſiſtere eis, F
ſed omnes patiebantur, & trucidebantur ſicut oues, Exodi trigeſimo ſecundo, hoc autem fuit, quia Deus fecit eum confidere in dando pœnam Iſraëlitis eleuando cor eius ad grandia. Moyſes tamen interdum timuit Iſraëlitas, & quamquàm peccarent non auſus eſt repugnare illis, nec ſaltem reſpondere verbum durum, ſed ſolùm fugit à facie eorum ipſe, & Aaron, quia volebat eos populus lapidare, Numeri decimoſexto. Sic etiam peccauit populus murmurando, & Moyſes non auſus eſt punire illos, ſed timens eorum ſeditionem proſtrauit ſe coram eis in terram, Nume. decimo quarto, iſtud autem erat, quia tunc timebat, vt homo Deo non eleuante cor eius. Cauſa autem quare Deus interdum eleuat corda ſanctorum, ita vt non timeant reges horrendos, & immania pericula, & interdum non mouet eos, ſed timent ſicut cæteri homines, eſt, vt non eleuentur in quandam præſumptionem, & elationem cordis videntes, quòd Deus in omnibus magnificat illos. Expedit enim viris ſanctis ſeruare humilitatem, & iſta conſiſtit maximè in hoc, quòd homo proprios defectus cognoſcat tam naturales, quàm perſonales, & ob hoc expedit, vt interdum viri ſancti relinquantur à Deo inter fluctus aduerſitatum huius ſæculi, & tunc ad ſeipſos redeuntes cognoſcunt quantum poſſunt, ſe infirmos eſſe, niſi quantum Deus eis dederit adiuuando, & tunc magnificant Deum conſiſtentes in aduerſitate

A magis, quàm magnificaturi essent, si semper ad grandia eos Deus eleuaret: sic enim dicit de se beatus Paulus, quòd ne magnitudo reuelationum extollat eum, datus est sibi Angelus sathanæ, qui eum colaphizet, 2. ad Corinth. 11. sic enim Gregorius super Ezechielem ait, quòd postquàm Deus reuelabat magna secreta ipsi Ezechieli, dicebat ei fili hominis, ne propter magnitudinem reuelationum extolleretur putans iam se non hominem, sed plus quàm hominem esse. Sic etiam fuit in Elia, qui nunc à Deo derelictus est, vt cõsilio suo ageret quicquid posset, cùm præcedenti die magnificasset eum coram Achab, & post hoc, ne putaret se Elias omninò derelictum locutus est ei Deus, & apparuit ei Angelus, vt patet infrà in litera.

Et perrexit in desertum viam vnius diei. Istud intelligitur de desertis Arabicis, quæ sunt inter terram Israel, & Ægyptum, p quæ deserta venerũt Israëlitæ de Ægypto, & morati sunt in eis quadraginta annis, quod patet, quia Elias venit in montem Oreb, infrà in litera, & tamen mons ille est, in quo Deus dedit legem Moysi, & steterunt ibi Israëlitæ anno vno demptis decem diebus, vt declaratum est Nume. 10. putauit enim Elias, quòd in deserto posset euadere, eo quòd nullus sciret vbi erat, vel fortè inde pergeret in Ægyptum, aut in aliam regionem longinquam, & dicitur, quòd ambulauit viam vnius diei, quia postquàm ambulauit per vnã diem, accidit ei quod habetur hic de Angelo apparente.

B *Cumq; venisset, & sederet subter vnam iuniperum.* In fine illius diei erat fessus Elias ex itinere per loca aspera, & inuia, & ieiunus ibat: nam in deserto non reperiebat cibum: sedit autem tunc subter iuniperum, vt ibi refocillaretur modicum ad vmbram eius, licèt praua sit vmbra iuniperi, & hoc, quia terra illa calida erat cùm sit nimis meridiana, scilicet partim in tertio, & partim in quarto climate. Est autem iuniperus arbor breuis, & tortuosa habens tamen lignum durissimum, ita vt secundùm Isidorum in Etymologijs in cinere eius potest ignis per annum integrum conseruari, quod in nullo aliorum lignorum euenit, solent autem ista ligna frequentissima esse in syluis, & locis desertis, & vocantur vulgariter genebros, & dicitur, quod sedit sub iunipero, id est, ad vmbram eius.

Petiuit animæ suæ, vt moreretur. Id est, petiuit à Deo pro anima sua, id est, ad desiderium animæ suæ complẽdum, vt moreretur, quia ipse desiderabat mori videns tot calamitates.

An Elias peccauerit petendo mortem; & quando licet alicui petere mortem, & quando non.

QVÆSTIO IIII.

C QVÆRETVR, an peccauit Elias petendo mortem. Aliquis dicet, quòd sic, quia magis debet se quis diligere, quàm alium, sed nõ potest licitè desiderare, quòd alius moriatur, nec petere: ergo à fortiori nõ est licitum, quòd desideret se mori, aut petat mortem.

Respondendum, quòd aut aliquis desiderat mortem, & petit volens gaudere in futuro sæculo fruens Deo, sciens q̃p quamdiù hic est, nõ potest frui Deo, sed peregrinatur ab eo, aut propter illam causam. Si primo modo aut petit mortem absolutè, scilicet quòd dato, quòd sciat, vel credat se vtilem esse Ecclesiæ Dei, desiderat semper mori, & petit, vt non laboret hic, sed gaudeat in vita æterna. Et tunc dicendum, quòd peccatum est mortem petere absolutè, quia tunc iste fugit maius bonum propter minus bonum, scilicet proficere Ecclesiæ Dei, est maius bonũ, quàm gaudere in vita æterna, quia in primo Deus colitur, & est actus virtutis, in secũdo autem non colitur, nec est actus virtutis, sed est vtilitas nostra propter consequi delectationem. Desiderare autem delectationem non est magna perfectio, quia quilibet illam desiderat: peccat ergo qui refugit vtilitatem Ecclesiæ Dei afferre viuens cum labore suo, vt moriatur non laborans, & consequatur vitam ęternã, & ob hoc viri sancti, quando credebant, vel suspicabantur vitam suã esse vtilem Ecclesię Dei, nunquàm desiderabant, vel petebant mortem absolutè; sed cum conditione, scilicet, quòd vellent mori, si eorũ vita non erat vtilis Ecclesiæ Dei, vtpotè, quia erat neutralis, vel quia afferebat modicam vtilitatem. Si tamẽ magna vtilitas erat ex eorum vita potiùs volebant viuere, & laborare, quàm mori, & gloriari. Sic patet de beato Paulo ad Philip. 1. Mihi enim viuere Christus est, mori autem lucrum, quòd si viuere in carne hic mihi fructus operis est, & quid eligam ignoro, coarctor autem duobus, desiderium habens dissolui, & cũ Christo esse multò magis melius est, permanere autem in carne necessarium est propter vos, ideo concluſit ibi Apostolus, quòd cùm vita sua esset vtilis Ecclesiæ, certissimè viueret, dicens, & hoc confidens scio, quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum, & gaudium fidei. Sic etiam beatus Martinus, cùm morti propinquus esset, ait: Domine si adhuc populo tuo necessarius sum, non recuso laborem. Si autem aliquis non scit, aut non credit vitam suam esse vtilem Ecclesiæ Dei, habet maius motiuum desiderandi mortem, vt sit cum ipso, & tamen adhuc non licet absolutè isti petere mortem, vt habeat vitam ęternam; sed semper debet ponere conditionem, scilicet si aliquo modo vita sua est vtilis Ecclesiæ Dei, aut vitæ proximorum, quòd non vult mori, si autem non est vtilis, quod vult dissolui, & esse cum Christo. Vel potest dicere aliter, scilicet Domine si vita mea aliquo modo proficit ad cultum tuum, vel potiùs tibi viuens quàm moriens seruio, volo vitã etiã laboriosam sustinere, sin autem, cupio dissolui, & esse tecum. Hoc autem, & etiam primum potest dicere quisque vir quantumcunque imperfectus, qui tamen bonum desiderium habet. Nam licèt homo virtutibus suis non confidat, & nihil boni adhuc habeat, potest Deus eum subitò clarissimis virtutibus ornare, & constituere luminare magnum in Ecclesia sua. Quid enim Petrus erat, nisi piscator pauper, & rusticus, & omninò indoctus? Christus tamen eum subitò Ecclesiæ vniuersalis principem fecit. Quid etiam Paulus erat, nisi quidam persecutor Ecclesiæ? subitò tamen factus est doctor gentium, & vas electionis. Nemo ergo desperet similia posse fieri in eo, licèt ipse nullius virtutis sit, quia manus Domini non est abbreuiata, vt saluare nequeat nec aggrauata auris eius, vt non exaudiat nunc potiùs, quàm tunc Isa. 59. Si autem aliquis desiderat mori propter alias causas, aut istud est ad euitandum laborem vitæ, aut ad euitandum peccata. Si ad euitandum peccata, apparet aliqualiter licitum, vtpotè quidam homines sunt ita prompti, vt vincantur à passionibus, quòd faciliter incident in peccata, in quibus valdè dolent, quod Deum offendant, ideo vt non incidãt in alia peccata, & pluries Deum offendant, desiderant mortem.

Sed considerandum, quòd istud desiderium potest esse propter duo, scilicet ad euitandum laborem, qui est in superando passiones, & tunc incidit cum membro sequenti, aut vt non offendatur Deus pluries ex peccatis commissis, & iteratis, & isto modo dicendum, quòd desiderium secundùm seipsum bonum est, quia potiùs debet aliquis mortem eligere, quàm quòd Deus offendatur, istud tamen non debet desiderari absolutè, quia quòd quis desideret mori ne offendat Deum iterando peccata, est desperare, quòd Deus det ei gratiam ad permanendum sine peccato, & tamen Deus hanc faciliter dat, ideo potiùs petenda est ista impeccabilitas, cùm dari possit, quàm quòd mortem appetamus, ne in peccatum incidamus, potest tamen aliquis petere sub disiunctione mortem hoc modo. Si nimis se grauari videat peccatis, & sæpè reincidit in ea, quæ egit dolens, quòd in his grauiter offendat Deum, potest petere, quòd aut Deus constantiam ei largiatur in bono opere, aut tollat eum de mundo, ne vltrà peccet, & tunc iusta est petitio, dum tamen non fiat cũ quodam modo desperationis gratiæ habendæ. Si autem aliquis desideret mori propter aduersitates, quas patitur, vt illas effugiat credens, quòd in alio sæculo nihil horum patietur, peccat, quia incidit in vitium timiditatis: nam sicut ad fortitudinem pertinet exponere se terribilibus propter honestũ, ita ad timidum pertinet mortem optare, vt terribilia non patiatur, sicut ergo valdè peccat, qui sibi mortem infligit, ne ab alio duriorem patiatur mortem, vt patet quinto Ethicorum, circa finem, ita peccat, licèt non tam grauiter, qui mortem desiderat, vt non toleret amaritudines sæuientis fortunæ, quas morte duriores esse credit: ideo quicunque sic mortem appetit, aut in oratione petit, mortaliter peccat, magis tamẽ, qui petit, quàm qui appetit. Sed istud stat dupliciter, quia aliqui mori desiderãt, quia durum est sibi militare

contra

D

Mors est appetẽda sub conditiõe. Modus petẽdi à Deo mortẽ.

E

Desiderium mortis potest esse propter duo.

F

A

contra passiones, quæ incitant eos ad peccãdum, scilicet contra iram, libidinem, & alia desideria intantum, quod interdum nesciunt quid faciãt: sic enim patet de beato Paulo, qui cruciabatur nimis passione libidinis intantum, vt se vocaret infœlicem, & diceret: Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? ad Roman. 7. Sic etiam est de alijs passionibus. Alij desiderant mortem solùm, quia durum est sibi tolerare labores exteriores, qui nõ sunt desideria passionalia, nec incitant ad peccandum, & vtrique peccant, magis tamen illi, qui propter exteriores angustias illam desiderant.

Quo Moyses mortẽ petijt.

Sed obijcietur, quia Moyses desiderauit mortem propter magnos labores, quos tolerabat in regimine populi, & non sufficiebat ad regendum. Sic patet Numeri 11. cùm ait: Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te, & cur imposuisti pondus vniuersi populi super me? nunquid ego concepi hanc omnem multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum? vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? flent corã me, da nobis carnes, vt comedamus, non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis mihi est, sin autem aliter tibi videtur, obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Sic etiam Elias saturatus angustijs petiuit hic, vt moreretur.

B

Desiderare mortẽ, ne mala videãt ob zelum Dei, nõ est peccatum

Dicendum de Moyse, quòd ipse dixit verba ista ex abundãtia cordis, quia erat valdè afflictus, & vix erat compos passionis suæ, & sic posset dici, quòd peccaret venialiter, si tamẽ ex deliberatione, & non in tanta magnitudine angustiæ ista dixisset, peccasset mortaliter. De Elia dicendum, quod non peccauit, quia non dixit, quod volebat mortem propter labores, quos tolerabat, sed propter aliam causam, vt infrà dicetur, interdum autem homines desiderãt mortem ex quodam zelo Dei, scilicet quia vident mala multa super terram, & potissimè contra cultum Dei, & non potentes illa tolerare, desiderant mortem. Sic fuit de Mathatia patre Machabæorum, qui deplorabat vitam suam tanquàm mortem, cùm vidit legem laceratam, & templum traditum in manus impiorum, primo Machabæorum secundo. Væ mihi, vt quid natus sum, vt viderem contritionem populi mei, & contritionem ciuitatis sanctæ? &c. Et isto modo non est peccatum desiderare mortem, quia non est verum desiderium mortis, sed quidam zelus Dei, quo homo tãtùm abhorret mala, quæ videt contra cultum Dei, quòd potiùs vellet mori, quàm videre illa.

Isto modo dicendum est de Elia, quod ipse desiderabat mortem, quia videbat, quòd Prophetæ Domini occidebantur, & destruebantur altaria eius, & peribat lex, & cultus Dei de terra: ideo melior erat sibi mors, quàm videre mala ista in diebus suis. Quòd autem istud esset motiuum suum ad petendum mortem, patet, quia cùm infrà Deus diceret ei; quid hic agis Elia? Respondit, zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quasi dicat, pro zelo, quem habeo pro Domino exercituum facio omnia hæc fugiẽdo in desertum, & desiderando mortem.

C

Si autem aliquis dicat, quòd Elias propter tædium vitæ laboriosæ desiderauit mortem. Dicendum, quod adhuc non peccauit mortaliter, quia Elias dixit verba illa saturatus amaritudine ex quodam impetu passionali, & fortè non desiderabat mortem, secundùm deliberationem: ideo non erat peccatum suũ mortale, sed erat veniale, sicut diximus suprà de Moyse.

Quòliceat desiderare mortẽ alteri?

Ad rationem in contrarium dicendum, quod non potest aliquis desiderare mortem pro alio animo nocendi ei; quia tamen interdum alicui melior est mors, quàm vita, potest desiderare mortem eius, & tamen semper cum conditione, si meliùs est ei mori, quàm viuere, & tamen non valet, quia dato, quòd aliquis non possit pro alio desiderare mortem, eo quod debet diligere ipsum, quòd minùs possit pro seipso mortem desiderare, quia magis se diligit: nam licèt quis se magis diligat, quàm alium, tamen potest se subijcere multis doloribus spõtè, quibus non potest subijcere alium, etiam licitum est cuicunque petere, vt Deus immittat ei tribulationes, per quas magis mereatur, & tamen non licet alicui desiderare, quòd alteri mala veniant si bonus est ad hoc, quòd melior efficiatur, vt declaratum est suprà 16.

D

Et ait, sufficit mihi, tolle animam meam. Id est, sufficit mihi id, quod vixi, & non desidero vltrà viuere, ideo tolle animam meam. Vel dicitur, sufficit mihi, id est, sufficit mihi hoc bonum! quòd moriar, & non peto, quòd liberes me ampliùs à periculis, nec quòd des mihi cibum miraculosè, sicut dedisti per coruos in torrente Carith, & posteà in Sarepta in domo viduæ.

Nec melior sum, quàm patres mei. Vocat hic Elias patres suos prædecessores suos similes in professione, scilicet Prophetas alios. Et est sensus, quod ipse non est melior omnibus Prophetis præteritis, sed illi occisi fuerunt à Iezabel: ideo sufficit sibi, quòd ipse occidatur à Domino, & non videat vltrà mala cultus Dei. Vel est sensus, quod non est ipse melior, quàm alij Prophetæ, sed pro alijs non facta sunt miracula, vt eruerentur à morte, sed occisi sunt à Iezabel; ideo etiam satis erat sibi, quòd Deus fecisset miraculum pro eo liberando ipsum à fame præterita, quando pauerunt eum corui, & non oportebat, quòd nũc alia miracula fierẽt, vt liberaretur, sed quòd Deus occideret eum.

Proiecitq́, se, & obdormiuit in vmbra iuniperi. Postquàm dixit verba ista proiecit se sub vmbra iuniperi, & dormiuit, quanq́ Elias ieiunus esset, & ieiuni malè dormiant, tamen ipse dormiuit præ fatigatione itineris, quia labor causat soporem, sicut cibi abundantia. Etiam Elias dormiuit præ tædio. Nam cùm homines patiuntur magna tædia, inclinantur ad dormiendum, & causa huius est, quia sopor est quædam ligatio omnium sensuum, & operationum animalium facta à fumis surgentibus de stomacho, surgunt autem fumi de stomacho regulariter propter cibum, ideo saturati dormire desiderant.

E

Tædiũ causat somnũ, et quare. Somnꝰ quid, & vnde causetur.

Interdum autem somnus causatur ex labore, quia magnus labor facit violentam digestionem, ideo dato, quòd nõ sit cibus in stomacho, digerentur humiditates naturales, quę sunt in stomacho propter fortitudinem caloris causati ex labore, & fumi resoluti ascendẽtes ad cerebrum causant somnum, & sic dato, quòd aliquis ieiunus sit si fortiter laborauerit, dormire desiderat: euenit autem desiderium dormiendi laborantibus, non quando actualiter laborant, sed cessantibus eis à labore, eo quod dum actualiter laborant, fumi ascendentes à stomacho ad cerebrum sunt valdè calidi, & rari atque subtiles, ideo sunt magis apti ad exhalandum per poros apertos in labore, quàm ad occupandum cerebrum, cùm autem cessamus à labore infrigidantur partes exteriores, & clauduntur pori, & non possunt fumi euaporare, ideo tendunt omnes ad cerebrum, & manent ibi. Etiam calor resoluens, & eleuans fumositates à stomacho est debilior, & ob hoc fumi eleuati sunt grossiores, & cõsequẽter possunt magis oppilare cerebrum, &, ligare, ita vt nõ deriuetur ab eo virtus ad partes sensitiuas, & istud est ligari virtutes animales, & causari somnum.

F

Ira est causa somni.

Interdum etiam euenit somnus propter magnũ tædium homini non laboranti, nec saturato cibis, & causa est, quia in magno tædio confortatur nimis virtus irascibilis, in iracundia autem commouetur sanguis, qui est circa cor, & succenditur. Nam dicimus, quòd ira est accensio sanguinis circa cor, & tunc causatur ibi quidam calor magnus resoluens naturales humiditates, si nullæ aliæ sint, & fumi ascendentes ad cerebrum ex resolutione earum occupant illud, & causant soporem, & propter hoc iubetur in regimine sanitatis antiquorum, & eorum, qui non possunt sufficienter digerere cibum, quòd interdum irascantur moderatè ad confortandum calorem naturalem, & causandam digestionem.

Ira est causa digestionis cibi.

Quòd autem propter iram, & tædium magnum causetur sopor, patet Psalmo 118. Dormitauit anima mea præ tædio, id est, tædium fecit me dormire. Et ista est causa, propter quã dicunt, quòd Discipuli Christi erant valdè grauati somno, ita vt non possent vigilare cum eo die, quo tradendus fuit: nam dicitur, quòd erant oculi eorum grauati. Matth. vigesimo sexto. Et istud fuit propter magnum tædium: nam cùm audierunt à Christo, quòd vnus eorum traditurus erat eum, tantus calor iracundiæ occupauit eos, quòd fumi ascendentes à stomacho cogebant eos dormire, & grauabant oculos eorum, patet hoc Luc. vigesimo secundo. Et inuenit eos dormientes præ tristitia. Sic enim fuit in Elia, in quo erat magna

Cur discipuli Christi in horto somniculosi erãt.

iracun-

A

iracundia ex tædio vitæ laborioſæ, & ex zelo magno contra deſertores legis, & occiſores Prophetarum Domini, & propter hoc dato, quòd eſſet ieiunus dormiret, & grauaretur nimis, ſicut cùm caput hominis graue eſt tẽpore flatus auſtrini, & magnarum humiditatum.

Et ecce Angelus. Hic ponitur ſecundum huius capituli, ſcilicet angelica prouiſio: nã iã erat in extremis anguſtijs, & Angelus Domini venit ad prouidendum ei, & dicitur.

Angelica prouiſio Eliæ deambulãti per deſertum

Et ecce Angelus Domini tetigit eum. Scilicet tetigit ipſum ad excitandum eum à ſomno, quia graui ſopore tenebatur, ita vt non excitaretur niſi magna voce delata ad eum, vel tangendo ipſum.

Et dixit illi, ſurge & comede. Iſte Angelus ſumpſit corpus de materia aërea, quia aliàs non poterat apparere Eliæ, nec loqui, & à fortiori non poterat eum tangere, quia ad contactum requiritur ſoliditas aliquanta rei tangentis, & impellentis. Iſte Angelus duxit Eliæ panem vnum, & ſcyphum aquæ, eo quod Elias erat iam in extrema anguſtia. Nam ambulauerat vna die per deſertum introcũdo ad interiora eius, & non erat ibi cibus, nec potus. Nam etiam aquam non habebat ibi: ſed oportuit, quòd Angelus portaret ei vas aquæ, ſicut portauit panem, non tamen portaſſet aquam ſi Elias per ſe poſſet ibi habere aquam, quia Deus non prouidet homini ſupernaturaliter, niſi in his, in quibus potentia humana deficit, nunc autem Elias non petebat à Deo panem, vel

B

aquam, ſed mortem, nolens quod pro eo Deus faceret plura miracula, vnde dixit, Sufficit mihi, tolle animã meam, Id eſt, ſufficiunt mihi miracula, quæ iam feciſti ad conſeruandam vitam meam non peto, quòd plura facias, ſed ſolùm, quòd tollas animam meam à me.

Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. Id eſt, quando Angelus tetigit Eliam, expergefactus eſt, & qa dixerat ei Angelus: ſurge, & comede, reſpexit quid haberet apud ſe comedendum, & reperit ad caput ſuum panem ſubcinericium, & vas aquæ.

Comedit ergo, & bibit. Fameſcebat enim valdè, quia in deſerto nullum cibum inuenerat. Etiam quia Angelus dixit ei, quòd comederet, ille tamen Angelus mox vt iſta dixit, receſſit, non locutus plura Eliæ, & ideo ipſe comedit, & poſteà redijt ad dormiendum. Sciendum etiam, quod Elias non comedit nunc totum panem, nec bibit totam aquam; quia iterum cùm ſurgeret de ſomno comedit de pane, & bibit de vaſe. Hoc autem fuit, quia fortè panis magnus erat, & non poterat in vna vice eum comedere Vel fortè, quia neſciebat, an Deus vellet ei dare plus de cibo: ideo nolebat illum totum conſumere quouſque ſciret quid Deus de eo facere vellet.

Et rurſum obdormiuit. Erat Elias magno tædio affectus: ideo quanquàm Angelus excitaſſet eum à ſomno, & comediſſet modicum, erat tamen caput eius grauatum adhuc, & redijt in ſoporem.

C

Vnde fuerunt panis, & aqua ducta Eliæ, & an fuerit panis factus opere Angelorum.

QVÆSTIO V.

Ratio prima opinionis.

QVÆRETVR de iſto pane, & iſta aqua vnde fuerunt adducta. Aliquis dicet, quod aqua fuit de aliquo fonte, & panis fuit ſumptus ab Angelo de aliqua domo, quia dicitur hic, quod erat panis ſubcinericius, & tamen panes ſubcinericij nõ ſunt in cœlo nec fiunt à Deo, ſed ab hominibus aſſantur in igne.

Opinio D. Auguſt.

Reſpondendum, quod Auguſtinus in libro de mirabilibus ſacræ ſcripturæ dicit, iſtum panem fuiſſe factum mirabiliter manibus ſanctorum Angelorum, ideo vna refectio eius ſaturauit Eliam, ita vt quadraginta diebus ambularet in fortitudine cibi illius, & non corrumperetur calor naturalis, nec minueretur humidum radicale. Si tamen fuiſſet cibus hominum nõ haberet iſtam virtutem: ergo erat ſupercœleſtis panis. Item, quia dicit Auguſtinus, quod factus eſt manibus ſanctorum Angelorum: ergo non erat factus ab homine, nec de frumento noſtro.

Auctoris opinio.

Dicendum, quòd ſatis faciliter dicere poſſumus, quòd iſte panis erat cœleſtis, vel quod erat cibus humanus, & quòd Angelus tu[illegible]it illum de aliqua domo, vt comederet Elias, ſicut diximus ſuprà decimoſeptimo, de pane, & carnibus portatis Eliæ à coruis. Si autem dicamus, quod erat panis cœleſtis nõ eſt intelligendum, ſicut aliqui ſimplices opinantur, qp in cœlo ſint cibi quibus alantur exiſtentes ibi, quia in cœlo non eſt cibus, nec potus, nec alia accidentia, quæ nobis conueniunt hic, ſed ſunt ibi homines, ſicut res incorporales, quę cibo nõ vtunt. Hoc ſignificauit Chriſtus Matt. 22. dicens, erratis neſcientes ſcripturas, nec virtutem Dei: in reſurrectione enim, nec nubent, nec nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Quaſi dicat Angeli, ex eo quod ſunt incorporei, non patiuntur aliquam conditionem iſtarum, nec homines exiſtentes in cœlo, ſed vocatur panis cœleſtis, quia ſolius Dei opere factus eſt, qui eſt cœleſtis, vt ſi Deus creet aliquem panem, vel ſi de præiacenti materia, quæ non eſt frumentum, nec aliqua leges panem efficiat. Vocatur etiam panis cœleſtis, qui fit opere Angelorum, ſcilicet, quòd ipſi de aliqua materia aërea, vel aliàs panem conficiant, de qua homines panem non faciunt. Sic dicitur de manna, quod erat panis cœleſtis, vel Angelorum Pſalmo 77. ſcilicet, panem Angelorum manducauit homo, & intelligitur de manna, vt patet ibi. Alio modo vocatur panis cœleſtis ipſa Euchariſtia, quia de cœlo deſcendit. De hoc Ioan. ſexto, ſcilicet panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo, & vocatur magis propriè Euchariſtia panis cœleſtis, quàm manna, vt patet ibidem, cùm dixit Chriſtus Hebræis: Amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Primis duobus modis poterat dici, quòd eſſet panis Angelorum iſte, quem comedit Elias, ſed non tertio modo, quia Euchariſtia nunquàm fuit alicui data in veteri Teſtamento, nec fuit ſacramẽtum iſlud inſtitutum ante diem cœnæ Domini. Item dato, quòd eſſet inſtitutum non daretur tunc Eliæ, quia Euchariſtia non datur ad refectionem corporalem, ſed ſpiritualem: Elias tamen egebat tunc refectione corporali, ideo non daretur ſibi Euchariſtia, ſed alius cibus, qui corporaliter reficeret. Si autem dicatur, quòd iſte panis eſſet cibus humanus, dicemus, quòd Angelus Domini duxit illum de aliqua domo, quia aliquis fortè aſſauerat illum in igne pro ſe, & Angelus Domini rapuit illum pro Elia, & iſte modus videtur eſſe ſatis conueniens: ſic enim tenetur de ariete, quem inuenit Abraham hęrentem cornibus inter vepres, & immolauit illum pro filio ſuo Iſaac, quòd ductus fuerit ab Angelo de aliquo grege ouium, & poſitus fuerit ibi.

De aqua autem portata Eliæ idem dubium, & eadem determinatio eſt, quia poterat eſſe illa aqua cœleſtis, vt diximus de pane, vel poterat eſſe de fontibus, aut fluminibus.

Et ſi dicatur, quod erat panis factus opere Dei, dicetur, quod aqua eodem modo erat facta opere Dei, & ſi de pane dicatur, quod erat cibus hominum, dicetur eodem modo, de aqua, quod erat fontana, vel fluuialis, & tenendum videtur, quòd fuerit aqua naturalis.

Cùm autem arguitur, quòd eſſet panis naturalis, ſi volumus tenere, quòd eſſet cœleſtis, reſpondebimus, quod cùm dicitur, quod erat ſubcinericius, non ſequitur, quod erat naturalis, quia poterat fieri opere Angelorum, vel Dei, & haberet figuram, & colorem, & ſaporem ſubcinericij panis. Quia tamen tenemus, vt iſte panis fuerit naturalis dicemus, quod erat vere ſubcinericius raptus ab Angelo de aliqua domo, cũ aliquis illum pro ſe aſſaret, & iſtud magis cõuenit literæ, quæ vocat eum panem ſubcinericium ſimpliciter, & non dicit, quaſi ſubcinericium, vt intelligatur, quod verè erat ſubcinericius panis.

Adrationes Ang.

Cùm autem arguitur ex verbis Auguſt. quod erat panis factus opere Angelorum, poteſt propter eius reuerẽtiam teneri, quòd eſſet panis factus myſterio eorum, & tamen ratio non cogit.

Primò, quia illa ſaturitas, & æqualitas complexionis ſine cibo in quadraginta diebus potiùs videtur eſſe à voluntate Dei conſeruantis Eliam in robore ſuo, quàm ex conditione cibi, ſicut fuit de Moyſe, qui 40. diebus mãſit ſine cibo, Exo. cap. 34.

Secundò patet, quia dato, quòd cibus iſte eſſet factus manibus Angelorũ, non ſequebatur ex hoc, quòd haberet virtutem conſeruandi hominẽ per multos dies ſine cibo & potu.

D

Panis quare vocetur cœleſtis.

E

F

A Sic patet de manna, quod factum erat opere Angelorum. Psalmo 77. cùm vocetur ibi panis Angelorum, & tamen homines comedentes manna esuriebant immediatè, ita quod non poterant manere saltem vna die sine cibo, & ob hoc iubebat, quod in die Veneris colligerent duplum de cibo, quã in alijs diebus, scilicet pro die Veneris, & Sabbati. Exodi cap. 16.

Etiam iste cibus frequenter sumptus non dabat homini vigorem ad hoc, quòd cõseruaretur in vita longæua, sed moriebantur comedentes cibum istum, sicut comedentes quoscunque alios cibos. Vnde Christus ad significandum non fuisse manna cibum omninò perfectum dixit Iudæis: Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt.

Iste tamen cibus, quem comedit Elias, si conseruasset eum virtute sua per quadraginta dies, poterat sic conseruare per multum tempus, ergo non erat virtus in illo propter hoc, quòd esset factus manibus Angelorum.

Item patet, quia cibi naturales interdum habẽt maiorem virtutem, quàm cibi facti ab Angelis, quod patet, quia lignũ vitæ erat in Paradiso terrestri, & comedendo de illo poterat perpetuari vita hominis, vel extendi ad valdè magnum tempus, vt patet Genes. 3. & ibi declaratum est, & tamen comedentes manna non viuebant maiori tempore, quàm alij homines vtentes alijs cibis, ergo cibi naturales interdum magis conseruant, quàm cibi facti opere Angelorum.

B Item dato, quòd virtus Eliæ ad manendum quadraginta diebus sine cibo, esset ab isto pane, poterat esse naturalis, scilicet quòd Deus conferret ei virtutem conseruandi magno tempore, ideo potiùs videtur, quòd panis iste fuerit factus ab homine, quàm ab Angelo.

Reuersusq; est Angelus Domini secundò, & tetigit eum. Scilicet, Elias redijt ad soporem postquàm comedit, eo quòd post cibum Deus nihil iubebat ei agere: redijt ergo tunc Angelus, & tetigit eum secundò iubens, quòd comederet.

Dixitq; illi, surge, & comede: grandis enim tibi restat via. Scilicet iussit Angelus, quòd Elias comederet nunc, & pararet se ad viam, quia magnum iter facturus erat. Dicitur autem magnum, quia per quadraginta dies ambulauit, & venit vsque ad montem Sinai.

Angelus quare dixit Eliæ in secunda excitatione, quòd comederet. Et vtriusque excitationis ab Angelo factæ redditur causa.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, quare dixit nunc Angelus Eliæ, quòd comederet.

Respondendum, quod ratio istorum fuit, quia Angelus in prima vice attulit Eliæ panem, & vas aquæ dormienti ipso, & non vidit quid delatum erat sibi: immò nesciebat, an aliquid fuisset delatum.

C Etiam non vidit Angelum loquentem sibi, quia loquebatur dum dormiret Elias, & excitauit eum, & cùm excitaretur Angelus disparuerat, & non vidit Elias, quis sibi fuisset locutus, quia tamen audierat in somnis, quòd surgeret, & comederet respexit in circuitu an aliquem cibum haberet, & vidit ad caput suum subcinericium panem.

Si tamen Angelus præsens esset, quando excitatus fuit Elias, non oporteret, quòd Elias circumspiceret quærendo in circuitu suo cibum: tunc igitur Elias videns cibum sciuit illum diuinitùs fuisse allatum, & tamen nesciebat, quid Deus disponeret de eo, ideo nesciens an Deus vellet ei dare plus de cibo non comedit totum panem, nec bibit totam aquã, sed sumpto modico de illo, redijt ad soporem.

Deus autem volens, quòd Elias recederet inde, iussit, quòd Angelus excitaret eum. Et quia nõ poterat secum ferre panem, & aquam conseruatam in vase, iussit Angelus, quòd comederet, & biberet fortiter, & non speraret, quòd de eodem pane sæpè comesturus esset, & bibiturus de eodem vase, sed quòd nunc totum comederet, & biberet quidquid sibi allatum erat quia ambulaturus erat per magnam viam, & tunc Elias surgens comedit, & bibit ad saturitatem, & ambulauit.

D *Quare iussum est Eliæ, quòd ambularet magnam viam, cùm fugeret à facie Iezabel timens ne ab ea occideretur.*

QVÆSTIO VII.

VLTERIVS quęretur, quare iussum est Elię, quòd ambularet per magnam viam, & veniret vsque ad montem Horeb.

Respondendum, quòd Elias fugiebat à facie Iezabel timens, ne occideretur, sicut alij Prophetæ Domini, & quia erat in principio deserti cùm solùm ambulasset vna die introeundo in desertum, fortè Iezabel iubens inquiri eum diligenter posset inuenire ibi & occideret, ideo expediebat, ꝙ longè recederet, & Deus iussit, quòd recederet, venitq; ad montem Horeb, qui erat in interioribus deserti, & tunc non poterat Iezabel scire, vbi esset Elias, eo quòd per desertum nullus ipsum videret, mansitq; ibi Elias aliquanto tempore, & postea cessante fortè persecutione, quam exercebat Iezabel contra Eliam reuersus est ipse in terram Israel.

Qui cùm surrexisset, comedit & bibit. Istud fuit in secunda vice, qua suscitatus est de sopore, quia tunc comedit, & bibit fortiter, sicut dixerat Angelus.

Et ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Scilicet postquàm comedit, tunc cœpit ambulare, & ambulauit per quadraginta dies, & quadraginta noctes, & in istis non comedit, nec bibit, sed itinerabat quasi continuè, vel saltem per diem. E

Vsq; ad montem Dei Horeb. Id est, venit vsq; ad montem Horeb, qui vocatur mons Dei. Iste mons Horeb est mons Sinai, & aliquando vocatur Horeb, & aliquando Sinai. In isto monte data est lex Moysi, & Israëlitis, vt patet Exod. cap. 19. & 20. & propter hoc vocatur iste mons Dei, quia specialiter Deus operatus est in illo, scilicet dando legem, & apparendo ibi in nube, & clangore, & fumo, & facta sunt ibi multa alia pertinentia ad statum veteris Testamenti. Ibi etiam apparuerat Dominus Moysi in rubo, qui ardebat, & nõ comburebatur. Exod. cap. 3. Etiã vocabatur mons Dei, quia fama erat Deum habitare in illo monte.

Mons Horeb est mõs Sinai.

Quomodo Elias in fortitudine illius cibi potuit ambulare quadraginta diebus, & tot noctibus, & an cibus factus per Angelos sit maioris virtutis, quàm factus per homines. Et in cuius virtute ambulauit sine cibo quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quomodo Elias potuit ambulare quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in fortitudine cibi istius.

Respondet Augustin. in libro de Mirabilibus sacræ Scripturæ, quod erat panis cõfectus manibus Angelorum, & ob hoc habebat virtutem reficiendi per multos dies semel sumptus, ita quòd non periret calidum naturale, nec humidum radicale, in quibus conseruatur vita. F

Respondendum ad veritatem huius, quòd hic fuerunt duo. Primum est quanto tempore Elias sine cibo manserit. Secundum est in cuius virtute conseruatus fuerit.

De primo dicendum, quod Elias videtur hic mãsisse magno tempore sine cibo, scilicet toto tẽpore, quo iuit vsq; ad montẽ Horeb: deinde etiã toto tempore, quo fuit in Horeb, quando rursus ei Deus apparuit, & postea toto tempore, quo redijt ad terram, in qua poterat habere cibum de morte Horeb. Nam sicut per desertum iuit, ita & per desertum redijt, & fortè fuerunt omnes isti dies plures, quàm centum.

Patet hoc, quia vsque ad montem Horeb ambulauit in quadraginta dieb⁹, & sine cibo, vt patet in litera, deinde mansit in monte Horeb latens in quadam spelunca, vsquequò Deus ei apparuit, & dixit quid hic Elia? vt patet in litera. Et tunc etiam non comedit: deinde iussum est ei, quòd rediret in Damascum per desertum ad vngendum Asabel in regem, & tamen longior via eo de monte Sinai ad Damascum, quàm ad terram Israel, eo quòd mõs Sinai est in desertis Arabicis inter Ægyptum, & terrã Israel, scilicet aliqualiter

A ad partem meridianam terræ Iſrael, & tamen Damaſcus eſt ad partem aquilonarem terræ Iſrael in Syria, cuius caput eſt Damaſcus, Iſa. cap. 7.

Et ſi quadraginta diebus moratus fuerat Elias veniendo de terra Iſrael in montem Horeb, pluribus moraretur eundo in Damaſcum, & in illis non videtur, quòd póſſet habere cibum, ſicut non potuerat habere in quadraginta diebus, quibus venit in montem Horeb, eo quod iuſſum eſt ſibi, quod iret per deſertum, vt pátet infrà in litera, & ſic multis diebus maneret ſine cibo. Et dato, quòd non iuerit Elias in Damaſcum, ſicut infrà tangetur, ſed venerit in terram Iſrael, & vnxerit Eliſæum in Prophetam, ſaltem vſquequò rediret in terram Iſrael non poſſet habere cibum, & tunc eſſent alij quadraginta dies in redeundo, ſicut in eundo, in quibus non comederet, vel ſaltem eſſent multi.

Sed aliquis dicet, quod ſolùm abſtinuit à cibo quadraginta diebus cum litera exponens hic miraculum dicat, quod ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, ergo non ambulauit pluribus, quia aliàs ſcriptura expreſſiſſet illos, ſicut expreſſit iſtos 40.

Dicendum quod iſti quadraginta dies non fuerũt omnes dies, quibus Elias manſit ſine cibo, ſed fuerũt in quibus iuit vſque ad montem Sinai. Quod patet, quia litera dicit ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb, ergo videtur,
B quòd iſti 40. dies ſolùm cõputantur veniendo vſq; ad montem Horeb, ſed manendo ibi, & redeundo etiam non comedit, ergo pluribus, quàm 40. diebus manſit ſine cibo. Niſi fortè dicas, quod quando acceſſit Elias ad montem Horeb, Deus dedit ei miraculosè cibum, ſicut dederat prius, quàm iret illuc. Sed iſtud nõ videtur veriſimile, quia etiam ibi fuiſſet miraculum, ſicut nunc, & ſcriptura enarraret illud, ſed nihil tangit, ideo videtur, quòd etiam tunc manſerit ſine cibo, vſquequò redierit ad terram habitatam, nec erat iſtud valdè admirãdum, quia ſi in fortitudine cibi ſemel ſumpti poterat 40. diebus ambulare Elias poſſet etiam ambulare mille diebus, & etiam tota vita ſua in fortitudine illius cibi, nam non poterat 40. diebus ambulare in virtute illius cibi, niſi ſupernaturaliter. Dato tamen miraculo cùm illud ſit per virtutem infinitam, non magis erit difficile, quòd extendatur ad modicum tempus, quàm ad multum, & ſic tenendum videtur, quod pluribus, quàm 40. diebus manſerit ſine cibo Elias.

Secundum dubium erat in cuius virtute ambulauit Elias 40. diebus, & 40. noctibus ſine cibo.

Reſpondendum, quod iſtud fuit in virtute Dei, qui voluit ad tempus concedere illi homini, quãdam dotem gloriæ, ſcilicet incorruptibilitatem. Euenit autem corruptio in rebus animatis per defectum cibi. Nam ſi maneant vltra tempus debitum ſine cibo conſumitur humidum radicale, cùm nihil apponatur de humido cibali per quod conſeruetur, & re-
C ficiatur id quod perijt, ita vt ſit continua deperditio, & continua reſtauratio. Cùm autem cibus non apponitur, fit continua deperditio, & nulla fit reſtauratio, ideo neceſſe eſt citò conſumi totum humidum radicale agente calido naturali, & ipſe calor naturalis etiam continuò debilitatur, cùm pereat humidum, in quo fundatur, ſicut perit ignis deficiente pinguedine lucernæ, in qua fouetur, & iſtis duobus pereũtibus, quæ ſunt principia vitæ, neceſſariò perit animal, vel planta.

Nunc autem dedit Deus Eliæ ad tempus iſtam incorruptibilitatem, ſcilicet, quòd calidum naturale non conſumeret humidum radicale in toto iſto tempore, ſed maneret vtrunque in eadem diſpoſitione, in qua erat quando Elias comedit, & bibit vſquequò poſt multos dies iterum comedit & bibit.

Sic etiam fuit de Moyſe, qui per duas vices manſit nihil comedẽs, & nihil bibens per 40. dies, & in illis manebat in tã bona diſpoſitione, ſicut ſi ſemper comediſſet, & bibiſſet. Et hoc quia faciebat Deus, quòd in illis diebus non alteraretur humidum radicale à calido naturali, nec aliquod eorum deficeret in viribus ſuis, ſed maneret in harmonia priori, in qua erat quando Moyſes vltimò comedit & bibit.

Et ex hoc ſequebantur duo in Moyſe, & etiam in Elia.

Primum erat, quòd non fameſcerent, nec ſitirent, quia fames eſt appetitus calidi, & ſicci, ſitis eſt appetitus frigidi, & humidi, & iſtud prouenit ex digeſtione conſummata in ſtomacho, nam poſtquàm facta eſt plena digeſtio cibi, cùm calor naturalis non habeat aliquid alienum, quod digerat, digerit quod proprium eſt, ſcilicet humidum radicale, & tunc eſt appetitus calidi, & ſicci, & humidi, & frigidi ad hoc, quòd illa digerantur à calido naturali, & non conſumantur humiditates naturales, quæ vocantur humidum radicale. Et quia Deus conſeruabat Eliam, & Moyſen in illa harmonia calidi naturalis, & humidi radicalis, ſecundùm quam calidum naturale, nondum incipit conſumere humidum radicale propter defectum humidi cibalis, vel alicuius humiditatis non naturalis, non poterant ſitire, nec eſurire. D

Secundum erat, quod non poterant iſti debilitari in viribus, aut diminui in ſubſtantia corpulenta, quia iſta debilitatio, & deminutio prouenit ex conſumptione humiditatum naturalium, quæ erat pars ſubſtantiæ ipſius animalis, & hoc fit, quãdo propter defectum exterioris digeſtibilis calor naturalis conſumit humiditates naturales, & tunc homines fiunt macilenti, & diſponũtur ad corruptionem: ſed in Elia, & Moyſe manebat harmonia calidi naturalis, & humidi radicalis iam dicta, ideo non poterat ſequi conſumptio, ita vt efficerentur macilentiores. Et hæc omnia proueniebant à ſola virtute Dei.

Sed obijcietur, quòd iſtud contulerit virtus cibi, quia dicitur, quòd in fortitudine cibi illius ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. E

Dicendum, quòd debet ſic intelligi, quod ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, id eſt, non eguit alio cibo in illis quadraginta diebus, & tamen virtus manendi non proueniebat à cibo, ſed à Deo volente ſic conſeruare Eliam. Vel aliter ambulauit in virtute cibi illius quadraginta diebus, id eſt, durauit virtus illius cibi in omnibus illis 40. diebus, & vltrà.

Pro quo ſciendum, quòd virtus alicuius cibi dicitur durare dupliciter.

Vno modo quandiù durat in corpore illa particula carnis, vel ſanguinis genita ex cibo, illa autem reſoluta nihil manet de cibo ſecundùm ſe, nec ſecundùm virtutem ſuam in animali.

Alio modo dicitur manere virtus cibi, ſcilicet quandiù cibus facit nos nõ eſurire, quia manet aliquid eius in ſtomacho, & non conſumuntur humiditates naturales propter defectum humidi alieni. Nam cibus ſumitur ad tollendam famem, & reſtaurandum deperditum, quãdiù ergo cibus ſumptus facit, quòd non ſit aliqua fames, nec etiam deperdatur naturale humidum propter eius defectum, dicitur manere virtus cibi, & iſte eſt modus prius: ſic accipitur hic, ſcilicet quod ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, id eſt, non defecit virtus illius cibi in quadraginta diebus, quia manſerunt ibi duo effectus virtutis eius, ſcilicet quod nunquàm ſecuta eſt fames in illius diebus, & quòd nunquàm humidum radicale conſumptum eſt, vel diminutum aliqualiter, ſicut ſi ſemper manſiſſet cibus iſte in ſtomacho per illos 40. dies. F

Quia tamen, quòd non ſequeretur fames, nec conſumptio ſumpto illo cibo, non erat ex propria virtute cibi, ſed ex Dei voluntate, quia in pane illo nulla talis erat virtus, non propriè conſeruatus eſt propter virtutem cibi, ſed propter voluntatem Dei.

Fundamentum tamen Auguſtini eſt, quia dicitur, quod in fortitudine cibi illius ambulauit, & quia cibus naturalis non poteſt tanto tempore præſeruare à fame, & conſumptione humidi radicalis dixit, quod erat factus manibus Angelorum.

Ad intentionem ſuam ſatis patet reſponſio ex prædictis exponendo auctoritatem iſtam, & tamen concedẽdo, quòd eſſet aliqua virtus in cibo ad ambulandum quadraginta diebus non ſequitur, quòd eſſet factus manibus Angelorum, ſicut vult Auguſtinus, quia aut dicetur, quod fuit aliqua virtus à Deo collata illi pani, poſtquàm formatus eſt manibus Angelorum, aut non, ſi non fuit aliqua virtus collata.

Dicendum, quod ex hoc ſolo, quod erat factus manibus Angelorum non habebat virtutem ad conſeruandum quadraginta diebus ſine fame, quod patet de manna, quia factum eſt manib⁹ Angelorũ, cùm vocetur panis Angelorum,

A & tamen non tollebat famem per maius tempus, quàm alij cibi, sed qui nunc comedebat, post modicum tempus esuriebat, vt suprà in præcedenti quæstione probatum est.

Item interdum naturalis cibus magis conseruat, quàm cibus factus manibus Angelorum, vt patet de ligno vitæ, & de manna, quia magis conseruabat lignum vitæ, vt ibidem declaratum est.

Item Angeli non possunt aliquid agere ex propria virtute, sed agunt coniungendo naturalia actiua passiuis, ideo cibus causatus ab Angelis naturalis esset, si solũ ipsi operarentur.

Si autem concedamus, quod Deus largitus fuit aliquam virtutem illi pani, postquàm factus est manibus Angelorum, per quam conseruaret, eodem modo poterat dari pani naturaliter facto, scilicet de farina ministerio hominum, & sic non erat differentia, quòd panis esset factus ab Angelis, vel ab hominibus ad hoc, quòd posset conseruare Eliam isto toto tempore.

Quare Deus non misit quotidiè panem, & carnes Eliæ, sicut fecit apud torrentem Zared. Et ipsius Dei duplex ostenditur potentia.

QVÆSTIO IX.

B VLTERIVS quæretur, quare Deus non mittebat Eliæ quotidiè panẽ, & carnes per coruos, vel aliàs, sicut mittebat quando mansit apud torrentem Zared, suprà 17.

Respondendum, quod in his ferè nulla causa danda est, quia sunt beneficia Dei, & agit illa quando vult, & quibus vult, & quomodo vult.

Sed potest dici, quòd quanquàm æqualiter facilè erat Deo mittere Eliæ panem, & carnes nunc, & vinum, vel aquam, sicut mittebat quando erat apud torrentem Zared, & quando Angelus venit ad eum nunc ferens panem subcinericium, & vas aquæ, tamen noluit, & hoc ad ostendendam magnitudinem potestatis suæ. Ostenditur autem potestas Dei magna dupliciter.

Vno modo propter magitudinem ipsius rei, quę fit, vtpotè si mortuum suscitet. Vnde dato, quòd Deus nullum aliud miraculum faceret, nisi suscitare mortuum appareret infinita potestas eius, quia ad suscitandum mortuum nulla potestas sufficit, nisi infinita.

Secundo modo ostenditur potentia magna in diuersitate rerum operatarum, sicut excellentia artis patet in diuersitate rerum, quas facit artifex, & si semper faceret res eiusdem figuræ, vel artificij, non appareret magna perspicacitas eius in arte.

Ita de Deo licèt quodlibet miraculum ab eo factum demonstret potentiam infinitam eius: tamẽ magis apparet ista C potentia in oculis nostris, quando operatur miracula diuersorum generum.

Ideo Deus volens ostendere nobis magnitudinem suam, non solùm miracula fecit, sed etiam facit illa diuersorum generũ, & non solũ pro diuersis rebus facit miracula diuersorũ generum, scilicet aliud miraculũ pro ægritudine, aliud pro morte, aliud pro fame, sed etiam pro eadem re facit miracula diuersorum generum, scilicet ad tollendum famem diuersimodè operatur.

Nam aliquando nullo cibi dato conseruat hominem non sitientem, nec famescentem magno tempore, sicut fuit de Moyse bis quadraginta diebus, Exodi cap. trigesimoquarto, & Deuterono.cap.nono, & decimo, & de Christo alijs quadraginta diebus, quibus non comedit, & in fine illorum esurijt, Matth.cap.4.

Aliquando famem tollit per vnicum cibum multis diebus hominem conseruando, sic fuit in Elia, qui ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus in fortitudine cibi istius, vsque ad montem Horeb.

Alio modo Deus tollit famem dando cibum, quem nunquàm homines comederunt, vt homines intelligant, quòd Deus potest facere alios cibos præter eos, quos habemus, sic fuit de manna, quo pauit Deus Israëlitas in deserto nullum alium cibum habentes, Deuteron.cap.8.

Aliquando Deus tollit famem, dando cibos, quibus homines vescuntur, & tamen dat illos in loco, in quo homines habere illos non possunt, & facit duci illo modo, quo non est D solitum hominibus duci cibos.

Sic fuit quando Elias mansit apud torrentẽ Zared, & corui ducebant ei quotidiè panem, & carnes, suprà 17.cap. & tamen ibi non potuerat ipse aliter habere cibos, nec etiam corui assueti sunt hominibus ducere cibos.

Alio modo Deus tollit famem ex modico cibo, quem homo habet faciendo multum.

Sic fuit quando Elias stetit in domo Sareptanæ mulieris, & lecythus parùm habens repletus est, & hydria solum pugillum farinæ habens impleta fuit, & quod maius erat quanquàm quotidiè de illis multum acciperetur, nunquàm minuebantur, suprà 17.cap.

Sic etiam Eliæus ex vno vase olei fecit repleri multa vasa, vt haberet vidua pauper ad sustentationem domus suæ, & ad soluendum creditori, sequen.lib.cap.4.

Sic etiam Christus de quinque panibus, & duobus piscibus multiplicauit multum cibum, ita vt saturarentur quinq; millia virorum. Ioannes cap.6.

Ad ostendendum ergo alium modum diuersum tollendi famem, quam suprà ostenderat: noluit nunc pascere Eliam per coruos. Ista autem omnia sunt, vt homo intelligat, quod Deus potest tollere famem hominis qualitercunque voluerit, siue dando cibum, siue non. Istud patet Deuteronom. 8.cùm dicitur de datione manna, scilicet afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quem ignorabas tu, & patres tui, E vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed ex omni verbo, quod egreditur ex ore Domini, scilicet si Deus dixerit homini, quòd comedat lapides, vel puluerem, comedendo saturabitur, & impinguabitur, & sanus erit, & si dixerit, quòd nihil comedat, nõ comedẽdo impinguabitur, patet ex responsione Christi, Matth.cap.4. quia diabolus dixit ei, quòd conuerteret lapides in panes, & quòd comederet de illis, vt non esuriret. Christus autem respondit, quòd non comedendo aliquid, sicut ipse ante hoc non comedebat, poterat viuere, inquiens, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei: ergo si Deus dicit alicui, quòd non comedat, non oportet, quòd conuertat lapides in panes, vt inde comedat, quia sine cibo viuet.

Quare Deus non fecit nunc quòd maneret Elias 40. diebus sine cibo, sicut mansit Moyses: Et quòd non mitteret ei panem, & aquam per Angelum.

QVÆSTIO X.

VLTERIVS quæretur, quare Deus non fecit, quòd nũc maneret Elias sine cibo illis quadraginta diebus, sicut Moyses mansit, & quòd non mitteret ei panem, & aquam per Angelum. F

Respondeti potest vno modo, quod hoc factum est ad ostendendam diuersitatem miraculi in diuina operatione, vt declaratum est præcedenti quæstione.

Aliter potest dici, quod factum est ad ostendendam differentiam inter Moysem, & Eliam, scilicet, quòd videretur Moyses maioris perfectionis, eo quod sine cibo aliquo manebat: Elias autem in 40.diebus semel comedit.

Fuit autem Moyses excellentissimus Prophetarum, quia post eum non surrexit aliquis, tam excellens, vt ipse. Deuter. vlt. & sic Deus noluit exæquere Eliam ei in illo miraculo.

Aliter dici potest, quod fortè simile fuit in Elia, & in Moyse tenendo id, quod suprà dicebamus, scilicet, quòd in pane illo non fuerit aliqua virtus ad conseruandum Eliam quadraginta diebus, sed erat conseruatio ista à sola volũtate Dei, & tunc manifestum est, quòd Moyses antequàm ascenderet in montem ad manendum 40. diebus cum Domino aliquid comederat, & post illum cibum mansit 40. diebus sine cibo, & tamen cibus ille, quem comederat non cõseruabat eũ, sed Dei voluntas. Ita dicetur, quod cibus ille, quem comedit nũc Elias non poterat eum conseruare, nisi sicut alij cibi, & ambulauit postea 40. diebus sola diuina voluntate eum conseruante, & sic esset iste cibus tanquã vltimus cibus, quẽ comedit Moyses, quãdo ascendit ad Dominum in montẽ, & tunc non erit differentia de Moyse, & de Elia. Si autem teneatur

A quod in illo cibo erat aliqua virtus à Deo collata ad conseruandũ Eliam his diebus, siue esset panis factus ab Angelis, siue ab homine, nõ erit simile de Elia, & de Moyse, quia manifestum est, quod cibus vltimus, quem comedit Moyses antequàm ascenderet in montem ad Dominum non habuit virtutem conseruandi eũ 40. diebus, quia ille erat cibus de communibus, & nõ erat ei à Deo specialiter missus, ideo tunc respondebitur aliquo de duobus primis modis.

Elias an sponte, vel iussu Dei iuit in montem Horeb.

QVÆSTIO XI.

VLTERIVS quæretur, an Elias sponte iuerit ad montem Horeb, vel Deus iusserit ei ire illuc. Aliquis dicet, quòd Deus iussit illuc ire, quia Angelus dixit, surge, & comede: grandis enim tibi restat via, & sic iubebat ei ambulare per magnam viam, & istud erat vsque ad montem Horeb: nam illuc peruenit, Respondendum videtur, quod Deus non iussit ire Eliæ ad montem Horeb, nec determinauit ei aliquem locum, ad quem iret, sed ipse proprio motu iuit in montem Horeb. Et hoc aliqualiter colligitur ex litera, quia non exprimitur, quòd iusserit ei ire ad aliquem locum, sed solùm iussum est, quòd ambularet. Item patet efficaciùs, quia postquàm iuit Elias ad montem latuit in quadam spelunca, & dum ibi maneret, locutus est ei Deus dicẽs, B quid hic agis Elia? quasi Deus vellet scire quid ageret, vel ad quid veniisset: si tamen Deus emisisset eum illuc non dixisset ei ad quid iret, vel quid agere deberet, vel saltem non quæreret ab eo quid ageret ibi, quia videbatur stulta quæstio, quòd Deus misisset eum illuc, & posteà quæreret ad quid veniisset, vel quid ageret. Item patet hoc clariùs ex responsione Eliæ. Nam cùm Deus quæreret quid ageret, id est, ad quid veniisset, ait, zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & relictus sum solus, & quærunt animam meam, quasi dicat, ideo veni huc ad latẽdum, quia cùm Israëlitæ occiderint Prophetas tuos timui, quòd me occiderent tanquàm zelatorem legis, ideo fugi, & hic lateo. Ista responsio est tanquàm si Deus non misisset eum, sed ipse venerit. Nam expressit hic motiuum suum ad veniendum. Item patet, quia si Deus misisset Eliam illuc, & posteà quæreret quid ibi ageret, responderet Elias. Domine tu me misisti, & nunc maneo hic expectans quid iubeas, & si misisset eum Deus, & respondisset, sicut respondit, esset nimis delirus. Etiam falsè responderet, quia nõ mouebat eum ad veniendum præuaricatio Israëlitarum, sed mandatũ Dei, & tamen ipse expressit, quòd venerit propter zelum legis, ergo videtur, quòd Deus non miserit eum, sed sponte venerit. Dicendum igitur, quòd dormiente Elia Angelus loquens admonuit eum, quòd surgeret, & comederet, C quia magna restabat ei via, & tamen non dixit ei quo iret. Istud autem dixit Angelus, quia expediebat Eliæ recedere elongando se inde, ne inueniretur à Iezabel: ipse autem surgens de somno videns, quod expediebat ei itinerare in longinquum deliberauit quo iret, & iudicauit bonum esse ire in mõtem Horeb, & cùm illuc iuisset locutus est ei Deus. Fortè autem voluit ire Elias ad locum illum potiùs quàm ad alium, quia erat locus sanctus cùm ibi data fuisset lex, & sæpè maiestas Dei apparuisset ibi, vel fortè, quia locus ille erat in interioribus deserti in asperrima solitudine, & magis distabat à terra habitata desertum Sinai, quàm aliæ partes solitudinis Arabicæ, & ibi minùs poterat sciri mansio sua, quanquàm mitteret Iezabel per omnes populos ad quærendum eum, sicut miserat tempore famis suprà 17. & per hoc patet solutio ad rationem in contrarium.

Quomodo Elias in quadraginta diebus & quadraginta noctibus peruenit ad montem Horeb cùm modicum distet à terra Chanaan.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR, quomodo dicitur hic, quòd ambulauit Elias quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Horeb. Nam mons Horeb erat prope terrã Israel: quod patet, qa Apostolus dicit ad Galat. 4. quòd mons Sinai est apud Ierusalem, quæ nunc seruit cum filijs suis, inquiens: Sina mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Ierusalem, & seruit cum filijs suis, ideo non poterant esse quadraginta dietæ à loco, in quo erat Elias vsque ad montem Horeb. Item patet hoc, quia Elias non solùm ambulabat per diem, sed etiam videbat quòd ambulabat per noctem, quia dicitur, quod ambulauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. Et hoc satis verisimile est, quia Elias non fatigabatur ambulando, co quòd Deus confortauerat eum supernaturaliter postquàm comedit, & sicut non esuriebat, nec sitiebat per quadraginta dies sumpto illo cibo, ita nec fatigabatur ambulando, & quia Elias timebat nimis, ne caperetur à Iezabel, satis verisimile est, quòd etiam per noctem ambularet. Aliquis dicet quod à loco, à quo recessit Elias nunc vsque ad montem Horeb erant quadraginta dietæ, ideo peruenit illuc in quadraginta diebus. Sed hoc non stat: primò, quia Elias ambulabat cum timore, ideo multum ambulabat, & sic in quadraginta diebus, & noctibus ambularet plusquàm quadringentis leucis, & tamen non potest distare tantùm mons Horeb à Ierusalem cùm Apostolus dicat, quòd mons Horeb à Ierusalem: & tamen quæ distant per quadringentas leucas nunquàm dicuntur coniuncta. Secundò patet, quia mons Horeb est in Arabia inter terram Israel, & Ægypti cùm Israëlitæ venientes de Ægypto transierint per montem Horeb: & tamen Ægyptus non multum distat à terra Israel, immò aliqualiter ponuntur confinia terræ Israel, & Ægypti simul, Genes. 15. & Iosue 13. vbi ponitur fluuius Ægypti pro termino terræ Israel. Tertiò patet, quia Numer. 33. ponuntur mansiones Israëlitarum ex Ægypto vsque ad terram Chanaan, & fuerunt mansiones 42. & de illis fuerunt quasi 22. à monte Sinai vsque Cadesbarne, & est Cadesbarne in termino terræ Chanaan, vt patet Iosue 15. vbi in latere sortis Iudæ ponitur Cadesbarne, sed Elias recesserat de Bersabee, quæ est in fine lateris meridiani terræ Israel sicut Cadesbarne, & ambulauerat posteà itinere diei vnius per desertum, & ibi dormiuit, & datus est sibi cibus, & ex ipso loco vsque ad montem Horeb fuerunt quadraginta dies: ergo videtur, quod non distabat tantùm locus ille à monte Horeb, vt in quadraginta diebus deberet illuc peruenire.

Dicendum igitur, quod à loco, de quo nunc recessit Elias, vsque ad montem Horeb paucæ dietæ erant, cùm Israëlitæ in viginti duobus dietis ambulauerint, & non erat quælibet dieta vnius diei integri, & erat parui itineris, eo quod Israëlitæ veniebant cum vxoribus, & paruulis suis, & pecoribus, & omnibus, quæ habebant in Ægypto: vnde poterat aliquis vir expeditus in diebus quinque, vel sex ambulare id quod Israëlitæ in viginti duabus mansionibus ambulauerunt. Sed dicendum, quòd Elias non peruenit illuc, vsque F ad quadraginta dies, eo quod non ibat itinere recto: & fortè à principio non habebat intentionem eundi illuc, sed aliquando mouebatur ad vnam partem, & aliquando ad aliam: & istud faciebat ex timore, & inquietudine mentis. Sic enim fecit à principio quando cœpit recedere à facie Iezabel, quia dicitur, quod abijt quocunque ferebat eum voluntas suprà in litera, ita nunc iret quo eum voluntas ferret: & ita discurrendo hinc, & illinc non peruenirent vsque ad montem Dei, ante dies quadraginta, licèt fortè nõ esset iter quinque dierum, vel sex procedendo itinere recto, & tunc fiat, quod vult Apostolus, scilicet, quod mons Sinai est coniunctus Ierusalem, scilicet, quod non distat ab ipsa septem, vel octo dietis. *Cumq; venisset illuc mansit in spelunca.* Scilicet, quando venit ad montem Horeb, occultauit se in quadam spelunca, & mansit ibi. Rabbi Sa. dicit, quod ista spelunca erat, in qua Moyses latuit, quando transiuit gloria Domini ante eum, de quo habetur Exodi trigesimo tertio, scilicet, Ponam te in foramine petræ, & protegam te dextera mea. Istud autem satis potest stare: nullum tamen habet fundamentum.

A

Elias quare occultauit se in spelunca in monte Sinai.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quare Elias occultauit se in spelunca in monte Sinai.

Respondẽdum, quod Elias nõ habuerat à Deo præceptum de eũdo ad certum locum, ideo ibat quocunq; eum ferebat voluntas, vt euaderet manũ Iezabel. Cùm autẽ venit in montem Sinai vidit, quod erat maximè elongatus ab omnibus populis, qui in circuitu erant, ideo noluit ire ad aliquẽ alium locũ, quia non poterat esse alibi magis occultus, quàm in monte Sinai: & tunc introiuit in speluncam, & mansit ibi. Hoc autem fecit Elias, quia timebat nimis reginam Iezabel, & putabat, quòd mitteret ad inquirendum eum per omnes gentes, vt occideret ipsum, sicut Achab misit ad quærendum eum in omnibus regnis, & terris, suprà præced. cap. & si sciretur in aliquo de regnis propinquis, vbi erat Elias denũciaretur hoc Iezabel ad placandam ipsam: ideo voluit latere in loco, qui maximè distabat ab omnib⁹ regnis propinquis, scilicet in monte Sinai, vt quanquàm in toto orbe inquireretur non inueniretur. Intrauerat autem speluncam, vt nullus casu transiens per mõtem illum videret eum, & notificare posset locum eius Iezabel. Etiam incluserat se propter intemperiem

B

temporis, quia terra illa calida est: in spelunca autem manens effugeret calorem aëris. Intendebat autem Elias manere ibi, quousq; Deus iuberet ei quid faceret: non enim compellebatur ire ad malum locum, eo quod nõ vrgebat eum fames, nec sitis, nec alia passio, eo quod sumpto pane ante 40. dies, nũquàm posteà esurierat, nec sitiuerat, & sic expectabat, quid Deus disponeret de illo, & dum nihil ei reuelabatur, intẽdebat manere in spelunca illa. Et satis hoc patet, quia non exiuit de illa, quousq; Deus locutus est ei, & iussit, quod recederet inde, vt patet in litera.

Ecce sermo. Hic ponitur tertium, scilicet diuina consolatio. Nam Elias erat nimis afflictus, & Deus consolatus est ipsum. Fuit autem consolatio prænunciãdo ei idololatras destruendos p Azahel, & Iehu, & Elisæum, vt patet infrà, & diuiditur in duo, quia primo ponitur diuina iussio. Secundo Eliæ executio ibi. *Profectus ergo.* Circa primum dicitur.

Elias à Deocõsolatur

Et ecce sermo Domini ad eum. Scilicet, postquàm fuit in spelunca, factus est sermo Domini ad ipsum, istud fuit per Angelum: quia Deus non consueuit loqui, nec etiam loqui potest, sed per Angelos loquitur exprimẽdo hominibus, quod vult. An verò ista locutio facta fuerit Eliæ mox, vt venit in desertum Sinai, vel postquàm mansit ibi aliquot diebus, non patet.

Dixitq; illi, quid hic agis Elia? Non quærebat Angelus, quasi ab ipso cognoscere vellet quid agebat, quia hoc nouerat, sed quærebat, vt haberet occasionem loquendi Eliæ, &

C

quæsiuit istud, quia Deus non miserat eum illuc: sed ipse iuit proprio motu, vt declaratum est suprà in quadam quæstione. *At ille respondit.* Ponit hic Elias motiuum suum veniendi in montem Sinai, scilicet quod propter zelum legis Dei Iezabel persequebatur eum ad mortem, postquàm occiderat alios Prophetas, & ipse timens fugit, & latebat ibi. *Zelo Zelatus sum pro Domino Deo exercituum.* Scilicet, magnum zelum habui pro lege Dei, quæ destruebatur à peccatoribus, & ideo increpabam eos, sicut patuit in Achab, & in toto populo loquendo eis asperè, quia dereliquerant legem Dei, & posteà occidendo octingentos, & quinquaginta Prophetas Baal, & lucorum, suprà 17. & præcedenti cap. & pro isto zelo prosequebatur eum Iezabel.

Quia dereliquerunt pactum Domini filij Israel. Scilicet, dereliquerunt legem eius non colẽdo ipsum, sed Baal & idola alia. Vocatur lex pactum, eo quod per modum pacti data est: nam Deus promisit Israëlitis benefacere si colerent eum, & Israëlitæ promiserunt seruare legem Dei, Exod. 19. & istud est pactum, & ibi etiam vocatur pactum: posteà quoque in confirmatione legis facta est confirmatio per sanguinem effusum, sicut in pactis humanis, vel fœderibus fit. Exod. 24. & dicitur, quod filij Israel reliquerant pactum, quia Iezabel commouit virum suum Achab, & sic induxit totum populum sub necessitate ad colendum Baal.

Altaria tua destruxerunt. Scilicet, quia erãt idololatræ Israëlitæ destruebant altaria, in quibus Deus colebatur. D

Quæ altaria Dei destructa fuêre ab idololatris.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR, de quibus altaribus intelligitur hoc: nam Deus solùm iusserat sibi fieri duo altaria, scilicet, altare holocaustorum, & altare thymiamatum, Exodi 27. & 30. De istis patet, quod non fuerunt destructa, quia ista duo erant in templo Salomonis in Ierusalem, & ibi non poterant destrui ab idololatris, quia Elias loquitur hic de idololatria, quæ erat in regno Achab, scilicet, in terra decem tribuum, & Ierusalem erat in regno Iuda, vbi nunc rari, vel nulli idololatræ erant, quia nunc regnabat Iosaphat filius Asa, & ambo fuerunt boni reges non colentes idola, & sic in diebus suis non destruerentur altaria templi Dei. Si autem intelligatur de aliquibus alijs altaribus, quæ fierent Deo extra locum Sanctuarij illa erant illicita, & peccabant valdè facientes, intantum quod occidendi erant, sicut effusores sanguinis, Leuit. 17. & Iosue 22. ideo destruentes ista altaria non solùm non peccarent, sed etiam mererentur. Sic patet de nouem tribubus, & dimidia, quæ voluerunt pugnare contra duas tribus, & dimidiam, quia fabricauerant altare apud Iordanem, Ios. 22.

Respondendum, quod Elias conqueritur hic de destructione altarium Domini: non quidẽ de altari holocaustorũ, & thymiamatum, quæ erant in templo, sed de altaribus Dei, quæ facta erant in mõtibus, & in alijs locis extra locum Sanctuarij. Nam ista deleta fuerant ab idololatris. E

De his altaribus destructis patet præcedenti cap. quia dicitur, quod Elias curauit altare Domini, quod destructum fuerat, & istud fuerat in mõte Carmelo. Et sic videtur, quòd destruxerant idololatræ multa altaria Dei. Conqueritur autem Elias de destructione istorũ altarium propter duo. Primò, quia licèt regulariter nõ est licitum in illis altaribus immolari, sed omnes oblationes debebãt fieri in Sanctuario, in aliquo tamen casu licitũ erat in talibus locis immolari, ideò quòd destruerentur talia altaria, peccatum erat. Item dato, quòd non esset licitum in talibus altaribus immolari: minùs tamen erat illicitum, quàm immolari idolis eo, quod in istis altaribus immolabatur Deo vero, & solùm errabatur in loco. Quòd ergo destruerentur altaria Dei, vt introducerẽtur altaria idolorum, quę erãt magis illicita, peccatum erat. Secundò conqueritur Elias, & principaliter de intentione, qua destructa fuerunt ista altaria, nam fuerunt destructa in præiudicium Dei, scilicet quia Iezabel, quæ valdè inuidebat cultui Dei, vt ampliaret cultum Baal, destruxit omnia altaria, in quibus antiquitùs immolabatur Deo in montibus, & in alijs locis.

Si autem aliquis rex Catholicus destruxisset illa altaria, vt omnes colerent Deum in templo, valdè laudabilis esset, sicut Iosias laudatur valdè, quia abstulit excelsa, & tamẽ in aliquibus excelsis illorum colebatur verus Deus, vt patet seq. lib. cap. 23. Et omnia ista abstulit Iosias, vt patet ibi, & laudatur. Iezabel tamen, quia abstulit altaria Dei, non vt reduceret Israëlitas ad cultum eius, sed vt omninò periret cultus, & memoria Dei, peccauit valdè. *Et Prophetas tuos occiderunt gladio.* Isti sunt quos occidit Iezabel: omnes enim Prophetas Domini, quos habere potuit, occidit: & Abdias liberauit centum de manu eius, præcedenti cap. F

Et relictus sum ego solus. Id est, solus ego mansi de cultoribus Domini, vel solus ego mansi de Prophetis: sic enim dixit ipse præcedenti cap. Ego autem remansi solus Propheta Domini. *Et quærunt animã meam, vt auferant eam.* Id est, solus ego mansi, & volunt me occidere, quasi dicat, ista fuit causa propter quã fugiens veni huc, vt absconderer in monte isto. *Et ait ei.* Scilicet, Deus, vel Angelus loquens dixit ad Eliam, quod sequitur. *Egredere, & sta in monte coram Domino.* Scilicet, quando loquebatur Angelus ista ad Eliam, adhuc manebat in spelunca, & iussit ei, quòd exiret, & staret in monte, id est, supra montem coram Domino.

Dicendo Deus Eliæ, quòd egrederetur de ſpelunca, & ſtaret coram Domino, quomodo poterat, ſi egrederetur ſtare coram Domino.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, quomodo dicitur hic ad Eliam, egredere, & ſta coram Domino. Nam dicitur hic, quod Deus loquebatur ei, quomodo ergo ſi egrederetur, ſtaret coram Domino?

Aliquis dicet, quòd iſte qui loquebatur, non erat Deus, ſed Angelus quanquàm litera vocet eum Deum, & poſteà quando egrederetur Elias, ſtaret coram Deo vero.

Sed iſtud non ſtat, quia ſicut iſte, qui nunc loquebatur Eliæ erat Angelus, ita etiam ille, qui poſteà locutus eſt, nam Deus loqui non poteſt. Etiam ille, qui tranſibat in ſibilo auræ leuis, non erat Deus, quia Deus non poterat moueri cum vento, vterque ergo erat Angelus. Poteſt igitur dici, quod iſte Angelus, qui nunc locutus eſt Eliæ, & vocatur Deus, fuit ille, qui poſteà locutus eſt, & coram quo dicebat Angelus primus, quòd ſtaret Elias, & quòd ille tranſiret in ſibilo auræ leuis, & tamen dixit iſte Angelus: egredere, & ſta coram Domino, id eſt egredere, & ſta coram me.

Aliter poteſt dici, & meliùs, quòd vterque, qui nunc locutus eſt, & qui poſteà, erat Angelus, & tamen primus non oſtendebat maieſtatem Dei, quia ſolùm loquebatur non ferens ante ſe aliqua, quæ indicarent maieſtatem ſuam. Secundus autem Angelus venit cum maieſtate magna, ſcilicet cum vento, & commotione, & igne, & ſibilo auræ leuis, ideo vocabatur Deus: ſic enim fuit Exod. 33. vbi Deus dixit Moyſi per Angelum, quòd Angelus præcederet eum, & non ipſe, & tamẽ Moyſes petebat ibi, quòd præcederet Deus, & certum erat, quòd Deus nõ poterat præcedere Iſraëlitas, nec hac ten⁹ præceſſerat. Sed vocatur ibi Angelus Dei Angelus præcedẽs in parua poteſtate, & ſine oſtenſione maieſtatis: vocatur autem Deus Angelus præcedens Iſraëlitas in poteſtate magna, & oſtẽſione maieſtatis. Item patet, quia ibi dixit Moyſes Deo, oſtende mihi faciem tuam, & Deus reſpondit, quòd oſtẽderet ei omne bonũ ſuum, & tamẽ illud fuit in hoc, quod tranſiuit corã Moyſe quidam Angelus in maieſtate magna oſtendens Moyſi gloriam Domini, cuius ipſe vidit poſteriora, & faciem videre non potuit, vt patet ibi. Moyſes autem reputauit illum, vt Deum, & tamen certum eſt, quòd erat Angelus, vt ibi probatum eſt. *Et ecce Dominus tranſit.* Id eſt, poſtquàm egreſſus fueris, videbis Dominum tranſeuntem ante te.

Et ſpiritus grandis, & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante Dominum. Scilicet antequàm tranſeat Deus coram te, tranſibit quidam ventus fortiſſimus ſubuertens petras montium, & ipſos montes quaſi commouens ex impetu ſuo. Et vocatur ſpiritus à ſpirando, id eſt, flando, ſic enim dicitur in Pſal. 149. Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius, id eſt, ventus obedit Deo. *Non in ſpiritu Dominus.* Id eſt, quanquàm veniat ille ventus fortis non tranſit Deus cum eo, ſed poſteà tranſibit.

Et poſt ſpiritum commotio. Scilicet poſtquàm tranſierit ventus venit aliud ſignum diuinæ maieſtatis, ſcilicet commotio, id eſt terræmotus. *Et non in commotione Dominus.* Id eſt, Deus non tranſibit quando venerit terræmotus, ſed poſteà venit. *Et poſt commotionem ignis.* Iſtud erat tertium ſignũ diuinæ maieſtatis, ſcilicet quòd ante Eliam tranſire debebat quidã globus ignis magnus ex impetu quaſi ad exurendum omnia.

Et non in igne Dominus. Id eſt, nõ veniet Deus cum igne, ſed poſteà veniet.

Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis. Scilicet veniet quartum ſignum diuinæ maieſtatis, ſcilicet aura leuis tranſiens ante Eliam, & in illa veniebat Dominus.

Ad quid Deus præmiſit ventum, & commotionem, & ignem, vt loqueretur Eliæ.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR ad quid iſta dicta ſunt Eliæ, & ad quid facta ſunt.

Reſpondendum, quod Deus volebat conſolari Eliam certificando de quibuſdam bonis, quæ promittebat, & ad hoc, vt magis crederet Elias, & conſolaretur, voluit Deus oſtendere ei maieſtatem ſuam. Deus enim ſecundùm ſe inuiſibilis eſt. Sic patet Ioan. 1. ſcilicet Deũ nemo vidit vnquàm, nec videre poteſt, ideo quia ipſe eſt excellentiſſimum quid inter omnia entia ad oſtendendum præſentiam ſuam in aliquibus ſignis corporalibus oſtendit aliqua corporalia ſignificantia magnitudinem, vt quando illa viderimus videamur vidiſſe Deum, quia talia inſignia non pertinent niſi ad Deũ, & illa vocantur maieſtas Dei. Sic enim in regibus, quando tranſeunt, aut ſtant eſt coram eis copioſus apparatus rerum excellentiũ, qualis non eſt corã aliquo alio homine, & ille apparatus vocatur maieſtas Regis, & ob hoc dicitur Rex ſtare in maieſtate, vel venire cum maieſtate, ſi tamen aliquando Rex ſolus veniret, & quaſi incognitus non diceretur venire in maieſtate. Sic etiam de Deo quando ipſe nihil oſtendit de iſtis rebus magnis non dicitur venire in maieſtate, vel gloria, quando autem premittit magnum apparatum rerum admirandarum ante ſe dicitur venire in maieſtate, & ſic nunc fuit in Elia. Nam Deus voluit loqui ei per Angelum, & ad ſignificandum præſentiam ſuam præmiſit iſta quatuor ſigna, ſcilicet ſpiritum fortem, commotionem, ignem, & auram leuem, quæ oſtendebant maieſtatem eius. Sic fuit in Moyſe, qui petiuit à Deo, vt oſtenderet ei faciem ſuam, & Deus dixit, ego oſtendam tibi omne bonum meum, & iſtud fuit, quia tranſiuit coram Moyſe quædam nubes clariſſima, quæ erat excellentiſſima rerum, quam fortè homo videre non poterat intantum, quod anteriorem, & excellentiorem partem eius Moyſes videre non potuit, ſed vidit poſteriorem, & tunc ſignificata fuit præſentia Dei ibi, quamquàm Angelus eſſet, qui mouebat illam nubem glorioſam, & non dicebatur eſſe præſentia Dei in apparitione aliorum Angelorum.

Quare Deus noluit, quòd Elias ſtaret in foramine petræ, ſicut Moyſes.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR, quare Deus non dixit Eliæ, quòd poneret ſe in foramine petræ vſquequò tranſiret gloria ſua, ſicut dixit Moyſi, Exod. 33.

Reſpondendum, quod è contrario fuit in Moyſe quàm in Elia. Nam Moyſes volebat videre gloriam Domini, & Deus prohibuit dicens, quòd introiret in foramen petræ, & operiret Deus oculos eius dextera ſua, quouſque tranſiret gloria Domini, & poſteà auferret manum ſuam, & videret poſteriora gloriæ Domini, vt patet ibidem. De Elia autem ſecùs fuit, quia Elias erat in ſpelunca non audens exire, & Deus iuſſit ei, quòd exiret ad videndum gloriam ſuam. Ratio differentiæ fuit, quia gloria Domini, quæ tranſiuit ante Moyſen, erat tanta quantam nõ poterat videre aliquis mortalis, quia erat excellẽs ſenſibile, & corrumperet ſenſum hominis nondum beati, ideo dixit Deus Moyſi, nõ videbit me homo, & viuet, id eſt, non poterit videre gloriam meam tantam, quantam pertranſibit aliquis mortalis. Vnde dixit faciem autem meam videre non poteris, id eſt, non ſufficiet virtus tua viſiua ad videndum faciem meam, ideo vt nõ moreretur Moyſes, aſpiciendo anteriorem partem nubis gloriæ Domini, dixit ei Deus, quòd eſſet in foramine petræ, & etiam ipſe Deus operuit oculos Moyſi exiſtentis in petra quadam nube groſſa, & caliginoſa, vt non poſſet videre dum tranſibat gloria Domini, & poſtea ablata eſt nubes groſſa, vt videret poſteriora gloriæ Domini, quæ videri poterat ſine periculo: ſigna autem diuinæ maieſtatis, quæ tranſierunt ante Eliam, licèt magna eſſent, & terribilia, tamen videri poterant ſine periculo à quocunque, & quia ſi Elias maneret in ſpelunca, non videret gloriam Domini, iuſſum eſt ei, quòd exiret.

(.·.)

Quare dictum est Eliæ, quòd nec in primo, nec in secundo, nec in tertio signo erat Deus, de quarto autem nihil dictum est.

QVÆSTIO XVIII.

VLTERIVS quæretur, quare in quolibet istorũ trium signorum dicitur, quòd non erat in illo Deus, scilicet non in spiritu Dominus, non in commotione Dominus, non in igne Dominus, & de sibilo auræ tenuis nihil dicitur.

Respondendum, quòd ista quatuor erant signa diuinæ præsentiæ, cùm ista essent maiestas sua, Elias ergo vellet procidere in terram ad adorãdum Dominum, quando ista transirent tanquàm Deus transiret in eis, & quia in tribus primis veniebat Angelus Domini, qui designabat diuinam præsentiam dicitur, quòd non erat in illis tribus Deus: etiã, vt Elias non inclinaret se in terram ad adorandum trãseuntem, cùm nullus tunc transiret: in quarta autem vice transiuit Angelus Domini cum Sibilo auræ tenuis, ideo tunc nõ dicitur, quòd non erat in aura Dominus, sed subticet scriptura volens asserere è contrario, quòd ibi esset Deus, & tunc Elias prostrauit se in terram ad adorandum Dominum transeuntem tunc: etiam locutus est ei Angelus tanquàm Deus, vt patet infrà.

B *Quod cùm audisset Elias.* Scilicet ista, quæ dicta sunt ei de exeundo ad videndum gloriam Domini

Operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ. Stetit enim in ostio speluncæ, quia ibi poterat cernere gloriã Domini transeuntem.

Et ecce vox ad eum, dicens: quid hic agis Elia? Istud intelligitur de voce Angeli trãseuntis in aura tenui. Nam postquàm stetit Elias in ostio speluncæ transiuit spiritus fortis, & facta est commotio terræ, deinde venit ignis, & ad vltimum aura leuis, & ibi deueniebat Angelus repręsentans Deum, & ille dixit Eliæ, quid hic agis?

Et ille respondit, Zelo zelatus sum. Hic ponitur eadem responsio Eliæ, quæ suprà, & eodem modo exponenda est, scilicet quòd Deus quæreret quid agebat Elias, & cur venerit, ipse autem respondit, quòd latebat ibi propter timorem Iezabel.

Quare operuit sibi faciem Elias.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRETVR, quare Elias operuit hic vultum suum, quando stetit in ostio speluncæ.

Respondendum, quod hoc fit fortè propter timorem gloriæ Domini transeuntis: sic enim Moyses positus est in foramine petræ, & operuit Deus oculos eius dextera sua, & non vidit aliquid quousque transiuit gloria Domini, & hoc, vt non moreretur, Exod. 33. cap. Eliæ autem non dictum fuit, quòd operiret vultum suum ex causa suprà assignata, ipse tamen timens operuit, & putauit, quod nõ oportebat sibi hoc dici, quia satis erat sibi, quòd sciret quid egisset Moyses, quando transiuit gloria Domini coram eo.

C Aliter potest dici, quòd egit hoc Elias ad magnam reuerentiam Dei: iudicabat enim se Elias indignum, vt videret gloriam Domini trãseuntem coram se, ideo ad magnam reuerentiam operuit vultum suum, & inclinauit illum in terram. Sic erat consuetudo Hebręorum, quòd quando aliquid mirabile ex parte Dei eis apparere debebat, operiebant vultus suos ad reuerentiam iudicantes se indignos tali visione. Sic enim fecit Moyses, quando apparuit ei Dominus in rubo, qui ardebat, & non cremabatur. Nam dixit ei Deus, non appropies huc, solue calciamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Et tunc non solùm fecit Moyses hoc, sed etiam dicitur abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum, Exo. 3. Elias ergo imitatus est in hoc exempla patrum suorum.

Quare Angelus iterum quæsiuit ab Elia quid hic ageret.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR, quare Angelus in persona Dei quæsiuit hic ab Elia, quid hic ageret, cùm iam iterum hoc quæsiuisset antè. D

Respondendum, quòd Eliam non interrogabat Dominus non ad sciendum aliquid ab ipso, sed vt haberet occasionem loquendi ea, quæ volebat reuelando ea, quę sequuntur, & ad hoc quæsiuit primò quid ageret Elias, quo respondente, dixit ei, quòd exiret de spelunca, & videret gloriam Domini, & sic non voluit Deus reuelare ei ea, quæ volebat quousque transiret gloria sua coram illo. Cùm autem trãsiuisset, vt inciperet sermo iterum ab origine, quæsiuit Deus ab Elia quid ageret, & tunc respondit ei, vt priùs, & Deus reuelauit ei ea, quæ sequuntur.

Et ait Dominus ad eum. Scilicet ille Angelus, qui transiuit in aura tenui coram Elia, & significabatur esse Deus.

Vade, & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum. Id est, vade in Damascum continuando viam tuam, & vade per desertum. Est autem Damascus ciuitas Metropolitana, siue caput in Syria, & ab illa nominabantur reges Syrorum Isa. 7. & illuc iturus erat Elias ad vngẽdum Hazael in regem. Dixit autem per desertum, quia via breuis ad eundum de monte Sinai in Damascum erat transire per terram Iuda, & Israel, in qua dominabatur Achab, & impijssima Iezabel, Deus autem noluit, quòd transiret Elias per terram illam, ne occideretur ab Achab, vel Iezabel, sed quòd iret per desertum circumeundo multas regiones quanquàm erat via longissima. E

Cumq; perueneris illuc vnges Hazael regem super Syriam. Scilicet, quando veneris in Damascum vnges Hazael in regem. Iste Hazael erat seruus Benadad, qui tunc erat rex Syriæ, & vnctus fuit in regem, & ipse occidit Benadad dominũ suum, & regnauit pro eo.

Sciendum autem, quòd Deus dixit hic Eliæ de vnctione Hazael, & Iehu, & Elisæi, eo quòd per ista consolabatur Elias, qa isti tres occisuri erant idololatras qui persequebãtur Prophetas Domini, & ipsum Eliam.

Et Iehu filium Namsi vnges in regem super Israel. Iste Iehu non erat de stirpe regum Israel, quia Achab erat tunc rex Israel, sed erat seruus Achab, & occidit Ioram filium eius regem Israel, & omnes de domo Achab, & regnauit in Israel, sequenti lib. cap. 9. & 10. Elisęum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula vnges in Prophetam pro te. Iste Elisæus erat vir simplex, & vnctus est in Prophetam pro Elia, scilicet vt esset successor eius, habens excellentiam prophetandi post mortem Eliæ, quam habuerat Elias, dum viueret, nam etiam maiorẽ excellentiam habuit, quia duplicatus est spiritus Eliæ in Elisæo, seq. lib. cap. 2. Est autem Abelmeula ciuitas quædam in terra Israel, de qua habetur suprà 4. & pertinebat ad quintũ præpositum Salomonis.

Et erit quicunq; fugerit gladium Hazael occidet eum Iehu. Id est, cùm isti vncti fuerint in reges, & Elisæus in Prophetam, quicunq; de idololatris, & persecutoribus Prophetarum meorum euaserit gladium Hazael, incidet in gladium Iehu. Et est sensus quòd isti tres fuerunt persecutores idololatrarum, & persecutorum Prophetarum. Præcipuus autem horum fuit Hazael rex Syriæ, qui pugnauit contra Israel, & occidit plurimos de Israëlitis exercens amarissimas pœnas in eis: Nam Elisæus dixit ei, scio quòd facturus sis Israëlitis mala, ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides, seq. lib. cap. 8. Istæ autem pœnæ fuerunt contra idololatras, & occisores Prophetarum. Ideo iste fuit præcipuus vltor deserti cultus Domini, & sanguinis Prophetarum effusi. Fuit autem secundus vltor Iehu, nam iste occidit regem Israel filium Achab, & omnes de posteritate Achab, seq. lib. cap. 9. & 10. & domus Achab fuerat, quæ maximè pśecuta fuerat Prophetas, & quæ dereliquerat cultum Dei, & populum ad derelinquendum instigauerat. F

Et qui fugerit gladium Iehu interficiet eum Elisæus. Iste erat tertius vltor sanguinis Prophetarum, & sic si aliqui idololatræ, & persecutores Prophetarum euaserant manum Hazael, & Iehu occisi sunt per Elisæum, ita vt daretur de eis plena vltio.

* * *

A

Quomodo Elias adimpleuit mandata Domini, & iuerit ad vngendum Hazael in regem Syriæ.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR, quomodo Elias compleuit ea, quæ habentur hic. Nam Deus iuſſit ei per deſertum ire in Damaſcum,& tamen non iuit, ſed iuit in terram Iſraël, & inuenit Eliſæum arantem,vt patet in litera. Item iuſſit ei vngere Hazael in regem Syriæ, ſed non vnxit eum, ſed poſteà Eliſæus vnxit illum in regem. Item iuſſit ei,quòd vngeret Iehu in regem, & tamen non vnxit eum, ſed poſteà vnctus eſt per quendam de filijs Prophetarum mandato Eliſæi,ſequenti lib.cap.9.

Aliquis dicet,quòd Elias venit in Damaſcũ, & vnxit Hazael in regem,licèt hic non exprimatur de hoc,ſed ſolùm exprimitur,quòd vnxerit Eliſæum.

Reſponderi poſſet per aliquem, quòd Deus non iuſſit Eliæ,quòd vngeret iſtos, ſed quod haberet eos tanquàm vnctos à Domino ad faciendum vltionem ſuper deſertores legis,& occiſores Prophetarum.

Sed iſtud non ſtat,quia Deus iuſſit Eliæ, quòd iret in Damaſcum per deſertum,& vngeret Hazael in regem,& tamen ad hoc,quòd Elias haberet illum tanquàm vnctum à Domino,non oportebat, quòd iret in Damaſcum,nec determinaretur ei,quòd iret per deſertum.

B

Aliter ergo dici poteſt, quòd Elias iuerit ad vngendum Hazael in regem,& quòd vnxerit eum. Cùm autem dicitur, quòd non iuit illuc, ſed iuit in terram Iſrael, & inuenit Eliſæum arantem.

Dicendum, quod ex hoc non ſequitur, quòd non iuerit in Damaſcum, quia illud, quod dicitur de Eliſæo potuit eſſe poſteà,ſcriptura autem non curat enarrare omnia, quæ facta ſunt,quia ſatis eſt,quòd legatur iuſſum fuiſſe, quòd vngeret eum Elias,quia dato, quòd non legatur,an vnxerit,vel quando vnxerit, intelligitur, quòd fecerit. Cùm verò obijcitur, quòd Eliſæus vnxit illum. Dicendum quod non vnxit,quia ſequẽti lib.cap.8.dicitur, quod Eliſæus venit in Damaſcum, & nunciauit ipſi Hazael mortem Benadad, & quod ipſe regnaturus erat,& tamen non habetur ibi, quòd vnxerit eum, & ſic ſatis ſtat,quòd vnxerit eum.

Sed obijcietur, quia ſi Hazael vnctus fuiſſet in regem per Eliam crederet ſe futurum regem, & tamen quando Eliſæus dixit ei mala, quæ facturus erat Iſraëlitis, reſpondit Hazael, quid enim ſum ſeruus tuus canis, vt faciã rem iſtam magnã? Quaſi dicat,ego nõ ſum alicuius ſtatus, vt poſſim facere tam magnam rem, ſi tamen crederet ſe futurum regem, non reſpondiſſet ſic. Item patet,quia Eliſæus dixit ei,tunc oſtendit mihi Dominus te regem Syriæ fore, ſi tamen Eliſæus ſciret

C

eum vnctum fuiſſe ab Elia,non diceret ei hoc, tanquàm reuelans aliquid nouum,& abſconditum,ſed magis increparet eum tanquàm occultantem ſibi id,quod audierat ab Elia.

Dici poteſt, quòd Hazael diſſimulauerit coram Eliſæo quanquàm crederet ſe futurum regem, ideo locutus fuerit ſic quaſi homo nullius dignitatis. Vel poteſt dici, quod vnctus fuerat Hazael ab Elia, & tamen non credebat propter hoc ſe futurum regẽ,ideo gerebat ſe velut homo, qui nullam dignitatem habebat nec habere ſperabat.

Aliter poteſt dici, quòd Elias non iuerit in Damaſcum ad vngendum Hazael, quia licèt hoc ei iuſſerit Deus, fortè poſteà reuocauit iubens, quòd veniret in terram Iſraël. Vel poteſt intelligi,quòd iuſſerit ei vngere Hazael, ſcil.quòd per ſe,vel per alium vngeret, & ſic vnxit per ſe, ſed dixit Eliſæo, quòd vngeret eum,& poſteà ille vnxit ipſum denunciãdo ei, quod futurus erat rex,ſeq.lib.cap.8.Magis tamen videtur dicẽdum,quòd ipſe Elias iuerit in Damaſcum,& vnxerit eum, eo quod limitata fuit ſibi via,per quam iret.

Iehu an fuerit vnctus per Eliam in regem.

QVÆSTIO XXII.

VLTERIVS quæretur,quomodo Elias non vnxit Iehu in regem. Aliquis dicet,quod vnxit eum: cùm autem obijcitur, quod poſteà vnctus eſt,ſeq.lib.cap.9. per vnum de filijs Prophetarum dici poſſet,quod bis vnctus eſt,ſcilicet ſemel per Eliam,& ſemel mandato Eliſæi: nam ſic fuit vnctus Dauid ter.De prima vice patet ſuprà 1.lib.cap.16. De ſecunda præced.lib.cap.2. De tertia eod. lib. cap.5. ſic etiam Salomon bis vnctus eſt in regem. De prima vice ſuprà 1.cap. De ſecunda 1.Paralip.vlti. Sic etiam Saul ter vnctus eſt,vt declaratum fuit ſuprà 1.lib.cap.10.& 11.

D

Sed iſtud non videtur ſatis ſtare,quia Iehu neſciebat ſe futurum regem,quando vnus de filijs prophetarum iuit ad vngendum eum,ſeq.lib.cap.9.

Dici ergo poteſt, quod Elias non vnxit Iehu, quia fortè Deus reuocauit mandatum,vel aliter,q.a Deus iuſſit ei,quòd vngeret Iehu,ſcil.per ſe,vel per alium, & ipſe iuſſit Eliſæo, q. vngeret eum,& Eliſæus poſteà iuſſit cuidam de filijs Prophetarum,quòd vngeret eum,& ipſe vnxit illum,præal.cap.

Poſſumus tamẽ dicere ſatis rationabiliter, quòd Elias vnxerit Iehu,& tamen in vnctione ſua dixerit ei,quod non vngebat eum ad hoc, quòd immediatè regnaret, ſed vt regnaret,quando Deus ei reuelaret, & ad hoc fuit neceſſaria alia vnctio adueniente tempore, in quo Iehu inſurrecturus erat contra domum Achab, & tunc Eliſæus miſit vnum de filijs Prophetarum,qui vngeret eum, & illicò cœpit deſtruere domum Achab ſeq.lib.cap.9. Sic enim fuit de Dauid:nam vnctus fuit in regem in domo patris ſui, ſuprà 1.lib.cap.16. non quidem,vt immediatè regnaret, ſed vt certiſſimè ſciret ſe futurum regem, poſteà autem adueniète tempore,quo regnare debuit,iterum vnctus eſt,præced.lib.cap.2.

E

Eliſæus an occiderit aliquos,qui effugerent gladium Iehu,quia non legitur,quòd fuerit bellator.

QVÆSTIO XXIII.

VLTERIVS quęretur, quia dicitur hic,quod qui fugerit gladium Iehu,occidet eum Eliſęus,quomodo enim Eliſæus occidit aliquos, qui effugerunt gladium Iehu?

Aliquis dicet,quod accipitur hic occidere ſecundùm Metaphorã pro dura increpatione, quia per verba dura dicitur aliquis occidere alium, vt patet Iſa.11. ſcil.& percutiet terram virga oris ſui,& ſpiritu labiorũ ſuorum interficiet impium. Sed ſpiritus labiorum vocatur aſperitas ſermonis, & hoc modo Eliſæus occidit euadentes gladium Iehu increpando eos duriſſimè de malis,quæ agebant:vel poteſt dici,quòd interficeret eos Eliſæus, id eſt,denunciaret interficiendos, quia iſte modus interficiendi pertinet ad Prophetas.

Sed iſtud non ſtat,quia ſi ſolùm acciperetur pro prænunciatione mortis, iam prænunciabatur hic à Deo mors ipſorum Eliæ, ergo non oportebat, quòd Eliſæus prænunciaret illos occidendos. Item Deus dicebat iſta ad conſolationem Eliæ,qui propter zelum legis Dei erat profugus,& in laboribus,quòd tamen prenunciaret Eliſæus mortem illorum nullum gaudium erat Eliæ, quia iam ipſe relatione Dei ſciebat mortem ipſorum. Item patet hoc efficaciùs,quia Deus dixit, quòd Hazael occideret iſtos deſertores cultus ſui, & qui fugeret manum Hazael occideret eum Iehu,& qui fugeret manum Iehu,occideretur per Eliſæum. Manifeſtum eſt tamen, quod Hazael realiter occidebat, & etiam Iehu, ideo etiã Eliſæus occideret realiter, quia aliàs nulla ſimilitudo erat occiſionis faciendæ per Eliſæum ad illam, quæ fieret per Hazael, & Iehu,& ſic non poneretur cum eis.

F

Dicendum igitur,quòd Eliſæus realiter occiderit aliquos de idololatris,& perſecutoribus Prophetarum,quos non occiderat Hazael,nec Iehu,ſed quando,vel quomodo,aut quos occiderit non patet, quia non omnia ſcribuntur, quæ fiunt. Poteſt autem dici, quòd Eliſæus occiderit aliquando aliquos de idolelatris, ſcilicet de Prophetis idolorũ, & de ſacerdotibus,qui aduerſabantur ei, ſicut Elias occidit octingentos, & quinquaginta Prophetas Baal,& lucorum prȩceden.cap.Vel poteſt dici,quod intelligitur iſtud quantum ad illos 42. pueros,quos fecit occidi quando ibat in Bethel:nam eunte illuc Eliſæo pueri egredientes de Bethel irridebant ei, dicentes, aſcende calue,aſcende calue, & maledixit eis in nomine Domini, & egreſſi duo vrſi de ſylua laceraverunt 42.pueros,ſequen.lib.cap.2. Iſti autẽ erant filij idololatrarum,q.a erant de Bethel,

A Bethel,in qua vrbe fuerant maximè idololatræ, eo quòd ibi positus fuit vnus de vitulis aureis,quos fecit Ieroboam, & ibi celebratum est primum festum idolorum conueniente toto Israël ad solennitatem, vt patet suprà 12.& 13. capit. Credendum tamen est, quòd adhuc præter istos pueros filios idololatrarum,qui fugerant manum Hazael, & Iehu, occiderit Elisæus aliquos alios, de quibus non habetur expressum.

Et derelinquam mihi in Israël 7. millia virorum, Istud ponitur ad consolationem Eliæ,quia putabat,quòd non mansisset in Israël aliquis de cultoribus Dei, sed quòd omnes declinauissent ad cultũ Baal,vnde dixit:& relictus sum ego solus, Deus autem reuelat ei nunc,quòd adhuc manserunt 7.millia virorum in Israël de cultoribus Dei.

Quorum genua non sunt incuruata Baal. Omnes cultores Baal incuruabant genua coram ipso in signum reuerentiæ, & ipsa Iezabel maximè zelans pro cultu Baal, vt agnosceret, quòd verè omnes colebant Baal faciebat, quòd singuli inclinarent se coram Baal curuando genua in terram.

Et omne os quod non adorauit eum osculans. Scilicet istorum 7. millium virorum os non osculatum est manum Baal. Istud potest intelligi dupliciter,vno modo quòd Iezabel, vt sciret, quòd omnes Israëlitæ colebant verè Baal, faceret illos incuruare genua coram Baal, & quòd oscularentur manum Baal, recognoscentes per hoc eum in dominum. Vel potest dici, quòd idololatræ habebant cæremoniam istam, quòd quando videbant deos suos, osculabatur quilibet manum sui ipsius,& istud erat signum,quòd adorabat Deum illum, & quasi oscularetur manum illius Dei. Sic enim dicit Iob, quòd ipse non vidit aliquando Solem,& lunam,& osculatus fuit manũ suam,vt patet Iob 30.scilicet,Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem, scilicet clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima,& negatio contra Deum altissimũ. Isti autem viri, scilicet 7.millia nõ fecerant aliquid istorum pro cultu Baal,quòd etiam intelligitur de omnibus alijs idolis, quia nihil differt,quòd colerent Baal,vel alia idola.

Profectus ergo. Hic ponitur Eliæ executio,scilicet eundo ad vngendum Elisæum,& dicitur.

Profectus ergo inde reperit Elisæum filium Saphat. Scilicet postquam recessit de monte Horeb, venit in terram Israël, & inuenit ibi Elisæum. Ex hoc aliqualiter colligitur, quòd non iuerit Elias in Damascum, sed quòd venerit immediatè in terram Israël,&quòd non vnxerit Hazael in regem Syrię,& hoc tenet Historia scholastica. De hoc tamen suprà diximus quid tenendum sit.

Arantem in 12.iugis boum. Id est erant duodecim iuga boum arando,& ibi reperit Elisæum.

Et ipse in duodecim arantibus vnus erat. Erat enim Elisæus vir simplex,qui non erat in pecunijs, nec potestate magnus, nec etiam in sacra Scriptura eruditus, sed erat vir simplex agricola,& Deus illum elegit.

C *Elisæi per Eliam vnctio in prophetam.*

Cumq; venisset Elias ad eum misit pallium suum super illum. Per hoc enim vngebat eum in Prophetam: fortè enim non fecit aliquam aliam cæremoniam vnctionis in Prophetam, sed solùm dixit ei, quòd Dominus iubebat eum vngi in Prophetam. Credendum quoque, quòd dixerit ei, quòd Deus iubebat eum vngi in Prophetam, & quomodo dixisset ei in Horeb: nam aliàs Elisæus non mutaret statum suum sequendo Eliam.

Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam. Scilicet non curauit amplius arare,nec vacare negocijs sæcularibus, sed relictis bobus secutus est eum: sic enim quando Christus vocabat discipulos suos,relinquebant omnia, & sequebãtur eum: sic enim quando Christus vocauit Petrum, & Andream fratres,relictis retibus,secuti sunt eum. Sic etiam Iacobus,& Ioannes Zebedæi fratres relinquentes patrem, & nauem vocantem Christum secuti sunt,Matth.4.

An Elisæus teneretur sequi Eliam relinquendo boues, etiam vxorem,& filios.

QVÆSTIO XXIIII.

QVÆRETVR, an tenebatur Elisæus sequi Eliam,& relinquere boues.

Respondendum, quòd aut Elias vngebat solùm Elisæum in prophetam,vel vnxit eum,& vocauit,vt sequeretur se. Si primo modo dicendũ,quòd non tenebatur Elisæus sequi Eliam,nec relinquere boues. De primo patet, quia nõ tenebatur Elisęus ex officio prophetali sequi Eliam,quia poterat esse propheta,& ire ad omnia,quæ Deus ei iubebat, & loqui illa, & quòd non sequeretur Eliam:nam non sequebãtur omnes prophetæ Dei Eliam. Etiam nõ tenebatur ex aliquo mãdato Dei,quia Deus non iubebat ei,quòd sequeretur Eliam, vt ponitur in casu. Secundò non tenebatur facere Elisæus, scilicet dimittere boues, & agriculturam, quia ex mandato Dei non tenebatur,cùm Deus non iuberet. Etiam non tenebatur ex qualitate officij, quia non erat istud officium, quod repugnaret perfectioni, perfectiores namque fuerunt Apostoli,quàm Prophetæ, & tamen Apostoli postquam cũ Christo fuerunt,exercuerunt officia priora,scilicet piscando:nam post resurrectionem Christi dixit Petrus,vado piscari,vt patet Ioan.20. Sic ergo poterat redire ad colendum agros, quia vtraque est exercitatio sine dolo. Si autem Elias dixit Elisæo, quòd sequeretur eum, dicendum quòd adhuc non tenebatur sequi eum, quia nesciebat, an loqueretur à Deo motus, vel voluntate humana, ideo quousque ostenderet sibi signũ non tenebatur credere, si autem ostenderet signum tenebatur sequi eum, & tamen non tenebatur omnino relinquere boues,quia dato,quòd sequeretur Eliam, poterat aliquando redire ad arãdum, quia officium istud licitum erat, & licebat prophetę possidere propria. Dicendum tamen secundùm veritatem,quòd Elias non iussit Elisæo, quòd sequeretur eum, & dimitteret omnia, quia cùm Elisæus dimitteret boues dixit ad Eliam osculer,oro te,patrem meum,& matrem meam, & sic sequar te, dixitque ei Elias vade,& reuertere,quod meũ erat tibi feci, id est ad me non pertinebat, nisi vngere te in prophetam, quòd ergo vadas, vel venias ad te pertinet,si tamen Elias vocaret Elisæum, vt sequeretur se, non diceret, quòd meum erat tibi feci,quia hoc significabat, quòd solùm tenebatur eum vngere in prophetam,& non vocare, nec aliquid aliud agere erga eum.

Aliter potest dici,& melius,quòd Elias vnxit Elisæum in prophetam,& vocauit eum,vt sequeretur se, quia Deus hoc volebat cùm dixisset,vnges Elisæum in prophetã pro te,scilicet loco tui, ideo debebat sequi eum ad hoc, quòd acciperet doctrinam eius,& succederet ei in prophetia,& Elias vocauit Elisæum,ipse verò videns, quòd deinceps sequi debebat Eliam,reliquit illicò boues,quia tamen erat in agro,& nondum se expedierat de patre, & matre, petiuit licentiam ab Elia, vt iret ad osculandum patrem,& matrem. Item patet hoc, quia si Elias non vocaret Elisæum quasi vrgendo; quia aliàs esset in potestate Elisæi sequi Eliam, vel non sequi, & non peteret ab eo licentiam, vt iret ad osculandum patrem, & matrem, petiuit tamen dicens, oro te, osculer patrem meum, & matrem.ergo videtur, quòd Elisæus putabat,quòd sine licentia Eliæ non poterat ire ad osculandum patrem, & matrẽ. Item quia Elias dixit vade,& reuertere, si tamen Elias nõ vocasset eum,non diceret ei,reuertere:ergo vocauerat eum. Cùm aũt arguitur, quod Elias dixit,quòd meum erat feci tibi.

Dicendum, quòd per hoc innuit, quòd solùm debebat vngere eum & non vocare,sed solùm dixit hoc,quia Elias tenebatur vngere Elisæum,& vocare eum,& istud erat ex parte sua,& iam fecerat,quòd autem Elisęus sequeretur Eliam,vel minimè,non pertinebat ad Eliam,sed ad Elisæum,ideo dicebat,quòd iam fecerat,quod suum erat.

Et ait osculer oro te patrem meum,& matrem meam. Id est,rogo te,quòd des mihi licentiam eundi ad osculandum patrem & matrem, petiuit autem licentiam,quia putauit,quòd non poterat iam aliquid agere contra præceptũ Eliæ,eo quòd vocauerat eum ex parte Dei,& dixit,quòd dimitteret eum osculari patrem,& matrem, quia Elias reperit Elisæum in agro arantem,& ibi vnxit eum in prophetam,de quo pater suus, & mater nihil sciebant, ideo voluit osculari illos, & expedire se de eis. Ex hoc autem colligitur,quòd Elisęus erat iuuenis sub obediẽtia patris, & matris nondum habens filios,nec vxorẽ. Quod patet, quia si habuisset filios, & vxorem, diceret, oro te,osculer filios meos,& vxorẽ:nam quilibet diligit magis naturaliter filios quàm patrem, & matrem, licèt secundùm debitum teneatur magis diligere patrem,& matrem,vt patet 8.

A & 9.Ethic.dixit tamen solùm de patre & matre,ergo non habebat filios,nec vxorem.Item apparet,quòd erat iuuenis, qa dixit, osculer patrem,& matrem signãs, quòd adhuc erat sub custodia,& obedientia illorum.

Et sic sequar te. Scilicet, postquam osculatus fuero illos sequar te,& nihil aliud faciam.

Elisæus,an teneretur sequi Eliam,& relinquere omnia,etiamsi habuisset vxorem, & filios.

QVÆSTIO XXV.

QVÆRETVR, quid si Elisæus habuisset filios, & vxorem,an teneretur sequi Eliam,dimittendo omnia. Aliquis dicet,quòd non,quia vir tenetur reddere debitum vxori, si tamen recederet omnino sequens Eliam, priuaret eam iure debiti.

Respondendum, quòd si Elias vocasset Elisæum, teneretur dimittere vxorem,& filios, vt sequeretur eum. De filijs magis patet, quia pater non est obligatus filijs sicut est obligatus vxori ad debitum, & tamen poterat Elisæus dimittere vxorem repudiando eam, quia in veteri Testamento licitum erat repudiare vxorem,& tunc ipsa manebat libera, vt posset alteri nubere,& etiam non præiudicabat ei, quia dato, quòd Elisæus non vocaretur ab Elia, poterat eam repudiare etiam
B non existente aliqua causa, sed sola voluntate,vt declaratum est Deut.24.si autem fuisset vxor, sicut nunc,quia nunc non potest esse repudium,& cogeretur vxor continere, quamdiu absens esset Elisæus videretur difficilius, quia priuaretur vxor debito. Apostolus tamen iubet, quòd coniuges non se priuent inuicem debito, etiam propter aliqua opera perfectionis, nisi quando ad modicum tempus vacare debuerint orationi,& postea redeant ad petitionem, & redditionẽ debiti, prima ad Corinthios septimo cap. & tamen existente sic matrimonio si Elias vocauisset sic Elisæum, tenebatur sequi eum relicta vxore, & filijs, quia mandatum Dei expressum omne debitum excludit, & quamcunque obligationem soluit, poterat tamen adhuc Elisæus retinere vxorem, & sequi Eliam, quia aliquando rediret ad vxorem, cùm Elias non discurreret semper hinc, & inde. Sic enim fuit de quibusdam Apostolorum, qui habebant filios,& filias,& vxores,& tamen Christo vocante illos venerunt ad ipsum, tamen non propter hoc omnino reliquerunt vxores, sed aliquando redibant ad ipsas.

An peccauerit Elisæus petendo licentiam ab Elia ad osculandum patrem, & matrem.

QVÆSTIO XXVI.

C QVÆRETVR vlteriùs, an Elisæus peccauit, quia cùm vocatus fuisset ab Elia, petiuit licentiam ad osculandum patrem &,matrem. Aliquis dicet, quòd sic, quia Elias vocabat Elisæum ad spirituale officium, ideo relictis omnibus temporalibus immediatè debebat sequi eum. Item patet hoc, quia Christus prohibuit quendam volentem hoc facere: nam quidam de Discipulis dixit ei; Domine permitte me primò ire, & sepelire patrem meum:Iesus autem ait illi seque re me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Matth. octauo, si tamẽ licitum fuisset,quòd postquam aliquis à Christo vocabatur,peteret licentiam redeundi ad parentes,Christus non negasset illam, & tamen negauit, & quasi increpuit petentem:ergo non licuit petere,sic igitur erat de Elisæo vocato ab Elia ex parte Dei.

Respondendum,quòd Elisæus non peccauit volendo ire ad osculandum patrem,& matrem,quia ad vocationem Eliæ illicò ipse reliquit boues, tanquam nunquam iam araturus cum eis, & totaliter intendebat sequi Eliam, per hoc autem quòd ibat ad osculandum patrem, & matrem, non intendebat renuere vocationem Dei, vel dilatare tempus exequendi illam,sed solùm volebat consolari patrem,& matrem,hoc autem licitum erat, cùm teneamur honorare valde patrem, & matrem super omnes homines 8.Eth.

Cùm autem arguitur de illo, qui prohibitus est à Christo ire ad sepeliendum patrem. Dicendum, quòd non est simile, quia ille petebat licentiam ad manendum in sæculo cum patre quamdiu viueret, & sepulto eo veniret ad sequendum Christum, & per hoc fortè impediretur omnino sequi Christum, quia Christus pauco tempore prædicaturus erat. Nam non prædicauit quatuor annis,quia occisus est, & fortè pater illius Discipuli maiori tempore viueret, & sic omnino impediretur sequi doctrinam Christi, si permitteretur ad sepeliendum patrem, ideo Christus hoc præuidens, dixit ei, dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Si autem iste discipulus petiuisset licentiam solùm eundi ad osculandum patrẽ suum, non negasset ei illam Christus, quia per hoc non impediretur à sequendo doctrinam eius, si verò Elisæus petijsset,quòd permitteretur sepelire patrem,& matrem,& postea sequeretur Eliam non erat hoc licitum,quia per hoc poterat omnino impediri sequi Eliam.

Et sic sequar te. Id est, postquam osculatus fuero patrem,& & matrem,illicò sequar te, quia nolo manere cum eis maiori tempore.*Dixitq; ei vade,& reuertere.* Consensit Elias, quia per hoc non multum impediebatur à sequendo eum, ideo dixit vade,& reuertere, id est non moreris apud eos detentus precibus,vel blanditijs eorum.

Quod enim meum erat feci tibi. Id est reuertere non moreris, quia si non veneris,aut moratus fueris tu peccabis, & non ego,quia quod meũ erat, id est quod mihi iussum erat à Deo fieri iam feci nunc,supereſt solum,vt tu agas, quod ad te pertinet.*Reuersus autem ab eo tulit par boum.* Scil. Elisæus accepta licentia ab Elia eundi ad osculandum patrem,& matrem tulit par boum,cum quo arabat portans illud ad ciuitatem, vbi erat pater,& reuersus est ab Eliæo, scil.dimittẽs illum in agro. *Et mactauit illud.* scil.mactauit par boum solennitatẽ magnam omnibus amicis, & cognatis suis, quia nũc recedere volebat ab eis tanquam nunquam rediturus ad statum eorum.*Et in aratro boum coxit carnes,* id est cũ aratro coxit, scil.fregit aratrũ, & cõminuens in partes posuit in igne, & ibi coxit boues,hoc fecit non quidem tanquam non haberet alia ligna, sed quia transibat ad Dominum omnino volebat renunciare sæculo, ita quòd nihil relinqueret in illo,quod ad se pertineret,& qa boues duo,& aratrũ pertinebat ad Elisęum,& in ipsis solebat arare,voluit vtrumq; consumere, boues tradendo in conuiuium,& aratrum cremando, ita vt iã nihil ad se pertinens relinqueret in sæculo,sed totus ipse transiret ad Dominum, qp valde magnum exemplũ est pro eis, qui ad Dñm transeunt, quòd nihil in sæculo relinquere debeant, ad quod afficiãtur.

Et dedit populo,& comederunt. Scilicet,dedit cognatis suis,& amicis conuocans eos ad cõuiuium, quia nunc recedebat ab eis,& non erat amplius rediturus ad statum illorum.Istud exemplũ secutus est B.Matthæus,qui à Christo vocatus est reliquit omnia quæ habebat,& tamen in ipsa die vocationis suæ inuitauit Christum, & discipulos, & multos de publicanis, quos in sæculo amicos habuerat, Matth. 9. *Consurgens q; abijt, & secutus est Eliam.* Scilicet,surgens de conuiuio recessit de vr be sua,& de domo patris sui, & secutus est Eliam nolens amplius manere cum patre,& matre.*Et ministrabat ei.* Scilicet,seruiebat Eliæ in omnibus.Nam sæpè dicitur,quòd fundebat aquam super manus Eliæ,sequenti lib.c.3. & omnia alia ministeria faciebat,fuitq; Elisæus toto tempore, quo Elias mansit in sæculo,puer eius,nec erat propheta.Cùm autem raptus est Elias à Domino in curru igneo,habuit Elisęus duplicem spiritum prophetiæ,quàm habuerat Elias,seq.lib.c.2.

Quomodo Elias ausus est redire in terram Israël.

QVÆSTIO XXVII.

QVÆRETVR, quomodo Elias nunc ausus est redire in terram Israël;cùm ante hoc fugisset à facie Iezabel, vsq; ad montem Synai.

Aliquis dicet,quòd Elias redijt, & tamen iam nõ audebat publicè ambulare per terram Israël, vt nesciret Iezabel aduẽtum eius,quia fortè à principio qñ fugit Elias à facie Iezabel, fecit Iezabel ipsum inquiri per terram Israël, & cùm non inuenisset desperans se posse illum inuenire,cessauit inquirere, nunc aũt quando redijt Elias, non inquirebat eum Iezabel, & sic poterat Elias secretè iam manere in terra Israël cùm nõ inquireretur, & sic dicet factum esse, scil. quòd in omnibus

diebus

A diebus Achab non comparuerit palam. Quòd autem postea apparuerit in monte Carmelo, & venerint ad eum tres quinquagenarij, sequenti lib. ca. 1. non fuit tempore regis Achab, sed Ochoziæ, qui successit Achab: nam ibi denunciauit Elias eum moriturum.

Sed dicendum, quòd non stat, quia ante mortem Achab, & Iezabel apparuit publicè Elias in terra Israël: nam ipse iuit postea ad denunciandum regi Achab mala, quæ ventura erant ei, & Iezabel vxori suæ, & stetit tunc coram Achab infra 21.

Sed dicendum, quòd Elias tunc redijt in terram Israël, & ambulauit publicè per illam, quia iam non timebat, quia Iezabel à principio irata nimis volebat occidere Eliam, vt apparet supra in litera, postea tamen deferbuit ira eius, & cessauit persequi illum, & tunc ipse securè redijt in terram Israël. Credendum est aliter, quòd Deus ei reuelauerit, quòd securè poterat redire in terram illam: nã aliter non rediret timens nimis Iezabel.

Caput XX.

B ***PORRO Benadad rex Syriæ congregauit omnem exercitum suum, & triginta duos Reges secum, & equos, & currus, & ascendens pugnabat contra Samariam, & obsedit eam.***

DESCRIPTA in præcedentibus diuina prouidentia circa regem Achab ad reuocandum eum à malo in signis cœlestibus. Hic reuocat eum in victorijs mirabilibus cõferendo ei triumphos, quos non sperabat contra regem Benadad, & diuiditur in duo secundùm duas victorias ei collatas. Secundò ibi, *Accedens autem.* Prima in duas, quia primò de obsidione sua anxiatur. Secundò de promissione victoriæ à Deo consolatur, ibi. *Et ecce propheta vnus.*

An ordo continuus sit, & immediatus.

Quæstio I.

QVÆRETVR circa primum, an ea, quæ habentur hic fuerint post præcedentia, vel sit ordo mutatus, & an fuerint facta immediatè.

Ad primum dicendum, quòd non apparet, an ista fuerint post illa, eo quòd non apparet aliquis ordo inter ea, qui colligatur ex litera. Satis tamen dici debet, quod fuerit istud post præcedentia: nam nunquam recedendum est ab ordine literæ, nisi propter causam manifestam, & quia non apparet aliqua causa, quare fuerint ista ante illa, tenendum est, quòd sit ordo continuus.

C Ad secundum etiam dicendum, quòd nõ apparet, an fuerint ista facta immediatè post præcedentia, vel multo tempore, satis tamen videtur, quòd aliquanto tempore fuerit istud post præcedẽtia. Nam ea, quæ habentur de fame terræ Israël, & de occisione sacerdotum Baal fuerunt facta circa principium regni Achab: ea verò, quæ habentur hic de bellis cum rege Benadad, fuerunt circa finem vitæ eius: nam postquam cœpit pugnare Benadad contra Achab non cessauit pugna, nisi per tres annos, vt dicitur infra 22. scilicet transierunt tres anni absque bello inter Syriam, & Israël. Et sic videtur dicendum, quòd à tempore quo factum est istud bellum vsque ad mortem Achab non transierunt nisi quatuor anni, vel quatuor & dimidius. Quod patet, quia facto isto bello de quo habetur hic in principio, dicitur infra in litera, quòd post vnũ annum congregauit exercitum Benadad contra Achab: finito autem isto bello, quia victus fuerat Benadad bis, habuit pacem cum Achab, & durauit ista pax per tres annos, infra 22. scilicet, transierunt tres anni absque bello, & illud bellum fuit, in quo mortuus est Achab, vt patet ibidem, regnauit tamen Achab 22. annis, supra 16. ergo istud bellum accidit in anno 18. regni eius, vel in principio 19. Quòd autem de fame & de Elia dicitur, fortè non fuit post quatuor, vel quinq; annos regni eius, quia tamen nulla gesta relatu digna tempore intermedio acciderunt, nõ fit mentio de aliquo inter ea, quæ habentur de Elia, & pugnam Achab cum Benadad. *Porrò Benadad rex Syriæ cõgregauit omnem exercitum suum.* Rex Benadad dominabatur in Syria Damasci, & ista est coniuncta terræ Israël à latere aquilonari, ideo propter propinquitatem sæpè rex Syriæ, & Israël pugnabant. Erat tamen potentior valde rex Benadad, quàm rex Israël. vnde tempore Amri patris Achab fecerat rex Syriæ plateas in Samaria, quæ erat Metropolis Israël tanquam in vrbe sibi subdita, & accepit multas vrbes de terra Israël, infra in litera, ideo Achab non poterat benè congredi cũ Benadad, qui habebat potentiam magnam.

Et triginta duos reges secum, scil. habebat in exercitu suo triginta duos reges, quorum quidam erant subditi sui, alij autẽ erant confœderati, & auxiliares. *Et equos, & currus,* scil. habebat multitudinem magnam curruum falcatorum, & equitũ in exercitu suo: nam copiosus erat valde, cùm essent ibi 32. reges. *Et ascendens pugnabat contra Samariam.* scil. ascendit de terra sua ad pugnandum contra Samariam, & hoc, quia Samaria erat Metropolis regni Israël, & manebat ibi Achab. *Et obsidebat eam.* Scilicet ad capiendum ipsam non permittens aliquos ingredi, aut egredi de illa. *Mittensq; nuncios ad Achab regem Israël in ciuitatem.* Videbat Benadad quòd non poterat resistere ei Achab: nam non audebat congredi cum eo in campo, ideo mittebat ad eum ad petendum aliqua magna. *Ait, hæc dicit Benadad argentum tuum, & aurum tuum meum est, & vxores, & filij tui optimi.* Scilicet omnia ista, quæ tu habes, mea sunt, & volo illa habere.

D *Bellum Benadad, & Achab*

Iniusta petitio Benadad.

E

Quare Benadad petijt rem tam iniustam, scilicet vxores, & filios Achab, & seruorum eius.

Quæstio II.

QVÆRETVR, quare Benadad petebat rem tam iniustam, quam nullus hostis consueuit petere ab hoste, scilicet quòd daret ei vxores, & filios suos, & non solùm vxores suas, sed etiam vxores, & filios seruorum suorum, vt infra in litera. Respondendum, quòd Benadad fortè faciebat hoc ad hoc, quòd cogeret Achab exire ad pugnandum, sciens quòd ipse, & viri sui nullo modo consentirent dare vxores, & filios extraneis, sed potius omnes morerentur simul, & ob hoc Achab, & serui sui, tanquam desperantes se posse habere pacem cum Benadad, congrederentur cum eo in campo, & vincerentur faciliter, quia exercitus Benadad magnus erat, & sic occiso Achab & seruis suis, posset Benadad capere totam terram Israël, & vnire illam regno suo. Vel si Achab vellet pertinaciter pugnare, manendo intra vrbem, credebat Benadad, quòd faciliter caperet ipsam vrbem Samariæ, vt patet infra ex verbis suis, scilicet, Hæc faciant mihi dij, & hæc addant, si sufficerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui sequitur me, & sic vtroque modo credebat se posse, debellato Achab, accipere totam terram Israël. Si autem Benadad petiuisset solum aurum, & argentum, concessissetque Achab, vt non haberet bellum cum Benadad, & sic non lucraretur inde quicquam Benadad, nisi aurum & argentum Achab, sed non acquireret pro se terram Israël.

F Secundò potest dici, quòd fecit hoc Benadad ad gloriam magnam suam, & ad magnam verecundiam Hebræorum. Sic enim Reges quidem, quando potentes sunt, faciunt contra hostes aliqua valde dura, nolentes eos omnino destruere, sed ad superbiam, & gloriam suam ostentandam, exercent in eis aliqua crudelia. Sic enim Naas Rex Ammonitarum volebat eruere oculos dextros omnium virorum Iabes Galaad, & nolebat eos occidere, quamquam essent hostes sui, supra primo libro, cap. 11. Sic etiam rex Adonibezech potentissimus acceperat septuaginta reges, & amputauerat eis summitates manuum, & pedum, & colligebant omnes septuaginta reliquias ciborum sub mensa eius, Iudicum 1. Sic quoque Sesach rex Ægypti ad ostendendum magnam gloriam suam, quando Roboam & totum regnum Iuda non repugnauit ei, sed præ timore permisit eum intrare in terram suam & accipere quicquid volebat, supra 12. reliquit imagines in terra Iuda habentes, vultus, & totum corpus virile, genitalia autẽ habebant fœminina, ad verecundiam Iudæorum significandam, qui se sine bello, sicut fœminæ tradiderunt, vt ait Herodotus Licarnassæus in historijs, & refert illud Iosephus 8. Antiquitatum.

A

tiquitatum. Ita hic si Benadad acciperet aurum, & argentum, & filios, & vxores Achab, & seruorum suorum, acquireret gloriam magnam, significans quòd cùm ista acceperit, poterat accepisse regnum, sed noluit accipere, tanquam non motus cupiditate possidendi, sed desiderio gloriæ, etiam in hoc inferebat magnã verecundiam Iudæis, si vxores, & filios præ timore dare compellerentur hostibus, nam in hoc significarentur vilissimi virorum, quia pro nulla causa vxores, & filios dare debebant, sed potius mori, quia vt ait Aristot. Ethic. 3. Ad quædam autem fortassis non est cogi, sed magis mori patientem durissima, sic autem est in dando vxorem, & filios, quia turpissimum est, & impium, quòd quis ad tutelam vitę suæ vxorem, & filios tradat hosti.

Tertiò potest dici, quòd Benadad petiuit hoc in fraudẽ, scil. vt cùm auferret ipse Israëlitis filios, & vxores, nulla spes prolis eis relinqueretur, & sic perirent citò omnes Israëlitæ, & posset ipse sine bello capere regnum Israël.

Quartò potest dici, quòd Benadad petiuit rem grauem incitatus à Deo, vt sic peteret, nam Deus volebat dare victoriam Achab contra regem Benadad, ideo voluit ei dare occasionem pugnãdi. Si autem petiuisset Benadad solùm aurum, & argentum, sponte dedisset Achab, & nollet pugnare cõtra Benadad, quia tamen petiuit hanc rem grauissimam, coactus fuit pugnare Achab contra Benadad, & sic prẽualuit. Si enim paulò grauiorem rem petiuisset, non erat dubium, quin concessisset illam Achab, vt non pugnaret, nam etiam istam rem grauissimam concessit, sed postea viri sui coëgerunt eum ad negandum, vt patet in litera: debuit ergo incitari Benadad ad petendum istud, vt traderetur à Deo in manus Achab.

B

Respondit q̃ rex Israël. Iuxta verbum tuum domine mi Rex. Scilicet volebat Achab placare Benadad verbis pacificis, vt non tam dura peteret, & ob hoc dixit: Iuxta verbum tuum domine mi rex, id est omnia fiant sicut tu dixisti. Hoc autem dicebat, quia sciebat se imparem illi viribus ad pugnandum.

Tuus sum ego, & omnia mea. Id est non solùm aurum, & argẽtum, & vxores, & filij mei tui sunt, sed etiam ego tuus sum. Hoc dicebat Achab, quia putabat, quòd Benadad cùm esset rex magnus, & videret regem Achab iam sibi humiliatum, nollet eum affligere nimis, sed contentaretur, quòd ei daret aliquid de auro, & argento.

Reuertentesq̃ nuncij dixerunt. Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te. Isti sunt secundi nuncij Benadad: nam primis nuncijs eius respondit Achab in vniuersali, dicens: Tuus sum ego, & omnia mea. Deinde misit Benadad secundos nuncios, qui proposuerunt id, quod primi, & addiderunt, quod infra habetur, scilicet, cras hac hora mittam seruos meos ad te, & scrutabuntur domum tuam, & de istis dicitur hic.

Argentum tuum, & aurum tuum, & vxores tuas, & filios tuos dabis mihi. Isti secundi nuncij missi fuerunt, quia Achab non responderat primis nuncijs aliquid determinatum, sed erat responsio ad differendum tempus, ideo Benadad petiuit determinatè, quæ prius petiuerat, & assignauit modum ad habendum illa, scilicet quòd mitteret seruos suos ad regem Achab cras, vt scrutarentur domum suam, & acciperent quicquid vellent. Dixit autem de vxoribus, & filijs, quia Achab habebat multas vxores, & multos filios, nam sequenti lib. ca. 10. dicitur, quòd habebat 70. filios in Samaria, & omnes illos occidit Iehu.

C

Cras igitur hac eadem hora mittam seruos meos ad te. Scilicet, non accipiam abs te hodie filios, & vxores, sed cras hora ista mittam pro illis in domum tuam.

Et scrutabuntur domum tuam, & domum seruorum tuorum. Scilicet, non dabis mihi aliquam rem determinatam, sed serui mei ibunt, & scrutabuntur domum tuam, & domos seruorũ tuorum, & accipient inde quicquid voluerint. Hic addit Benadad plus quàm in prima petitione, quia prius solùm petiuerat aurum, & argentum; vxores, & filios Achab: nunc autẽ petebat vxores, & filios, & quicquid esset in domibus seruorum Achab, cùm serui Benadad deberent scrutari domos illorum, & auferre inde, quod placeret eis, & istud iam erat grauissimum.

Et omne, quod eis placuerit ponent in manibus suis, & auferent. Id est, non poteris eis prohibere auferre, quod voluerint, & si prohibueris, ego pugnabo contra te, ideo oportet, vt permittas eis tollere quicquid voluerint.

D

Quare Benadad dixit, quod mitteret seruos.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR quomodo Benadad dixit, quòd sequenti die mitteret seruos suos ad scrutandum domum Achab, & seruorum suorum, cùm posset immediatè perscrutari.

Respondendum, quòd Benadad fuit insipiens faciendo hoc, & hoc in duobus, scilicet in dilatando opus, cùm haberet tempus.

Secundò denunciando, quando agere deberet istud: nam Achab videns, quòd Benadad sequenti die missurus erat ad scrutandum domum eius, occultare posset omnes thesauros suos, vel saltem maiorem partem eorum, & res chariss imas sibi, & si volebat colorare factum suum, dimitteret aliquam partem thesaurorum patentem, vt illam possent inuenire serui Benadad, eodem modo occultaret multos filiorum suorum, & vxorum, quos magis diligeret, & reliquos dimitteret, vt caperent de eis serui Benadad. Sic etiam facerent omnes serui Achab, occultando quicquid vellent de rebus suis. Item erat imprudentia magna, quia nunc Achab consentiebat ista dare, & præ timore erat indeliberat⁹, & permisisset ista ferri ad Benadad, cùm autem daretur sibi spacium vsque ad sequentem diem, poterat interim inuenire consilium bonum ad resistendum Benadad: stultus ergo fuit Benadad in his. Sed dicendum, quòd motiuum Benadad fuit duplex. Primum à seipso. Secundum à Deo. Primum erat ex superbia magna, quam habebat Benadad: nam omnino contemnebat populum Israël, tanquam nihil esset, & non putabat differre, quòd immediatè faceret, quod poterat, vel post multos dies, quia semper credebat, quòd Iudæi erant valde minores eo in potestate, & nũquam possent resistere. Ista superbia sua patet ex duobus. Primò ex verbis, quia dixit: hæc faciant mihi dij, si sufficerit puluis Samariæ pugillis omnis populi, qui mecum est. Secundò patet ex pauca diligentia quam circa se gerebat Benadad, quia ita erat securus in bello, sicut si esset in pace. Nam dicitur infra, quòd ipse, & reges qui cum eo erant, bibebant in vmbraculis. Sic enim fuit de Naas rege Ammonitarum, qui pugnabat contra viros Iabes Galaad, & volebat eis eruere oculos dextros, nec volebat ab eis prędam aut aliquid aliud, qui videntes se in stricto, petiuerunt inducias 7. dierum à Naas, dicentes, quòd in illis 7. diebus quærerent, si erat aliquis in Israël, qui liberaret eos, sin autem permitterent erui oculos dextros, supra 1. lib. c. 11. Naas autem ex superbia dedit eis inducias, ad vocandum quoscunq; adiutores, cùm potuisset sine adiutoribus illos occidere, & occisus est exercitus suus ab illis, vt patet ibidem.

E

Secundum motiuum erat à Deo, scilicet, quia Deus mouit Benadad, vt diceret, quòd sequẽti die mitteret seruos suos ad scrutandum domum Achab, quia si illicò voluisset eam scrutari, consensisset Achab præ timore, potissimè quia indeliberatus erat, & tunc non habuisset bellum cum Benadad, Deus tñ volebat tradere Benadad in manus Achab, ideo fecit, quòd Benadad diceret ista regi Achab, & ille interim haberet consilium cum suis ad resistendum Benadad.

F

Vocauit autem rex Israël omnes seniores terræ, & ait. Vidit enim Achab, quòd sequenti die venturi essent serui Benadad, ideo interim voluit habere consilium cũ suis, an aliquo modo posset resistere huic malo, & ad hoc vocauit die illa omnes seniores terræ. Ipsos vocauit, quia ad eos maximè pertinet cõsilium, eo quòd consilium est per prudentiam: prudentia aũt est per experientiam variorum accidentium circa humana agibilia: experientia autem magna non fit, nisi in longo tempore, ideo iuuenes, qui adhuc pauco tempore vixerunt, non poterunt esse prudentes, ideo Aristot. 6. Ethic. dicit, quòd facilè est iuuenes esse Mathematicos, & tamen difficile est eos esse prudentes, & sapientes ex causa iam dicta.

Animaduertite, & videte, quoniam insidiatur nobis. Id est, respicite ea, quæ petit Benadad, quia ex petitione sua apparet, quòd ipse non agit hoc principaliter, vt consequatur ista quę petit, sed magis insidiatur nobis volẽs per istum modum infligere nobis aliquod malum.

Misit enim ad me pro vxoribus meis, & filijs, & pro argento, &

A

auro, & nõ abnui. Potest intelligi dupliciter ista litera. Vno modo ad reddendum causam præcedentis facti, scilicet, videte, quòd Benadad insidiatur nobis: nam ipse misit ad me pro vxoribus, & filijs, argento, & auro, & ego non abnui, id est non negaui, q.d. si ipse non peteret, nisi istud, & putarẽ, quòd non petit hoc in fraudem, libenter concessissem ei, & iam concessi, & tamen petit aliquid vltra, scil. quòd vult scrutari omnes domos vestras, & tollere de eis quicquid voluerit, istud autẽ manifestè est ad aliquam fraudem, ideo videte quid deliberatis. Aliter potest intelligi, quòd Achab proponeret hic angustiam suam, & peteret à populo cõsilium, dicens: Misit Benadad pro filijs meis, vxoribus, auro, & argento, & nõ negaui ei, sed credo, quòd insidiatur nobis, ideo videte quid expedit.

Achab quomodo putauit, quòd Benadad insidiaretur Israëlitis.

Qvæstio IIII.

Qværvtvr quomodo putabat Achab, quòd Benadad insidiaretur Israëlitis petendo ista. Dicendũ, quòd forte putabat Achab, quòd volebat Benadad ferre omne aurum, & argentum suum, & seruorum suorum, & filios, & vxores, & hoc, vt postea sine bello caperet terram eorum: nam si acciperet vxores, & filios, non haberent Israëlitæ, qui nunc e-

B

rant aliquos successores, & etiam non haberent spem prolis, ablatis omnibus vxoribus, & filiabus, & sic perirent, & maneret terra desolata, & caperet eam Benadad sine bello. Etiam dato, quòd ablatis vxoribus, & filijs, ipsi Israëlitæ vellent facere bellũ contra Syros, vel se defendere, non possent, eo quòd non haberent aurum nec argentum, aut pecuniam aliquam, & tamen sine his non fit bellum, ideo Aristot. 2. Politicorum dixit, quòd non expedit ciuitatem esse valde pauperem, quia non poterit resistere impugnantibus, nec etiam esse valde diuitem, vt propter magnitudinem diuitiarũ omnes conuicini inferant ei bellum.

Secunda fraus esse poterat, quia fortè Benadad mittebat seruos suos ad scrutandum domos omnium seruorũ Achab, vt ipsi cognoscerent, quæ arma, vel qui apparatus bellici erant in vrbe, & an essent ibi cibi pro multis diebus, & secundùm hoc poterat Benadad scire, an expediebat manere obsidendo vrbem, si in breui eam capere poterat, vel si expediebat accipere argentum, & aurum, & quicquid vellet de vrbe, & recedere.

Tertia fraus esse poterat, quòd Benadad mitteret seruos suos ad vrbem, vt caperent ea quę erant in singulis domibus, vt quando ipsi intrarent, possent esse insidiæ latentes ex parte Benadad, quæ irrumperent citò in vrbem, & caperent eam.

An Achab peccauerit concedendo, quòd daret vxorem, & filios Benadad existens in periculo.

C

Qvæstio V.

Qværvtvr vlteriùs, an peccauit Achab concedendo, quòd daret vxorem suam, & filios Benadad.

Respondendum, quòd si peccatum erat realiter tradere ei, peccatum esset consentire, quia id, quod in opere malum est, etiam malum est in deliberatione, quia peccatum in consensu perficitur. De hoc autem dicẽdum, quòd aut quæritur de vxoribus, aut de filijs. Si de filijs dicendum, quòd aut dabãtur in obsides ipsi Benadad, ad hoc, quòd Achab firmiter aliquid seruaret, aut dabãtur in seruos. Si primo modo licitum erat, quia non præiudicabatur in hoc ipsis filijs Achab, nam pro statu patriæ licitum erat, quòd ipsi aliquid paterentur; & de hoc sæpè exemplum habetur in Scriptura. Sic enim Ionathas summus sacerdos dedit obsides de Iudæis eis, qui erant in arce Ierusalem ad seruandum fidelitatem Regi. sic patet 1. Mach. c. 12. Si autem deberent tradi in seruos, est maius dubium. Et tunc dicendum, quòd aut soli filij Achab tradendi erant in seruos, aut filij eius, aut filij aliorum Israëlitarum. Si secundo modo non erat concedendum, & peccarent Israëlitæ tradendo omnes filios suos in seruos, vt ipsi liberarentur: maximè, quia dubium erat an istud fieret in fraudem, vt postea facilius Benadad caperet vrbem Samariæ. Si autem primo modo videtur dubiũ, & tamen si securi essent Israëlitæ, quòd tradendo illos in seruos liberaretur patria, & aliàs peritura erat, poterant eos tradere, si ipsi consentirent, alioquin non possent, sed solùm compellerent eos recedere de terra, vt nõ desolaretur regnum propter illos. Si tamen dubium erat, an acceptis illis in seruos, vellet Benadad seruare pacem, illicitũ videbatur, quòd istud facerent Israëlitæ, aut Achab. Si autem quæratur de vxoribus Benadad dandis. Respondendũ, quòd non licebat Achab tradere aliquam de vxoribus suis, vel de vxoribus seruorum suorum ipsi Benadad, vt non pugnaret, immò dato, quòd sciret vrbem delendam, nisi traderet vnam de vxoribus suis saltem ipsi Benadad, potius debebat pati, quòd deleretur ciuitas, & omnes perirent, quàm quòd traderetur illa, quia istud peccatum est, & turpe valde, ideo non est agendum pro timore quantumcunque sit magnus, nec erit aliqua excusatio dantis vxorem suam alteri pro quocunque timore: nam patet 3. Ethicorum, ad quædam enim fortassis non est cogi, sed mori magis patientem durissima. nihil autem inhonestius esse poterat, quàm quòd Achab traderet vxores suas alteri deludendas, ideo potius debebat mori ipse cum toto Israël, quàm quòd talia faceret, aut fieri permitteret.

D

Dixeruntq; omnes maiores natu, & vniuersus populus ad eũ. Scilicet omnes Israëlitæ vnanimiter consenserunt, quòd nõ traderet Achab vxores, & filios Benadad. Et vocantur maiores natu, id est seniores, qui maiori tempore vixerunt, & præcesserunt alios in natiuitate, & ad istos pertinebat prius respondere, deinde totus populus consensit eis. *Non audias, nec acquiescas illi,* id est non condescendas petitioni eius. Ponitur enim audire, pro exaudire: & acquiescere, pro consentire.

E

Respondit itaq; nuncijs Benadad. Isti erant secundi nuncij, & quando venerunt cõgregati sunt ad consilium omnes Israëlitæ, & de consensu eorum respondit Achab ista quæ sequuntur: *Dicite domino meo Regi.* Vocabat Dominum ipsum Benadad, si fortè posset eum sic flectere ad aliquã misericordiam, vt non omnino deleret terram.

Omnia propter quæ misisti ad me seruum tuum in initio, faciam. Id est ego sum seruus tuus, & libenter facere volo omnia propter quæ misisti ad me ab initio, id est in prima vice: nam iam bis miserat Benadad ad Achab. *Hanc autẽ rem facere non possum.* Scilicet, non possum tibi dare vxores, & filias, dabo tibi tamẽ omnia alia, quæ petiuisti, scilicet argentum, & aurum.

Reuersiq; nuncij retulerunt ei. Scilicet, reuersi sunt ad Benadad, & retulerunt ei verba Achab. *Qui remisit, & ait.* Scilicet, Benadad remisit istos nuncios ad Achab iterum, & istud erat in tertia vice.

F

Hæc faciant mihi dij, & hæc addant. Modus iurandi est, sic enim iurauit Iezabel, præc. c. quãdo dixit quòd occideret Eliã. Iurauit autem per Deos, quia Benadad erat Gentilis, & colebat multos Deos. *Si suffecerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me.* Historia Scholastica, & Nicolaus exponunt, quòd ciuitas Samariæ habebat à parte interiori multam terram apud muros, ita vt possent ascendere habitatores vrbis per terram illam ad muros, & essent muri, quasi æquales terræ illi. De hoc autem dixit, quòd puluis Samariæ non sufficeret pugillis populi sui, id est quòd multitudo pulueris, qui erat intra muros Samariæ, non sufficeret, ad hoc, q; esset æqualis pulueris, quẽ poterant viri de exercitu suo portare in pugillis, si quilibet portaret vnum pugillum, q.d. q; tanta erat multitudo sua, q; si quilibet portaret vnicum lapidem, vel cespitem, & ponerent in circuitu murorum Samariæ, facerent tãtam altitudinem terræ ex parte exteriori, sicut in parte inferiori, & sic caperet vrbẽ. Sed iste sensus nõ multũ conuenit literæ, quia Benadad iurabat se facturũ, q; dicebat hic, & tamẽ exponẽdo sit, non conuenit iuramento nec imprecationi, q; a iuramentũ, vel imprecatio est de faciendo, vel nõ faciendo aliquid, & tñ, quòd tanta esset multitudo exercitus sui, quòd posset replere muros Samariæ in circuitu terra, non erat aliquid agere, vel non agere, ideo non oportebat ad hoc esse aliquod iuramentum. Dicendum igitur, quòd sensus est, quòd Benadad per hoc comminaretur pœnam magnam Samariæ, scilicet, quòd deleret vrbem illam penitùs, eo quòd non obediebant præceptis eius, & dicit, si suffecerit puluis Samarię pugillis populi, qui mecum est, id est iuro delere totam vrbem, & euertere omnia, quæ in eo sunt de loco suo, ita quòd

A non maneat in ea, nec parum pulueris, sed quidquid est ferat-
tur in pugillis exercitus mei ad alium locum. *Et respondens rex*
Israël, ait. Iam incœpit Achab habere animum volentis pug-
nare, & non respondit, quòd volebat ei dare id, quod pete-
bat, sed quod resisteret ei.

Dicite ei, ne glorietur accinctus æquè, vt discinctus. Ista sunt ver-
ba subsannantis, & ostendentis Benedad esse stultum, qui tã-
tum superbiebat, quasi iam teneret Samariam in potestate
sua. Et est sensus, quòd nõ glorietur accinctus, vt discinctus,
id est ille, qui nondum obtinuit victoriam, sed est in bello,
non tantùm glorietur, sicut ille, qui iam obtinuit, & cessauit
ab illis, eo quòd quamdiu bellum durat, res est in pendulo,
cui parti victoria faueat, quia sæpè desperatis solet victoria e-
uenire. Vocatur autem accinctus, id est paratus ad bellum,
discinctus verò, id est qui iam deposuit arma bellica, quibus
accinctus erat, propter victoriam obtentam, quia non est iu-
stum, quòd æqualiter glorientur de victoria, qui nondum vi-
cerunt, sicut qui iam obtinuerunt. Aliter exponunt quidam,
scilicet non glorietur accinctus æquè, vt discinctus, id est ille
qui paratus est ad bellum, habens magnam potestatem, non
debet gloriari æqualiter, id est similiter, sicut nec discinctus,
id est nullam habens potestatem, quasi dicat, sicut ille, qui nõ
habet apparatum aliquem ad bellum non potest gloriari, ita
nec debet gloriari ille, qui habet apparatum, ideo licèt tu sis
B magis paratus ad bellum, quàm ego, non debes magis confi-
dere de victoria, quàm ego. sed primus sensus est quem intẽ-
dit litera.

Factum est autem, cùm audisset Benadad verbum istud. Scilicet i-
stud verbum erat ad insultandum ipsi Benadad, ideo quando
audiuit, iratus est valde, quia contemnebatur ab Achab.

Bibebat ipse, & reges in vmbraculis. In hoc apparet modica cu
ra, & vigilantia Benadad circa bellum, quia cùm esset apud
vrbem obsessam, erat ipse, & omnes reges triginta duo biben
do, & epulando in vmbraculis, id est in tẽtorijs factis ad pro-
tegendum à Sole, vt ibi maneat homo in vmbra, & ista ten-
toria vocantur papiliones, quorum vsus est ad castra belli, &
sic omnes Reges Benadad securè manebant in suis vmbra-
culis.

Et ait seruis suis, Circundate ciuitatem, & circundederunt eam.
Ante hoc ciuitas erat obsessa, quia castra Benadad erãt apud
eam, & tamen non pugnabant actualiter, cùm vellet Bena-
dad accipere aurum, & argentum, & filios, & vxores Achab,
& seruorum eius: nunc verò, quia dare noluit Achab, iussit,
quòd ex omni parte ciuitas oppugnaretur.

Et ecce propheta. Hic ponitur secũdum huius partis, in quo
consolatur Achab de diuina promissione, de habendo victo-
riam, & ista fuit facta per prophetam. Et dicitur:

Et ecce propheta vnus accedens ad Achab regem Israël. Quam-
quam Achab esset idololatra, & non inuocaret nunc Domi-
num, quia tamen Deus erat misericors, voluit ei mittere vnũ
prophetam ad nunciandum ei victoriam.

C *Promissio Dei ad Achab de victoria.*

Hæc dicit Dominus. Certè vidisti omnem multitudinem hanc ni-
miam? Ecce, ego tradam eam in manu tua hodie. Id est, quanquam
ista multitudo regis Benadad sit valde magna, ita vt tu non
audeas pugnare contra illam, nec sis ei viribus æqualis, ta-
men Deus tradet eam in manus tuas, & non solùm tradet,
sed etiam hodie tradet. Et istud erat maius signum, scilicet
quòd in tam pauco tempore tanta multitudo posset superа-
ri. *Vt scias, quia ego sum Dominus.* Id est, Per hoc cognosces verè,
quòd ego sim Deus verus potens liberare à morte, & tradens
quos voluero in mortem.

Quis Propheta nunciauit Achab, quòd haberet
victoriam.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, quis erat iste Propheta, qui nunciauit
hoc. Quidam volunt, quòd sit Elias, eo quòd de Elia
dictum fuerat immediatè. Sed dicendum, quòd hoc nõ mul-
tum stat: quia Elias vocatur Propheta quasi per excellentiam
in tempore suo, cùm nullus esset ei æqualis: hic tamen dici-
tur, quòd erat vnus de Prophetis, in quo non significatur a-
liqua excellentia, sed solum quòd erat vnus inter cæteros nõ
maioris dignitatis, quàm cæteri.

Dicendum igitur, quòd non apparet quis fuerit: quia D
multi Prophetæ erant tunc, qui poterant ista dicere, vt colli-
gitur infra ex litera. Satis tamen videtur rationabile, quòd i-
ste esset Michæas filius Iemla: nam iste erat Propheta Domi-
ni, qui habebat pugnã contra Prophetas Baal tẽpore Achab,
& solus ipse prophetauit verũ Achab, ire volenti ad pugnan-
dum in Ramoth Galaad, infra 22. & istud multi tenent.

Quare Deus denunciauit Achab victoriam per Prophetam,
cùm esset idololatra, qui non merebatur
habere victoriam.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo Deus voluit mittere
Prophetam ad denunciandum victoriam ipsi Achab,
cùm esset idololatra, & potissimè, quia ipse non petebat à
Domino responsionem, nec expectabat se à Domino li-
berandum.

Aliquis dicet, quòd fortè veniente ista aduersitate Achab
doluit nimis, & conuersus est ad Dominum, & tunc Deus
misit ei Prophetam denunciantem victoriam. Sic patet se-
quenti cap. Nam peccauit nimis Achab, & Elias pra dixit ei
multa mala ventura: & tunc dicitur, quòd cùm audisset A-
chab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio
carnem suam, ieiunauitque, & dormiuit in sacco: & tũc Deus E
dixit Eliæ, quòd non venirent mala super domum Achab vi-
uente eo, sed post mortem suam, ita fortè fuit hic.

Sed dicendum, quòd non stat, quia hic satis cõstat, quòd
Achab non orauit, nec consuluit Dominum, sed soluni con-
suluit seniores, quid agere deberet.

Sed dicendum, quòd Achab non consuluit Dominum,
nec conuersus est à malo suo, ad hoc quòd Deus daret ei vi-
ctoriam, & mitteret Prophetam ad eum. Sed misit propter
duo. Primò propter peccata Benadad: nam Benadad erat ma-
lus, & Deus volebat eũ percutere, & ad hoc vtebatur Achab
vt ministro, sicut vtitur dæmonibus, vt ministris ad punitio-
nem malarum animarum; Achab namq; non merebatur vi-
ctoriam, Benadad tamen merebatur vinci: ideo Deus voluit,
quòd Achab vinceret ipsum Benadad nõ propter se, sed pro-
pter iustitiam Dei ordinantis peccata malorum ad pœnam.
Sic enim Deus vtitur sæpè malis hominibus, vt ministris suæ *Deus vendicat se de inimicis suis, cũ inimicis suis.*
iustitiæ contra alios malos, & sicut nunc ipsi puniunt illos
malos, ita postea punientur ab alijs malis, vel bonis: & sic non
manebunt aliqua mala impunita: & tamen an per bonos, vel
per malos puniantur, non differt: quia nullus homo peior est
dæmone, & tamen ipse est minister Dei: & sicut nunc fuit A-
chab minister Dei contra Benadad: ita postea Benadad fuit
minister Dei contra Achab: nam ab exercitu Benadad occi-
sus est Achab, infra 22. Secundum motiuum fuit propter
laudem Dei, vt cognosceretur esse verus Deus. Nam cùm F
Achab videret, quòd Benadad, qui erat tam potens, superа-
batur ab eo, & Deus sibi promittebat hoc, sciret Deum Israël
esse Deum potentissimum, qui solus posset liberare Israëli-
tas, & delere quascunque gentes. Istud patet in litera: quia di-
citur hic. Ecce ego tradam in manu tua hodie, vt scias, quia
ego sum Dominus. Tertium motiuum fuit, vt non gloriare-
tur Achab de ista victoria, quasi à seipso habuisset. Nam Deus
disponebat tradere Benadad propter peccata sua in manus
Achab, & si non denunciasset ei per Prophetam, & Achab
obtineret victoriam, gloriaretur tanquam à se habuisset: vt
ergo intelligeret, quòd à Deo habuerat, & ipsum solum lau-
daret, denunciauit hoc ei Deus. *Et ait Achab, Per quem?* Vide-
bat Achab, quòd ista victoria non poterat esse, nisi mirabilis:
ideo quærebat per quem debebat euenire hoc bonum: *Dixitq;*
ei: Hæc dicit Dominus: per pedissequos principum prouinciarum. Ista
victoria obtinebitur per pedissequos, id est seruos principũ
prouinciarum, quia illi pugnabunt, & sic præualebis contra
Benadad. Vocantur principes prouinciarũ omnes viri poten
tes, qui erant in regno Achab, & erant domini aliquarũ ciui-
tatum, & prouinciarum. Isti congregauerant secum gentem
multam, per quã debellatus est Benadad. Et est sensus, quòd
Achab putauit istud bellum miraculosè esse vincendũ: fortè
nõ pugnãtibus Israëlitis: sicut in mari rubro dixit Moyses ad
Israël: Dñs pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, i. nihil agetis,

A Exod. 14. Sic etiam Moyſe eleuante manus ad Dominum, præualebat Ioſue contra Amalechitas, & illo inclinante manus, præualebant Amalechitæ. Exo. 17. Sic etiã cõtra Amorrhæos Deus pugnauit pro Iſrael inclinando ſcopulos apud torrentẽ Arnon, & opprimendo eos. De quo Nu. 21. Sic etiam contra Iericho miraculoſe pugnatũ eſt Ioſue 6. Et contra quinq; Reges Amorrhæorum in die, qua ſtetit Sol, & venerunt lapides magni de cœlo, occideruntq; Amorrhæos. Ioſue 10. Et tempore Samuelis intonuit Deus contra Philiſthinos, & terra mota eſt, fugeruntq; à facie Iſrael, ſupra. 1. lib. cap. 7. Sic etiã tempore Dauid, Angelus gradiens in cacumine pirorum, adiuuit Dauid fugans Philiſthæos, præc. lib. c. 5. Omnia iſta fuerant ante tempus Achab: ideo ipſe putabat, quòd Deus volebat ei dare victoriam aliquo de iſtis modis, & quæſiuit per quẽ. Deus autem reſpondit, ꝙ daret per pedi ſſequos principũ, id eſt, per bellatores. q. d. quòd nõ erat dandus hic aliquis modus ſpecialis victoriæ ſed per bellũ obtinenda erat: quia tamen Benadad à Deo tradendus erat in manus Achab, ſcil. quia incuteret ei timorẽ, & ſeruis ſuis ad hoc, quòd fugerent, erat iſta victoria à Deo. Sic enim dicitur de Iſraelitis. Leuit. 26. Quòd quando ipſi eſſent mali, Deus incuteret timorẽ cordibus eorũ, & fugerent nemine perſequente. Ita etiam dicitur ibi de hoſtibus ſuis, ꝙ Deus compelleret eos in fugam interdũ, & ſic fuit de Benadad. In Hebræo habetur. *Per pueros principũ prouinciarum.* exponunt Hebræi pueros, id eſt, filios, ſcilicet, quòd filij principũ inciperent bellũ, & in manus illorũ traderetur exercitus Benadad, Puer tamen aliquando accipitur pro filio, & aliquando pro ſeruo, & ſecundo modo accepit litera noſtra, dicens, Per pediſſequos. Poterant tamẽ intelligi, ꝙ vocentur pueri, id eſt, filij: quia infra dicitur, quòd numerati ſunt pueri principũ prouinciarũ, & inuenti ſunt ducenti triginta duo, & de filijs Iſrael ſeptem millia: ideo nõ accipiuntur pueri pro tota ipſa gente, quã duxerunt principes prouinciarũ, ſed ſolum pro filijs eorũ, vel pro aliquibus ſeruis eorũ ſpecialiter. *Et ait: Quis incipiet præliari?* Sciebat Achab, quòd per illos ducentos trigintaduos pueros principũ tradendus erat in manus eius exercitus Benadad, & tamen neſciebat, quis deberet incipere pugnam: quia fortè Deus diſpoſuerat dare victoriam aliquo ſpeciali, incipiente pugnam, & non alijs. *Et ille dixit. Tu.* Scilicet, Tu incipies pugnare: ita quòd Achab iret in prima acie contra exercitum Benadad, & cum eo pueri principum: nam infra dicitur, quòd egreſſi fuerunt pueri principũ prouinciarũ in prima fronte, & reliquus exercitus ſequebatur, *Recenſuit ergo pueros principum prouinciarum.* Quia Deus dixerat, quòd per iſtos tradendus erat Benadad in manus eius, computauit quot erant, vt ſegregaret eos, & poneret in prima acie belli ſecum. *Et reperit numerum ducentorum triginta duorum.* Per hoc quòd pauci erant, colligitur aliqualiter, ꝙ erant filij principum prouinciarum: quia tamen erant pediſſequi ſecundum literam noſtram, poſſumus dicere, quòd erant aliqui ſpeciales famuli ipſorum principum prouinciarum. *Et poſt eos recenſuit populum, omnes filios Iſrael, ſeptem millia.* Recenſuit prius pueros principum, & poſtea totum Iſrael, quia pueri principum erant ituri in prima fronte belli, & poſt eos cæteri bellatores. Et dicitur, quòd erant omnes filij Iſrael, id eſt, omnes quos pro tunc potuit habere Achab: nam multo plures erant in Iſrael, quàm ſeptem millia pugnatorum: cum Ieroboam, pugnans contra Abiam Regem Iudæ, habuerit in exercitu ſuo ferè octingenta millia virorum. 2. Paral. 13. & tamen nunc, quia præoccupatus fuerat Achab à Benadad, non potuit maiorem exercitum congregare. *Et egreſſi ſunt meridie.* Scilicet, Achab cum viris ſuis egreſſi ſunt ap pugnandum contra Benadad in Meridie, eo quòd ſciebat Achab, quòd illo tempore totus exercitus Benadad vocabat cibis, & potibus, & poterant faciliter fugari. Vel forte Propheta nunciauit ipſi Achab, qua hora iret ad pugnandum. *Benadad autem bibebat temulentus in vmbraculo ſuo.* Scilicet, Illo tempore Benadad erat in vmbraculo ſuo, id eſt, in tentorio vacans cibis, & potibus, & ſic erat temulentus, id eſt, ebrius, & ob hoc erat indiſpoſitus ad bellum ipſe, & exercitus ſuus. *Et Reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant.* Scilicet, Iſti triginta duo Reges erant in tentorio Benadad comedentes, & bibentes cum ipſo, & erant etiam ipſi temulenti. Venerant autem iſti Reges in auxilium eius, quia quidam erant ſubiecti ei, & tenebantur venire, alij autem erant confœderati ei, & veniebant ad auxilium. Iſtud erant parui Reges, ſicut Rex vnius ciuitatis, vel duarum: alioquin non potuiſſent faciliter congregari trigintaduo Reges, vt venirent in auxilium ipſius Benadad. *Egreſſi ſunt autem pueri principum prouinciarum in prima fronte.* Id eſt, In prima acie, & in iſta acie, & ibat Achab: nam dixerat Propheta, quòd Achab debebat incipere pugnam: & in iſta acie ſolum erant ducenti triginta duo viri. Poſt iſtos autem ibat alia acies, in qua erant ſeptem millia virorum de popularibus.

Miſit itaque Benadad. Qui nunciauerunt ei dicentes: Viri egreſſi ſunt de Samaria. Scilicet, Benadad videns, quòd egrediebantur aliqui de Samaria, miſit aliquos ad ſciendum, quid illud erat, & ipſi retulerunt, quòd egreſſi fuerant viri quidam de Samaria. Vel forte Benadad habebat aliquos viros, qui vigilabant in circuitu vrbis, & quando viderunt illi egreſſos viros de Samaria, cucurrerunt ad nunciandum Benadad.

At ille ait: Siue pro pace veniunt, apprehendite eos viuos, ſiue vt prælientur, viuos capite. Scilicet, Quomodocunque veniant, capite eos viuos, ſiue velint pugnare, ſiue orare pro pace. Si enim pro pace veniſſent, iniuſtum erat, quòd occiderentur, ſed quòd caperentur viui, & poſſet inquirere Benadad ab eis de ſtatu vrbis: & tunc videret, an expediret illos detineri, vel occidi, vel remitti ad vrbem. Si autem ad bellandam venirent, nolebat quòd occiderentur, quia cõdemnebat eos Benadad, ſed volebat ſubijcere eos in ſeruitutem: Vel ſi erant ibi aliqui de viris magnis, qui obſtiterant, vt non fieret, quod ipſe petebat, occidere eos varijs cruciatibus, vt magis ſanaret iram ſuam. *Egreſſi ſunt ergo pueri Principum prouinciarum.* Repetitio eſt, quia ſupra hoc dictum fuerat. Ibant autem iſti pueri in prima acie cum Rege Achab.

Ac reliquus exercitus ſequebatur. Scilicet, Septem millia virorum. In iſtis non habebatur tanta ſpes victoriæ, quia Deus dixerat, quòd per pueros principum prouinciarum traderetur Benadad in manus Achab.

Et percuſſit vnuſquiſque virum, qui contra ſe veniebat. Scilicet, Iſraelitæ ibant contra caſtra Benadad, & mittebat Benadad quoſdam de Syris ad comprehendum viuos viros egreſſos de Samaria, & ipſi viri Samariæ fecerunt impetum in illos, & & occidit quilibet eum, qui contra ſe veniebat de Syris.

Fugerunt Syri, & perſecutus eſt eos Iſrael. Poſtquam viderunt tam audaces Iudæos ipſi Syri, & quòd de ſuis multi corruerant in primo impetu, timuerunt, & terga verterunt: & tunc tota multitudo Syrorum, quæ erat in caſtris cum Benadad, erat in diſpoſita ad bellum: quia cum eſſet meridies, & non præceſſiſſet fama de bello, non erant accincti: ideo omnes fugerunt, & Iſraelitæ perſecuti ſunt ipſos ad occidendum eos, & capiendũ ſpolia, ſcientes quòd Dominus tradidiſſet illos in manus eorum.

Fugit quoque Benadad Rex Syriæ in equo cum equitibus. Videns Benadad, qui erat in tentorio ſuo bibens, & temulentus, quòd fugerent viri ſui, & Iſraelitæ irruerent in caſtra eius, aſcendit equum, & fugit: equites quoque omnes fugerunt cum eo: quia illi erant parati ad fugam licet non ad bellum, & poterant illi fugere propter velocitatem equorum: qui autem pedites erant, non poterant fugere, & illi trucidabantur ab exercitu Achab.

Necnon & egreſſus Rex Iſrael, percuſſit equos, & currus. Scilicet, Non ſolum Achab egreſſus eſt ad fugandum Benadad, & exercitum eius de loco ſuo, ſed etiam poſtquàm fugerunt, perſequebatur illos, & occidit plurimos de equitibus, & de euntibus in curribus.

Et percuſſit Syriam plaga magna. Scilicet, Fecit magnam plagam in Syris, quia occidit multos de eis, & cepit ſpolia magna.

Accedens autem. Hic ponitur ſecundum principale huius capitu. in quo ſecunda victoria ſcribitur. Et diuiditur in tres partes. Primo Achab de bello futuro cum Benadad præmonitur. Secundo victoria ei prædicitur, ibi.

Accedens vnus. Tertio habita victoria Achab abutitur ibi. *Dixeruntque ei ſerui ſui.* Circa primum dicitur. *Accedens autem Propheta ad Regem Iſrael, dixit ei.* In hoc Deus voluit præmunire Achab contra Benadad: quia forte Achab eo quòd iſta vice præualuerat contra Benadad putaret, quòd iam ſecurus erat, & quòd Benadad non auderet pugnare contra ipſum: *Præmonitio de futuro bello.*

A & sic non adhiberet debitam diligentiam circa seipsum, nec faceret apparatum aliquem ad bellum: & sic Benadad diligenter parans se pro sequenti anno ad pugnandum contra Achab, faciliter superaret eum: ideo præmuniuit eum Deus, quòd disponeret se ad bellum, denunciando quòd sequenti anno bellum futurum erat ei cum Benadad. *Vade & confortare.* Id est, Facias apparatum bellicum, per quem sis dispositus, & factus robustus ad bellum.

Et scito, & vide quid facias. Id est, Cum prænuncietur tibi bellum attende quid oporteat te agere, quasi dicat, satis potes cognoscere, quid expediat tibi agere, cum cognoscas potentiam magnam Benadad, & quòd nunc veniet instructior, & fortior ad bellum propter hoc, quòd semel victus est.

Quis Propheta nunciauit Achab futurum bellum secundum.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quis erat iste Proheta, qui prædixit hæc. Respondendum, quòd non apparet, & tamen poterat dici dupliciter. Vno modo, quòd iste esset Elias: quia nominatur hic Propheta sine aliqua limitatione, & per hoc significatur, quòd est excellenter Propheta. Sicut cum dicimus Apostolum, non exprimendo nomen intelligitur excellens inter Apostolos, scilicet, Paulus, qui fuit excellentior in doctrina, licet non in potestate: ita Elias tempore illo erat excellentior inter omnes Prophetas: ideo ad istum pertinebat, quòd vocaretur Propheta nõ exprimendo nomen, propriũ. Sed istud non multum videtur, quòd de Elia consueuit semper fieri mentio specialis sub nomine suo, quando de ipso dicitur. Sic patet supra 17. & infra sequenti cap. & sequenti libro, cap. 1. Hic autem non exprimitur nomen eius. Dicendum ergo, quòd iste Propheta, qui prænunciauit hæc, fuit ille, qui prænunciauit victoriam belli præcedentis, & vocatur hic Propheta non expresso nomine, quia satis colligitur ex continuatione sententiæ, scilicet, quia supra dictum est, quòd quidam de Prophetis prædixit Achab victoriam futuram: & quia in eodem die, vel post paucos venit ille Propheta ad denunciandum bellum anni futuri, dicitur: Accedens Propheta, quasi manifestè videatur ex continuatione literæ, quòd iste sit ille Propheta, de quo immediatè dictũ est, & iste est Michæas filius Iemla, vt supra dictum est: & sic tenet Historia Scholastica, & Nicolaus, cuius ratio supra posita fuit.

B

Sequenti enim anno Rex Syriæ ascendet contra te. Benadad erat Rex potentissimus, & erubuit nimis, quòd Rex Israel, qui erat quasi nullius potestatis in comparatione eius, prævaleret contra ipsum, ideo stimulatus dolore, voluit sequenti anno vindictam capere, & disposuit se ad bellum. *Serui verò Regis Syriæ dixerunt ei: Dij montium sunt Dij eorum, ideo superauerunt nos.* Ista est disceptatio inter Benadad, & seruos suos. Mirabatur enim Benadad, quomodo Rex Israel, qui nullius potestatis erat, potuisset superare eum. Et responderunt serui Benadad, quòd hoc non acciderat ex potestate Achab sed ex potestate Deorum suorum: & hoc erat ad non inferendum dedecus ipsi Benadad: quia quòd Benadad superaretur à Dijs, non erat dedecus, cum ipse homo esset; quòd tamen superaretur à viris Achab, erat dedecus: ideo attribuerunt victoriam Dijs Hebræorum, & quia fuerat factum bellum in montibus, & ibi prævaluerant Israelitæ, dixerant Syri, quòd Dij montium erant Dij Israel.

C

De tribus generibus Deorum Gentilium, & de fundamento eorum, circa modum ponendi Deos. Et Semidei qui vocantur. Et rustica numina quæ sint.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR, quare Gentiles taliter locuti sunt, vt dicerent aliquos esse Deos montium, quasi essent specialiter aliqui Dij montium, & non aliarum rerum.

Respondendum, quòd Gentiles errauerunt nimis circa positionem Deitatis: omnes enim posuerunt deitatem, & tamen errauerunt ponendo multos Deos, & ponendo illos, ad quos non pertinebat aliquo modo Deitas. Pro quo sciendum, quòd Gentiles dixerunt Deos suos esse diuisos in tres partes: quosdam enim vocauerunt selectos, alios semideos, alios rustica numina. Primi reputabantur ab ipsis veri Dij, & excellentissimi, quorum erat præcipuus Iuppiter, & postea Apollo, Mars, Saturnus, Mercurius, Iuno, Diana, Orcus, Venus, & sic de multis, quorum vigintiduo erant viri, & paucæ fœminæ: ita quod ad trigintaduo non accedunt. De his declarat August. 7. de ciuit. Dei: & isti erant Dij cœlestes, quorum figuræ sunt in octauo cœlo, & istos dicunt esse immortales, & ex vtroque parente esse Deos. Alij sunt, qui vocantur semidei, & isti sunt, qui habuerunt alterum de parentibus Deum, & alterum mortalem. Sic Hercules semideus est, quia Iupiter pater Deus est, mater verò Alcmena fœmina mortalis. Sic etiam Achilles semideus est ex matre Dea, scilicet, Thetide, & ex patre mortali, scilicet, Peleo. Sic etiam Perseus patrem habet Iouem, matrem verò Danaem fœminam mortalem filiam Regis Acrisij. Sic Esculapius filius Apollinis, & coronidis fœminæ mortalis. Sic Romulus filius Martis, & Iliæ filiæ Numitoris Regis. De his, & de plurimis similibus vulgatissima fama est apud omnes Poetas. Interdum autẽ vocantur semidei illi, qui non habent aliquem parentem Deum, sed solum dicuntur facti Dei propter excellentiam gestorum. Sic enim Plato propter excellentiam sapientiæ semideus à Gentilibus appellatus est, vt ait Augustin. 2. de Ciuitate Dei. Sic etiam Osiris, & Isis, & Frictonius, & ferè omnes, qui aliquas artes nouiter inuenerunt, Dij vocati sunt ab illis Gentilibus, inter quos illas artes inuenerunt, & positi fuerunt inter semideos. De his Aug. 18. de Ciuitate Dei tangit aliquid, & multa tangunt Poetæ. Tertium genus Deorum est, qui vocantur rustica numina, & isti sunt dij, qui nondum sunt in cœlestibus, sed aliquando illuc transferendi erant. Sic sunt Satyri, & Fauni, & Syluani, & Nymphæ. De his Ouidius 1. Meta. & Martianus Felix Capella in libro de nuptijs Mercurij, & Phisiologiæ. Isti dij, qui vocantur rustica numina, assignantur varijs officijs, intantum quòd tot sunt dij, immo plures, quam officia nobis competunt, & rebus naturalibus. Fuit autẽ insania quædam Gentilium, quòd cuicunq; rei, & operationi attribuerent vnum Deum: videbant enim quemlibet effectum procedere ex aliquo principio, siue virtute effectiua, & illam virtutem diuinam arbitrabantur: ideo imponebant ei nomen deitatis. Et non suffecit insaniæ Gentilium tot ponere deos, quot rerum species erant, sed etiam vni rei multos deos ponebant. Sic patet de spica, cui ponebant Deum Lacturnum, & Nodotum, & Geniculatũ, & Deam Segetiam: Lacturnus erat præsidens spicæ, quando est tenera in lacte. Nodotus præerat ei, quando durior effecta, accipiebat nodos. Geniculatus præerat, quando calamus producebat folliculos spicæ. Segetia Dea præerat, quando erat spica iam matura in segete. Sic etiam homini nascenti multos deos posuerunt, scil. Lucinam Deam, quæ de ventre in lucem educat. Sentunum deum, qui sentire conferat. Vitunum, qui vitam det. Deinde ad educationem pueri introducunt pluralitatẽ deorum, scilicet, deam Educam, Potinam, Interducam, Manuducam, Adeonam, Abeonam, quorum singulis officia circa natum exhibent, scil. quædam cibum, aliæ potum, aliæ puerum ad ambulandum incitant, abeundo, & redeundo manuducentes. Sic etiam circa coniugales ritus deorum pluralitatem opponunt, scil. deum Iugantinum, qui matrimonio iungit: deinde deam Virginiensem, Deum patrẽ Subigum, deam Premam, & Pertundam, Venerem, & Priapum, quibus tam turpia officia exhibent, vt pudor sit enarrare: differit tamen ea August. 6. de Ciuit. Dei, cap. 10. Sic etiam diuersis partibus terrarum diuersos deos præficiunt, scil. collibus deum Iugatiuum, qui à iugis, id est, collibus dicitur. Vallibus autem deam Valloniam præfecerunt. Agris vero, quæ rura vocantur, deam Rusinã præponunt: in his autem tanta multitudo est, & officiorum pluralitas, vt vltra quadringentos Deos excedant inter masculos, & fœminas teste Varrone in libro Sacrorum, qui de eis latius quàm omnes homines narrauit. Et sic Dij montium vocantur Iugatiui, & illæ gentes, quæ colunt Deum Iugatiuũ putabantur apud Gentiles prosperari in montibus. De istis Dijs, & varijs generibus eorum destinaueram hic explicare, sed eorum numerositas me terruit: nam oporteret prẽter intentionẽ fieri maius

D

E

F

Homini nascenti multos deos dant Gentiles.

Pluralitas deorum in coniugio.

volumen,

A

Quis antiquorũ optimè de Dijs scripsit.

volumen, quàm quæ de quibus agitur, exigunt: nam Aug. 6. & 7. de Ciu. Dei ferè nihil aliud dicit niſi de iſtis Dijs, & tamẽ minimum, quòd ad eos pertinet, ſe expleuiſſe non credit. Ioannes Boccatio de certaldo de Genealogijs deorũ libros 13. ſatis latè deſcripſit, & tamen in eis ſolum tetigit duo prima genera deorum, ſcil. ſelectos, & ſemideos, de ruſticis numinibus nihil agens. Sed Marcus Varro, qui teſte Augu. 5. & 6. de Ciu. Dei, & ſæpe in eiſdem libris circa iſta omnium hominum curioſiſſimus fuit, latiſſimè de Dijs iſtis tractauit, qui 42. volumina ſcripſit, in quibus potius officium ruſticorum numinum, quòd alij pœnè omiſerant, diligenter diſſeruit: ſed adhuc neſcio an in his ſufficienter pro multitudine eorum dictum ſit: ideo ſiquis videre velit de his, abundantiſſimus locus patet in locis allegatis: & etiam per Ouidium in libro faſtorum, & fere in toto proceſſu poetico.

Quare Dij Iudæorum vocati ſunt Dij montium à Syris.

QVÆSTIO X.

VLTERIVS quæretur, quare Syri ſpecialiter dixerunt de iudeis, quòd Dij montiũ erant Dij eorum. Reſpondet Nicolaus, quòd hoc dixerunt, quia Deus Iſraelitarũ habebat cultum in montibus: nam templũ Dei, quod erat in Ieruſalem, erat in altiſſimo loco ciuitatis, ſcil. in monte Moria. 2. Paralip. 3. Etiam Elias ædificauerat iram Dei in monte

B

Carmelo. Sed dicendũ, quòd Syri non attendebant ad hoc, ſed loquebantur ſecundũ opinionem Gentilium. Quòd patet, quia dixerunt: Dij montium ſunt Dij eorum, & tamen Iſraelitæ vnicum Deum habebant. Ideo dicendum, quòd Syri putauerunt, quòd Iſraelitæ colebant Deum Iugatiuum, qui præeſt montibus, & ob hoc in montibus præualuerunt, & non colebant deam Valloniam, quæ eſt dea vallium, nec deam Ruſinam, quæ eſt dea agrorum: ideo ſi pugnarent Syri contra eos in vallibus, vel in agris planis, non poſſent habere Iſraelitæ adiutorium à deo ſuo Iugatiuo: & ſic relicti viribus ſuis perirent faciliter. Vel poteſt dici, quòd Syri dixerunt hoc propter experientiã euentus. Nam locus, in quo pugnauerunt, erat montuoſus, & putabant ipſi, quòd non erat poſſibile Iſraelitas ſolis viribus ſuis præualere contra Benadad: ideo aſcripſerunt viribus deorum ſuorum, & quia in montibus fuerat Benadad ſuperatus, putauerunt Deos Iſraelitarum exercere poteſtatem in montibus, & nõ in alijs partibus terræ. Iſtud procedit ex diuiſione officiorum, & poteſtatum, quàm faciebant Gentiles Dijs ſuis: quia quibuſdam attribuebant valles, alijs montes, alijs agros, alijs flumina, alijs fontes, alijs maria, & ſic de diuerſis partibus rerum: & erant officia eorũ impermixta: ita quòd id quod fiebat per vnum Deum, nõ poterat fieri per alium: ideo putabant Syri, quòd ſi Dij Iſraelitarũ erant Dij montium, non

C

poſſent adiuuare eos in vallibus, nec in alijs partibus terræ. Si autem hac vice ſuperaſſent Iſraelitæ Benadad in vallibus, putauiſſent Syri quòd Iſraelitæ colebant deam Valloniam: ideo ꝙ non poſſent cõtra eos pugnare in vallibus, ſed faciliter pugnarent contra eos in montibus, vel in agris, vbi præerant Iugatiuus, & Ruſina. & dato quòd non putarent Syri, quòd Iſraelitæ colebant Deum Iugatiuum: tamẽ putabant, quòd quotcunque; & qualeſcunq; eſſent Dij Iſraelitarũ, illi ſolum exercebant poteſtatẽ in montibus: ideo ꝙ ibi ſolum præualerent, & deficerent in vallibus, vel in alijs locis quibuſcunque. *Dij montium ſunt ſicut Dij eorum.* Id eſt, Dij Iſraelitarũ habent poteſtatẽ ſolùm in mõtibus. *Ideo ſuperauerunt nos.* Scil. quia erant in loco, in quo poterant à dijs ſuis adiuuari.

Iſraelitæ quomodo ſuperare debebant in montibus Syros per Deos montium.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quomodo Iſraelitæ ſuperare debebant in montibus, dato quòd Dij montiũ eſſent Dij eorum: nam vocantur Dij montiũ, quia haberent virtutẽ faciendi, vel producendi aliquid in montibus, ſed non intelligitur de pugna. Reſpondendum, quòd Gentiles dabant ſpecialiter poteſtatem bellorum Deo Marti, & Bellonæ, & Palladi, & tamen cum quibuſlibet Dijs de ruſticis numinibus aſſignata eſſent certa officia, & certæ partes rerum, illis ſolum relinquebatur poteſtas in partibus illis, & alij Dij non habebant ibi poteſtatem aliquid agendi. Ponebant tamen Gentiles, quòd Dij quarumlibet gentium adiuuabant eos in bellis, & pugnabant inter ſe Dij diuerſarum gentium pro cultoribus ſuis. Sic patet de bello Troiano, in quo introducuntur ferè omnes Dij partiales, quibuſdam pugnantibus pro Troianis, & alijs pro Græcis; & dicitur etiam, quòd ibi aliqui Dij vulnerati fuerint ab hominibus pugnantibus. Sicut de Venere dicitur, quòd percuſſerit eam Diomedes Græcus, cum vellet liberare Æneam Troianum de manibus eius; de quo Homerus in Iliade, & Virgil. in Æneide. Etiam in bello, quòd habuit Æneas, poſtquam venit in Italiam, cum Turno Rege Rutilorum, ponuntur Dij conueniſſe in conſilium, & quoſdam diſceptaſſe pro parte Æneæ, vt ei victoria daretur, alijs verò pro parte Turni, & Rutulorum, vt inducit Virgilius in 10. Æneidos. Auguſt. quoq; tertio de ciuitate Dei, cap. 30. Introducit pugnas Deorum Gentilium, id eſt, ipſorum dæmonum, qui à Gentilibus colebantur, veras fuiſſe, & ꝙ apud quendam locum ſemel viſæ ſunt. Sic igitur dato, quòd haberent Syri Deos, qui vellent adiuuare ipſos, non poſſent adiuuare in montibus, eo quòd ſicut opinabãtur Syri, poteſtas Deorum Hebræorum erat in montibus, & poteſtates Deorum erant impermixtæ, & ſic tunc Iſraelitæ adiuuarentur à Dijs ſuis pugnantibus pro eis, & Syri non poſſent habere Deos ſuos ibi adiutores. *Sed melius eſt, vt pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos.* Scilicet, Dij ſui ſolum ſunt montium, & non camporũ: ideo quando pugnauerimus in campo contra eos, deſtituti Deorum ſuorum auxilio, cito peribunt. *Tu verò verbum hoc fac.* In præcedentibus dederunt ſerui Benadad ei rationem, quare victus fuerat ab Iſraelitis. Hic autẽ dant conſiliũ qualiter debeat iterum pugnare contra Iſraelitas, & vincere eos, ſcilicet, tu fac verbum hoc, id eſt, accipe conſilium noſtrum, quòd ſequitur. *Amoue Reges ſingulos ab exercitu ſuo, & pone Principes pro eis.* In exercitu Benadad fuerant nunc trigintaduo Reges, vt patet ſupra. Volebant autem nunc cõſiliarij eius, quòd in ſequenti bello nullus de Regibus veniret, ſed loco Regum ponerentur trigintaduo Principes, qui non eſſent Reges & illi præeſſent exercitibus, quibus prius Reges illi præfuerunt. Cauſa autem amouendi eos fuit duplex. Volebant enim nunc ſerui Benadad, quòd ipſe faceret bellum acerrimum contra Iſrael: & ad hoc exigebantur Duces pugnantes fortiter, & diligenter. Iſtud autem conueniebat potius alijs hominibus, quàm Regibus: Reges ſunt teneri propter aſſuetudinem, & vacationem nimiam in delitijs: bellum autẽ exigit homines duros, & aſſuefactos rebus duris: ideo nõ conueniebant Reges pro bello duriſſimo, tanquàm Duces exercitus. Secundum eſt, quia ſi aliqui non Reges præficerentur exercitibus, deſiderio exaltationis ſuæ ad maiora pugnarent acriter, quòd non facerent reges, qui nõ expectabant aliqua maiora propter hoc, quòd erant in culmine honoris. *Et inſtaura numerum militũ, qui ceciderunt de tuis.* Scilicet, Fac numerum æqualẽ militum, vt fuit in priori bello, ponendo alios milites pro illis, qui occiſi ſunt ab Iſraelitis. *Et equos ſecundum equos priſtinos.* Scilicet, Pone tot equos in exercitu, quot fuerunt prius. Nam aliqui de equis occiſi fuerunt in bello, alij verò ab Iſraelitis capti ſunt, & ſuppleuit numerum illorum nunc Benadad. *Et currus ſecundum currus, quos ante habuiſti.* Scilicet, Pone tot currus, quòd habuiſti in præcedenti bello. nam aliqui de curribus capti fuerant ab Iſraelitis in fuga: eo ꝙ currus non poterant æque velociter fugere, ſicut equites. *Et pugnabimus contra eos in campeſtribus, & videbis, quòd obtinebimus eos.* Scilicet, Pugnabimus in vallibus, vel in locis planis, qui vocantur cãpeſtria, & non in montibus, vbi habent potentiam Dij eorum: & tunc videbis in experientia, quòd præualebimus contra eos, quia Dij ipſorũ non poterunt adiuuare eos in campeſtribus. *Credidit conſilio eorum & fecit ſic.* Scilicet, Iſta oratio erat aliqualiter veriſimilis ſecundũ poſitionem Gentilium, & cum ipſe Benadad ad haberet valde maiorem poteſtatem, quàm Achab, credidit, ꝙ non eſſet victus ab eo, ſed à Dijs eius: & hoc verum erat, quia Deus Achab tradiderat Benadad in manus eius, & tamen non, ſicut putabat Benadad, & viri ſui, ſcilicet, quòd Deus Iſrael haberet ſolum poteſtatem in montibus: quia cum eſſet Deus verus, vbiq; poteſtatem habebat: credens ergo Benadad viris ſuis, inſtaurauit exercitum, ſicut

D

E

F

A prius habuerat, vt pugnaret ſequenti anno contra Achab. *Igitur poſtquam annus tranſierat.* Scilicet, Poſtquàm redijt iterum tempus pugnandi, quia quædam tempora ſunt inepta ad bellum, ſicut hyems. Sic dicitur præcedenti libro, cap. 11. ſcilicet, Factum eſt vertente anno, eo tempore quo ſolent reges ad bella procedere. *Recenſuit Benadad Syros.* Scil. Computauit exercitum ſuum, reducendo ad numerum æqualem, qui prius fuerat. *Et aſcendit in Aphec, vt pugnaret contra Iſrael.* Aphec eſt quædam ciuitas in terra Iſrael,& apud illam aſcendit Benadad ad pugnandum, eo quod illa erat in plano, & noluit ire ad pugnandum contra Samariam, vbi prius pugnauerat, quia ibi erant montes,& putabat ſe ſuperatũ fuiſſe à Dijs montium, qui erant Dij Iſraelitarum, vt patet ſupra: nunc autem pugnaret in loco plano contra Iſraelitas.

Aphec qua ciuitas eſt.

Sciendum autem, quòd Aphec fuit ciuitas Regalis ante introitum Iſraelitarum in terram Chanaan, & Rex eius fuit vnus de Regibus occiſis per Ioſue, & Iſraelitas, vt patet Ioſue 12. Eſt autem duplex ciuitas Aphec, vna eſt in ſorte Iuda. Ioſue 15. Et alia in ſorte Aſer. Ioſue 19. De prima habetur ſupra 1. libro, cap. 4. Vbi dicitur, quòd Philiſthini caſtrametati ſunt in Aphec, & Iſraelitæ iuxta lapidem adiutorij. De hac etiam eodem libro, cap. 29. Scil. Congregata ſunt agmina Philiſthinorum in Aphec. Et patet, quòd intelligatur de Aphec terræ Iudæ: quia dicitur ibi, quòd Iſrael caſtrametatus eſt ſuper fontem Iezrael: & tamen Iezrael eſt ciuitas in
B ſorte Iudæ, Ioſue 15. Iſta Aphec, de qua dicitur, eſt in ſorte Aſer. Quod patet, quia Benadad pugnabat nunc contra Regem Iſrael, & non contra Regem Iuda: ideo locaret caſtra in terra Iſrael, & non Iuda. Etiam patet, quia Benadad veniebat contra Iſraelitas à parte Aquilonari, cum regnum Syriæ ſit Aquilonare terræ Iſrael: ſors autem Aſer, in qua eſt ciuitas Aphec eſt ſatis Aquilonaris in terra decem tribuum, vt patet ex aſſignatione terminorum ſuorum. Ioſue 19. *Porro filij Iſrael recenſiti ſunt.* Achab enim præmonitus fuerat à Propheta, quòd pararet ſe ad bellum pro ſequenti anno: ideo toto illo anno fecit apparatũ bellicum, iubendo præſto eſſe in armis omnes illos, qui deſignat fuerant ab ipſo ad bella, vt quacunque die veniret Benadad, ipſi eſſent parati ad exeundum ei obuiam. *Et acceptis cibarijs profecti ſunt ex aduerſo.* Scilicet, Iſraelitæ fecerunt apparatum cibariorum pro toto exercitu ſuo:& diſpoſuerunt aliquos ad hoc, ꝙ ſemper portarent neceſſaria ad loca caſtrorum, quandiu duraret bellum. Sic enim dicitur Iudicum 20. Quando pugnauerunt vndecim tribus contra vnam, & fecerunt apparatum pro bello, dicentes: Decem viri eligantur de centũ ex omnibus tribubus Iſrael, & centũ de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria. *Caſtraq; metati ſunt contra eos.* Id eſt, Fixerunt caſtra ex aduerſo, non formidantes eos, quia Deus eorum poterat in vallibus,& in montibus pugnare. Sciendũ,
C quòd aliquando dicitur caſtrametor, aris, ita vt ſit vnũ verbum: aliquando autem declinatur per ſe metor, aris,& accipitur pro figere, vel locare,& idem ſignificatur vtroq; modo. Hic autem ſunt duæ partes: quod patet, quia interponitur dictio enclitica: & tamen poteſt dici, quòd ſit vnica dictio, & tamen interponitur ibi enclitica per tmeſim figuram, ſecundum quam diuiditur dictio in duas partes, & interponitur aliquid inter vtramq; partem, ſicut ponit exemplũ Doctrinale in figuris, ſcilicet,

Eſt regio Boreæ ſeptem ſubiecta Trioni.

Cum deberet dicere Septentrioni, quia eſt vna pars. Sic etiam Græciſmus in pronominibus dicit.

Non quòd ſim Priſci dictis contrarius ani:

Et deberet dicere Priſciani. Sed iſta figura raro venit in vsũ, niſi in metro. Hic autem voluit Hieronymus vti ea, dicens: caſtraq; metatus, cum deberet dicere caſtrametatus. *Quaſi duo parui greges caprarum.* Scilicet, Iſraelitæ videbantur valde pauci, ſicut paruus grex caprarum, & comparando ad caſtra Syrorum, quę repleuerant terram. Et dicitur: quaſi duo parui greges, quia fortè Iſraelitæ diuiſi erant in duas acies, vel diuiſerant caſtra ſua in duobus locis, & videbantur duo greges diſtincti.

Syri autem repleuerunt terram. Scilicet, Exercitus Benadad, qui erat exercitus Syrorum, repleuit terram præ multitudine anima. *Et accedens.* Hic ponitur ſecundum huius partis, in quo victoria ipſi Achab prædicitur. Et hoc fuit, quia licet in anno precedenti Propheta prędixiſſet bellum Benadad contra Iſrael, & confortaſſet eum, tamen iam tranſierat annus, & nunc Iſraelitæ aſtabant Syris ex oppoſito, & poterant formidare eos propter multitudinem, ideo Deus miſit Prophetam ad confortandum Iſraelitas. D

Et accedens vnus vir Dei, dixit ad Regem Iſrael. Iſte erat Propheta, quia Prophetæ vocantur viri Dei, ſicut patet de Elia. ſupra 17. Et credendum eſt, quòd iſte eſſet Propheta, qui in duabus præcedentibus vicibus venerat ad Regem denunciando ei victoriam. In Hebræo ponitur bis dixit, ſcilicet. *Et accedens vnus vir Dei, dixit ad Regem Iſrael, & dixit.* Litera autẽ noſtra poſuit ſolum ſemel, quia idioma Hebræum eſt in multis barbaricum, & ſæpe ſuperabundat, & ſæpe deficit, non curans de ſuperabundantia Hebraica. Hebræi tamẽ dicunt, quòd ponitur bis dixit ad ſignificandum, quòd dixit ei duo. Primum fuit id, quod habetur in litera. Secundum fuit, ꝙ Achab non parceret ipſi Benadad, ſed occideret eum. Sed iſtud fictum eſt, de quo infra dicetur: ideo Hieronymus nõ curauit de illo. *Hac dicit Dominus: Quia dixerunt Syri: Deus montium eſt Dominus, & non Deus vallium.* Iſta erat blaſphemia magna, quia minuebatur poteſtas Dei, cum ipſe non ſolum eſſet Deus montium, ſed etiam omniũ rerum, quia erat Deus verus omnipotens: & ob hoc in vindictã blaſphemiæ tradidit Benadad, & exercitum eius in manus Achab. Vocatur hic Dominus ipſe Deus Iſrael, quia iſtud erat ſibi nomen cõmune, quaſi nomen proprium. Sic dixit Elias, ſupra 18. Vſquequo claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. Non dixerunt Syri Dominus eſt Deus montium, ſed Dij montium ſunt Dij eorum: quia tamẽ ſolus Dominus erat Deus Iſrael, iſta blaſphemia erat de eo ſolo dicta. *Dabo multitudinẽ omnem hanc grandem in manu tua.* Id eſt, Faciam, quòd tota iſta multitudo, licet ſit valde magna, tradatur in manus tuas, ita quòd occidatur à te. E

Quomodo Deus multis modis poteſt tradere hominem in manus alterius.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR, quis modus tradendi hanc multitudinẽ fuerit. Reſpondendum, quòd Deus multis modis tradere poteſt hominem in manus hominis: quot enim modis poteſt velle, tot modis poteſt efficere. De modis autem pluribus, quibus Deus interdum tradit hominem in poteſtate hominis, declaratum eſt ſatis ſupra 1. libro, cap. 33. Dicendũ autem, quòd in iſto bello fuerunt duo, per quæ exercitus Benadad traditus fuit in manus Achab. Primum fuit, quòd Iſraelitæ occiderunt centum millia peditum in die vna. Secundum fuit, quòd Dominus diruit muros vrbis Aphec, ſuper vigintiſeptem millia virorum Benadad. De primo dicendum, quòd Deus potuit tradere illos centum millia in manu Achab imprimendo timorem cordibus eorum, ita vt non poſſent conſiſtere coram Iſraelitis, ſed fugerent, & in fuga occiderent eos Iſraelitæ. Sic enim Deus dixerat Iſraelitis. Exod. 23. Scilicet, Terrorem meum mittam in præcurſum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam. Sic etiam erat de ipſis Iſraelitis, quando mali erant: quia Deus incutiebat timorem cordibus eorum, vt fugerent nullo perſequente, & ſi boni eſſent, centum de eis fugarent decem millia. Leuit. 26. & Deuteron. 28. & 32. Alio modo poterat hoc eſſe, ſcilicet, quòd Deus daret vires Iſraelitis magnas nimis, ad hoc quòd quanquã Syri fortiter pugnarent, Iſraelitæ præualerent viribus contra eos. Simile patet Deuterom. Scilicet, Ne dicas in corde tuo: Fortitudo mea,& robur manus meæ hæc omnia mihi præſtiterunt, ſed recorderis Domini Dei tui, quòd ipſe tibi vires præbuerit, vt impleret pactum ſuum. Vel poterat hoc eſſe, ſcilicet, quòd Deus auferret Syris vires ad pugnam, & animoſitatem, & dato, quòd Iſraelitæ nõ haberent maiores vires, quàm prius, faciliter poterant præualere contra Syros. Secundum fuit, quòd corruerunt muri vrbis ſuper vigintiſeptem millia virorum Benadad, & perierunt. Iſtud autem factum eſt opere Dei, Iſraelitis nihil agentibus, quanquam de hoc, qualiter factum ſit, infra dicetur: ideo vtroque modo iſtorum Deus F

A tradidit viros Benadad in manus Achab, licet diuersimodè. *Et scietis, quia ego sum Dominus.* Id est, per hoc cognoscetis, quòd ego verè sim Deus, qui possum dare victoriam, quibus voluero: nam in quolibet miraculo ostenditur potestas Dei. *Dirigebant septem diebus ex aduerso hi, atque illi acies.* Scilicet, Postquàm collocata sunt castra Syrorum, & Hebræorum, dirigebant quotidie Israelitæ acies contra Syros, & Syri dirigebant contra Israelitas, & hoc durauit septem diebus, tamen in his non fuit commissum bellum ex vtraque parte, sed solum dirigebantur acies ad instruendum milites in bello. Sic enim omnes gentes faciunt, quando pugnare debent: exercitant enim se in acie, vt postea conuenienter pugnent, quando oportuerit. *Septima autem die commissum est bellum.* Tunc enim conuenerunt acies vtrinq; ad pugnandum. *Percusseruntque filij Israel de Syris centum millia peditum in die vna.* Scilicet, In septima die, quæ fuit principium belli, & in ipsa consummatum est bellum, perierunt centum millia peditum de Syris. Vocantur autem pedites, quia forte equites, & qui erant in curribus, fugerunt: & sic de equitibus, & de pugnantibus in curribus, nullus tunc occisus est. Vel potest dici, quòd accipiuntur large pedites pro quibuscunque pugnatoribus: & hoc quia satis verisimile est, quòd aliqui de equitibus, & de pugnantibus in curribus, occisi fuerint. *Fugerunt autem qui remanserant in Aphec ciuitatem.* Postquàm B occisi sunt vsque ad centum millia de exercitu Benadad, reliqui non ausi sunt expectare, credentes se non posse sustinere impetum Israelitarum: ideo fugerunt in ciuitatẽ Aphec, quæ propinqua erat: quia vt supra dicitur apud eam castra metatus fuerat Benadad.

Quomodo Benadad, & sui potuerunt fugere in Aphec, cum ista ciuitas esset de Israel.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quomodo Benadad, & viri sui potuerunt fugere in Aphec, quia ista ciuitas erat de terra Israel, cum esset in sorte Aser. Iosue 19. Aliquis dicet quòd quanquam esset in sorte Aser, tamen nunquàm possessa fuerat ab Israelitis, sed tenuerant eam Syri, sicut Philisthini tenebant multas ciuitates, quæ erant de terra Israel, & illæ distribuuntur in sorte Iuda. Iosue 15. Nam Deus dixit, quòd dato, quòd terra nondum esset capta de manibus hostium, diuideretur tota per sortes. Iosue 13. Et sic postea fuerunt quædam loca descripta in sortibus aliquarum tribuum, quæ nunquàm prouenerunt eis: & sic fortè esset de vrbe Aphec. Dicendum, quòd non stat, quia Israelitæ non tenebant aliquam terram, quæ pertineret ad Syros, cum solum acceperint terram Chanaan: & sic necesse erat Aphec esse de terra Chanaan: ideo non poterat isto modo teneri à Benadad. Sed dicendum, quòd Benadad, & prædecessores sui erant Reges potentes valde, & acceperant aliquas vrbes de terra Israel, inter quas erat Aphec, cum esset propinqua terræ suæ, ideo locauit castra apud illam tanquam ad regnum suum. De hoc patet infra in litera, cum dixit Benadad ad Achab: Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam: esset ergo ista vna de illis. *Et cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant.* Scilicet, Occisis centum millibus de exercitu Benadad solum manserunt viginti septem millia, aut parum plus: & omnes isti confugerunt in Aphec, vt euaderent ibi, quousque Benadad congregaret maiorem exercitum contra Achab: & cum ibi manerent cecidit murus, & occidit illos omnes.

Murus Aphec, quomodo cecidit.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR, quomodo ceciderit murus ad occidendum omnes istos viginti septem millia. Respondet Nicolaus, quòd postquam fugit Benadad in Aphec volens ibi liberari de manu Achab, voluit muros vrbis fortificare, & dum sic mouerentur aliqui lapides ad fortificandum muros corruerunt. Sed istud non est verisimile: nam dato, quòd viri Benadad volentes reficere aliquam partem murorum, C præter intentionem facerent illam cadere, tamen non est verisimile, quòd omnes muri vrbis caderent, vel tanta pars, quæ posset occidere viginti septem millia hominum. Dicendum ergo, quòd muri vrbis omnes corruerunt, vel maior pars eorum, ad hoc quod posset occidere viginti septem millia hominum. Istud autem potuit accidere casu, scil. quia sicut corruũt alia ædificia, potuerunt cadere muri, quia ruinosi essent. Sed istud non est verisimile, quia dato, ꝙ accideret aliquam partem murorũ cadere, non accidere totum murũ cadere, vel ferè totum, ad hoc quòd posset occideret viginti septem millia hominũ. Etiam quia si muri à casu corruerent, essent iam dispositi ad cadendum: & tunc non applicaret totus exercitus ad locum, in quo posset cadere murus super eos sed fugerent inde. Dicendum igitur, quòd fortè corruit murus, quia omnes viri Benadad ascenderunt super murum, & motu eorum corruit. Istud quanquam possit stare, tamen non est verisimile, quòd à casu venerit: scilicet, quòd propter solum motum virorum, & pondus muri corruerint: quia tunc essent valde dispositi ad cadendum, & sic non esset verisimile, quòd viri Benadad ascenderent super tales muros. Dicendum igitur secundum veritatem, quòd muri vrbis Aphec erant satis fortes, de quibus nullus præsumebat, quòd faciliter cadere possent: ideo quando Benadad ingressus est vrbem, Achab cum Israelitis oppugnabat vrbem, vt caperet eam: tunc omnes viri Benadad viginti septem millia ascenderunt super muros ad omnem partem vrbis, vt defenderent eam, ne irrumperetur ab exercitu Achab: & tunc Deus volens facere vindictam super viros Benadad, subito prostrauit omnes muros vrbis per circuitum, & corruerunt omnes viri Benadad, qui supra erant, & mortui sunt. Sic enim Deus miraculosè fecit, vt muri Iericho subito caderent per totum gyrum, nemine impellente eos, & tamen prius nõ erant rupti, nec ad cadendum faciles. Iosue 6. *Pro Benadad fugiens, ingressus est ciuitatem.* Ista est recapitulatio: nam certũ est, quòd prius introiuit Banadad in vrbem cum viris suis, quàm caderet murus super eos. Etiam patet, quia supra dicitur: Fugerunt qui remanserant in Aphec ciuitatem, sed fit hic repetitio ad addendum. *In cubiculum quod erat intra cubiculum.* Id est, Latuit Benadad in vno cubiculo secretissimo, quòd erat intra aliud cubiculum, ita vt vix posset ibi reperiri. Ioseph. 8. Antiquitatum, dicit, quòd introiuit Benadad cum paucis de amicis suis in locum subterraneum. *Dixerunt ei serui sui.* Hic ponitur tertium huius partis, in quo Achab victoria à Deo concessa abutitur, non occidendo Benadad, quem occidere debuerat. Et dicitur. *Dixerunt ei serui sui.* Id est, Isti erant aliqui pauci, qui latuerant cum Benadad in secreto cubiculo, putantes quòd ibi possent euadere manum Achab: postea autem deliberauerunt ire ad Achab, petentes misericordiam pro Benadad. Nam putauerunt, quòd si manerent ibi, Achab inquireret totam vrbem, & inueniret Benadad latentem in cubiculo, & occideret eum: melius ergo erat, quòd serui eius irent ad implorandũ clementiã Achab, cum de hac confiderent. *Ecce audiuimus, quòd Reges domus Israel clementes sint.* Istud dicebant serui Benadad ad ostendendum, quòd expediebat, quòd irent ad petendum clementiã Achab pro Benadad. & si fortè putarent, quòd Achab erat durus, non exiuissent ad eum inquirentes mortem certissimam, sed potius manentes in occulto, expectarent mortem dubiam, vel salutem. Audierant tamen isti, quòd reges Israel consueuerant esse clementes erga hostes, postquàm superabant eos, ideo voluerunt illuc ire. *Ponamus itaq; saccos in lumbis nostris, & funiculos in capitibus nostris.* Iste erat habitus miserorum, & per hoc volebant ostendere se tales, de quibus misericordia haberi deberet. *Et egrediamur ad Regem Israel, forsitan saluabit animas nostras.* Scilicet, Quia hic manentes mortem expectamus, egrediamur ad Regem, & quia clemens est, forsitan saluauit animas nostras, id est, non occidet nos. *Accinxerunt ergo saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis.* Depositi enim vestes bellicas, vt iam non viderentur hostes, nec pugnare volentes, sed miserabiles subiecti veniam petentes. *Veneruntque ad Regem Israel.* Non venit Benadad cum istis, sed soli serui eius: ipse verò mansit in occulto, quousque sciret, quid agere disponeret Achab de eo. *Et dixerunt: Seruus tuus Benadad dicit: Viuat, oro, te anima mea.* Scilicet, Venerunt tanquàm nuncij Benadad, qui dicebat: D E F

A Viuat, oro te, anima mea, id est, oro te, ne occidas me, sed impone mihi, quodcunque tributum, aut seruitij genus volueris. Vocauit se Benedad seruum, quia iam propriè seruus erat cum esset in potestate hostis sui, & caperetur in bello. *Et ille ait: Si adhuc viuit, frater meus est.* Putabat Achab, quòd mortuus erat Benadad, cum cæteris corruentibus muris super eos: & quia serui eius dixerant: Hæc dicit seruus tuus Benadad: respondit Achab: Si adhuc viuit, frater meus est, id est, ego nolo habere eum in seruum, sicut vos dicitis, sed volo habere in fratrem, si viuus est. *Quod acceperunt viri pro omine.* Id est, Serui Benadad acceperunt verbum Achab pro omine, id est, pro augurio. *Et festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atque dixerunt: Frater tuus Benadad.* Id est, Cum Achab dixit: Si adhuc viuit, frater meus est, acceperunt serui Benadad pro bono augurio, & festinantes rapuerunt istud verbum ex ore eius, scilicet, antequàm aliquid aliud Rex diceret, viri isti rapuerunt ex ore eius istud verbum, Frater. *Et dixerunt: Frater tuus Benadad.* Scilicet, Frater tuus Benadad mittit ad dicendum hoc.

Omen quid sit. Et quomodo serui Benadad acceperunt augurium à Rege Achab.

QVÆSTIO XV.

B QVÆRETVR, quid sit omen, vel quomodo acceptum est hic verbum illud pro omine. Respondendum, quòd omen est quædam species superstitionis, vel augurij ex verbis impertinentibus aliorum, ad nostram intentionem reducta. Vocatur enim species superstitionis, quia omnes tales obseruationes sunt inutiles, & introductæ ex quadam vanitate, cum nihil habeant efficere, vel significare de eis, ad quę nos illa adducimus. Sic enim augurium consideratur in motu auium, vel cantu, ad cognoscendum ex hoc humanos euentus, & superstitiosum est. Sic etiam considerare sternutationes, quòd aliquid significent, ridiculum est, nisi fortè in infirmis: quia sternutatio in eis bonum signum est, scilicet, quòd natura potens est, & confortata super morbum, cum possit explere ventositatem titillantem cerebrum in menynga, sed reducendo sternutationes nostras, vel aliorũ ad significandum aliquid de rebus, quæ nobis eueniunt, omnino vanum est, atque ridiculum. Sic omen est superstitio in verbis, scilicet, quando aliquis ex verbis, quæ alius à casu, & extra causam nostram dicit, iudicamus bonum, vel malum in eo, quòd cogitamus: Vtpote si quis apud se cogitet de matrimonio contrahendo, & dum cogitat, audit aliquem loquentem à longè cum aliquo alio non erit, vel non stabit, iudicat ex hoc, quòd non fiet matrimonium, de quo cogitat, vel si fiat, quòd non permanebit. Sic econtrario si audierit alium dicentem bonum est, vel nunc fiet, vel semper manet, credit fœliciter euenturum in eo, quòd cogitat: & sic de omnibus alijs, quæ cogitamus. Solent enim multi superstitiosi, quando aliquid cogitant ad agendum, vel non agendum, auscultare quid alij loquantur, dum ipsi hæc cogitant, & secundum prospera, vel aduersa, quæ audiunt alios loquentes, sic in rebus suis iudicant euenturum. Istud obseruatum fuit multum apud antiquos. Nam Valerius Maximus lib. 1. De omnibus dicit, quòd omen apud antiquos pro religione habitum est, & ponit exemplum de Romanis, cum vellent condere vrbem, nescientes vbi fundarent sedes, acceperunt certitudinem ex omine: Nam quodam vexillifero præcedente alios, ad aliquid aliud agendum, dixit: Hic stemus, & ipse non loquebatur de fundatione vrbis, sed de aliquo alio, & acceptum est verbum pro omine, & ibi fundatæ fuerunt sedes Romanæ vrbis. Ad secundam particulam quæstionis dicendum, quòd viri Benadad acceperunt verbum Achab pro omine, id est, pro bono augurio, scil. quia ipsi cogitabant intra se de statu Benadad, an bonum, vel malum ei futurum esset: Achab autem dixit tunc: Si adhuc viuit, frater meus est: nomen fraternitatis est prosperum, quia signat magnam propinquitatem sanguinis, & dilectionem, ideo serui Benadad putauerunt, quòd prospere euenturum esset de statu Benadad, de quo ipsi tunc cogitabant, & quantum ad hoc fuit illud verbum omen. Cum autem dicitur, ꝙ rapuerunt viri verbum ex ore eius, & dixerunt: Frater tuus Benadad, potest dupliciter intelligi. Vno modo, quòd ipsi D dicerent verbum illud prosperum, scil. frater tuus Benadad, & per hoc confortaretur omen bonum. Nam sicut superstitionē istam putabant esse alicuius efficaciæ, cũ nullius esset, scil. ꝙ aliquis prospera, vel aduersa diceret, dum ipse aliquid cogitabat: ita ꝙ ipse cogitãs verba illa prospera repeteret, putabatur esse ad confortandũ bonũ omen. Aliter potest dici, quòd hoc fecerunt serui Benadad ad hoc, quòd Achab non retrocederet in verbis suis: nam ipse dixerat semel: Si adhuc viuit, frater meus est, in quo significabatur, quòd volebat propitiari ei, ideo vt non retrocederet loquendo aliqua dura contra eum, dixerunt etiam ipsi: Frater tuus Benadad. Sed primum verius est, quia isti viri totaliter respiciebant ad auguria, cum dicatur, quòd acceperunt verbum pro omine. *Et dixit eis: Ite & educite eum.* Dixerunt serui Benadad, quòd viuebat: & tunc Achab iussit eum adduci ad se, & voluit eum honorare. *Egressus est ergo ad eum Benadad.* Scilicet, Egressus est de cubiculo occultissimo in quo latebat, præstita securitate. *Et leuauit eum in currum suum.* Erat Benadad Rex potens, & inciderat in hãc calamitatem, ideo Achab, cum misereretur eius, eleuauit eum ad currum suum, vt essent ambo reges in eodem curru. Et in hoc clemens valde erat Achab: quia hostem suum pertinacem in seruum captum in curru suo sedere fecit. *Qui dixit ei.* Scilicet, Benadad locutus est ad Achab. Nam licet haberet eum in curru suo, nondum dimittebat, quòd iret in terram suam: ideo Benadad promisit multa regi Achab, vt dimitteret eum. *Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam.* Pater istius Benadad fuit Rex potens, sicut iste Benadad, & regnauit dum regnauit Amri pater Achab in Israel, & ille tulit violenter aliquas de ciuitatibus Israelitarum, & Amri non poterat illas recuperare, de quibus fuit vna Aphec, cuius muri nunc corruerunt, vt supra dictum est: omnes illas ciuitates volebat nunc Benadad dare Achab, vt dimitteret eum ire in terram suam. Sciendum, quòd pater istius Benadad vocabatur etiam Benadad. Quòd patet, quia tempore Baasa dominabatur in Damasco Benadad filius Tabremon filij Hezion, supra 15. Et tamen post mortem Baasa, quasi duobus annis, cœpit regnare Amri pater Achab, vt patet supra 16. Ideo ille Benadad esset pater, vel auus istius Benadad: & non fuit iste Benadad filius Tabremon, de quo dicitur supra 16. Quia ille regnare cœpit, antequàm regnaret Amri pater Achab: & tamen pater istius Benadad, & pater Achab regnauerunt simul, cum vnus ab alio tolleret ciuitates. *Et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria.* Istæ plateæ erant aliqua ædificia pulchra, velut vult Historia Scholastica. Plateæ erant loca ampla, & vacua, vbi erat forum rerum venalium: & iura, quæ prouenie- *Platea quid.*
bant de rebus ibi venditis, erant pro illo, cuius erant plateæ. Sic enim Amri pater Achab condiderat Samariam, quæ erat metropolis regni sui, supra 16. Benadad verò pateri istius Benadad sæpe in bello superauerat eum, & abstulerat ei ciuitates multas, vt patet supra: & insuper in signum subiectionis fecit sibi plateas in Samaria, vt inde perciperet iura rerum venaliũ: nunc autẽ cum Achab accepisset in bello Benadad profidebatur se Benadad subiectũ eius, & volebat ei reddere ciuitates, quas pater eius acceperat de terra Israel, & etiã volebat, ꝙ haberet iura rerũ venaliũ in Damasco: nã Damascus erat ciuitas præcipua in Syria. Isaiæ 7. Et in signum subiectionis constituebantur magis in ciuitate illa, quàm in alia de ciuitatibus regni. *Et ego fœderatus recedã à te.* Id est, Faciam tibi fœdus de obseruando ista, quæ dixi, & si aliqua alia mihi imposueris, vt dimittas me recedere in terram meam. *Pepigit ergo fœdus, & dimisit eum.* Scilicet, Pepigit fœdus, quòd restitueret ciuitates, & quòd faceret plateas in Damasco. Ista tamen non dicebat Benadad animo seruandi illa, sed solum vt effugere posset manus Achab, & postea nihil seruaret. Patet hoc, quia promisit ei dare omnes ciuitates, quas acceperat pater suus de manu Israel, & tamen non reddidit: quia Ramoth Galaad erat vna de istis, & tamen non reddidit eam, sed propter illam pugnauit postea Achab cum Benadad. infra 22. Scilicet, Ignoratis, quòd nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus eam tollere de manu regis Syriæ? Et in illo bello mortuus est Achab.

C F E

An Achab peccauerit non occidendo Benadad.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, an peccauerit Achab dimittendo recedere Benadad, cùm potuisset eum occidere. Hebræi dicunt, quòd sic: quia Deus iusserat ipsi Achab, quòd occideret Benadad, nec parceret ei: ideo contra præceptum Dei dando ei vitam, peccatum erat. Item Benadad dixerat magnam blasphemiam contra Deum, & etiam serui sui, scilicet, quòd Deus Israel erat Deus montium, & non vallium, nec aliarum rerum, ideo pro hoc debebat occidi Benadad, & deleri populus suus. Sed dicendum, quòd istud non videtur verum: scilicet, quòd Deus iusserit Achab, ne parceret Benadad: quia litera solum exprimit, quòd haberet Achab victoriam de Benadad. Item patet, quia si Deus istud dixisset Achab per Prophetam, sciret Achab, quòd Benadad venturus esset in manus eius viuens, ita quòd in potestate sua esset occidere eum, vel non: & tamẽ quando venerunt serui Benadad implorantes clementiam Achab pro eo, dixit Achab: Si adhuc viuit, frater meus est, & sic nesciebat an viueret, si tamen Deus ei dixisset, quòd non parceret ei, adhuc sciret eum deuenturum in manus suas: ergo non dixerat ei aliquid tale. Item cum dicitur, quòd propter blasphemiam mortem merebatur Benadad. Dicendum istud falsum esse: nam Benadad non dixit istud, sed serui sui ipse autem credidit solum. Item dato, quòd ipse dixisset istud, poterat stare, quòd non peccaret: nam licet omnes gentes tenerentur credere, esse vnum verum Deum: tamen non tenebantur credere, quòd ille erat Deus, quem colebant Hebræi, quousque constaret eis per manifesta miracula, & fortè Benadad non viderat aliquod istorum, ideo poterat dicere, quòd Deus Hebræorum erat, sicut cæteri Dij æstimati à Gentibus: & quia Gentes putabant quosdam esse Deos montium, alios vallium, & sic de alijs partitionibus supra positis, poterat æstimare Benadad, non esse Deum Hebræorum excellentiorem alijs Dijs. Item non peccauit Achab, dimittendo Benadad contra legem, sicut quando Israelitæ poterant occidere Chananæos, & non occidebant: nam tenebantur illos occidere, & non poterant componere cum eis aliqua fœdera. Deuteron. 20. Benadad autem non erat Chananæus, sed Syrus: ideo nõ faciebat contra legem, dimittendo eum viuere.

Dicendum tamen, quòd Achab habuit se imprudenter valde, dimittendo Benadad viuum recedere in terram suam. Primò, quia non suscipiebat ab eo cautionem sufficientem de eo, quòd promittebat, scilicet, de restitendis ciuitatibus, & de faciendis plateis in damasco: nam mox vt recessit Benadad non seruauit aliquid istorum. Quod patet, quia tenebatur ei restituere omnes vrbes, quas abstulerat pater eius de terra Israel, & tamen non restituit, quia postea iuit ad bellum Achab contra Benadad pro Ramoth Galaad, infra 22. Et istam tenebat Benadad. Secundò habuit se imprudenter Achab, quia dimisit viuere Benadad: nam ille persecutus fuerat Israelitas valde, & non destitit persequi, quandiu potuit, & licet semel victus fuisset, demum instaurauit bellum: & sic credere debebat Achab, quòd si nunc dimitteret Benadad, quòd etiam ille non quiesceret, sed rursum pugnaret contra Israel: debuit ergo cum occidere, vt quietus esset à bellis eius. Tertiò videtur peccasse Achab quia Deus dederat ei miraculosè istas duas victorias de Benadad, & non dabat illas ad hoc, quòd Achab dimitteret eum viuum, tanquàm in potestate sua fuisset capere eum in bello, & quòd ex clementia dimitteret eum: sed ad hoc, ꝙ liberaretur Israel à persecutione Benadad occidendo eum, ideo non occidendo abusus est Achab victoria à Deo data, & in hoc peccauit. Patet hoc, quia Propheta venit ad eum, dicens, ꝙ Deus daret eum, & populum suum loco Benadad, & populi sui, scilicet, quia tradiderat eum Deus in manus eius, & abire permisit.

Abuti victoria, peccatum est

Syri an peccauerint dicendo Deum Israelitarum esse Deum montium.

QVÆSTIO XVII.

VLTERIVS quæretur, quomodo dicitur supra, quòd ex eo quòd dixerunt Syri, quòd Deus Israel erat Deus montium, & non vallium, traderet eos in manus Achab, nunquid sic peccabant dicendo, quòd erat Deus montium, & non vallium. Aliquis dicet, quòd peccauerunt, quia quòd traderentur in manus Achab fuit pœna: non tamen datur pœna, nisi pro peccato: & dicitur, quòd quia dixerunt ista, Deus tradidit eos in manus Achab: ergo videtur, quòd peccatum fuit dicere ista. Respondendum, quòd Syri poterant peccare, dicendo ista dupliciter, scilicet, quia asserebant esse aliquos Deos valliũ, & aliquos montium. Vel quia dicebant de Deo Hebræorum, quòd erat solum Deus montium, & non vallium. De primo dicendum, quòd non solum Syri, sed etiam omnes Gentes peccabant, ponendo hanc varietatem Deorum, quia omnes Gentes tenentur colere vnum Deum, quia naturaliter poterãt cognoscere esse vnũ Deum, vt patet ad Roman. 1. Ideo nunquam fuerunt excusabiles illi, qui coluerunt multos Deos. Quòd autem ponerent Syri quosdam esse Deos vallium, & quosdam montium, erat tollere vnitatem Deitatis, & veritatem eius: quia non solum Gentiles non confitebantur vnicum Deum, sed etiam in multitudine illa Deorum, non attribuebant alicui veram Deitatem, scilicet, talem qualem nos attribuimus vni vero Deo, quem credimus, & colimus, immo nec tantam perfectionem alicui eorum attribuebant, quantam nos attribuimus alicui sanctorum Angelorum, aut saltem alicui dæmonum, ideo valde peccabant in hoc, Deus tamen non conqueritur, quantum ad hoc de Syris, quia in hoc æqualis querela esset contra omnes Gentes, quæ sic opinabantur. Secundum erat, quòd Syri dixerunt de Deo Israel, quòd ipse erat Deus montium, & nõ vallium. Et de hoc dicendum, quòd poterant ipsi peccare, vel non. Nam licet Deus Hebræorum esset verus Deus, & omnes Gentes tenerentur credere esse vnicum Deum: tamen non cogebantur credere illum esse Deum, quem colebant Hebræi, quousque viderent mirabilia infinitæ potestatis, quæ à solo vero Deo fieri possent, sed forte Syri non viderant talia, cùm ipsi non essent de populo Israel, ideo non magis obligarentur credere Deum Israel esse verum Deum quàm Deum Philisthinorum: Et tunc quanquam dicerent, quòd Deus Israel non erat Deus vallium, id est, non habebat potentiam infinitam, non peccarent. Si autem vidissent miracula istius Dei, quæ attestarentur eum vnicum Deum, & potentissimum, & hoc non obstante, vocarent eum Deum montium, & non vallium, peccabant nimis: non tamen videtur, quòd Syri crediderint Deum Israel esse verum Deum, sed solùm esse Deum montium: quia aliàs quanquam dicerent ad placandum Benadad, quòd Deus Israel erat Deus montium, & ob hoc victus fuerat in montibus ab Hebræis, tamen non auderent instaurare bellum iterum contra Hebræos in vallibus: & tamen instaurauerunt putantes, quòd non superarentur ibi à Deo Israel, & sic non credebant eum esse Deum omnipotentem: & consequenter non peccabant dicentes, quòd erat Deus montium, & non vallium. Cùm autem dicitur, quòd propter hoc Deus tradidit Syros in manus Israel. Dicendum, quòd quanquam non peccauissent Syri in hoc, Deus tradebat eos in manus Israel propter hoc, nec est istud inconueniens: quia non tradebat eos propter hoc promeritoriè, sed incitatiuè: & est sensus, quod dato, quòd Syri non dixissent verba ista, merebantur tradi in manus Israel propter multa peccata, quæ egerant: & tamen Deus fortè non fuerat motus ad tradendum eos nunc in manus, Israel, nisi dixissent verbum istud, ideo verum est, quòd Deus tradidit eos propter hoc in manus Israel: licet ipsi nõ mererentur propter hoc tradi in manus Israel, sed propter aliqua alia.

Tunc vir. Positis in superioribus signis cœlestibus, & victorijs mirabilibus, per quas diuina prouidentia, quantum in se erat conabatur reuocare Achab à malitia, & ille his omnibus abusus est. Hic ponitur contra eum comminatio de malis. Et primò comminatur ei Deus mortem in persona sua, & populi. Secundò in persona sua, & vxoris, & progeniei suæ, sequenti cap. Et dicitur. *Tunc vir quidam de filijs Prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini: Percute me.* Deus dixit cuidam Prophetæ, vt iret ad nunciandum Achab, quòd tradẽdus esset ipse, & populus suus, quia dimiserat Benadad recedere: & ad hoc iussit cuidam socio suo, quòd percuteret eum gladio in capite, vel in facie, & ille noluit percutere eum.

A eum, dixit tamen ei in sermone Domini, id est, ex parte Dei, scilicet, quòd Deus reuelasset sibi, quòd ille percuteret eum. *At ille noluit percutere.* Scilicet, Iste, cui Propheta reuelauit, noluit percutere eum, quia visum est sibi durum, quòd percuteret eum. *Cui ait: Quia noluisti audire vocem Domini, ecce recedes à me & percutiet te leo.* Prænunciauit Propheta mortem isti viro, scilicet, noluisti audire vocem Domini, id est, non obediuisti ei, quia dixeram tibi ex parte Dei, quòd percuteres me, & noluisti, ideo Deus in pœnam tradet te leoni percutiendum. *Cumque paululum recessisset ab eo, inuenit eum leo, atque percussit.* Scilicet, Ille, qui noluit obedire Prophetæ percutiendo eum, recessit ab eo putans nullum malum sibi euenturum, & tamen post paululum inuenit eum leo, & occidit. Accipitur enim percutere pro occidere: sunt autem in terra illa leones multi, & faciliter potuit occurrere leo illi viro: maximè quia Deus pararet illum ad occidendum virum inobedientem, vt compleretur dictum Prophetæ.

Quare iste Propheta voluit, quòd percuteretur ab alio ad prophetandum aliquid Achab.

QVÆSTIO XVIII.

B QVÆRETVR, quare iste Propheta voluit, quòd percuteretur. Respondendum, quòd Deus ei iussit, quòd diceret alicui, vt percuteret eum in capite, vel in vultu. Aliquis autem dicet, quòd fuit ista percussio ad signandum, quòd percuteretur Achab, quia dimisit Benadad viuere. Sic patet de Isaia qui tribus diebus ambulauit nudus, & discalceatus ad significandum captiuitatem trium annorũ Æthiopiæ. Isaiæ 20. Sic etiam Ieremias fecit vincula, & catenas, & portabat in collo suo: & misit ad reges multos ad significandum, quòd captiui ducerentur. Ier. 27. Sed dicendũ quòd nõ stat, quia Propheta iste non dixit, quòd Achab percutiendus esset, nec per suam percussionem significauit aliquid in Achab, sed solum voluit percuti ad hoc, quòd non cognosceretur ad Achab: nam volebat prænunciare ipsi Achab pœnam futuram, quia dimiserat Benadad, & hoc volebat sub metaphora denunciare: & dum proponeret metaphoram, nolebat cognosci: ideo ad hoc volebat percuti, vt ligaret vultum suum panno, & aspergeret puluere: & sic non putaretur Propheta, & audiret metaphoram eius Achab, & iudicaret de illa. Sic autem non mutaret sic vultum suum, cognosceretur, & non posset proponere metaphoram, vel non responderet ad eam Achab, quia videret, quòd ad prænunciandum aliquod malum contra eum illa metaphora dicebatur. Et patet hoc, quia postquam Achab respondit ad metaphoram istius Prophetæ, ipse abstulit velamen, quòd prius habebat, & agnitus est, quòd Propheta esset: ideo ad hoc solum fiebat. Sed adhuc dicetur, quòd ad hoc sufficiebat, quòd alio modo velaret vultum suum, vt non cognosceretur à rege, & non oporteret, quòd percuteretur. Respondendum, quòd non poterat conuenienter proponi ista metaphora, nisi Propheta percuteretur, ita vt effunderetur sanguis de capite, aut vultu eius. Nam Propheta accessit ad dicendum istam metaphoram regi illico, vt dimisit Benadad, antequam rediret in Samariam. Quod patet, quia infra dicitur, quòd reuersus est furibundus, & audire cõtemnens in Samariam. Et volebat se simulare iste Propheta virum belli & ad hoc, quòd metaphora sua esset verisimilis, fecit se percuti in facie, vel capite, ita vt perfunderetur sanguine: & tunc rigato vulnere adhuc apparebat cruor, qui fluxerat de vulnere per faciem, & vestes: & cùm venit ad regem creditum est, quòd vera proponeret, & quòd ipse fuisset percussus in bello. Si autem non esset percussus in capite, vel facie, non esset tam verisimile, quòd ipse fuisset in bello. Et quòd plus est, non habuisset causam operiendi vultum suum: sed compelleretur coram rege nudare vultum ad loquendum ei, quia aliàs non vrbaniter staret coram rege: ideo non fuit modus conueniens ad occultationem suam, nisi quòd percuteretur in capite, & velaret faciem.

C

Ad quid expediebat, quòd hoc proponeretur in metaphora.

QVÆSTIO XIX.

VLTERIVS quæretur, ad quid expediebat, quòd proponeretur istud in metaphora, sed clarè denunciaretur, & tunc non oporteret, quòd Propheta percuteretur in vultu. Dicendum, quòd si voluisset Propheta istud proponere clarè, sequebantur duo inconuenientia. Primum erat, quòd non impleretur voluntas Dei. Nam non solum Deus volebat sententiare contra Achab, sed & ipse contra se sententiaret, vt magis hic conuinceretur: istud autẽ non poterat esse, nisi proponeretur aliquod factum in metaphora ipsi Achab, in quo sententiaret: ideo necesse fuit proponi metaphorã. Sic enim fuit de Dauid, cui Nathã Propheta ꝓposuit metaphoram: in qua cum iudicasset Dauid, cõuicit se de crimine suo. præcedenti lib. cap. 12. Secundum inconueniens erat, quia si non proponeret Propheta in metaphora, nec mutaret vultum suum coram Achab, non audiret eum Achab, sciens quòd aliquod malum vellet dicere. Sic patet: nam postquam sententiauit contra se Achab, & Propheta reuelauit vultum suum, noluit audire Achab ea, quæ postea dicebat, sed furibundus, & audire contemnens, venit in Samariam. Aliter etiam dici posset, quòd Deus fecit hoc ad incitandum ipsum Achab ad pœnitentiam de malo, quòd egerat. Fortius enim moueretur ad dolendum, postquam ipse se condemnaret iudicio suo, quàm cum solus Deus eum condemnaret, & sic doleret, & remitteretur ei, quod prænunciabatur. Sic fuit in Dauid, cum proposita metaphora ipse se condemnauit ignorans, & declarata illa doluit, & Deus transtulit pœnam ab eo, præceden. lib. cap. 12. Melius ergo erat pro ipso Achab, sic proponi, quam aliter.

D

E

Quomodo Deus iubebat, quòd percuteretur Propheta ab aliquo.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR vlterius, quomodo Deus iubebat, quòd percuteretur iste Propheta, quia ille, qui percuteret eum, ab intentione putaret modicum percutere, & occideret eum, vel faceret, quòd non posset loqui, aut ire coram Achab ad proponendum hæc. Dicendum, quòd verum est, quòd non est in potestate hominis vulnerantis multum, aut parum vulnerare, maximè si in loco periculoso percutit, sicut in facie, vel capite. Hic tamen non erat aliquod periculũ percussionis, quia siue aliquis durè, siue blandè percuteret, non poterat multum nocere, eo quòd ista percussio fiebat voluntate Dei, ad hoc quòd Propheta potest vultum suum rationabiliter occultare, ideo tantum solum noceret, quantum Deus vellet, & sufficeret ad hanc occultationem. Immo si ille, qui percuteret Prophetam, vellet malitiosè eum percutere durissimè ad occidendum, adhuc non posset nocere ei nimis: sed solum esset tantum vulnus, quantum sufficeret ad aliquantam effusionem sanguinis, vt videretur ille percussus in bello, & tamen non sequeretur inde mors, nec periculum aliquod, nec præstaretur impedimentũ ad loquendum, aut gradiendum, & sic quicunque percuteret eum, poterat secure percutere, siue multum, siue modicum percuteret, quòd non sequeretur mors ex tali percussione. Considerandum etiam quòd Deus iussit Prophetam percuti, & quòd alius percuteret eum ad probandũ obedientiam, tam in percutiente, quàm in percusso, & non ad necessitatem: quia poterat Deus immutare vultum Prophetæ, ita vt nullo modo cognosceret eum Achab esse Prophetam, & posset proponere metaphoram non vulneratus, nec operta facie. Etiam poterat, si volebat, quòd vultus eius appareret cruentus, & laceratus, ostendere multum sanguinem in facie eius, & vestibus, & vulnera magna: & tamen, quòd nihil esset horum, sed sola effigies. Etiam poterat vera vulnera, & sanguinis effusionem facere in Propheta, nullo homine percutiente ipsum, & Deus hoc faceret Propheta non dolente, nec sentiente: Deus tamé vult se esse dominũ omniũ rerum, & quòd vtitur eis ad placitum suum: ideo licet non esset necessitas aliqua, quæ non posset aliter suppleri, voluit quòd

F

Propheta

A *Exemplum obedientia.*

Propheta percuteretur, ad hoc quòd oſtenderetur magna obedientia Prophetæ ſponte ſe tradentis, vt vulneraretur: immo petentis, & iubentis ex parte Dei, quòd vulneraretur. Etiam vt oſtenderetur obedientia eius, qui vulneraret Propter mandatum Dei: & iſta proficerent nimis ad doctrinam obediẽtiæ noſtræ. Vnde licet nõ fuit neceſſaria iſta percuſſio ad id, quòd Deus volebat, ſcil. quòd non cognoſceretur Propheta: fuit tamen neceſſaria ad hoc, ꝙ doctrina obediendi Deo vſq; ad mortẽ nobis traderetur: & ob hoc ſcriptum fuit iſtud, vt eſſet nobis exemplũ obedientiæ magnæ ad Deum, & ad eos, qui loquuntur ex parte Dei. Credendum etiam, quòd quanquam iſtud vulnus Prophetæ paruum eſſet, ita vt ipſe poſſet loqui coram Achab, & ire ad eum, & ob hoc poſſet naturaliter cito curari, tamen quòd Deus ſupernaturaliter illico curauerit, ita vt nec dimitteret cicatricem vulneris: & hoc vt oſtenderet quanti meriti obedientia erat.

An vir qui noluit percutere Prophetam, peccauerit.

QVÆSTIO XXI.

QVÆRETVR vlterius, an peccauerit vir ille, qui noluit percutere Prophetam. Aliquis dicet, quòd non, quia non tenebatur credere ei, cùm mala iuberet: ideo nec percutere debebat eum. Patet hoc, Deut. 13. In contrariũ videtur, quòd peccauerat, quia Propheta dixit illi viro ex parte Dei, quòd percuteret eum: & tamen mandato Dei ſemper obediendum eſt: ideo videtur, quòd peccauerit. Item patet, quia Propheta dixit iſti viro, quòd quia fuerat inobediens verbo Domini, percuteret eum leo: & tamen non percuteret eum, ſi non peccaſſet in hoc. Item patet, quia dicitur hic, quòd mox vt receſſit ille vir à Propheta, inuenit eum leo, & percuſſit. Reſpondendũ, quòd iſte vir peccauit, quia noluit obedire verbo Domini. Dicendum tamen, quòd non tenebatur ille percutere Prophetam, niſi Propheta præmitteret aliqua, per quæ teneretur credere ille vir, ꝙ Deus dicebat. Primum erat, quòd ille Propheta diceret, quòd Deus iubebat hoc: alioquin dato, quòd eſſet Propheta, nemo tenebatur ei obedire in illis, quæ diceret. Iſtud autẽ fecit Propheta: quia dicitur hic, quòd dixit ei in ſermone Domini: Percute me, id eſt, dixit ei ex parte Dei, percute me. Secundum erat, quòd conſtaret iſtum eſſe Prophetam: alioquin nõ tenebatur ei credere, & ad hoc debebat Propheta ille præmittere aliquod ſignum, ſi dubitaret ille, cui iubebat hoc eum eſſe Prophetam. Item dato, ꝙ cognoſceret illum eſſe Prophetã, non tenebatur ei credere, niſi probaret, quòd iſtud quod nunc dicebat, propheticè dicebat: nã Prophetæ nõ habebãt ſemper ſpiritum Propheticũ: & aliquando vt fallerent alios, poterant dicere Deum aliqua dixiſſe, quæ non dixerat: ideo non ſufficiebat ſemel probare ſe eſſe Prophetam: ſed in quolibet actum prophetandi debebat hoc probare, ſi peteretur. De iſtis duobus nõ apparet, an Propheta iſte probauerit illa: ideo non conſtat, quòd tereretur ei credere ille vir, cui dixit, Percute me. Dicendum tamen eſt, quòd ille vir habuit iſta per ſe notis: & quanquã aliquis dubitaret de eis, ipſe nõ dubitauit, nec propter hoc ceſſauit percutere, ſed quia noluit: ideo fuit verè inobediens. Vnde Propheta non dixit ei, quia non credidiſti verbo Domini, percutiet te leo, ſed quia inobediens fuiſti ſermoni Domini. Ad rationem in contrarium dicendum, quòd quando aliquis Propheta prænunciabat quidquam, & probabat illud per aliquod miraculum, tenebatur populus credere. Deut. 13. & 18. Si tamen poſtquam Propheta præmitteret ſignum, diceret vadamus, & colamus Deos alienos, non erat credendum ſibi, ſed lapidandus erat. Deut. 13. Iſtud autem erat, quia Propheta ſufficienter probabat miraculum ſe eſſe Prophetam, & tamen Deus permittebat ad tentandũ, & experiendum fidem Iſraelitarum, quòd Propheta ille mentiretur. Si autem obijciatur, quòd Deus erat teſtis falſitatis. Reſponſum eſt ad hoc Deut. 13. & 18. & tamen non erat hic ſic: quia percutere Prophetam, non erat aliquod per ſe malũ, ſicut colere idola. Nam id, quod aliquo modo poteſt eſſe bonũ, non eſt per ſe malum ſtrictè loquendo: & tamen percutere Prophetam, poterat eſſe bonum ex mandato Dei. colere autẽ idola nullo modo poteſt eſſe bonum, ideo quanquã Propheta præmittat ſigna, non eſt credendum ei, ſi dicat vadamus, & colamus Deos alienos: & tamen credendum eſt ſi dicat, percute me vel percute illum. *Sed & alterum inueniens virum dixit ad eum: Percute me.* Intelligendum eſt, quòd dixerit ei ex parte Dei, alioquin non percuteret ipſum. *Qui percuſſit eum, & vulnerauit.* Scilicet, Percuſſit in capite, & fecit vulnus, de quo ſanguis fluebat: & tamen non fuit vulnus magnũ, quia Propheta potuit ambulare, & loqui, nec fuit impeditus per hoc ab aliqua operatione. *Abijt ergo Propheta, & occurrit regi in via.* Iſtud fuit quando dimiſit Achab ipſum Benadad, & incipiebat venire de vrbe Aphec in Samariam: nam nondũ venerat in domũ ſuam in Samariam, quando locutus eſt Propheta ad eum: cum infra dicatur, quòd furibundus, & audire condemnens, venit in domum ſuam. *Et mutauit aſperſione pulueris os, & oculos ſuos.* Scilicet, Poſuit puluerem ſuper faciem ſuam, & ſuper oculos, vt non cognoſceretur. Ad iſtud enim fuerat vulnus inflictũ, vt occaſione eius mutaret faciem ſuam, & non cognoſceretur. In Hebræo dicitur. *Mutauit panno os, & oculos ſuos.* Scilicet, Alligauit pannum ſuper faciem ſuam, & ſuper oculos. Et iſtud videtur rationabilius, quia vulnus magis ligandum erat panno, quàm aſpergendum puluere. Etiam, quia minus cognoſceretur, cum operiret vultum ſuum panno, quàm cum aſpergeret puluere. Satis tamen poteſt dici, quòd aſperſerat puluerem ſuper faciem ſuam, vtpote ſi vulneratus fuiſſet in bello, caderet in terram, & tunc aſpergeretur puluere: & ſic vtrumq; eſſet ſimul puluis, & pannus ſuper faciem. *Cumque Rex tranſiret, clamauit ad Regem.* Id eſt, Cum tranſiret apud locum, in quo erat Propheta, iter faciens ad veniendum in Samariam. Clamauit autem Propheta, vt exaudiretur à toto populo ſententia, quæ proferebatur cõtra Regem à Deo. Vel forte, qa nõ poterat Propheta accedere ad Regẽ, & clamauit à longe, vt audiret. *Seruus tuus egreſſus eſt ad præliandum cominus.* Id eſt, Ego qui ſum ſeruus tuus, egreſſus ſum ad præliandũ in hoc bello cominus, id eſt, de prope, ſcil. ad pugnandũ in acie, vbi pugnatur de ꝓpinquo, quia hoſtis eſt apud hoſtẽ. *Cumq; fugiſſet vir vnus.* Scilicet, vnus de hoſtibus fugiebat de bello. *Adduxit eum quidam ad me.* Scilicet, quidã de viris populi huius adduxit eum ad me, quia perſecutus fuit fugientem, & comprehendens eum tradidit ipſum mihi in cuſtodiam. *Et ait: Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima eius.* Scilicet, dedit mihi ad cuſtodiendum, cum iſta conditione, quòd ſi fugeret vir ille, eſſe anima mea pro anima eius, id eſt, ego efficerer ſeruus eius, qui mihi tradiderat illũ, ſicut ille ſeruiturus erat, quia captus erat in bello. Vel erit anima tua pro anima eius, id eſt, occideris tu, ſicut ille occidendus erat. Sed primum verius eſt, quia dicitur hic. Aut argenti talentum appendes: & tamen non benè conſonant iſta duo, Scilicet, quòd occideretur, vel ſolueret talentũ argenti: quia iſta duo ponebantur quaſi æqualia: & tamen vita hominis liberi non poteſt æſtimari: ideo dicendum, quòd ille qui tradiderat hoſtem ſeruandum, tradidit eum tanquam ſeruum, & ſi tu fugeret erat damnum, ſcilicet, quia perdebatur ſeruus: ideo tenebatur cuſtos ad damnũ reſarciendum: & iſtud poterat dupliciter reſarciri. Vno modo tradendo ſeipſum in ſeruum pro illo. Alio modo dando pretium, in quo æſtimaretur ſeruus fugitiuus: & hoc intelligit litera, cùm dixit, Erit anima tua pro anima illius, id eſt, perſona tua pro perſona illius, ſcilicet, obligata ad ſeruitutem. Nam accipitur anima pro perſona, ſicut cùm dicitur, quòd 70. animæ egreſſæ ſunt de femore Iacob. Exod. 1. & Geneſ. 47. & tamen ibi non poteſt accipi niſi pro perſona: æſtimationem autem pretij ponit, inquantum dicit. *Aut talentum argenti appendes.* Iſta erat æſtimatio ſerui fugitiui: ideo nihil differebat dare ſeruum, vel æſtimationem eius. *Dum autem ego turbatus huc illucque me verterem, ſubito non comparuit.* Scilicet, ego eram turbatus propter vulnus, quòd ſuſcepe-ram, & dum conuerterem me ad vnam, & aliam partem ſubito fugit, quem cuſtodiebam. Eſt autem ratio iſta incompleta, quaſi dicat, fugit quem cuſtodiebam. Quid ergo tenebor facere? nunquid tenebor dare talentum argenti vel ero liber? *Et ait rex Iſrael ad eum: Hoc eſt iudicium tuum, quòd ipſe decreuiſti.* Id eſt, Iſtud eſt iudicium, vel ſententia, ſcilicet, quòd tenearis ad illud, quod tu ſuper te ſtatuiſti.

B C D E F

Propheta an mentitus sit, dicendo sibi traditum fuisse seruum cum tamen non sit.

Qvæstio XXII.

Qværetvr, an peccauit iste mentiendo, & an fuerit verè mentitus, dicens, quòd traditus fuerat sibi seruus ad custodiendum, cum nihil tale fuisset. Respondendum, q̃ non peccauit Propheta, quia Deus ei hoc iussit: exequendo autem mandatum Dei, nemo peccat, Sed tunc manet dubium, quomodo Deus, iussit, quòd iste mentiretur. Aliquis dicet, quòd Deus fecit hoc ex dispensatione: quia Deus qui est super legem potest facere, quòd ea, quæ aliàs mala sunt, sint bona. Sed dicendum, quòd istud non stat, quia Deus non dispensat in talibus: potissimè cum mendacium non videatur excusabile, nisi cum est iocosum, vel officiosum. Dicendum ergo, quòd Propheta iste non mentitus est: quia ad hoc, quòd mentiretur, oportebat quòd falsum loqueretur, aut putaret se loqui falsum, sed neutrum fuit hic. De secundo patet, quia Propheta sciebat an verum vel falsum loqueretur. De primo patet, quia istud, quòd dicebat, non erat falsum. Nam nulla oratio est vera, vel falsa, nisi inquantum aliquid significat: ideo ad hoc, quòd dicamus aliquid esse verum, vel falsum, necesse est, quòd accipiamus in sensu, in quo significabat. Sic enim patet de omnibus metaphoris. Sicut patet Iudi. 9. de lignis vngentibus regem: & sequenti libro, cap. 14. de carduo, & cedro Libani volentibus iungere matrimonia. Sic etiam de leone comesturo paleas, & de lupo habitaturo cum agno, & de vitulo cum leone. Isaiæ 11. & 25. nam ista ponuntur in sensu metaphorico: & si accipiamus secundum corticem literæ falsa sunt: sed accipiuntur ad significandum aliquid secretum, & in illo sensu vera sunt. Ita hic ista verba, si acciperentur in cortice, falsa essent, & tamen accipiuntur ad illam intentionem, ad quam Propheta proferebat illa: & sic erant tanquam metaphora ad ea, quæ pertinebant ad Achab: & quia illud, quòd de Achab intelligebatur per ista verba verum erat, essent vera ista verba. Sic fuit omnino de metaphora, quam proposuit Nathan ipsi Dauid, scil. de diuite habente multas oues, & de paupere habente vnicam. præcedenti libro, cap. 12. nam nihil tale acciderat, sed referebatur hoc ad significandum id, quòd fecerat Dauid.

Quare iste Propheta non posuit metaphoram conformem facto Achab.

Qvæstio XXIII.

Vlterivs quæretur, quare iste Propheta non posuit metaphoram conformem ad factum Achab: nam Achab sponte dimisit recedere Benadad: ipse autem non dixit, quòd dimiserat sponte quem custodiebat, sed quòd dum esset turbatus recessit. Dicendum, quòd mutauit aliqualiter à casu Achab. Primo ne videretur omnino proponere factum Achab, & ipse suspicaretur illum esse prophetam, & non responderet. Secundum fuit, & principale, quia proponebat istum casum Propheta tanquam aliqualiter dubium, an teneretur ad aliquid: si tamen dixisset, quòd ipse libenter dimiserat eum, manifestum erat, quòd tenebatur ad aliquid, & stulti viri esset proponere talem casum: vnde rex nollet respondere, sed increparet illum, tanquàm insanum: debuit ergo mutare aliqualiter, ad hoc quòd rex responderet, & sic seipsum condemnaret. Tertium fuit ad hoc, quòd fortius condemnaretur Achab. Nam si vir ille non dimittens sponte quem custodiebat, teneretur ponere animam suam pro illo, qui recesserat: à fortiori teneretur ille, qui sponte dimittebat recedere captum in bello, & sic erat Achab. *At ille statim abstersit puluerem de facie sua: & cognouit eum rex Israel, quòd esset de Prophetis.* Achab cognoscebat istum Prophetam ante hoc, quia multoties fuerat ei fortè locutus, & nisi operuisset vultum suum puluere, cognouisset eum. Nunc autem, quia volebat manifestus esse, eo quòd iam dixerat illud, in quo volebat occultari, abstersit puluerem de facie sua, & cognitus est, quòd esset de Prophetis. *Qui ait ad eum: Hæc dicit Dominus.* Quando loquebatur in metaphora voluit occultari: nunc autem, quia loquebatur vt Propheta, voluit manifestus esse. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua.* Erat Benadad dignus morte, quia sæpe afflixerat Israelitas, & affligere conaturus erat, quousque occideretur. *Erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Scilicet, ipse tenebatur ad mortem, & tunc non occidisti eum: occideris ergo tu pro ipso, & populus tuus occideretur pro populo suo. Istud intelligendum est, quia cùm Benadad manserãt nunc aliqui de seruis suis, & illi etiam erant digni morte, sicut Benadad, sed dimisit eos viuere Achab: ideo populus Achab occideretur pro populo Benadad, quem dimisit Achab. *Reuersus est igitur rex Israel in domum suam.* Scilicet, reuersus est de bello facto apud vrbem Aphec, & venit in domum suam, quæ erat in Samaria. *Audire condemnens, & furibundus venit in Samariam.* Scilicet, Fuit Achab valde furibundus, eo quòd Propheta dixerat ei aliquid, quod erat contra intentionem suam: nam voluerat, quòd factum suum à nullo reprobaretur. Contemnebat autem audire, scilicet, quia postquam semel audiuit, postea noluit audire ea, quæ dicebat Propheta, sed contempsit illa, tanquam nihil essent.

An Achab propter hoc meruit tradi in manus hostium.

Qvæstio XXIIII.

Qværetvr, an pro isto facto meruerit Achab tradi in manus hostium, scilicet, quòd occideretur, & an pro hoc occisus fuerit. Respondendũ ad primum, quòd Achab non multum peccauit dimittendo Benadad recedere, vt supra declaratum est: fuit tamen in hoc valde imprudens: ideo merebatur, quòd ipse caderet in manus hostium. Dicendum tamen, quòd si Achab non fecisset alia peccata post hoc, non fuisset traditus in manus hostium propter istud. Ad secundum dicendum, quòd Achab traditus est in manibus hostium: & tamen non fuit propter istud traditus, sed propter multa peccata idololatriæ, & occisionis Prophetarum, quæ fecerat ipse, & vxor eius Iezabel. Quod patet, quia sequenti cap. narrauit Elias malum, quod euenturum erat Achab, & enarrauit peccata, tamen tetigit tibi de hoc. Dicendum ergo, quòd ista prophetia completa fuit, quando Achab mortuus est in bello, & viri sui fugerunt dispersi per montes, infra 22. Et tamen nõ fuit impleta propter malum, quòd hic fecit Achab, sed propter alia mala, vt dictum est.

Caput XXI.

Post verba autem hæc tempore illo vinea erat Naboth Iezraelitæ, quæ erat in Iezrael, iuxta palatium Achab Regis Samariæ. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domum meam, daboq; tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quantum digna est. Cui respondit Naboth; Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.

Descripta in præcedentibus prima comminatione facta Achab de persona sua, hic ponitur secundo comminatio de occisione eius, & vxoris, & delenda prole sua. Et diuiditur in tres partes, quia primo ponitur Achab nona præuaricatio: secundo pœnæ comminatio ibi. *Factus est igitur.* Tertio pœnæ irrogatio sequenti cap.

An ordo sit continuus.

Qvæstio I.

Qværetvr, circa primum, an inter ea, quæ habentur hic, & præcedenti cap. sit continuus ordo, vel sit aliqua anticipatio, aut recapitulatio, & an fuerint ista immediatè facta præcedentia, vel fuerit aliquod tempus intermedium. Ad primum dicendum, quòd hic est continuus ordo: quia ea, quæ habentur præcedenti cap. prius fuerunt, quam ista. Quod patet ex principio literæ, scil. Post verba hæc, erat vinea Naboth, id est, postquam facta sunt præcedentia, accidit quod hic dicitur de vinea Naboth. Ad secundum dicendum, quòd paucũ tempus fuit inter præcedentia, & ista: nam ad plus non potuerunt esse tres anni. Quod patet, quia in fine pręced. cap. dictum est de bello, quod habuit Achab contra Syros, & sequenti cap. dicitur de alio bello Achab contra Syros, in quo mortuus est Achab, & tamen inter præcedens bellum, & illud fuerunt tres anni solum. sequen. cap. cum dicitur: Transierunt tres anni absq; bello inter Syriam, & Israel: ergo necesse est, quòd cùm mors Naboth pro vinea fuerit inter ista duo bella, quòd non fuerit post præcedentia ad plus vltra duos annos, & dimidium. Satis autem videtur dicendum, quòd fuerit pauco tempore post pręcedẽtia, scil. non vno anno, quia dicitur in litera: Post verba hæc, tempore illo, scil. tempore quo Propheta locutus est ad Achab, quæ habentur supra. *Post verba hæc.* Id est, Post ista, quæ acciderunt in bello Achab, & Benadad, & post verba Prophetæ ad Achab. *Tempore illo.* Scilicet, Quo ista fiebant, quasi dicat, non multum post. *Vinea erat Naboth Iezraelitæ, quæ erat in Iezrael.* Id est, Naboth Iezraelites habebat quandam vineam in vrbe Iezrael intra muros. Ista Iezrahel erat quædam ciuitas in sorte Manasse. Iosue 17. Alia autem Iezrahel erat in sorte Iudæ. Iosue 15. Et hic non potest intelligi, nisi de prima eo quòd Achab non erat Rex Iudæ, sed Israel, & in ista vrbe morabatur aliquando Achab, sicut in Samaria: nam ibi manebat, quando Elias occidit Prophatas Baal, supra 18. & 19. *Iuxta palatium Achab Regis Samariæ.* Ista fuit causa, quare petebat vineam illam Achab, scil. quia erat iuxta palatium suum, & volebat ibi facere hortum ad conserendum arbores, ita vt esset ibi locus delectabilis visu. Vocatur autẽ Achab Rex Samariæ, non quòd solum dominaretur in Samaria, sed quia Samaria erat metropolis regni eius. Sic etiam dicitur de Rege Og, quòd regnauit in Astharot, vel quòd erat Rex Astharot. Et de Sehon dicitur, quòd regnauit in Hesebon. Iosue 12. & 13. Et tamen non solum erant ista loca regnorum suorum, sed etiã multa alia: vocabantur tamen Reges Astharot, & Hesebon, quia illæ fuerunt metropoles regnorum suorum. *Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum,* Desiderauit Achab vineam illam, & petiuit eam à Naboth, in quo Achab rationabiliter se habuit, quia licet Rex esset, noluit propria auctoritate vineam capere, sed petiuit à domino: & etiam non solum petiuit, sed pretium pro illa obtulit, vt patet in litera. *Quia vicina est, & prope domum meam.* Ista est causa, quæ mouebat Regem ad petendum vineam, vt haberet in illa hortum arborum, & olerum, & declinaret de domo sua in illam ad solatium, quando vellet. Expressit autem causam istam Achab, vt non putaret Naboth, quòd Rex petebat eam ex cupiditate, & non intenderet dare pretium pro illa, sed vt cognitio rationabili motiuo eius, condescenderet Naboth ad dandum vineam. *Daboque tibi pro ea vineam meliorem.* Ista conditio videbatur, acceptabilis cuicunque, & in hoc satis videbatur, quòd Naboth deberet complacere Regi. *Aut si tibi commodius putas argenti pretium, quantum digna est dabo.* Vt videretur, quòd Rex nolebat calumniari, & accipere vineam Naboth sine pretio, obtulit ei conditionem meliorem, quam peterat: ita vt rationabiliter non posset refugere Nabot, nisi vellet dicere, quòd nolebat: & obtulit istam electionẽ rex ipsi Naboth, quia fortè vtiliores erãt pecuniæ Naboth, quàm vinea. *Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatẽ patrum meorũ tibi.* Id est, Ita sit Deus mihi propitius, ꝙ nõ dabo tibi hæreditatẽ patrũ meorũ. Vel aliter melius sit mihi Deus propitius, quàm ego dem tibi hæreditatẽ patrum meorũ. Est enim modus iurandi. Sic enim nos cõsueuimus dicere, melius me adiuuet Deus, quàm ego faciam hoc. Et iste modus iurandi & frequentatus in veteri testamento. Sic patet supra 1. lib. cap. 24. scil. Propitius sit mihi Dominus, ne mittã manũ meam in Christũ Domini.

Quare Naboth noluit dare vineam suam Achab regi offerenti ei bonam conditionem.

Qvæstio II.

Qværetvr, quare Naboth renuit dare vineã suam regi Achab, cum offerret ei conditionẽ bonam de dando aliã vineã meliorẽ, vel de dando pretiũ, & an habebat aliquam excusationẽ rationabilem. Respondendũ, ꝙ si nihil erat, ꝙ valde obstaret, debebat Naboth dare vineam suam Achab, cùm ipse inclinaret se ad petendũ eam, & nõ caperet violenter, cum esset rex: potissimè quia dabat ei pretiũ, vel vineam meliorem, & non poterant meliorem conditionem facere aliquis de popularibus. Naboth tamen ostendit se habere causam dicens, ꝙ ista erat hæreditas patrũ suorũ, id est, acceperat eam hæreditariè à patribus suis, & volebat transmittere ad posteros: ideo nulli daret. Erant autẽ in hoc duæ causæ. Prima quia Deus volebat, ꝙ Israelitæ non venderent possessiones suas, sed semper manerent eædem possessiones apud dominos primos: concessit tamẽ interdũ propter paupertatẽ, quòd posset vendi possessio. Leuiti. 25. Naboth tamẽ non erat pauper: ideo nõ habebat causam vendendi possessionem suam. Secundũ erat, quia dato, ꝙ aliquis venderet possessionẽ suam propter quamcunq; causam, illa vẽditio nõ duraret in æternũ, sed solum extenderet se vsq; ad iobeleum. Leuit. 25. Achab tamen volebat habere possessionẽ illam in æternũ pro se, & alijs regibus Israel, cùm vellet facere hortũ de vinea illa: ideo non licebat sic vendere: & hoc intendit Naboth cùm dixit: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorũ tibi, scilicet, id quod prouenit mihi à patribus, & debet deriuari ad omnes alias generationes, non dabo tibi.

Quare hæreditas patrum non erat danda alteri.

Qvæstio III.

Qværetvr, vlterius, propter quid nõ erat danda hæreditas patrũ alteri, quia Naboth poterat habere aliam vineam similẽ dimittendo illam, vt dixit ei Achab: & sic nõ diminuebatur hæreditas patrum suorũ. Respondendum, ꝙ apud Hebræos Deus volebat in omnibus seruari iura primogenituræ. Sicut enim inter nos apud nobiles seruantur iura primogenituræ, scil. quòd bona, quæ pertinent ad primogenituram non possunt alienari, nec transire ad aliquẽ alium: ita inter Hebræos bona immobilia, quæ pertinebant ad vnũ, non poterant vendi, vel qualitercunq; alienari, vt transirent ad alium in perpetuum: & hoc erat ad seruandum progenies distinctas. Nam sicut primogenitorũ bona semper manent eadem, & propter hoc progenies illorum nunquã variantur: sed post multa tempora semper cognoscuntur, & illorum, quorum non sunt bona assignata, perit certitudo progeniei, & cito fiunt aborigines: ita inter omnes Hebræos gaudebãt omnia bona immobilia iure primogenituræ: & sic manebant semper in eisdem progeniebus; vnde progenies cuiuscunque hominis cognosceretur vsq; in æternum. Vtpote si aliqua possessio assignata esset tribui Ephraim, & nunquam posset transire ab illa tribu in aliam: quandocunque ego viderem possessionẽ illã teneri ab aliquo, manifestè cognoscerem, quòd ille erat de tribu Ephraim. Ita autẽ erat de omnibus progeniebus particularibus, quia cuilibet illarum erat assignata aliqua possessio, per quam distingueretur ab omnibus alijs. *Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo, quòd locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites.* Scil. Achab, indignatus fuit valde, & frendebat dentibus, quòd Naboth sic respondisset ei: & verum est, ꝙ durè respondebat Naboth: quia cùm rex offerret ei optimã conditionem, scil. quòd daret ei aliam vineã meliorẽ, vel argentum pro vinea, durum videbatur, quòd Naboth repugnaret ei: & tamen rationabiliter repugnauit, vt patet supra. *Dicens: Non dabo tibi hæreditatem patrum meorum.* Quasi dicat, istud verbum visum fuit valde durũ ipsi Achab propter causam assignatam.

Nam

A Nam rege petente debuerat gratis ſubditus eius offerre ei poſſeſſionem illam: quanto magis quia offerebat pro ea aliã vineam meliorem, vel pretium. Vnde putauit ſe valde contemptum fuiſſe Achab à Naboth. *Et proïciens ſe in lectulum.* Quaſi ægrotans, quia fortè tædium illud magnum procurauerat in eo febrem. Multi enim hoc patiuntur de iracundis, quòd ſi cõfeſtim nõ retribuerint, procurantur in eis febres, & ſuſtinent vitæ tædium, nec poſſunt amicabiliter loqui ad amicos, ſed difficilis eſt eis vita ſua. ſic ſunt duæ ſpecies iracundorum, ſcilicet, difficiles, & amari, de quibus Ariſtoteles 4. Ethicor. cap. de manſuetudine. *Auertit faciem ſuam ad parietem.* Iſtud fuit ad ſignandum, quòd præ tædio nolebat communicare alicui homini, ſed conuertit ſe ad parietem, vt nullus videret vultum eius, nec loqueretur alicui. *Et non comedit panem.* ſcilicet, noluit tunc comedere panem, nec bibere præ tædio, quouſque in eo digereretur fumus ille iracundiæ. *Ingreſſa eſt autem ad eum Iezabel vxor eius.* Multas alias vxores habebat Achab, & filios multos: nullus tamen auſus eſt ingredi ad Achab iacentem iratum niſi Iezabel: quia iſtam maximè diligebat, & erat familiarior ei. *Dixitq; ei quid eſt hoc, vnde anima tua contriſtata eſt? & quare non comedis panem?* Quaſi dicat, vnde tantum potuiſti triſtari, quòd præ triſtitia nõ comedas panem? Dicebat hoc Iezabel, quia cum Achab eſſet rex potens in Iſrael, putabat quòd nullus auderet ſaltem in parùo offendere eum. Ioſephus 8. Antiquit. dicit, quòd Iezabel requiſiuit Achab, cur ita tribularis? cum nec balneas, nec prandium appeteret, nec cœnam. *Qui reſpondit ei: Locutus ſum Naboth Iezraelitæ, & dixi ei: Da mihi vineã tuam.* Achab reſpondit Iezabel enarrando incentiuum tædij, & aggrauauit aliqualiter verba ſua. *Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut ſi tibi placet, dabo vineam meam pro ea.* Subintelligendum eſt, quòd Achab referret omnia verba, quæ dixerat ipſi Naboth. *Et ille ait. Non dabo tibi vineam meam.* Non expreſſit hic Achab cauſam, quare Naboth dixit, quòd non daret: & fortè hoc fecit ex induſtria, quia iſta eſt conditio communis litigatorum, quòd cùm quilibet refert verba aduerſarij ſui, ſubticeat, vel diminuat ea, ex quibus aduerſarius iuuari poteſt, & exaggerat illa, in quibus ei præiudicari poteſt. Vel forte expreſſit Achab cauſam, ſicut dixerat Naboth: & tamen ſcriptura ſubticuit illam, quia in quibuſdam breuiter narrat. *Dixit ergo ad eum Iezabel vxor eius.* Hic increpat Iezabel virum ſuum, ſcilicet, quòd cùm rex eſſet non debebat pro tali re triſtari, cum poſſet inuito Naboth capere vineam: cum triſtitia debeat eſſe de rebus, in quibus nos prouidere non poſſumus. *Grandis auctoritatis es, & bene regis regnum Iſrael.* Dixit hoc ironicè, quaſi dicat, nullius auctoritatis es, nec ſcis regere regnum, quia ſi tu alicuius auctoritatis eſſes, & timerent te ſubditi: illico vt petiſti vineam, etiam ſi non obtuliſſes pretium, dediſſet eam tibi Naboth, quia tamẽ nullius auctoritatis es, nec facis teipſum terribilem, contempſit te, & repugnauit, & iſtud prouenit, qua neſcis regere regnum. *Surge, & comede panem.* Id eſt, Iam non maneas in triſtitia iſta. *Et æquo animo eſto.* Id eſt, Habe animum gaudentem. Vocatur æquus animus quando cõſiſtit in menſura ſua, ſcilicet, quòd propter triſtitiam non deprimitur, nec propter res proſperas valde eleuatur ad quandam diſſolutionem puerilem in gaudio, ſed habet gaudium moderatum, quòd eſt gaudium virile, & diſcreti cordis. Iſta autem æquitas animi non conſiſtit cum paſſionibus, quælibet enim ſolicitudo tollit eam. *Et ego tabo tibi vineam Naboth Iezraelitæ.* Scilicet, Tu non fuiſti ſufficiens ad habendum vineam iſtam, cùm eſſes rex, ego dabo tibi illam ſupplens defectus tuos. *Scripſit itaque literas ex nomine Achab, & ſignauit eas annulo eius.* Iezabel noluit ſcribere ex nomine ſuo, quia iſta res grauis erat, & non obedirent ei viri vrbis Iezrahel: ſed ſcripſit ex nomine regis, & ſignauit literas annulo ſuo, Id eſt, ſigillo ſuo, quia in annulis ſolent eſſe characteres ſigillorum. *Et miſit ad maiores natu, & optimates, qui erant in ciuitate eius.* Non erat rex nunc in vrbe Iezrahel de qua erat Naboth, ſed in Samaria: & ex ipſo loco miſit Iezabel literas ad vrbem Iezrahel, de qua erat Naboth: nam ſi eſſet in eadem vrbe, non oportuiſſet mittere literas, ſed vocatis ad ſe maioribus vrbis, diceret eis, quid agere deberent. Item patet, quia quando mortuus fuit Naboth, deſcendit Achab ad poſſidendum vineam Naboth, & quando deſcenderet, venit ad eum Elias, vt patet infra, ſcilicet, Surge deſcende in occurſum Achab regis Iſrael, qui eſt in Samaria: ecce ad vineam Naboth deſcendit, vt poſſideat eam: & ſic nõ erat in vrbe Iezrahel. Vocantur maiores natu ſeniores vrbis. Optimates vocantur meliores, & potentiores in vrbe, apud quos conſiſtit regimen: & iſti debebant exequi mortem Naboth. *Literarum autem erat iſta ſententia.* Scilicet, multa alia continebantur in literis: tamen id quod intendebant literæ erat id, quod ſequitur. *Prædicate ieiunium.* Scilicet, antequam procedatis contra Naboth prædicate ieiunium in vrbe per aliquot dies. *Et ſedere facite Naboth inter primos populi.* Erat Naboth de Viris honorabilibus totius vrbis Iezrahel: ideo non erat aliquid nouum, quòd ipſe ſederet inter primos, id eſt, meliores vrbis: & ſedit ibi, quia non putabat ſe vocari ad hoc, quòd occideretur, ſed ad hoc, quòd cum alijs iudicaret. D

Iracundia ſæpe facit incurrere in febrem

B

C

Æquus animꝰ quando dicitur.

Quare prædicatum fuit ieiunium in condemnatione Naboth.

QVÆSTIO IV.

QVÆRETVR, quare prædicatum fuit ieiunium ad faciendum iſtud. Reſpondendum, quòd fuit propter duo. Primum propter conſuetudinem, quia fortè quandocunque aliquis capitaliter puniendus erat, ieiunabatur prius ad ſignandum compaſſionem, quam habebant iudices ad eum, qui occidebatur. Secundum fuit, quia iſta occiſio Naboth fuit iniquiſſima, cum eſſet vir iuſtus, & bonus: volebat autem Iezabel colorare eam: ideo iuſſit, quòd prædicaretur ieiunium prius ad ſignificandum, quòd aliquam rem magnã facere volebant, & illam non faciebant ex aliqua paſſione, ſed ex magna maturitate, & zelo Dei, cum prius ieiunarent, quàm inciperent illam: quia alioquin putaretur eſſe aliqua iniquitas. *Et ſubmittite duos viros filios Belial contra eum.* Subintelligendum eſt, quòd aliquis accuſabat Naboth de blaſphemia, & ad hoc inducere debebat teſtes. Iuſſit autem Iezabel, quòd inquirerentur duo contra Naboth, qui eſſent filij Belial, id eſt, filij diaboli, vt filij inobedientiæ. Belial enim interpretatur abſque iugo. Iudi. 19. Vocantur autem abſque iugo viri, qui nec legi, nec rationi, nec Deo obediunt, ſed paſſiones ſuas ſectantur: iſti enim ad omnia ſcelera proni ſunt, cùm nec timor Dei, nec reuerentia legum eos prohibeat. Et dixit Iezabel, quòd ſubmitterent duos viros Belial: quia ſi non eſſent filij Belial, nollent facere hoc, quòd ſuadebat Iezabel, etiam ſi rex iuberet, ſcilicet, falſum iurare in cauſa criminali contra virum innocentem. *Et falſum teſtimonium dicant.* Scilicet, Iſtud quod ſequitur. Non enim intendebat Iezabel, quòd erat alius modus, per quem facilius poſſet haberi vinea Naboth. *Benedixit Deum, & regem.* Id eſt, Dicant iſti teſtes, quòd Naboth maledixit Deum, & regem. Accipitur enim hic bene dicere pro maledicere: nam pro benedictione nullus puniendus eſſet, ſed magis remunerandus Iuxta illud, quòd dixerunt Hebræi Chriſto: De bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia. Ioan. 10. ſed accipitur benedictio pro maledictione. Sic patet Iob primo, ſcilicet, Ne fortè benedixerint filij mei Deo in corde ſuo, id eſt, ne fortè maledixerint, & ſic orabat pro peccato illorum. E

Benedicere ſæpe pro maledicere accipitur

F

An pro maledictione inferenda erat pœna capitalis.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, an pro iſtis maledictionibus inferenda eſſet pœna capitalis. Reſpondendum, quòd pro ambabus ſimul, vel pro qualibet earum per ſe inferenda erat ſententia capitis. De maledictione Dei patet Leuit. 24. vbi dicitur de viro blaſphemo, qui lapidatus eſt à toto populo. Sic etiam patet, quia blaſphemia incidit in cultum idolorum aliquo modo: ſed pro cultu idolorum lapidabatur quis. Deut. 13. & 17. & non ſolùm quando quis maledicebat Deo vocabatur blaſphemia, propter quam deberet lapidari, ſed etiam quandocunque aliquid diceret, quod ſignaret aliquam imperfectionem Dei. Sic enim dixit Chriſtus: Nunc videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientẽ innubibus cœli. Matt. 26. & Luc. 22. & iſta blaſphemia iudicata eſt digna morte, ita vt diceret ſummus ſacerdos: Blaſphemauit. Quid adhuc egemus teſtibus? & erat iſta blaſphemia

A

reputata à Iudæis, quia Christus se faciebat æqualem Deo. Sic patet Ioan.10. cùm dixerunt Hebræi: De bono opere nõ lapidamus te,sed de blasphemia: quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum. Sic etiam beatus Stephanus visus est Iudæis blasphemare, cùm dixit:Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei: & tunc impetu facto lapidauerunt eum,Actuum 7.Sic etiam erat de omnibus alijs assertionibus,in quibus videretur aliqualiter lædi honor Dei.De maledictione regis non apparet tam manifestè: & tamen aliqualiter colligitur Exodi 22. scilicet, Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices. Et hoc approbauit Paulus Actuum 23.Nota erat autem expressa pœna maledicentis: sed credendum est, quòd consuetum esset infligi mortem maledicenti.Sic etiam patet,quia Exodi 21.dicitur; Qui maledixerit patri suo morte moriatur. Rex tamen est pater populi,vt patet 8.Ethic. vbi Aristoteles probat principatum regalem esse principatum paternum, & inducit auctoritatem Homeri in Iliade, qui Agamemnonem patrem, & pastorem populorum appellauit:& hoc quia Rex erat:ergo maledicens Regi occidetur,sicut maledicens patri. Item dato, quòd non esset in lege Dei posita pœna maledicenti Regem: tamen esset ex aliqua lege municipali Hebræorum, & per illam sufficiebat puniri Naboth:Potius tamen fuit occisus pro maledictione Dei,quæ allegata fuit contra ipsum.

Pro maledictione principum,erat inferẽda pœna capitalis.

B

An mortuo Naboth vinea eius proueniebat Achab, & quomodo proueniebat, seu quo titulo.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR vlterius, an occiso Naboth vinea sua proueniebat regi Achab,& quomodo proueniebat,scilicet quo iure. Dicendum, quòd mortuo illo vinea prouenit ipsi Achab. Vnde quando cognouit Iezabel occisum fuisse Naboth,dixit ad Achab,Surge posside vineam Naboth, infra in litera. Et iterum dicitur:Ecce ad vineam Naboth descendit, vt possideat eam. Ad secundum dicendum, quòd vinea Naboth pertinebat ad Achab mortuo illo: ideo ipse iuit ad possidendum illam mortuo Naboth. Sed quomodo proueniret ei est dubium.Potest dici vno modo,quòd proueniebat ei ex lege de bonis damnatorum, quia fortè bona damnatorum confiscabantur: potissimè quando aliquis peccabat contra Regem:& quia condemnatus fuerat Naboth, tanquam maledicens Deo,& Regi, bona sua confiscabantur.Aliter potest dici secundùm quosdã, quòd istud proueniebat ex successione ab intestato,scilicet, quia volunt, quòd Naboth esset cognatus Achab,scilicet quòd fuerit frater Amri patris Achab, & ideo deficientibus omnibus liberis Naboth, successio deuoluebatur ad Achab:& sic ipse iuit ad possidendum tanquã succedens. Dicunt autem isti, quòd Achab non solùm fecit occidi Naboth,sed etiam omnes filios eius, ita vt non maneret aliquis hæres. Sic fuit de Achan, qui lapidatus est cum filijs suis, & omnibus, quæ possidebat, Iosue 7. Sed istud non est verisimile, quia Iezabel non scripsit nisi de occisione Naboth.Nec potest aliquis dicere,quòd iusserit hoc fieri,tamen non exprimitur hic: quia litera dicit, quòd sententia literarum Iezabel fuit ista,quæ habetur hic, & tamen non ponitur hic nisi de morte Naboth: ergo nihil aliud continebatur in sententia in literis Iezabel. Item patet, quia nunquam in iudicio hominum debebat occidi filius pro patre, vel pater pro filio.Deuteronom. 24. ergo Iezabel non iuberet occidi filios Naboth,quamquam maledixisset Naboth regi,& Deo. Nec obstat, quòd Achan lapidatus est cum filijs suis pro peccato suo solùm: nam illud non factum est iudicio hominum, sed iudicio Dei,vt patet Iosue 7.Deus autem potest diuersis modis iudicare,qui hominibus liciti non sunt. Dicendum ergo, quòd possedit bona illius tanquam confiscata: & sic non solùm possedit vineam,sed etiam omnia alia pertinentia ad Naboth.

C

D

Iezabel quare non accepit vineam à Naboth sine occisione eius.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare Iezabel non abstulit vineam Naboth alio modo,scilicet,non occidendo eum:nã poterat istud satis faciliter agere, cùm non posset resistere Naboth.

Dicendum,quòd noluit hoc agere Iezabel. Primò,quia non solùm volebat Iezabel accipere vineam Naboth, quam desiderabat Achab vir suus, sed etiam voluit sumere vindictam,quòd Naboth ausus fuisset repugnare Regi.Ad hoc autem non visum est sufficere, quòd vineam violẽter auferret, sed etiam, quòd ipse Naboth occideretur. Secundum fuit, quia voluit Iezabel excusare infamiam: nam si viuenti Naboth abstuliisset vineam,ipse clamasset ad omnes de Israël, & infamaretur Rex:nunc autem cùm occideretur pro alia causa,non poterat infamare Regem,& Rex poterat possidere vineam.Tertium fuit, quia Iezabel erat cupida, & impia: ideo non solùm desiderauit vineam Naboth,quam desiderauerat Achab,sed etiam desiderauit omnia quę possidebat Naboth, cùm ipse diues esset: & ista non poterat habere viuente Naboth:ideo fecit,quòd occideretur: & sic confiscarentur omnia bona sua,modo supra dicto.

E

Et educite eum,& lapidate. Id est,Educite istum ad lapidandum. Ista erat consuetudo omnium, qui occidebantur per sententiam, quòd nullus intra vrbem occideretur. Sic patet de B.Stephano Act.7. scilicet, quòd impetu facto eiecerunt eum de vrbe,& lapidauerunt. Sic etiam de Christo fuit, qui ductus fuit extra vrbem ad crucifigendum in eum,qui vocatur locus Caluariæ,ad Hebr.13.& Matth.27. Deus quoq; iusserat,quòd lapidandi eijcerentur de castris, & ibi lapidarentur,Leuit.24.

Sicq; moriatur. Scilicet, Lapidate eum vsque ad mortem. *Fecerunt q; ciues eius.* Id est,Conciues Naboth, qui erant de vrbe Iezrahel,de qua erat Naboth. *Maiores natu,& optimates, qui habitabant cum eo in vrbe, sicut præceperat eis Iezabel.* Scilicet, Isti seniores, & principes vrbis executi sunt mandatum Iezabel: ipsi tamen non putabant esse mandatum Iezabel, sed Achab: quia literæ dirigebantur ex nomine Achab, & signatæ erant annulo eius,vt patet in litera.

Prædicauerunt ieiunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi. Iam causa huius declarata est:non tamen sedit Naboth tanquam accusandus, sed tãquam iudicaturus aliquem, quia non erat sibi conscius alicuius criminis, propter quod deberet puniri.

Et adductis duobus viris filijs diaboli. Duxerunt enim istos duos viros, vt testificarentur contra Naboth, quòd maledixerat Deo & Regi,vt supra dictum est.Vocantur isti filij diaboli,quia opera diaboli faciebant.Sic enim Christus dixit Iudæis. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ioan.8. Vocantur tamen in Hebræo filij Belial. Nos verò accipimus Belial interdum pro dæmone:significat tamẽ hominem sine iugo. Iudic. 19. quod satis conuenit diabolo, quia sine iugo est.

F

Et sedere fecerunt eos contra eum. Scilicet, duo qui ducti erant, vt testificarentur, sederunt in iudicio contra Naboth. Fortè enim sic erat consuetudo, quòd in iudicio tam accusantes,quàm accusati,quàm testes sederent. Et dicuntur isti sedisse contra Naboth,quia sedebãt ex opposito eius, vt possent conuenientius loqui. Vel sedebant contra eum, id est, aduersus eum,scilicet ad accusandum eum.

At illi,scilicet,vt viri diabolici dixerunt contra eum testimonium coram multitudine, Scilicet,isti erant viri diabolici, & sicut filij diaboli locuti sunt,dicentes falsum testimonium ad mortem contra virum innocentem. *Benedixit Naboth Deum, & regem.* Id est, maledixit Deum, & regem, vt suprà declaratum est. *Quamobrem eduxerunt eum extra ciuitatem;& lapidibus interfecerunt.* Scilicet,quia depositũ est contra eum,quòd maledixerat Deo,& Regi,& pro his merebatur lapidari secundùm legem. *Miseruntq; ad Iezabel,dicentes:Lapidatus est Naboth & mortuus est.* Miserunt isti ciues nuncios ad Iezabel de morte Naboth, eo quòd ipsa miserat nuncios ad illos pro occisione Naboth, quamquam literæ venirent ex nomine Regis.

An peccauerunt valde iſti ciues occidendo Naboth iſto modo, quo occiderunt, & an teneantur ſemper ſubditi obedire literis dominorum.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, an peccauerint iſti ciues, occidendo Naboth eo modo, quo occiderunt. Aliquis dicet, quòd nõ peccauerunt, quia mandatum Regis peruenit ad eos, & ipſi tenebantur exequi mandatum eius.

Reſpondendum, quòd peccauerunt valde, quia ipſi fuerunt miniſtri iniquitatis: non tamen ſolùm peccat, qui iubet iniquitatem fieri, ſed etiam qui cooperatur ſubminiſtrando, vel qualitercunq; : nam in criminibus nõ ſolùm agentes, ſcilicet qui principaliter agunt, ſed etiam qui conſentiunt eis, digni ſunt morte, ad Rom. 1. Pro hoc tamen ſciendum, quòd literæ Regis, quæ diriguntur ad aliquos ſubditos, vt occidãt aliquem, aut ſolùm iubent occidere ſentẽtiando illud, aut iubent facere proceſſum, per quem reperiatur culpabilis, contra quem proceditur, & occidatur. Si primo modo, aut continent aliquam cauſam mandati, aut nõ : vtpote ſi dicatur : iubeo, quòd occidatis talem, quia commiſit tale delictum contra me. Si primo modo, aut cauſa expreſſa eſt iuſta, aut non. Si non eſt iuſta, non debent obedire ei, ſed potius debent omnes pati mortem: vtpote ſi Rex diceret: iubeo vobis, quòd occidatis talem, quia non conſenſit mihi, quòd raperem bona communitatis, vel affligerem aliquem iniuſtè. Nam potius tunc obediendum eſt Deo, quàm hominibus, quia Deus iubet hic contrarium hominibus. Si autem exprimat cauſam rationabilem, aut eſt vera, & cognita vera, aut falſa, & cognita falſa, aut dubia. Si primo modo tenentur ſubditi obedire Regi, vtpote ſi diceret: Iubeo quòd occidatis talem, quia adulteratus eſt, vel rapinam egit: & hoc cognoſcant verum eſſe illi, ad quos literæ diriguntur. Si autem cauſa expreſſa ſit rationabilis, & tamen eſt falſa, & cognita falſa, vt ſi rex diceret: Occidatis talem, quia commiſit contra me tale crimen læſæ maieſtatis, & ſcirent illi, ad quos dirigebantur literæ hoc falſum eſſe, & Regem procedere iniquè, non debent obedire Regi, quia agerent contra conſcientiam, ſed potius deberent pati mortem, & quæcunque mala. Si autem cauſa rationabilis fuit expreſſa, & eſt dubium, an ſit vera, vel Rex procedat ex iniquitate, debent ſe informare illi, ad quos literæ diriguntur ſuper hoc, ſi ſe poſſunt informare, & tunc habita informatione facient ſicut in duobus caſibus ſupradictis, ſcilicet, quia aut reperient fuiſſe veram cauſam, aut falſam. Si autem non ſe poſſunt informare, ſecurius eſſet, quòd ante executionem recurrerent ad ipſum, qui literas dedit, & ſic ſe informarent. Si tamen in caſu dubio volunt propter reuerentiam principis exequi mandatum, non videntur multum peccare, niſi fortè conſcientia eorum ſit aliqualiter læſa, ſcilicet, quia putent, quòd cauſa expreſſa eſt falſa, licèt neſciant, quia tunc eſt aliquo modo contra fidem agere, exequi tale mandatum. Si autem nulla cauſa ponitur in literis, ſed ſolùm præceptũ, videtur eſſe dubium. Et tunc dicendum videtur, quòd ſubditi non deberent exequi tale mandatum, niſi cognoſcerent, aut ſuſpicarentur aliquam cauſam, propter quam Rex hoc mandaret, licèt non expreſſerit, & tunc ſecundùm conditionem cauſæ agere debent, vt dictum eſt.

Si tamen nihil omninò ſuſpicantur, aut ſciunt, videtur, quòd non debeant exequi mandatum, quouſque conſulant eum, qui literas miſit, & ſic aliqualiter ſe informabunt, & poterunt deduci ad aliquem caſum manifeſtioremde prędictis, & ſic ſcient, quid expediat. Si autem in mandato ponitur etiam proceſſus, ſcilicet, quòd Rex iubeat aliquibus, quòd procedant iudicialiter tali modo contra talem. Et tunc aut proceſſus, per quem debet induci condemnatio, eſt iniuſtus, aut iuſtus. Si eſt iuſtus, non eſt dubium, quin debeat obediri: quia etiam Rege non mandante tenetur iudex ex officio ſuo iuſtè procedere contra quoſcunque, & ſi reperiat eos culpabiles ex proceſſu, tenetur eos punire. Si autem modus procedendi ſit iniquus, non tenentur ſubditi obedire ſic procedendo, nec tenentur condemnare illos, de quibus Rex iubet. Sic autem fuit hic, quia in literis Regis continebatur, quòd procederent ſeniores Iezrahel per falſos teſtes contra Naboth : ideo peccauerunt ſic procedendo, & occidendo illum, & ſic fuit duplex peccatum. Nam peccauerunt occidendo virum innocentem, quem ſciebant eſſe innocentem. Secundò peccauerunt, quia duxerunt viros iniquos ad falsè teſtificandum : & iſtud per ſe erat peccatum, dato quòd non fieret aliquid aliud : nam iſti volebant occultare malum cum alio malo.

Sed obijcietur, quòd non peccauerint iſti viri, quia Elias prænunciauit malum contra Iezabel propter mortem Naboth, & etiam cõtra Achab, quia ambo peccauerunt in hoc, vt patet infra. ſi tamen peccauiſſet populus Iezrahel prędixiſſet aliqua mala Elias contra populum, ſicut contra Iezabel, & Achab: & tamen non prædixit, ergo non peccauit.

Reſpondendum, quòd iſta ratio nõ tenet, quia multi peccant, & Deus non prænunciauit malum contra eos, ſed infligit. Vel aliter peccatum Achab, & Iezabel fuit maius, quia ipſi fuerunt principales: peccatum populi fuit minus, quia populus fecit, vt obediret Regi, ideo prænunciatum eſt malum contra Achab, & Iezabel, & non contra populum. Vel aliter prænunciauit malum contra populum, ſicut Achab, & Iezabel, & tamen Scriptura ſolùm expreſſit malum prænunciatũ contra Iezabel, & Achab.

An Achab peccauerit in morte Naboth.

QVÆSTIO IX.

QVÆRETVR vlteriùs, an peccauerit Achab in morte Naboth. Aliquis dicet, quòd non, quia non deſiderauit ipſe occidere eum: nam ſi deſideraſſet, peccauiſſet, ſed ſolùm iacuit in lecto præ tædio reſponſionis duræ Naboth. Item Iezabel fecit occidi Naboth, & non Achab, ergo non peccauit Achab. Item Achab neſciſſe videtur hoc, quia Iezabel literas ſcripſit, & ſignauit annulo Regis, ergo non fecit Rex. Item patet, quia quando mortuus eſt Naboth, Iezabel denũciauit Achab, dicens : Surge poſſide vineam Naboth : non enim viuit Naboth, ſed mortuus eſt, & ibi dicitur, quòd cùm audiſſet Achab mortuum Naboth, ſurrexit, & non erat conſcius huius mali.

Reſpondendum, quòd Achab peccauit in morte Naboth: Quod patet, quia licèt ipſe directè non iuſſerit occidi Naboth: tamẽ placuit ei, & conſenſit in occiſione eius. Nam quando iacebat in lecto Achab, dixit ei Iezabel : Surge, & comede, ego dabo tibi vineam Naboth, & ſic tunc debuit Achab intelligere, quòd Iezabel volebat aliquod malum agere contra Naboth, ad auferendum ei vineam, quia bono modo non poterat, ideo debuerat eam prohibere, cùm poſſet, & nõ prohibuit, ideo peccauit.

Item patet, quia Iezabel accepit annulum Regis, & ſignauit literas ex nomine illius continentes mortem Naboth. In hoc autem, vel Rex fuit ſciens, dando ei annulum ad faciendum hoc, vel ſaltem fuit negligens valde, permittendo quòd aliquis acciperet annulum eius, quia poterant inde mala ſequi. Magis autem videtur, quòd ipſe fuerit conſcius, quia cũ ſciuit factum eſſe, approbauit deſcendendo ad poſſidendum vineam Naboth, & tamen ſi non fuiſſet conſcius huius, vel fuiſſet contra intentionem ſuam, doluiſſet de tanto malo.

Item patet, quia dato quòd neſciuiſſet aliquid eorũ, quæ agebat Iezabel : tamen quando nunciatum eſt ei, quòd occiſus erat Naboth, deſcendit illicò ad poſſidendum vineã eius, in quo apparebat, quòd gaudebat de morte eius, & volebat acquirere lucrum de iniqua morte.

Item patet, quia Elias dixit ipſi Achab : Hæc dicit Dominus: Occidiſti, & inſuper poſſediſti: ergo Achab occiderat, iubendo, vel conſentiendo ipſi Iezabel iubenti facere hoc.

Item patet, quia prænunciauit Elias, quòd canes lamberẽt ſanguinem Achab in loco, in quo linxerunt ſanguinem Naboth : iſtud autem erat pro morte Naboth : ideo peccauerat Achab in morte illa.

Ad primam rationem in contrarium dicendum, quòd Achab à principio noluit occidere Naboth, quia fortè volebat vitare ſcandalum, & tamen poſtea aſſignato modo occiſionis per Iezabel, qui non erat ſcandaloſus, conſenſit Achab, antequam fieret, vel poſtquam factum eſt.

Ad ſecundum cùm dicitur, quòd Iezabel ſignauit literas

annulo

annulo regis. Dicendum, quòd quamquam non exprimatur quòd rex tradiderit annulum Iezabel: tamen credendum est, quòd ipse tradiderit annulum, & quòd de consensu eius factum fuerit, vt colligitur ex dictis.

Ad tertium quando dicitur, quòd nesciebat Achab de hoc, quia Iezabel denunciauit ei mortem Naboth, vt patet infra. Dicendum, quòd ex loco ipso potius apparet, quòd fuerit conscius Achab, quia si ipse nesciuisset, & fuisset contra voluntatem eius, quando audiret mortuum Naboth, doleret nimis, & tamen non doluit, sed illicò gaudens descendit ad possidendum vineam eius: ergo conscius erat huius mali. Quòd autem dicitur, quòd Iezabel denunciauit Achab mortem Naboth. Dicendum, quòd hoc fuit, quia ad ipsum peruenerunt nuncij de vrbe Iezrahel, vt patet suprà, scilicet, miseruntque ad Iezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth: & hoc quia nuncij eius portauerant literas ad vrbem Iezrahel, & nõ nuncij Achab.

Factum est autem cùm audisset Iezabel lapidatum Naboth, & mortuum, locuta est ad Achab. Id est gauisa est valde Iezabel, audita morte Naboth, & retulit illud ipsi Achab: quia sciebat, quòd de hoc gaudebat Achab, vt descenderet ad possidendũ vineam. *Surge, & posside vineam Naboth Iezrahelitæ.* Scilicet, iam mortuus est, & potes possidere vineam eius, & omnia alia bona, tanquam confiscata.

B *Qui noluit tibi acquiescere, & dare eam, accepta pecunia,* Quasi dicat, ipse noluit tibi dare vineam, cùm tu dares ei pecuniam, nunc tu accipies vineam, & nihil ei dabis. *Non enim viuit Naboth, sed mortuus est.* Dixit hoc Iezabel, quia miraretur Achab, quomodo poterat accipere vineam Naboth, quia ante hoc, cùm ipse oraret, noluit dare Naboth vineam, etiam pro pretio: ideo dixit, quòd iam mortuus erat Naboth, scilicet, condemnatus per sententiam, quasi maledixisset Deo, & Regi: ideo bona illius proueniebant ei. *Quod cùm audisset Achab mortuum videlicet Naboth, surrexit.* Gauisus fuit Achab audiens, quòd mortuus fuisset Naboth: ideo surrexit, scilicet, de vrbe Samaria vadens in vrbẽ Iezrahel ad possidendum vineam Naboth. *Et descendebat in vineam Naboth Iezrahelitæ.* Scilicet, erat in Samaria Achab, quando Iezabel denunciauit ei mortem Naboth, & tunc cœpit ipse descendere ad possidendum vineam, scilicet descendit in vrbem Iezrahel, nam ibi erat vinea ista, & volebat accipere possessionem realem, atque corporalem. Et non solùm descendebat ad possidendum istam vineam, sed etiam omnia bona Naboth. Dicitur tamen specialiter de ista vinea, quia istam plus diligebat, quàm omnia alia bona Naboth. Quòd autem omnia bona Naboth pertinerent ad Achab, patet: quia si pertineret vinea, vt confiscata pro delicto, etiam alia bona confiscarentur. Si autem pertineret, vt ad succedentem in parentela, non solùm esset successio in vinea, sed in omnibus bonis eius. *Factus est.* Hic ponitur secundum huius cap. scilicet pœnæ comminatio. Et diuiditur in duo, quia primò pœna prædicitur: secundò Achab affligitur, & pœna differtur, ibi. *Itaque cùm audisset.* Circa primum dicitur.

C *Prænũciatio malorũ ad Achab.*

Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbitem. Manebat Elias hoc tempore in Israël: nam quamquam fugerat vrgente persecutione Iezabel, suprà 19. tamen postea redijt, vt ibi declaratum est in fine. Nunc autem à Deo missus est ad Achab, vt prænunciaret ei mala, quæ futura erant. Vocatur Elias Thesbites, quia erat de vrbe Thebes, de qua declaratum est suprà 17.

Surge, & descende in occursum Achab regis Israël, qui est in Samaria. Elias manebat in monte Carmeli, nam ex eo tempore, quo Deus fecit miraculum mittẽdi ignem super sacrificium suum in monte illo, habuit Elias deuotionem manendi in eo, & semper mansit ibi, vsque ad tempus quo raptus est in curru igneo. Vnde quando ibant ad eum quinquagenarij regis Ochoziæ, dicitur quòd manebat in monte Carmeli. sequenti lib. cap. 1. dicitur, quòd iret in occursum Achab, qui erat in Samaria, scilicet, quòd erat Achab in Samaria eo tempore, quo occisus est Naboth; & denunciata morte eius descendebat de Samaria in vrbem Iezrahel, vbi erat vinea Naboth. Elias autem descendens de monte occurreret Achab in via, antequam veniret in Iezrahel.

Ecce ad vineam Naboth descendit, vt possideat eam. Id est, nunc incipit descẽdere à Samaria in Iezrahel, vt possideat vineam, id est, vt teneat possessionem naturalem, quia iam pertinebat ad eum per confiscationem vineæ illa. D

Et loqueris ad eum: Hæc dicit Dominus, Occidisti, & insuper possedisti. Scilicet fecisti duo mala. Primum est, quòd occidisti iniustè Naboth. Secundum est, quòd possedisti vineam eius, acquirendo eam per mortem iniustam. Et dicitur, possedisti, id est ad possidendum descendisti: nam nondum venerat in vrbem Iezrahel, in qua erat vinea, sed ibat cũ intentione possidendi.

Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque tuum sanguinem. Scilicet postquam dixeris ea, quæ suprà habentur, & pertinent ad culpam Achab, subiunges ea, quæ sequuntur, quæ pertinent ad pœnam. Et istud erat, quòd occideretur Achab, & lingerent sanguinem eius canes in loco, in quo linxerant sanguinem Naboth. Et dicitur de sanguine, quia Naboth lapidatus fuit, & sanguis fluebat de corpore: cadauer tamen non relictũ est volatilibus, & bestijs, quia lex iubebat condemnatos ad mortem sepeliri, Deut. 21. mansit ergo solus sanguis in loco occisionis, & canes linxerunt illum, quia sanguis humanus dulcis est. Ita factum est de sanguine Achab, quia licèt cadauer eius sepultum fuerit in Samaria, sequenti cap. tamen sanguinem eius fluentem de curru, & vestibus, & armaturis linxerunt canes, eod. cap.

Quomodo intelligitur, quòd canes linxerunt sanguinem Achab, & Iezabel, vbi lapidatus fuit Naboth. E

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR quomodo est verum, quòd canes linxerunt sanguinem Achab in loco in quo occisus fuit Naboth: nã Naboth occisus est in Iezrahel, vt patet hic: Achab verò sepultus est in Samaria, & ibi linxerunt canes sanguinem eius, sequenti c. Respondendum est, quòd pro occisione Naboth simul cum alijs peccatis mortui fuerunt Iezabel, & Achab: carnes autem Iezabel comederunt canes, & linxerunt sanguinem eius in loco in quo occisus fuerat Naboth, vt patet sequenti lib. c. 9. nam ibi Iezabel præcipitata fuit de turri, & canes comederunt carnes eius. De Achab autem dicendum, quòd non linxerunt canes sanguinem eius in loco, in quo lapidatus est Naboth, scilicet in Iezrahel, sed in Samaria. Pro veritate tamen huius literæ dicendũ, quòd locus potest accipi communiter, vel propriè. Primo modo vna regio vocatur vnus locus, & quicunq; sunt in eadem regione, sunt in eodem loco. Secundo modo dicitur locus aliqua ciuitas, vel paruum spacium. Primo modo canes linxerunt sanguinẽ Achab in eodem loco, in quo linxerũt sanguinem Naboth, scilicet in terra Israël, licèt non fuerit idem locus specialiter, quia sanguinem vnius linxerunt in Samaria, & sanguinem alterius in Iezrahel, & sic intelligitur litera ista. F

Aliter tamen potest dici secundùm Hebræos, quòd in eodem loco strictè, scilicet in Iezrahel canes linxerunt sanguinẽ Achab, & Naboth, & ad hoc dicunt, quòd in Iezrahel erat armamentarium Regis, & quando mortuus fuit in bello, arma fuerunt perfusa sanguine, & postea cùm ducerentur ad armamẽtarium in Iezrahel, lota fuerunt ibi, & fluebat aqua tincta sanguine de lotione armorum, & illam linxerunt canes.

Sed dicendum, quòd hic solùm accipitur locus largè, scilicet pro tota terra Israël, quod patet, quia sequenti c. dicitur, quòd lauerunt currũ Achab in piscina Samariæ, & linxerunt canes sanguinem eius, & sequitur ibi, quod hoc fuit iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat. Et sic patet, quòd lãbentibus canibus sanguinem Achab in Samaria, complebatur verbum Domini dictum per Eliam: ipse tamẽ dixit, quòd in loco in quo canes linxerunt sanguinem Naboth, lingerent sanguinem Achab: ergo accipitur locus communiter,

Et ait Achab ad Eliam, num inuenisti me inimicum tibi? Vidit Achab, quòd prænunciabat Elias dura contra ipsum, ideo accipiebat eum, vt inimicum, & putabat, quòd Elias haberet animum inimicandi ipsi Achab, & dixit: num inuenisti me inimicum tibi? Id est, nunquid tu me habes pro inimico? q.d. ad inimicum pertinet mala dicere, & mala facere, tu aũt semper facis mala mihi denunciando malum, nam prius denunciauerat ei famem, suprà 17. nunc aũt denunciauit ei mortẽ suam,

& vxoris ſuæ, & filiorum ſuorum, ideo erat ſicut inimicus Achab. *Qui dixit: Inueni,* id eſt inueni te inimicum, & ſemper aduerſor, & aduerſabor tibi, & ſubditur cauſa:

Eo quòd venundatus ſis, vt faceres malum in conſpectu Domini. Id eſt, ego ſum inimicus tuus, non quaſi deſiderem tibi inimicari, ſed quia tu malus es, aduerſor tibi, tanquam hoſti. Et hoc notat cùm dicit, eo quòd venundatus ſis, vt faceres malum, id eſt non ſolùm facis malum, ſed etiam officium tuum eſt facere malum, ſicut qui venditur, vel locatur ad aliquid agendum, agere illud eſt opus ſuum, ita Achab tot mala faciebat, quòd officium ſuum videbatur eſſe facere malũ, & quòd ad hoc erat venditus. *Ecce ego inducam ſuper te malum.* Duplex malum denunciatur hic Achab. Primum eſt in propria perſona. Secundum eſt in rebus coniunctis, ſcilicet in vxore, & filijs. De primo modo dicitur, quòd Deus inducet malum ſuper Achab ſcilicet, malum, quòd pertinet ad perſonam ſuam, & iſtud eſt, quòd occideretur, & quòd canes lamberent ſanguinem eius. *Et demetam poſteriora tua.* Id eſt truncabo, vel abſcindam poſteriora tua, id eſt poſteritatem domus tuæ, facien do quòd filij tui non ſuccedant tibi.

Et interficiam de Achab mingentem ad parietem. Scilicet, occidam omnes de progenie Achab, ita vt non relinquatur aliquis mingẽs ad parietem. *Et clauſum, & vltimum in Iſraël.* Clauſi vocantur illi, qui erant de genere regio, & propter aliquos defectus erubeſcebant venire in publicum. Vltimi vocantur, qui ſunt minores omnibus hominibus in dignitate, quaſi dicat, non ſolùm occidendi erant de ſtirpe Achab viri florentes, qui glorioſam faciebant progeniem illam, ſed etiam omnes, qui nullius valoris erant, ita vt non relinqueretur aliqua poſteritas.

Et dabo domum tuam, ſicut domum Ieroboam filij Nabath. Id eſt, faciam domum tuam ita deſolatã, ſicut domum Ieroboam. Fuit autem Ieroboam primus, qui peccare fecit Iſraël in idolis introducendo vitulos aureos, ſuprà 12. & prænunciata eſt deſtructio poſteritatis ijs per Ahiam Silonitẽ, ſuprà 14. & fuit tradita executioni per Baaſa, ſuprà 15. ita delenda erat poſteritas Achab, quia fuit idololatra ſicut Ieroboam: imò augmẽtauit cultum idolorum plus Ieroboam, ſuprà 16.

Et ſicut domum Baaſa filij Ahia. Iſte fuit tertius rex in Iſraël, facta diuiſione regni: quia primus fuit Ieroboam, ſuprà 12. ſecundus Nadab filius eius, ſupra 15. tertius Baaſa, eod. cap. Domus eius fuit deleta per Zambri, qui occidit Ela filium Baaſa regem Iſraël, dum eſſet in menſa, & occidit omnem progeniem eius, ſupra 16. Domus autem Baaſa fuit deſtructa propter idololatriam, vt patet ibidem. Ita fuit deleta domus Achab. Nam omnes filij eius occiſi ſunt, quia Iehu, qui factus eſt rex Iſraël, occidit Ioram filium Achab regem Iſraël, & alios ſeptuaginta filios Achab, ſequenti lib. c. 9. & 10. occidit quoque vxorem eius Iezabel, eod. lib. cap. 9.

Quia egiſti, vt me ad iracundiam prouocares. Id eſt egiſti mala, per quæ prouocaſti me ad iracundiam, & non ponitur hic, vt dicens cauſam finalem, ſed conſecutiuam, ſcilicet, quia non agebat Achab malum ad iſtum finem, vt Deus prouocaretur ad iram, ſed faciebat malum Achab, vt delectaretur: & ex hoc ſequebatur, quòd Deus iraſceretur.

Et peccare feciſti Iſraël. Scilicet, non ſolùm peccaſti tu, ſed etiam ad peccandum induxiſti Iſraël. Iſtud intelligitur de cultu Baal, quia Iezabel introduxit cultum Baal in Iſraël, & cogebat Iſraëlitas curuare genua coram Baal, & oſculari manũ illius, ſuprà 19. cùm dicit Deus, quòd reliquit ſibi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua coram Baal, nec oſculati ſunt manum eius.

Sed & de Iezabel locutus eſt Dominus. Prædixit Elias malum contra Achab, & contra progeniem ſuam, hic prænunciat mala contra Iezabel vxorem ſuam. *Canes comedent Iezabel in agro Iezrahel.* Iſtud completum eſt per Iehu: nam ipſe fecit eam deijci de turre Iezrahel, & canes comederunt eam, & cùm Iehu iuberet eam ſepeliri, quia erat filia regis, nihil inuentum eſt de ea niſi caluaria, ſequenti libro, cap. 9. Et dicitur in agro Iezrahel, quia turris erat in agro, & in illo agro lapidatus fuerat Naboth, & canes linxerunt ſanguinem Iezabel, & voraue runt carnes, vbi linxerant ſanguinem Naboth.

Pro quibus peccatis Iezabel prænunciata fuerunt iſta mala ei.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR pro quibus peccatis prænunciata fuerũt iſta mala Iezabel?

Reſpondendum, quòd multa fuerunt peccata Iezabel, ſed præcipuè fuerunt in quatuor, vel quinq; generibus. Primum fuit in magna idololatria: fuit enim Iezabel zelantiſſima circa cultum Baal in tantum, quòd habebat 450. prophetas ad decorandum cultum eius, & omnes illi comedebant de menſa Iezabel, ſupra 18. Secundum genus peccati fuit, quia non ſolùm ipſa peccauit, ſed etiam induxit ad peccandum Regem, & populum. De Rege patet, quia dicitur infrà: Concitauit enim eum Iezabel vxor ſua, & abominabilis effectus eſt. infrà in litera. Patet etiam ſuprà 16. nam propter eam Achab fecit templum Baal, & lucum in Samaria. Quòd autem induxit populum, patet, quia ipſa fecit, quòd Iſraëlitæ curuarent genua coram Baal, & oſcularentur manum eius, & qui non faciebãt hoc occidebantur, præter illos qui fugerunt. vt colligitur ſuprà 19. vt ibi declaratum eſt. Tertium genus peccatorum fuit propter mortem, & perſecutionem prophetarum Domini. Nã Iezabel occidebat omnes prophetas Domini, quotquot inueniebat, ſupra 18. & tunc Abdias diſpenſator Achab liberauit à morte centum de prophetis illis, vt patet ibidẽ. Etiam Iezabel perſecuta fuit Eliam ad mortẽ, quia occidit prophetas Baal, ſuprà 19. Quartum genus peccati fuit, quia Iezabel inuidit cultui Dei, & vt zelaret nimis cultum Baal, faciebat deſtrui omnia altaria in quibus Deus colebatur: & de hoc valde conquerebatur Elias, ſuprà 19. ſcilicet, Altaria tua deſtruxerunt, & prophetas tuos occiderunt, & relictus ſum ſolus. Sic etiam ſuprà 18. dicitur, quòd Elias reſtaurauit altare Domini, quod deſtructũ fuerat. Hæc omnia fiebant per Iezabel, q̃ conabatur extirpare cultũ Dei, vt ibi declaratũ eſt. Etiã patet, quia ipſa concitabat Achab ad omnia mala, quę faciebat, vt patet infra in litera. Quintum peccatum fuit, quia Iezabel iuſſit Naboth innocentẽ lapidari, & teſtes falſos ſubmitti cõtra eum, ſuprà in litera: & iſtud fuit, quod Deus valde attendit, & pro hoc maximè ipſi Iezabel iſta pœna impoſita eſt, q̃p comederetur à canibus, & quòd canes lingerent ſanguinem eius in loco, in quo linxerant ſanguinem Naboth.

Quare maior pœna denunciata eſt Iezabel, quàm Achab. Et quòd magis peccauit Iezabel, quàm Achab.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR vlteriùs, quare maior pœna fuit denunciata contra Iezabel, quàm contra Achab: nam videtur, quòd maior debuiſſet denunciari contra Achab, eo quòd ipſe erat Rex, & quæcunque mala fiebant, eo auctore fiebant, quia illo prohibente, nemo potuiſſet malum publicè facere: tanto ergo peccatum ſuum fuit maius peccatis omnium, & peccato Iezabel, quanto maioris poteſtatis erat. Aliquis dicet, quòd Achab minus puniendus erat, quia tamen pœnituit denunciata fuit contra eum minor pœna, ſcilicet, quòd canes lingerent ſolùm ſanguinem eius, & non comederent carnes eius, ſed ſepeliretur honorificè, ſicut de alijs regibus factum eſt. Et ſic fuit, quia in Samaria ſepultus eſt, ſequenti ca. Contra Iezabel denunciatum eſt, quòd canes lingerent ſanguinẽ eius, & etiam quòd comederent carnes eius. Vnde q̃ iuſſit Iehu rex accipi corpus eius ad ſepeliẽdum, quia filia regis erat, non inuenerunt niſi caluariam, & pedes, & ſummas manus, ſeq. lib. cap. 9.

Sed dicendum eſt quòd iſta ratio non ſtat, quia Achab nõ pœnituit antequam denunciaretur ei pœna, ſed poſtea: nam quando denunciata eſt, potiùs durè locutus eſt ad Eliam, dicens: Num inueniſti me inimicum tibi? Pœnitentia autẽ Achab fuit poſt denunciationem pœnæ, & tunc Deus minuit de iſta pœna pronunciata, ſcil. denunciando eam, quòd non eueniret diebus Achab, ſed poſt mortem eius, vt patet infrà.

Sed dicendum, quòd maior pœna denunciata fuit contra Iezabel, quia ipſa magis peccauit quàm Achab, nã ipſa incitabat eum ad omne malum, vt patet in litera, & ferè nihil iſtorum egiſſet Achab, niſi Iezabel mouiſſet eum. Sic patet de occiſione Naboth, nam cùm noluit dare vineam Achab, nõ in-

tendebat

A tendebat Achab occidere eum, aut inferre aliquod malum, ſed ſolùm præ tædio iacebat in lecto. Iezabel autem ſcripſit literas iubens, quòd occideretur Naboth: principalius ergo peccabat Iezabel in omnibus, quàm Achab, quia ipſe ſolùm peccabat conſentiendo illi, cùm eſſet vxor ſua: ipſa verò peccabat, excogitando malum, & inſtigando Achab, vt illud faceret. Prænunciatum tamen fuit contra Achab ſicut contra Iezabel, ſcil. quòd canes comederent carnes eius, vt patet infrà. & tamen iſtud poſtea immutatum eſt, quia pœnituit, & etiam dilatata fuit pœna progeniei eius vſq; ad mortem ſuam. *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes: ſi autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli.* Iſtud prænunciauerat Deus contra Achab, ſed nõ completum eſt, eo quòd Achab doluit de peccatis ſuis, ideo licèt mortuus fuerit in agro, non comederunt volucres carnes eius, ſed ductus eſt ad ſepeliendum in Samariam, ſeq. cap.

Quomodo complenda erat hæc prophetia in Achab.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quomodo complendum erat iſtud, ſcilicet quòd moriente Achab in agro, comederent eum volucres, & moriente in ciuitate comederent eum canes. Et dubium eſt in duobus. Primò, quia ponitur hic incertus locus mortis, ſcilicet in agro, vel in vrbe, & tamen ſequenti capitulo dicitur, quòd occideretur in bello, & ſic moreretur in agro. Secundum eſt, quia hic dicitur, quòd ſi mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres, & tamen mortuus eſt in agro, ſcilicet in bello, & non comederunt eũ volucres, ſed portatus eſt ad ſepeliendum in Samariam, ſeq. cap.

B Reſpondendum, quòd quando iſta prenunciata fuerunt contra Achab, intendebat Deus ei dare aliam pœnam, quam non dedit, ſcilicet grauiorem ea, quam ea, & certiſſimè dediſſet, niſi egiſſet pœnitentiam Achab, & tunc complendum erat, quod hic dicitur, ſcil. quòd ſi moreretur in agro, comederent volucres carnes eius: & ſi in vrbe, canes comederẽt illas. Modus autem pœnæ erat, quòd Deus intendebat in diebus Achab inducere malum, quod induxit tempore Ioram filij eius, ſcilicet quòd Iehu vnctus eſt in regem per prophetam à Domino, vt deleret progeniem Achab: & ille occidit omnes de poſteritate Achab, ſeq. libro, cap. 9. & 10. Si autem non egiſſet pœnitentiam Achab, Deus ſuſcitaſſet Iehu in Regem viuente Achab, & ipſe occidiſſet Achab, & omnes de progenie ſua: & tunc ſi occideretur Achab in vrbe, non ſepeliretur, ſed canes comederent carnes eius. Si autem occideretur in agro, volucres comederent illas. Hoc autem eſſet, quia Iehu, qui occideret eum, non permitteret ipſum ſepeliri. Nunc autem non factum eſt ſic, quia Achab doluit de peccato ſuo, ideo Deus nõ induxit in diebus ſuis malum iſtud, ſed in diebus filiorum ſuorum: & conſequenter, quamquam ipſe occiſus fuerit in bello, non prohibitus fuit ſepeliri, quia nullus nullus adhuc inſurrexerat contra eum, & progeniem ſuam.

C *Quare nõ fuit prænunciatus determinatꝰ locus mortis Achab*

Ad primum dubium dicendum, quòd hic non fuit prænunciatus locus mortis, eo quòd iſta dicta fuerũt Achab exiſtenti in peſſima diſpoſitione ſub hac intentione, quòd ipſe occideretur per manum alicuius ſerui ſui inſurgentis in regnum, & ille prohiberet Achab ſepeliri, ſed laceraretur à canibus, vel à volucribus. Sic factum eſt de progenie Ieroboam, contra quam ſurrexit Baaſa. Nam prænunciatum eſt, quòd nullus ſepeliretur, ſed comederẽtur à canibus, & volucribus, ſuprà 14. & 15. Sic etiam prænunciatum eſt de progenie Baaſa, quòd nullus ſepeliretur, ſed comederentur à volucribus & canibus, ſuprà 16. In Achab autem, quia pœnituit poſt hæc, Deus dixit, quòd veniret malum in diebus eius, infrà in litera, ideo ceſſabat iam iſta ſententia, ſed poſtea propter alia peccata Achab, vel propter priora prænunciatum eſt ei, quòd moreretur in bello, quod faciebat in Ramoth Galaad, ſequenti cap.

Ad ſecundum dubium dicẽdum, quòd mortuus fuit Achab in agro, & non commederunt eum volucres, eo quòd ſententia prius à Deo lata iam reuocata fuerat quantum ad ipſum, eo quòd differebatur pœna ad tempora filiorum ſuorum, & ſic, quanquam occideretur ſepeliendus erat. *Igitur nõ fuit alter talis, vt Achab, qui recordatus eſt vt faceret malum.* Scilicet, nullus talis peccator fuit, vt Achab. Et intelligitur iſtud de regibus. De alijs autem manifeſtum erat, quia alij non peccabant tantum, ſicut reges? Et dicitur, quòd nullus fuit ſic venundatus ad peccandũ, id eſt nullus fuit tam diſpoſitus, quia iſte ſemper operabatur malum, tanquam officium ſuum eſſet facere malũ. Alij autem reges licet mali eſſent, non erant ſic venundati ad peccandum. An verò Achab fuerit peior, quã Ieroboam declaratum fuit ſupra 16. *In conſpectu Domini.* Scilicet quia omnia mala, quæ fiunt, dicuntur fieri in conſpectu Domini, cum ipſe omnia videat. *Concitauit enim eum Iezabel vxor ſua.* Ponitur cauſa, quare fuit tam malus Achab ſuper omnes reges, & dicitur, quòd hoc fuit, quia vxor ſua Iezabel cõcitauit eum ad omnia mala: nam alias non erat ipſe valdè malus, ideo increpatur nimis, quòd acceperit illam in vxorem ſupra 16. Nam non fuit aliquod peccatum Achab, ad quod Iezabel non incitaret ipſum. De idololatria patet, quia Achab fecit templum Baal in Samaria, & lucum, ſuprà 16. & hoc fuit propter Iezabel, quia ipſa intantum zelabat pro cultu Baal, quòd habebat quadringentos prophetas eius, & omnes comedebant de menſa ſua ſupra 18. Etiam ipſa incitauit eum ad mortem prophetarum: immo ipſa Iezabel dicebatur hoc agere, tanquam Achab nihil de hoc ageret. Etiam ipſa ipſa incitauit eum ad mortem Naboth, vt patet hic ex litera.

D *Et abominabilis effectus eſt.* Scilicet propter multa mala, quę agebat factus eſt abominabilis à Deo, & in operibus ſuis execrabilis.

E *Intantum: vt ſequeretur idola, quæ fecerunt Amorrhæi.* Id eſt, nõ ſolum peccauit Achab in idololatria, ſicut cæteri reges Iſrael, qui peccabant in vitulis aureis, ſed etiam coluit Deos, quos fecerant Amorrhæi, ſcilicet Deos Chananæorum, & omniũ Gentilium in circuitu, & iſti maximè colebant propter Iezabel vxorem ſuam, quæ erat de terra Sidoniorum, & introduxit in terram Iſrael cultum deorum Sidoniorum, illi tamen erant dij Amorrhæorum.

Quos conſumpſit Dominus à facie filiorum Iſrael. Id eſt, Deus deleuit Amorrhæos de terra, quando introierunt filij Iſrael ad poſſidendum eam, & vetuit nimis coli deos illorum, & tamen Achab colebat illos. *Itaque.* Hic ponitur ſecundum huius partis, in quo Achab de malis ſuis affligitur, & ſententia contra eum lata dilatatur. Et dicitur, *Itaque cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua.* Iſtud fecit ex dolore: doluit enim de peccatis præteritis, quòd valdè abominabilis factus fuiſſet Deo. Vel fortè timuit pœnam à Deo inferendam, & humiliatus fuit, vt euaderet illam. Scidit autem veſtimenta in ſignum doloris, quia ſic erat conſuetudo apud antiquos. De quo ſatis declaratum eſt præcedenti libro cap. 13.

Et operuit cilicio carnem ſuam. Iſtud fuit ad affligendum ſe, vt Deus miſereretur eius. *Ieiunauitque, & dormiuit in ſacco.* Omne genus afflictionis ſuſcepit Achab ſciens quia Deus miſericors eſt, & poterat pœnam remittere, ſi ipſe conuerteretur.

F *Et ambulauit dimiſſo capite.* Id eſt, humiliauit ſe, iam non ãbulans capite erecto, ſed inclinato ad recognitionem peccati: nam ambulare capite erecto ad ſuperbiam pertinet, & Deus increpat illud Iſa. 3. ſcilicet, Pro eo, quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant: ſequitur ibi pœna, quæ dabitur pro hoc.

An pœnitentia Achab fuerit vera, vel ficta propter timorem.

QVÆSTIO XIIII.

QVÆRETVR de iſta pœnitentia Achab qualis fuerit. Aliqui dicunt, quòd fuit pœnitentia ſolum propter timorem: non enim dolebat Achab, quia peccauerat, ſed quia pœna ſibi inferenda erat.

Sed tunc obijcietur, quomodo per iſtam pœnitentiam potuit mereri Achab remiſſionem pœnæ. Nam Elias prænunciauit ei, quòd non inferretur pœna diebus eius, ſed filiorum ſuorum.

Reſpondebitur, quòd ad hoc, quòd aliquis mereatur gratiam, & vitam æternam, requiritur pœnitentia vera, quæ eſt dolor de peccato propter hoc, quòd Deum offendimus, & non eſt alia cauſa principalis. Ad hoc tamẽ, quòd aliquis mereatur remiſſionem pœnarum dicunt, quòd ſatis eſt dolere propter timorem, etiamſi non propter Deum, vel quia peccauimus:

A cauimus: ſic enim eſt de merito quantum ad bona temporalia promerenda. Nam bona quæ facimus ſine charitate, proficiunt nobis ad augmentationem bonorum temporalium, & excuſationem quandam pœnarum, quas aliàs habituri eramus, & ad quædam ſimilia, & tamen iſtud meritum eſt, ſine charitate, ita ergo erit in illa pœnitentia, quæ non fit ex radice charitatis, ſed ex radice timoris.

Dicendum tamen, quòd qualitercunque ponatur, oportet dicere, quòd Achab doluerit de peccatis, & noluiſſet egiſſet illa, & iſtud eſt verè pœnitere, & tamen iſte dolor de peccatis non eſſet in Achab ex charitate, id eſt quia dolebat ex eo quòd Deum offenderat, ſed erat dolor propter timorem. Et non poteſt dici, quòd Achab ſciderit veſtimenta, & indutus fuerit ſacco, feceritq; omnia iſta propter timorem, & nõ doluerit de peccatis. Nam tunc non eſſet pœnitere, ſed timere. Dicitur tamen quòd Achab pœnituit, & humiliatus eſt coram Domino. Etiam per timorem ſolum nõ eſt meritum aliquod, ideo dicendum, quòd ipſe doluit ſe peccaſſe, & tamen differentia dolendi eſt, quia quidam dolent ſe peccaſſe, quia timent pœnam futuram: alij dolent, quia nollent offendiſſe Deum. Prima eſt pœnitentia ex timore, ſecunda ex charitate.

Aliter dici poteſt, quòd Achab verè pœnituit, & ex charitate, licèt ad hoc incitatus fuerit principaliter per comminationem Eliæ.

B Sed tunc obijcietur, quia Achab occiſus fuit in bello denunciante Michæa Propheta ſibi hanc pœnam, ſequenti ca. Dicendũ, quòd illa pœna non fuit denunciata propter peccata præterita, ſed propter illa, quę fecit poſt hoc. Nam coluit poſtea idola, & habebat Prophetas idolorum ſecum, & nolebat habere Prophetas Domini, ſeq. ca. ideo dato, quòd fuerit vera pœnitentia iſta, quam nunc habuit, nõ tollebatur quin poſtea poſſet peccare, & incidere in pœnam aliquam.

Aliter poſſet etiam dici, quòd dato, quòd iſta fuerit pœnitentia vera, & ex charitate, & non peccauerit poſtea Achab, poterat ei infligi pœna, quia Achab peccauerat nimis ante hoc, cùm dicatur, quòd non fuit alter talis, vt Achab, qui venundatus eſt, vt faceret malum: ideo dato, quod verè pœnituiſſet, tollerentur peccata quantum ad culpam, ſed non tollerentur omnia quantum ad pœnam, & ſic manebat adhuc aliqua pœna Achab toleranda, propter quam poterat mori in bello Achab. Poteſt autem teneri vtraq; pars, ſcil. quòd fuerit pœnitentia iſta ex charitate, vel fuerit ex timore, melius tamẽ eſt, quod dicatur fuiſſe ex charitate, quia dixit infrà Deus, nõ ne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt cauſa mei. Et ſic patet, quòd Achab fecit duo: primũ quòd humiliatus eſt, ſcil. in cilicio, ſacco, & ieiunio, & iſtud dicit pœnitentiam materialiter, vel dolorem. Secundum eſt motiuum ad dolendum, quia dicit cauſa mei: ergo non fuit motus Achab ad dolendum propter timorem, ſed propter

C Deum, & conſequenter erat pœnitentia ex charitate. *Factus eſt igitur ſermo Domini ad Eliam.* Iſtud fuit aliquot diebus poſt denunciationẽ præcedentis pœnæ. Nam denunciata illa pœna cœpit Achab ieiunare, & affligere ſe: Deus autem acceptauit illam pœnitentiam, & reuelauit Eliæ, quòd pœna prænũciata contra Achab non erat infligenda diebus eius, dicens: *Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me?* Quaſi dicat, nunquid conſideraſti, quòd Achab fuerit humiliatus corã me affligendo ſe, & deponẽdo ſuperbiam priorem, & in habitu ſe humiliando: nam iacuit in ſacco, & induit ſe cilicio. *Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa.* Id eſt humiliatus fuit in pœnitentia propter me, ſcil. quia doluit propter verba, quæ ego dixi, vel cauſa mei, id eſt doluit, quòd irritauerit me. *Non inducam malum in diebus eius.* Scilicet, non puniam eum ſicut dixeram faciendo, quòd carnes ſuæ comedantur à volucribus, & à canibus, ſed malum quod inducturus ſum, inducam tempore filiorũ ſuorum. *Sed in diebus filij ſui inferam malum domui eius.* Scilicet, in diebus Ioram filij Achab. Mortuo enim Achab regnauit Ochozias filius eius, ſequenti lib. cap. 1. & ſeq. cap. & in diebus huius non intulit Deus malum domui Achab, quia pauco tempore regnauit Ochozias. Cecidit enim per cancellos cœnaculi ſui, & mortuus eſt, ſequenti lib. cap. 1. Poſt eum regnauit frater eius Ioram filius Achab, ſeq. lib. cap. 3. & in diebus illius intulit Deus malum domui Achab. Nam Iehu occidit ipſum Ioram regem, ſeq. lib. cap. 9. & omnes fratres ſuos filios Achab qui ſeptuaginta erant, eod. lib. cap. 10. & reliquos de poſteritate Achab, ita vt nemo maneret. D

Cur nunciauit Deus Eliæ ſententiam contra Achab mutatam fuiſſe.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR ad quid Deus reuelauit Eliæ, quòd ſententia, quam protulerat contra Achab, non traderetur executioni in diebus eius, ſed filiorum ſuorum.

Reſpondendum, quòd hoc potuit eſſe propter duo: primum fuit, quia Deus prædixerat iſta mala vẽtura per Eliam ſuper domum Achab, ſi autẽ moreretur Achab, & nõ euenirent iſta mala, miraretur Elias quomodo ea, quæ prænunciata fuerant non eueniebant, ideo Deus voluit declarare Eliæ mutatam eſſe ſententiam, vt quamquam videret contrarium euenire eius, quod prænunciatum fuerat non miraretur. Secundum erat, quia fortè Deus prænunciauit hoc Eliæ, vt denũciaret ipſi Achab, quòd Deus auerſus fuerat à furore ſuo, eo quòd ipſe pœnituerat, & iam nõ erat inferenda pœna diebus eius, ſed filiorum ſuorum, & ſic per hoc Achab gratias ageret Deo, quòd acceptaſſet pœnitentiam ſuam, & cõuerteretur ab antiquis malis, videns tantam erga ſe Dei clementiã. Sic enim fuit de Ezechia rege Iuda, cui Iſaias prẽnunciauerat mortem, dicens: Diſpone domui tuæ, morieris, & non viues, ſeq. lib. ca. 20. Lachrymatus eſt autem Ezechias, & exaudiuit Dominus vocem eius, dixitq; Iſaiæ, vt iret ad reuelandum ei, quòd Deus addiderat 15. annos vitæ, vt patet ibidem. E

Quomodo verum ſit, quòd Deus non intulit malum tempore Achab, cùm tamen occiſus fuerit.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR vlteriùs, quomodo eſt verum, quòd Deus non intulit malum tempore Achab, ſed filiorum eius, cùm fecerit, quòd occideretur Achab in bello, ſequenti capit.

Reſpondendũ, quòd Deus diſpoſuerat ſi maneret Achab in peccato ſuo delere totam progeniem eius, & quòd occideretur ipſe, & laceraretur à beſtijs, & volucribus, vt patet ſuprà in litera, & iſtud malum euenturum erat diebus Achab, ſcil. quòd ad hoc, quòd ipſe magis puniretur, priùs erant occidendi erant omnes filij ſui, & vxor ſua Iezabel ab illo, quem Deus ſibi acciperet in regẽ, & nouiſſimè occideretur Achab, & ſic videret omnes calamitates domus ſuæ, in quo valde affligeretur, nunc autem Deus fecit, quòd non occiderentur filij ſui, eo viuente, & iſta erat magna releuatio pœnæ quantũ ad ipſum, tamen non eſt ablata pœna, ſed ſicut aliàs occidendus erat, ita & nunc occiſus fuit in bello. Hoc autem ſatis apparet ex verbis Dei ad Eliam, quia non dixit, quòd auferret omnem pœnam Achab, ſed ſolùm dixit, quòd non inferret mala domui ſuæ in diebus eius: mala autem inferenda domui ſuę erant quantum ad deletionem poſterorum ſuorum, & iſta non fuerunt tempore Achab. Aliter poſſet dici, quòd Deus abſtulit pœnas Achab perſonales per hoc, quòd doluit de peccato, licèt non abſtulerit pœnas poſteritatis eius, abſtulit tamen quantum ad hoc, quòd dilatauit ne infligerentur viuente Achab. Cùm autem dicitur, quòd Achab occiſus eſt in bello, dici poteſt, quòd hoc non fuit propter peccata priora, ſed poſt hoc peccauit redeundo ad idololatriam, & habendo ſecum Prophetas Baal, & effugando à ſe Prophetas Domini, vt colligitur ſequenti capitulo, & in hoc meruit mori in bello, ſi autem hæc non egiſſet poſt pœnitentiam, mortuus fuiſſet in pace. F

Achab cùm mortuus fuerit in bello, quare volucres cœli non comederunt carnes eius.

QVÆSTIO XVII.

QVÆRETVR vlteriùs, cur cùm mortuus fuit Achab in bello, non comederunt volucres carnes eius, quia Deus dixerat, quòd ſi moreretur in agro, volucres comederent

carnes

A carnes eius,& ſi in vrbe canes comederent illas; confirmatur autem hoc, quia tota ſententia lata contra Achab firmiter manſit præter hoc, quod in diebus ſuis non erant euentura mala, quæ prænunciata fuerant contra poſteritatem ſuam. Nam ſic litera dicit, ſcilicet quòd nõ inferam malum domui eius in diebus ſuis,ſed in diebus filij ſui.Reſpondendũ,quod Achab occiſus fuit in bello, & ſepultus fuit in Samaria, ſeq. cap. nec laceratæ fuerunt carnes eius à volucribus, vel canibus. Hoc autem poteſt dupliciter ſtare ſine contradictione prænunciationis Eliæ, vno modo, quòd dicamus per pœnitentiam Achab fuiſſe ſibi remiſſas omnes pœnas, quæ ad eũ pertinere debebant, & ſolùm manſerunt pœnæ infligendæ poſteritati eius, pœnæ autem infligendæ Achab erant duplices, quædam quas in ſeipſo pateretur propter ſe, & hoc erat, quòd ipſe occideretur, aliæ erant, quas paſſurus erat propter alios,ſcil.quia affligendus erat de calamitatibus totius poſteritatis ſuæ,quæ eo viuente delenda erat ſi manſiſſet impœnitens,vt ſuprà declaratum eſt. Vtraſq; autem iſtarũ pœnarum Deus remiſit Achab,quando pœnituit ſolùm relinquẽs pœnas poſteris ſuis poſt mortem eius.Et tunc dicendum, quòd ſi poſt pœnitentiam iſtam non peccauiſſet, non erat ſibi infligenda aliqua pœna,nec moreretur in bello, ſed in pace,qa tamen peccauit poſteà mortuus eſt in bello, illa tamen mors non fuit inflicta propter priorem ſententiam denunciatam per Eliam, ſed propter ſentẽtiam denunciatam per Michæã,
B ſeq.cap. Et illa non continebat, quòd Achab laceraretur à volucribus,ſed ſolùm,quòd moreretur in bello: ideo non erat hoc contra ſententiã priorem,quę iam omninò reuocata fuerat. Aliter poteſt dici,quod per pœnitentiam Achab non fuerunt ei remiſſæ omnes pœnæ ſuæ, ſed ſolùm,quòd nõ videret in diebus ſuis deleri progeniem ſuam, & etiam, quòd non laceraretur à volucribus,vel canibus : manebat ergo adhuc pœna, ſcil.quòd occideretur, & hoc factum eſt in bello, ſeq.cap.& ſic dicendum,quod dato,quòd Achab poſt pœnitentiam non peccaſſet, occidendus erat propter peccata ſua, quæ non omninò quantum ad pœnas remiſſa erant.

Cùm Achab pœnituerit, & Deus acceptauerit pœnitentiam eius, quare non remiſit pœnam poſteritati ſuæ.

Qvæstio XVIII.

Per pœtentiã Achab quãuis deleta ſit culpa, non tamen omnis pœna.

VLTERIVS queretur,cùm Achab pœnituerit,& Deus acceptauerit pœnitentiam ſuam, quare mãſerunt pœnæ progeniei ſuæ. Patet hoc, quia Deus dixit, quod Achab humiliatus fuerat coram eo, & cauſa eius, & ſic acceptabat pœnitentiam ſuam. Reſpondendum, quod dato, quòd pœnitentia Achab ſalutifera eſſet, ſcilicet ex charitate procedens, non ex hoc ſequitur, quòd Deus remittat oẽs
C pœnas:nam effectus pœnitentiæ veræ eſt delere omnem culpam,& in hoc non eſt differentia, an multæ culpæ, vel paucæ ſint, quia dato, quòd eſſent infinitæ ſi poſſibile eſſet, per ipſam veram pœnitentiam delerentur, & ſic dicẽdum, quòd omnes culpæ, quas Achab commiſerat deletæ fuerunt,quando pœnituit nũc.Pœna tamen differt à culpa,ideo poteſt deleri culpa non deleta pœna. Sed adhuc dicendum,quod pro peccatis quibuſcunq; debetur pœna æterna, & iſta,ſiue ſit p vno peccato,ſiue pro multis tollitur per vnicum actum contritionis,& de hoc debet intelligi, quod habetur Ezech. 18. quòd quacunque die ingemuerit peccator,Deus non recordabitur peccatorum eius, ſcilicet quantũ ad culpam,& quantum ad æternam pœnam.Manet autem adhuc pœna temporalis infligenda pro peccato, & iſta directè non tollitur per contritionem,ſed ſolùm per ſatisfactionem, quia tamen interdum contritio eſt exceſſiua,& accipitur non ſolùm,vt deteſtatio peccati ſicut pertinet ad genus cõtritionis,ſed etiam, vt quidam dolor grauis,& commotio viſcerum,& quantum ad hoc pertinet ad ſatisfactionem, & tunc in tantum poteſt eſſe magna iſta contritio, quòd ſuppleat locus ſatisfactionis exterioris. In Achab autem fuerant multa peccata,ideo difficillimum erat per ſolum actum contritionis deleri illa quantum ad omnem pœnam: potiſſimè,quia contritio Achab,licèt vera fuerit,non fuit tam exceſſiua, vt ſufficeret ad tollendum magnitudinem pœnarum debitarum, & ideo manſit adhuc pœna deletionis progeniei ſuæ, licèt fuerit remiſſa pœna debita ipſi Achab in totum, vel quantum ad aliquid, vt ſuprà declaratum eſt. D

Culpa, & pœna æterna deletur p contritionẽ.

Pœna tẽporalis deletur p ſatisfactionẽ.

Quare Deus voluit potiùs remittere pœnam Achab quàm filijs ſuis.

Qvæstio XIX.

VLTERIVS queretur,cùm per contritionem,& pœnitentiam Achab non deleretur tota pœna debita pro peccatis ſuis: quare fuit remiſſa pœna ipſius, & non pœna filiorum ſuorum. Nam potiùs debebat remitti pœna filiorum ſuorum, eo quòd ipſi puniebantur nunc propter Achab. Reſpondendum, quod Deus voluit remittere pœnam Achab, & non filiorum eius, quia licèt filij Achab punirentur pro eo: tamen etiam puniebantur pro peccatis ſuis, quia ipſi erant idololatræ, ſicut pater. Patet de Ochozia, qui ſucceſſit immediatè ipſi Achab. Nam iſte colebat idola,& ſuper infirmitate ſua miſit ad conſulendum Beelzebub Deum Acharon terræ Philiſthinorum, quaſi non eſſet Deus in Iſrael: ſequen.lib.cap.1. Ioram quoque filius Achab ſuccedens Ochoziæ idololatra fuit,ſequen.libr.cap.3. Etiam filij Achab conſenſerunt ei in idololatria, & occiſione Prophetarum,& alijs malis, ex quo ipſi erant digni morte æterna.Nunc verò pœnituit Achab,& quia pœnitentia erat perſonalis liberauit ſeipſum, & non filios ſuos, quia filij ſui non E dolebant de peccato.

Alia ratio eſt, quia pœna prænunciata fuerat contra Achab,& filios ſuos,& contra Iezabel ſuprà in litera: peccata tamen Iezabel erant valdè magna,quia ipſa principaliùs peccauerat,vt ſuprà dictum eſt. Ideo non erant delenda peccata ſua per pœnitentiam Achab: ſola igitur peccata Achab remiſſa ſunt.

Alia ratio eſt, quia filij Achab ſecuturi erant ipſum in ſimilitudine peccatorum, ideo iniuſtum erat, quòd prius remitterentur pœnæ,quàm committerentur peccata: quia per hoc daretur incentiuum ad magis peccandum,ideo cùm adhuc filij Achab peccaturi eſſent,nõ erat decens, quòd remitterentur eis pœnæ peccatorum nondum factorum, quia ſic præſtaretur impunitas peccanti.

Alia ratio eſt, quia antequàm pœniteret Achab, denunciata fuerat pœna pro ſe, & pro poſteritate ſua: & ſi non pœnituiſſet Achab,ſecuta fuiſſet pœna.Nunc autem per pœnitentiam ipſius relaxata eſt quædam pœnarum, & quia pœnitentia eſt actus perſonalis neceſſe eſt, quòd magis proficiat illi ad quam habet maiorem propinquitatem:& tamẽ Achab erat magis ſibi propinquus quàm filijs ſuis, ideo rationabilius erat, quòd per pœnitentiam ſuam potiùs remitteretur F pars pœnæ ſuæ,quàm filiorum ſuorum,& vxoris.

Alia ratio eſt,quia dato quòd tota iſta pœna, quæ prænunciata fuit in Achab, & domo ſua eſſet p ſolis peccatis Achab: tamen peccata erant valdè multa, & magna pœna correſpondebat eis:cuius pars toleranda erat ab Achab, ſcilicet quòd ipſe occidendus erat,& deuorandus à canibus. Alia pars toleranda erat à poſteritate ſua, quæ tota delenda erat. Nunc autem valdè maior pœna erat, quàm tota poſteritas Achab tolerare debebat quàm illa quam toleraturus erat ſolus Achab, cùm de filijs ſuis occiſi fuerint ſeptuaginta in Samaria,& reliqua poteſtas,ſequen.libro, cap.9. & 10. pœnitentia autem Achab erat alicuius meriti,ſed non valdè magni: ideo poterat ſufficere ad remiſſionem pœnæ ſuæ: non tamẽ ad remiſſionem pœnæ poſteritatis ſuæ cùm illa eſſet valdè magna.

Caput XXII.

TRANSIERVNT igitur tres anni abſq; bello inter Syriam, & Iſrael: in anno autem tertio deſcendit Ioſaphat rex Iuda ad regem Iſrael. Dixitq; rex Iſrael ad ſeruos ſuos. Ignoratis, quòd noſtra ſit Ramoth Galaad, & negligemus tollere eam de manu Syriæ? Et ait ad Ioſaphat: Venies ne mecum ad prælian- 1.Paral.8.

dum in Ramoth Galaad? Dixitq; Ioſaphat ad regem Iſrael, Sicut ego ſum, ita & tu, populus meus, & populus tuus vnum ſunt, & equites mei, equites tui.

A *De ſum. Trin c. damna mus.*

DICTO in præcedentibus de pœnæ Achab comminatione, hic agitur de eius inflictione. Fuit autem pœna prænũciata Achab in perſona propria, & in prole ſua. De primo habetur hic, de ſecundo habetur ſequenti lib. cap. 9. & 10. Prima in duas, quia primò ponitur Achab occiſio, ſecundò regis Ioſaphat cõditio ibi. *Ioſaphat verò.* Prima in duas, quia primò ponitur belli, in quo mortuus eſt Achab, tractatus: ſecundò ponitur congreſſus ibi. *Aſcendit itaq; rex.* Prima in duas, quia in tractatu belli duo facta ſunt: primò humanũ auxilium petitur, ſcilicet regis Ioſaphat: ſecundò diuinum conſilium inquiritur ibi. *Dixitq; Ioſaphat.*

An ordo continuus ſit, & immediatus.

QVÆSTIO I.

QVÆRETVR circa primum, an ſit hic continuus ordo ad præcedentia, & an ea, quæ habent hic, fuerint facta immediatè poſt præcedentia, vel fuerit aliquod tempus interpoſitum. Ad primum dicendum, quod eſt continuus ordo ſine anticipatione, vel recapitulatione, quia in præcedentibus dictum eſt de geſtis Achab, hic agitur de morte eius: ideo neceſſe eſt iſtud fuiſſe poſt omnia, quæ acciderunt de geſtis Achab.

B Ad ſecundum dicendum, quod non apparet, an fuerit iſtud immediatè poſt præcedentem. Dicendum eſt tamen, quod non potuit eſſe magnum tempus intermedium, quia plus eſſent quaſi tres anni. Nam inter iſtud bellum, quo mortuus eſt Achab, & aliud bellum, quo captus eſt Benadad, ſolùm fuerunt tres anni, quia dicitur hic in principio literæ, quòd tranſierunt tres anni abſq; bello inter Syriam, & Iſrael: bellum autem iſtud, quod fuit vltimum inter Achab, & regem Syriæ fuit, quod habetur ſuprà 20. & tamen poſt illud bellum fuit mors Naboth, & iſta prænũciatio pœnæ Achab, vt patet præced. cap. cùm dicitur: Poſt verba hæc, vinea erat Naboth Iezrahelitæ. Et ſic non erãt tres anni intermedij inter ea, quæ habentur præcedenti cap. & hic, ſed eſſet paruum tempus. Tranſierunt igitur tres anni abſque bello inter Syriam, & Iſrael. Nam inter Iſrael, & Syriã Damaſci erant quaſi continua bella, eo quòd ambæ terræ erant finitimæ, ſcilicet Syria Aquilonaris, & terra Iſrael Meridiana. Et iſtud bellum non ſolùm erat tempore Achab, & Benadad, qui tunc erant reges Iſrael, & Syriæ: ſed etiam tempore prædeceſſorum ſuorum: vnde pater iſtius Benadad, qui nunc regnauit in Syria, acceperat multas vrbes de Iſrael pugnando contra Amri patrẽ Achab, vt patet ſuprà 20. Nam dixit Benadad ad Achab, ciuitates quas tulit pater meus à patre tuo, reddam. Inter
C Achab autem, & Benadad, qui nunc regnabat in Syria, fuerunt multa bella: & ſignantur duo, de quibus ſpecialiter fit mentio ſuprà 20. & in vltimo illorum captus fuit Benadad ab Achab, & fœderatus receſſit ab eo, eod. cap. Ex tunc autem ceſſauerunt bella per tres annos. Nunc autem tertio anno Achab mouit bellum contra Benadad. Et de tempore, quod fuit inter iſta duo bella dicitur hic, quod tranſierunt tres anni abſque bello, in anno autem tertio deſcendit Ioſaphat rex Iuda ad regem Iſrael, ſcilicet, in iſto tertio anno, in quo factum eſt bellum. Ponitur autem hic de iſto aduentu Ioſaphat, eo quod ipſe iuit in bellum cum Achab contra Syriam.

Dixitq; rex Iſrael ad ſeruos ſuos, ignoratis quòd noſtra ſit Ramoth Galaad. Iſtud fuit incentiuum belli, quia voluit Achab repetere vrbem Ramoth Galaad de manu regis Syriæ. Dixit autem ignoratis, quòd noſtra ſit, id eſt pertineat ad terram noſtram, & hoc fuit increpando ſeruos ſuos, & ſeipſum, quòd non curarent ire ad recuperandum ea, quæ ſua erant. Eſt autem Ramoth Galaad quædam ciuitas in terra Iſrael, cuius eſt nomẽ Ramoth Galaad, eo quod erat in terra Galaad. Sic etiã dicitur Iabes Galaad, id eſt ciuitas Iabes, quæ eſt in terra Galaad, Iudi. 21. & ſup. 1. lib. cap. 11. Iſta ciuitas erat in terra duarũ tribuum, & dimidiæ, & eſt in tribu Gad in terra, in qua habitabant duo reges Amorrhæi, Ioſue 13. cap. erat autem iſta ciuitas tradita Leuitis, ſcilicet vna de 48. ciuitatibus, quæ eis datæ fuerunt, Ioſue 21. fuit etiam iſta vna ciuitas de vrbibus refugij, Deuter. 4. & Ioſue 20. nunc autem tenebatur per regem Syriæ, ideo voluit recuperare eam Achab.

D

Quomodo poterat eſſe bellum pro vrbe Ramoth.

QVÆSTIO II.

QVÆRETVR, quomodo poterat Achab habere bellum cum rege Syriæ pro iſta vrbe, quia ſuprà 20. dixit Benadad ad Achab: ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo dabo tibi, tamen Ramoth Galaad erat vna ciuitas de ciuitatibus terræ Iſrael, ideo data fuiſſet.

Aliquis dicet, quòd non fuerint datæ ciuitates terræ Iſrael ipſi Achab, quia licèt Benadad cùm teneretur ab Achab promiſerit ei, quòd daret omnes vrbes, quot acceperat pater eius de terra Iſrael, tamen poſteà noluit cùm receſſit ab eo, & ſic nunc ad hoc, quòd Achab recuperaret illas vrbes, pugnabat contra Benadad.

Sed obijcitur, quod Benadad tenebat multas vrbes de terra Iſrael, cùm dixerit ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam tibi. Et ſic non ſolùm moueret Achab bellum contra Benadad pro Ramoth Galaad, ſed etiã pro alijs omnibus vrbibus, quæ fuerunt de terra Iſrael. Ideo aliter dicet aliquis, quod Benadad dedit omnes ciuitates, quas abſtulerat pater ſuus de terra Iſrael. Sed Ramoth Galaad dubium erat, an eſſet de terra Iſrael, vel de terra Syriæ, ideo non fuit reſtituta ipſi Achab, & hoc aliqualiter ſignificat dictum Achab, ſcilicet ignoratis, quòd noſtra ſit Ramoth Galaad? Et ſic loquebatur per modum dubij, ſcilicet, quòd ipſe dubitabat de hoc, vel ſerui ſui dubitabant.

E

Sed hoc non videtur ſtare, quia tunc ſi Benadad tradidiſſet omnes alias vrbes, de quibus non erat dubium, quòd eſſent de terra Iſrael, libenter ipſi Achab, etiam ſi cõſtaret Ramoth eſſe de terra eius dare vellet, & tunc nõ iret ad pugnandum contra regem Syriæ nullo alio præmiſſo, ſed prius inquireret, an dare vellet, & tamen mox, vt dixit Achab ſeruis ſuis, quod erat Ramoth de terra ſua, diſpoſuit ſe ad bellum, vt patet hic: ergo videtur, quod ipſe intelligebat, quod rex Syriæ nullo modo volebat dare.

Dicendum ergo, ſicut prius dicebatur, quod Benadad nõ ſeruauit fidem interpoſitam cum Achab de dando ei vrbes, quas tenebat de terra Iſrael, quarum vna erat Ramoth, cùm verò obijcitur, quod non ſolùm tenebat iſtam vrbem, ſed multas alias, de terra Iſrael, dicendum verum eſſe, tamen Achab voluit repetere iſtam bello ante omnes alias, & non negatur ex hoc, quin voluerit repetere alias

Aliter etiam poteſt dici, quod Benadad ſeruauit fidem interpoſitam cum Achab, & reſtituit vrbes, quas tenebant Syrij de terra Iſrael, & illas acceperant alij reges prædeceſſores patris Benadad, & ad illas reſtituendas non ſe obligauit Benadad, de illis autem fortè erat Ramoth, ideo non dedit illam. Achab verò ſciens illam eſſe de terra Iſrael, petebat eam, & ſic mouit bellum contra Benadad, quia nolebat dare eam.

F

Et negligimus tollere de manu regis Syriæ. Id eſt, de manu Benadad, qui tũc regnabat in Syria Damaſci. Et dixit Achab, negligimus eam tollere, id eſt, non manet hoc, niſi ex negligentia & non ex impotentia. Hoc dicebat Achab, quia facilè putabat eſſe pugnare contra Benadad, eo quod bis ſuperauerat ipſum, & putabat, quod etiam nunc leue erat ſuperare, ſed fallebatur Achab, quia victoriæ præcedentes prouenerant ei à Deo, vt ſuprà declaratum eſt 20. ſi autem viribus humanis congrediendum eſſet, longè minoris poteſtatis eſſet Achab, quàm Benadad.

Et ait ad Ioſaphat, venies ne mecum ad præliãdum in Ramoth Galaad. Id eſt, nunquid velles ire mecum ad Ramoth Galaad ad pugnandum contra regem Syriæ?

Dixitq; Ioſaphat ad regem Iſrael, ſicut ego ſum, ita, & tu. Significabat Ioſaphat, quòd libenter ageret, & dixit ſicut ego ſum, ita & tu, id eſt, ego ſum, ſicut tu, ſcil. promptus ad eundum in bellum, ſicut tu. Vel aliter, ſicut ego ſum, ita & tu, id eſt, ego ſum talis, qualis es tu, ſ. ſum tibi coniunctiſſimus in amore, & gradu affinitatis, ideo ego ſum, ſicut tu, id eſt, eſſem quaſi tu.

In hoc

A In hoc ſignificauit magnitudinem amicitiæ, quia amicus eſt alter ipſe Ethic.lib.9.

Populus meus, & populus tuus vnum ſunt. Quaſi dicat, non debes petere à me, an velim ire tecum in bellum, quia ſicut à te ipſo non peteres aliquid, ita nec à me petere debes, quia ego ſum id, quod tu, & ſicut à populo tuo non peteres, an vellet ire tecum in bellum, ſed iuberes, ita & à populo meo petere non debes, quia populus meus eſt idem cum populo tuo.

Et equites mei, equites tui. Id eſt, equites mei ſunt equites tui, & è conuerſo, & nõ habemus ego, & tu bona diuiſa, ſed communia ſunt nobis quæcunq; habemus.

Quare deſcendit Ioſaphat ad Achab.

QVÆSTIO III.

QVÆRETVR quare, deſcendit rex Ioſaphat rex Iuda ad Achab regem Iſrael, & quare tam familiariter loquebantur.

Reſpondendum, quod Ioſaphat erat valdè amicus regis Achab: nam erat ei coniunctus affinitate: nam Athalia erat filia Achab, & Iezabel, & tradita fuit in vxorem Ioram filio Ioſaphat. Secundo Paralipom. 21. & ob hoc aliquo modo viſitabant ſe iſti reges, ibatque vnus in regnum alterius, nunc verò deſcendit Ioſaphat in regnum Iſrael ad Achab, fecitque
B ei conuiuium magnum Achab, & poſt conuiuium perſuaſit, quòd iret cum eo ad pugnandum cõtra regem Syriæ in Ramoth. Fuit autem hoc tranſactis aliquot annis poſtquàm Achab dedit filiam ſuam in vxorem Ioram filio Ioſaphat. De hoc 2. Paralipo. 18. ſcil. fuit Ioſaphat affinitate coniunctus Achab, deſcenditq; poſt annos ad eum in Samariæ, ad cuius aduentum mactauit Achab arietes, & boues plurimos, perſuaſitq; illi, vt aſcenderet in Ramoth Galaad.

Dixitq; Ioſaphat. Hic ponitur ſecundum, in quo conſilium à Deo inquiritur, an pugnandum foret, & deberet.

Dixitq; Ioſaphat ad regem Iſrael: quære, oro te, hodie ſermonem Domini. Ioſaphat erat vir prudens, & inclytus colens Deum, ſciebatq; eſſe multa pericula belli, & bellum, atque victoriam in manu Dei eſſe, ideo voluit prius conſuli Dominum ſuper hoc, quàm iret ad bellum, potiſſimè, quia facilè erat Iudæis inquirere reſpoſum à Domino. Nam poterant facere hoc per Prophetas, de quibus multos habebant. Poterant etiam per ſacerdotes, quia ſummus ſacerdos conſulebat Dominũ in rationali, & Ephod, & illicò Deus reſpondebat, ſic reſponſum eſt ſæpè Dauid ſuprà 1. lib. cap. 23. & 30. De forma autem huius conſultationis declaratum eſt ibidem.

Congregauit ergo rex Iſrael Prophetas quadringentos circiter viros. Iſti omnes erant Prophetæ Baal, & idolorum. Quod patet, quia Ioſaphat dixit non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, vt interrogemus per eum? De iſtis Prophetis habebat
C Achab plurimos. Nam ante hoc occiderat Elias 450. Prophetas, quorum quadringenti erant Baal, & reliqui erant Prophetæ lucorum ſuprà 18. Sed adhuc occiſis illis non ceſſauit cultus Baal, & idolorum, ſed habuit adhuc poſt hoc quadringentos Prophetas Achab, quos congregauit nunc ad petendum conſilium, filij quoque eius habuerunt etiam Prophetas idolorum. Vnde ſemel cùm Ioram filius Achab rex Iſrael conſuleret Eliſeum, dixit ei, vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ, ſequenti lib. cap. 3. Et ſic iſti Prophetæ non erant Prophetæ Domini.

Et ait ad eos, ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Id eſt, nunquid expedit mihi, quòd eam in Ramoth Galaad ad bellandum, vel quòd quieſcam? Sed 2. Paralipom. dicitur ire debemus, quia loquebatur Achab pro ſe, & Ioſaphat.

Qui reſponderunt aſcẽde, & dabit eam Dominus in manum regis. Id eſt, vade ſecurus, quia Dominus dabit eam in manus tuas.

An iſtud reſponſum Prophetarum fuerit dubium.

QVÆSTIO IIII.

NICOLAVS dicit, quod iſtud reſpõſum fuit dubium, & erat ad fallendum, quod poterat interpretari ad vnam partem, & ad aliam. Ponit exemplum de oraculo Apollinis facto ad Pyrrhum regem Epyrotarum, ſcilicet, Aio te Æacida Romanos vincere poſſe. Et ſic poterat exponi, quòd Pyrrhus Æacides vinceret Romanos, vel quòd Romani vincerent Pyrrhum. Sic hic, quia dicitur tradet eam Dominus in manu regis, ſcilicet in manu regis Syriæ, vel in manu regis Iſrael, & ſic quodcunque accideret, vera eſſet prophetia. Sed iſtud non ſtat, primò, quia proferre reſponſa amphibologica pertinet ad illum, qui neſcit reſpondere, qui vt videatur ſciens reſpõdet tali modo, vt in quemcunq; caſum res veniat, vera videatur reſponſio, & appareat, vel putetur intellexiſſe illud reſpondens. Sic enim dæmon reſpondebat, qui vocabatur Apollo in inſula Delphos. Aut reſpondet ſic cognoſcens veritatem volens tamen tenere ſub dubio eum, cui reſpondet. Sed in propoſito non erat ſic, quia diabolus locutus eſt per Prophetas iſtos, & ipſe habuit intentionem fallendi, ſicut dixit Michæas Propheta, quòd viderat Dominum ſuper ſolium excelſum, & egreſſus ſpiritus ſtetit coram Domino, & ait ego decipiam illum. Non curabat autem dæmon, quòd appareret mendax, vel verax, ideo non dicebat hoc, vt eſſet ambiguum, ſed magis cum intẽtione ſignificandi, quòd erat Achab habiturus victoriam, vt confidens de illa iret, & moreretur.

Item patet, quia ſi Prophetæ protuliſſent iſta verba modo ambiguo dubitaret Achab, & non moueretur ad eundum ad Ramoth Galaad, Deus tamen volebat, quòd iret, & moreretur ibi, ideo oportebat, quòd Prophetæ iſti loquerentur ſub certitudine, & victoria, alioquin non eſſet diſpoſitio conueniens ad fallendum. E

Item dixit dæmon, egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore Prohetarum eius, ſi tamen eſſet iſta oratio amphibologica non eſſet falſa, ſed ambigua, ideo non eſſet dæmon tunc ſpiritus mendax, ſed ſpiritus decipiens per hanc ambiguitatem.

Confirmatur etiam, quia Michæas dixit infrà in litera ad Achab, nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum.

Item patet, quia Prophetæ iſti locuti ſunt hoc significantes, quòd Achab habiturus eſſet victoriam. Nam Achab petebat conſilium, an expediret, quòd iret in bellum, vel non, ipſi autem aſcende. Ideo videtur, quod ſignificabant ei proſperum.

Item patet clariùs, quia infrà dicitur, quòd omnes Prophetæ dicebant aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſperè. Et per hoc ſignificabat, quòd habiturus eſſet victoriam, quia aliàs non proſperaretur. F

Item non poteſt hic aſſignari amphibolia, ſicut in reſponſo Apollinis: quia ibi pro vtraque parte erat oratio æqualiter dubia, & tamen hic neceſſe eſt ſolùm intelligi de rege Iſrael: quia dicitur; Aſcende in Ramoth, & dabit eam Dominus in manum regis. Non poteſt autem hoc intelligi de rege Syriæ, quia ipſe poſſidebat eam, ideo non poterat tradi in manus eius, niſi perderet eam, & poſteà acquireret: neceſſe ergo erat intelligi, quia tradenda eſſet ciuitas in manu Achab. Et dicitur: tradet eam Dominus in manum regis, id eſt, in manum Achab.

Dixit autem Ioſaphat, non eſt hic Propheta Domini quiſpiam, vt interrogemus per eum. Id eſt, nunquid nõ eſt hic aliqs Propheta Domini? Erat enim Ioſaphat vir deicola, & cognoſcens omnes iſtos quadringentos eſſe Prophetas dæmonum, non confiſus eſt in ſermonibus eorum, ſed voluit inquirere à Prophetis Domini. *Et ait rex Iſrael ad Ioſaphat, remãſit vir vnus, per quem poſſumus interrogare Dominum.* Iſte qui remãſerat erat Michæas filius Iemla, vt patet infrà.

Quomodo remanebat vnus Propheta, & quare Achab oderat Michæam.

QVÆSTIO V.

QVÆRETVR, quomodo dixit Achab, quod remanſerat vir vnus, in quo innuit, quod non manebant plures Prophetæ Domini in terra: ſed obijcietur, quod adhuc manebat Elias, & multi alij Prophetæ Domini, de quibus tangitur ſuprà 20. cap. De Elia autẽ, & de iſtis Prophetis reſpõdebit aliquis, quod fortè fugerãt de terra Iſrael ad terrã

Iuda,

A Iuda, quando Iezabel persequebatur eos, & occidebat suprà 18. Sed dicendum, quod non stat, quia adhuc manebat Elias in terra Israel in monte Carmelo, qui est in sorte Aser, vel iuxta illam in sortem Zabulon. Et etiam post mortem Achab tempore Ochòziæ filij eius manebat ibi, vt colligitur sequenti lib. cap. 1. De alijs etiam Prophetis patet, quia post illam persecutionem, & occisionem factam à Iezabel supra 18. venerũt Prophetæ isti qui locuti sunt sæpè Achab supra 20.

Dicendum ergo videtur, quod in terra Israel erat nunc Elias, & multi alij Prophetæ Domini: tamen in vrbe Samaria non erat tunc, nisi Michæas, & quia volebant in promptu isti duo reges habere responsum: non habebant aliquem, per quem consulerent Dominum, nisi Michæam, & sic dixit Achab, quòd remãsit vir vnus, scilicet in Samaria, vel remansit vir vnus, scilicet quem in promptu possint habere: multi tamen alij manserunt in vrbibus Israel, qui non poterant haberi immediatè.

Sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum. Id est, quanquàm mansit vnus Propheta Domini: tamen ego non vocaui eum inter cæteros, eo quòd odi ipsum, scilicet, quia prophetat mihi semper mala, & non bona. Iste enim, vt dicitur prophetauit Achab, quia dimiserat Benadad recedere, quòd esset anima sua pro anima eius supra 20. sæpè etiam prophetauerat ei alia mala, de quibus non scriptum est, quia
B illa non pertinebant ad historiam mortis Achab.

Cur oderat Michæam Achab, quia potiùs deberet eum diligere cùm vera prophetaret.

QVÆSTIO VI.

QVÆRETVR, quomodo Achab oderat Michęam, quia prophetauerat ei mala, & quomodo non vocabat eum, & dato, quòd pronunciaret ei mala, si verum loquebatur, non debebat odio haberi, sed magis diligi potiùs, quàm adulatores, qui vt blandiantur auribus, falsa dicunt, & ponũt homines in periculis.

Dici potest, quòd istud odium Achab erat valdè irrationabile, sicut quidam irascuntur eis, qui corrigunt eos, cùm desiderant bonum suum, & congaudent eis, qui loquuntur eis vana, & placentia, quanquàm sint eis in detrimentum. Sic patet de illis, de quibus loquitur Isai. 30. scilicet, qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus, nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt, loquimini nobis placentia: videte nobis errores, auferte à me viam: declinate à me semitam: cesset à facie nostra Sanctus Israel. Sic etiam Apostolus ait de quibusdam 2. ad Timotheum 4. erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus: à veritate quidem auertent auditum, ad fabulas autem conuertentur: ideo erat iste
C Achab reprehensibilis, quia volebat audire Prophetas adulantes, & non Prophetam loquentem vera, quanquàm dura. Et ob hoc Iosaphat increpuit super hoc Achab, dicẽs: ne loquaris ita rex, id est, non benè loqueris, quia non debes eum odisse, litèt dura prophetet.

Aliter potest dici, quòd Achab odiret Michæam, & inclinabatur ad non audiendum verba eius, quia Deus mouebat ipsum, vt crederet Prophetis Baal, & moreretur in bello. Sic patet infrà in verbis Michææ. Nam ipse dixit, quòd spiritus, id est, dæmon egressus fuerat ad fallendum omnes Prophetas regis, eo quòd Deus locutus fuerat mala cõtra Achab, id est, disponebat facere ei malum, vt patet infrà.

Aliter etiam potest dici, quòd Achab habebat exosum Michæam, quia pronunciauerat ei mala, & de illis malis nullum adhuc venerat, sicut illud, quod habetur suprà 20. scilicet erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius: sic etiam alia erant, quæ nondum euenerãt, & ob hoc volebat potiùs Achab audire illos, qui loquebantur prospera quàm eum, qui loquebatur aduersa, cùm veritas prophetiæ eius nondum pateret. Si autem veritas eius patuisset, fortè quanquàm dura loqueretur, vellet audire eum.

Aliter potest etiam dici, quod dato, quòd Michæas vera diceret contra Achab, quia tamẽ dicebat dura, habebat eum Achab tanquàm inimicum, quasi ipse Michæas de corde suo ista diceret, & non cogeret eum Deus sic dicere. Sic patet de Elia. Nam Elias prænunciauerat sterilitatem Achab, scilicet quòd non veniret pluuia suprà 17. & sic fuit, & tamen quando postea venit Elias ad nunciandum Achab mala pro morte Naboth, dixit ei Achab, inuenisti me inimicum tuum, id est, nunquid habes me pro inimico, quia semper mihi nuncias mala? Præcedenti cap. Et sic quomodocunque dicatur Achab erat increpabilis, quia oderat vera loquentem. D

Per quid differebant Prophetæ Domini, & Baal, & quomodo cognoscebantur.

QVÆSTIO VI.

VLTERIVS quæretur, per quid differebant isti Prophetæ Domini, & Prophetæ Baal, & per quid cognoscebantur.

Aliquis dicet, quòd cognoscebantur, & differebant, quia Prophetæ Dei erant boni viri, & non colebãt idola, Prophetæ autem Baal colebant idola. Sic patet suprà 18. quia Elias solus dixit se mansisse de Prophetis Domini, & erant 850. Prophetæ Baal, & lucorum, & solus Elias, qui erat Propheta Domini, fecit sacrificium Deo, & defendit partem eius, reliqui verò defendebant partem idolorum.

Sed dicendum, quòd quanquàm verũ sit hoc, tamen Prophetæ Dei, & Baal, vel idolorum non differebant per hoc. Quod patet de Balaam, quia ipse erat ariolus, Deut. 23. & faciebat sacrificia superstitiosa: Nume. 23. & tamẽ Propheta Dei erat, Num. 24. nam Deus reuelauit per eum multa futura. Et sæpè dicitur, quod apparebat ei Dominus, & prohibebat ei ad maledicendum Iudæis: Nume. 22. 23. & 24. Patet etiam de illo Propheta sene, qui habitabat in Bethlehem, quia ipse fauebat Ieroboam in idololatria, & confortabat eum, vt declaratum est suprà 13. & tamen ipse erat Propheta Domini, & pronunciauit Deus mala per ipsum contra Prophetam inobedientem, vt patet ibidem. E

Item non est conueniens differentia rerum id, quod est sibi extrinsecum, sicut geometra, & dialecticus non conuenienter dicerentur differre per esse album, & nigrum, quia ista sunt extrinseca, ita Prophetę dicũtur esse Prophetæ quantum ad intellectum, inquantum illuminatur intellectus eorum aliter quàm intellectus aliorum hominum. Voluntas autem non pertinet ad differentiam Prophetæ, sed colere Deum, vel colere idola est rectitudo, vel præuaricatio moralis pertinens ad voluntatem, ergo non differunt conuenienter Prophetæ per colere Deum, & idola.

Aliqui dicunt aliter, scil. quòd Prophetę Baal vocabantur illi, qui reuelationes suas dicebant factas fuisse à Baal, & Prophetæ Dei erãt illi, qui dicebant reuelationes suas à Deo esse.

Sed istud non stat, quia etiam Prophetæ Baal dicebant se suscipere reuelationes à Deo, vt patet de Sedecia filio Chanaan, qui percussit Michęam Prophetam Domini, dicens: me ergo dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi? Quasi dicat mihi etiam locutus est spiritus Domini, & tamen Sedecias erat de Prophetis Baal, vt patet infrà in litera. F

Respondendum, quòd Prophetæ accipiuntur propriè, vel largè, propriè vocantur Prophetæ, quibus reuelatur aliqua veritas supernaturaliter eo modo, quo non cognoscitur ab alijs hominibus. Quantum ad hoc non est considerandа aliqua differentia in Prophetis, scilicet, quòd quidam vocentur Prophetæ Dei, & alij Prophetæ idolorum, quia ad necessitatem prophetiæ requiritur, quòd ipse supernaturaliter cognoscat aliquas veritates, & istud nõ fit, nisi cùm quis illuminatur à Deo vero per se, vel per Angelos, cùm non sit aliquis alius, qui reuelare possit aliquid supernaturaliter. Deinde, quòd isti Prophetæ colant Deum, vel idola nil facit ad rationem prophetiæ, sicut esse album, vel nigrum. Ideo non est dicendum quosdam esse Prophetas Dei, alios Prophetas Baal, sicut nunc non conuenienter assignaretur differentia inter musicos, quòd quidam sunt albi, quidam nigri. Aliquando accipitur Propheta largè pro eo, qui reuelat aliqua abscondita, quæ sciri non possunt modo naturali: quomodocunque ipse illa cognoscat, & tunc siue illi, qui à Deo illuminantur, siue qui à dæmonibus per artes nefarias instruantur ab eis ad loquendum mouentur, Prophetæ vocantur. Sic patet suprà 1. lib. cap. 18. de Saule, cùm dicitur, quòd arripuit

A

eum dæmon,& prophetabat in medio domus ſuæ,id eſt,dæmon mouebat eum ad loquendum aliqua occulta. Hoc modo poſſunt diſtingui Prophetæ Dei, & Prophetæ idolorum, quia vocabuntur Prophetæ Dei illi, qui accipiunt reuelationem à Deo. Prophetæ autem idolorũ illi,qui per necromantiam,& artem aruſpicinam, vel per alias ſuperſtitiones veritatem inquirunt.Nam idola habebant dæmones,qui loco illorum reſpondebant, & aliquo modo in ipſis idolis loquebantur: aliquando autem aliàs, & ſecundùm hoc apparebat diſtinctio Prophetarum Dei,& Prophetarum Baal: quia tamen neſciebatur, quis moueretur à Deo, vel quis à dæmone in cognitione veritatum occultarum,vocabantur Prophetæ Dei illi,qui reuelabãt aliqua occulta,& colebant Deum.Vocabantur autem Prophetæ dæmonũ illi, qui colebant idola, quia per hoc putabatur, quod non à Deo, ſed à dæmonibus reſponſa acciperent.Interdum tamen aliqui Prophetæ àDeo illuſtrabantur,& tamen colebant idola:& ſic fortè fuit de aliquibus iſtorum Prophearum Baal: nam etiam Balaam Propheta Dei erat,& colebat idola,vt declaratum eſt.

Cui Ioſaphat ait:ne loquaris ita rex. Scilicet, non benedicis, quia propter hoc, quod prophetat tibi malum non debeas audire eum:quia ſi vera dicit audiendus eſt, cùm non à ſe dicat,ſed à Deo.

Eunuchus quid, & quotuplex.

Vocauit ergo rex Iſrael eunuchum quendam. Eunuchi vocantur caſtrati,qui tripliciter accipiuntur, aliqui ſunt eunuchi, qui ab hominibus caſtrati ſunt. Alij ſunt eunuchi,qui naturaliter impotentes ſunt. Alij verò dicuntur eunuchi,qui cohibent in ſe omnem concupiſcentiam,& quanquàm potentes ſint omnes actus venereos à ſe abſcindunt, tanquàm ſi naturaliter eſſent impotentes. Iſti tres gradus ponuntur, Matth.19.ſcilicet:Sunt enim eunuchi,qui de matris vtero ſic nati ſunt, & ſunt eunuchi, qui ab hominibus facti ſunt, & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Hic autem poteſt vocari eunuchus aliquis habens vnum de iſtis modis maximè de illis, qui ab hominib' caſtrati erant: quia iſtis committebatur cura cuſtodiendi fœminas regum,& magnorũ dominorum,vel poteſt vocari eunuchus pro quolibet miniſtro habente excellentiam in domo regis: ſic accipitur Act.8.ſcilicet: Et ecce vir Æthiops eunuchus potens Candacis reginæ. Sic etiam videtur accipi. Eſther 1. vbi vocantur eunuchi principes magni apud regem.

B

Et dixit ei feſtina adducere Michæam filiũ Iemla. Erat Michæas in ciuitate Samariæ, vbi nunc erant illi duo reges,ideo poterat citò venire ad conſpectum Achab.

Rex autem Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda ſedebat vnuſquiſq; in ſolio ſuo. Ambo erant reges,& amici atq; affines ideo æqualem honorem in ſedendo, & in omnibus alijs habebant,& fortè Ioſaphat maiori honore ibi colebatur,quia hoſpes erat.

Veſtiti cultu regio. Id eſt,veſtimentis regalibus. Cultus enim ſignificat honorem, ſed accipitur hic pro veſtibus, quia ſecundùm eas ſimplices iudicant hominem eſſe honoratum iuxta illud.

C

Vir benè veſtitus pro veſtibus eſſe peritus
Creditur à mille,quamuis idiota ſit ille.

Sic accipitur Exodi 33. ſcilicet, Nemo indutus eſt cultu ſuo ex more, ſed luxit populus audiens ſermonem hunc peſſimum, ſcilicet in ſignum triſtitiæ nullus indutus eſt veſtibus ſuis pulchris.

In area iuxta oſtium portæ Samariæ. Id eſt,ſedebant ambo in quadam platea,quæ erat apud portam Samariæ, ad quã conueniebant homines ad collocutionem,& iocũditatem, & ibi populus multus aſtabat vtriq; regi.

Et vniuerſi Prophetæ prophetabant in conſpectu eorum. Intelligitur de Prophetis Baal,qui nondum venerat Michæas qui ſolus erat Propheta Domini.

Fecit quoque ſibi Sedecias filius Chanaan cornua ferrea. Iſte Sedecis erat quaſi princeps inter Prophetas Baal, ideo quando Michæas dixit, quod ſpiritus mendacij erat in ore omnium Prophetarum Achab, iſte potiùs offenſus eſt quàm cæteri,& iſte percuſſit Michæam alapa,vt patet infrà.Iſtud autem erat quaſi principaliter pertineret ad eum illud dedecus, & propter hoc etiam ſpecialiter fit hic mentio de iſto Sedecia.

Quare Sedecias fecit ſibi cornua ferrea.

QVÆSTIO VII.

QVÆRETVR,quare Sedecias fecit ſibi cornua ferrea.

Reſpondendum, quod fecit duo cornua ferrea,& ferebat illa in manibus coram rege,& quando prophetabat oſtendebat illa,dicens:his ventilabis Syriam, & delebis eam. Fecerat autem hoc ad imitationem Prophetarum Dei, quia illi aliquando prophetabant in verbis, & aliquando in ſignis. Patet de Iſaia, qui tribus diebus ambulauit nudus,& diſcalceatus per Ieruſalem ad ſignandum captiuitatem trium annorum Ægypti,& Æthiopiæ,Iſaiæ 20. Sic etiam Ieremias fecit ſibi catenas ligneas ex mãdato Dei, & poſuit eas in collo ſuo, & miſit ad multas gentes ad ſignificandum captiuationem illarum per Nabuchodonoſor,Ierem.27.& portabat aliam catenam ligneam in collo ſuo ad ſignandum captiuitatem Ieruſalem, quam quidam Propheta nomine Ananias confregit,dicens, quod Dominus dicebat ego conteram iugum regis Babylonis, & tunc Ieremias dixit catenas ligneas cõtriuiſti,& facies pro eis catenas ferreas. Ierem.28. ſic etiam patet de Ezechiele,qui poſuit laterem, & ſartaginem contra Ieruſalem, & comedit panem doloris in menſura. Ezech.3. Raſit etiam capillos ſuos omnes, & diuiſit eos tripliciter, Ezech.5.Et ſic in multis locis. Ita nũc Sedecias fecit ſibi cornua ferrea ad ſignificandam deletionem Syriæ, per ipſum Achab:nam cornua ſunt fortis armatura taurorum. Fecit autem illa ferrea ad ſignandum fortitudinem, ſcilicet quòd in magna fortitudine deleret Syriam Achab. Similis modus erat aliquando reuelationis Dei ad Prophetas. Sic patet Zachar.1.ſcilicet,Et leuaui oculos meos,& vidi,& ecce quatuor cornua,& dixi ad Angelum,qui loquebatur ad me,quid ſunt hæc? & dixit ad me,hæc ſunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam,& Iſrael,& Ieruſalem.

Prophetæ quãdoq; prophetabãt verbis, quandoque ſignis.

D

E

Hæc dicit Dominus his ventilabis Syriam donec deleas eam. Ventilare eſt ad ventum eleuare,& pertinet hoc ad paleas in area, quando ſunt commixtæ granis:nam vtrunq; ad ventum eleuatur paleæ præ leuitate à vento ferantur, & grana præ grauitate decidant,& ſic fiat ſeparatio,ſic accipitur Matth.3.cap. ſcilicet cuius ventilabrũ in manu ſua, & mundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreũ ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili. Dicebatur autẽ,quod Achab ventilaret Syriam quaſi impellendo in altum, & percutiendo quouſq; deſtrueret eam.

Omnesq; Prophetæ ſimiliter prophetabant. Scilicet ómnes alij Prophetæ idolorum,qui erant ſocij Sedeciæ, fit tamen mentio de Sedecia propter duo. Primò,quia ipſe erat quaſi princeps aliorum Prophetarum. Secundò, quia ipſe ſpecialiter fecerat ſibi cornua, & nullus alius fecerat aliqua inſignia ad prophetandum.

F

Dicentes,aſcende in Ramoth Galaad, & vade proſperè. Scilicet omnes iſti dicebant vade in Ramoth Galaad, quia proſperaberis,ſcilicet obtinendo victoriam. *Et tradet Dominus in manu regis.*Id eſt,Dominus tradet eam in manus tuas.

Nuncius verò,qui ierat,vt vocaret Michæam locutus eſt ad eum. Iſte nuncius antequàm iret ad vocandum Michæam,viderat omnes Prophetas coram rege prænũciantes bona, ideo perſuadebat Michææ,vt concordaret eis.

Dicens ecce ſermones Prophetarum ore vno bona regi prædicant. Scilicet quanquàm Prophetæ multi ſunt,omnes tamen concordant prænunciando regi bona tanquàm ſi omnes loquerentur vno ore.

Sit ergo,& ſermo tuus ſimilis eorum,& loquere bona. Id eſt,non diſcordes ab eis, ne propter te impediatur progreſſio regis in Ramoth,ſed prænuncia bona. Ecce quàm ſtultè loquebatur iſte nuncius: putabat enim quòd ex voluntate Michææ penderet bonum,vel malum, quod euenturum erat, ideo quòd poſſet prænunciare quicquid vellet, & non putabat, quod à Deo omnia iſta eueniant, & ſi Propheta aliter dicere conetur,quàm Deus inſpiret,dictum ſuum inane erit.

Cui Michæas ait,viuit Dominus,quia quodcunq; dixerit mihi Dominus,hoc loquar. Id eſt,ego promitto tibi,quòd ſi Deus reuelauerit mihi bonum,loquar bonum, ſin autem, non potero loqui bonum.

Quare Prophetæ Baal prænunciabant bona euentura.

QVÆSTIO VIII.

QVÆRETVR, quomodo Prophetæ Baal prænunciabãt omnes bona regi, cùm non euentura essent, nunquid non timebant contraria euenire?

Aliquis dicet, quòd Prophetæ mali erant adulatores, & volebant complacere regi per omnia, ideo cùm scirẽt, quòd rex desideraret ire in Ramoth prænunciauerũt ei, quod bonum erat ire. Sic enim quidam Prophetę sunt, qui blandiuntur hominibus, vt accipiant ab eis aliquid, vt patet Ezech. 13. & si fortè homo non dederit eis quicquam, sanctificant super eum diem belli. Michææ 3.

Sed hoc nõ videt conueniens hic, quia si fortè ista adulatio non esset periculosa, verisimile esset, quòd adularentur isti Prophetæ regi prænunciantes, quod ipse volebat, erat tamen periculum magnum, scil. quòd moreretur rex, & periret exercitus, ideo non auderent falsa denunciare adulando.

Dicendum igitur, quòd isti Prophetæ Baal putabant verum esse, quòd Achab præualiturus esset contra Syriam, & obtineret Ramoth, ideo prænunciabant ei, & tamen in hoc decipiebantur. Sed ista deceptio potest stare dupliciter.

B Vno modo quòd isti essent Prophetæ Dei, & consueuerent à Deo accipere reuelationes, quanquàm colerent idola: & ideo aliquando vera dicebant, nunc autem Deus non reuelauit eis aliquid, sed permisit, quòd à dæmone fallerentur, & ipse moueret phantasiam eorum ad intelligendum, quod Achab habiturus erat victoriã in Ramoth. Aliter potest dici, quod isti Prophetæ Baal, nunquàm recipiebant reuelationes à Deo, sed à dæmonibus per artes suas superstitiosas, & tamẽ multoties vera dicebant, eo q; dæmones multa de futuris nouerũt nunc verò quanq; dæmon sciret veritatẽ huius rei, qa fortè Deus ei reuelauerat, voluit fallere Prophetas illos, Deo permittente, quòd fallerentur propter demeritum Achab: nam Achab peccauerat, & merebatur cadere in bello: Si autem verum ei diceretur, non iret illuc, & nõ moreretur: ideo vt iret, & susciperet pœnam, quã merebatur permisit Deus, vt fallerentur Prophetæ sui. Hoc significauit Michæas, cùm dixit infrà: nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te malum, id est, disposuit tibi nocere: & ob hoc dedit errorem in ore omnium Prophetarum. Vterque duorum modorum prædictorum satis stat. Quomodocunque tamen sit reuelatio facta ista vice Prophetis Baal fuit à dæmone, vt patet ex verbis Michææ infrà. Secundus tamen modus adhuc conuenientior videtur, quàm primus, eo quòd isti erant Prophetæ Baal. Et sic verisimilius erat eos semper habere reuelationẽ à dęmonibus, quàm à Deo.

C

Michæas quomodo accepit reuelationem à Deo.

QVÆSTIO IX.

VLTERIVS quæretur, quomodo Michæas nunc accepit reuelationem à Deo, scilicet an accepit illam antequam iret ad Achab, vel accepit illam post, cùm Achab quæsiuit ab eo.

Respondendum, quod vtroque modo esse poterat: nam aliquando Deus prænunciat Prophetis id, quod responsuri sunt antequàm inquirantur, & aliquãdo post. Pro hoc sciendum, quod Prophetę aliquando dicunt aliqua, de quibus nõ interrogantur: sed iubentur à Deo illa dicere: aliquando verò respondent ad interrogata. De primo non quæritur quando Deus eis loquatur, quia potest loqui quandocunque voluerit, & non erit in hoc aliqua differentia.

Deus aliquã do reuelat Prophetis antequã interrogentur alquando post aliquã do tũc.

De secundo dicendum, quod potest Deus interdum reuelare Prophetæ id, de quo interrogandus est, antequàm interrogetur, & aliquando postquàm interrogatus fuerit.

De primo patet in Ahia Silonitæ, cui Deus reuelauit, quòd ventura esset ad eum vxor Ieroboam: & dixit ei quid deberet respondere, suprà 14. sic etiam in alijs fit. De secundo patet, quia Prophetæ quando inquiruntur, interdũ non-

D dum habuerunt responsum à Deo, sed illud aliquando habent immediatè, vt interrogantur, & aliquando post aliquantum tempus. De primo patet in Elisæo, qui interrogatus fuit à tribus regibus super aqua, sequenti lib. cap. 3. Et nondum sciebat quid respondere deberet, sed fecit, quòd vocaretur citharista, & illo canente cecidit spiritus Domini super eum. De secundo patet in Ieremia, qui interrogatus fuit ab Israëlitis, an deberent descendere in Ægyptum, & nesciuit illicò respondere, sed per decem dies ieiunauit, & tunc reuelata est sibi responsio Ierem. 42. Hoc autem accidebat sæpè in Moyse, qui cùm interrogaretur frequenter de negotijs popularium nesciebat respondere, sed ipse consulebat diuinum oraculum. Sic patet in quæstione filiarum Salphaad, Numer. vigesimoseptimo, & iterum in quæstione filiorum Manasse, Numer. 36. Cùm verò dubitaret Moyses in his, introibat in Sancta sanctorum, & ibi audiebat vocem respondentem sibi de propitiatorio, quod erat super arcam fœderis, Nume. 7.

Nunc verò de Michæa dicendum, quòd quanquàm potuisset vterque modus accidere in eo, tamen videtur, quòd reuelauerit sibi Deus postquã interrogatus est. Quod patet, quia nuncius, qui vocauit eum, dixit sibi, quòd loqueretur bona, sicut alij Prophetæ, ipse verò ait viuit Dominus, quia quodcunque dixerit mihi Dominus hoc loquar. Ergo videtur, quod nondum sibi dixerat quid loqui deberet, sed quando rex quæsiuit ab eo reuelauit sibi Deus illicò quid deberet respondere, vel post aliquod tempus paruum, scilicet post vnam, vel duas horas. Sic patet de Daniele: nam quãdo quæsiuit Nabuchodonosor ab eo interpretationem somnij secundi, dicitur: Tunc Daniel cœpit intra semetipsum tacitus cogitare, quasi hora vna, & cogitationes eius conturbabant eum, Dan. 4. E

Venit itaq; ad regem. Scilicet ad aream, in qua sedebat rex apud portam Samariæ.

Et ait illi rex: Michæa ire debemus in Ramoth Galaad ad prælian-dum, an cessare? Id est, nunquid expedit, quòd eamus, scilicet si prosperabimus, vel erit aduersitas nobis.

Cui ille respondit, ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus regis. Istud dixit, quia volebat concordare cum omnibus Prophetis Baal, qui sic dixerant.

An Michæas peccauerit non dicendo verum Achab.

QVÆSTIO X.

QVÆRETVR, an peccauerit Michæas dicendo istud, quia non erat verum, quod prosperè iret Achab in Ramoth, etiam dixit Michæas, quòd nõ diceret nisi quòd Deus sibi reuelaret, & tamen Deus reuelabat contrarium, ideo videbatur peccare dicendo istud.

Respondebit aliquis, quod non peccauit, quia dixit id, quod Deus sibi reuelabat, quia licèt non esset prosperè iturus Achab in Ramoth, poterat hoc reuelare Deus, & postea contrarium reuelare. Sic patet multoties, quia reuelat aliqua mala futura contra aliquos, deinde reuelat contrarium. Sic patet de Ezechia, seq. lib. cap. 20. & de Niniuitis, Ionæ 3. & 4. & de bruco, & locusta venturis super duas tribus. Iohel 1. & 2. & 3. Sed dicendum, quod hoc non stat, quia ista varietas reuelationis diuinæ nũquàm accidit ex parte Dei, cùm sit simpliciter inuariabilis, sed ex parte eorum, contra quos, vel pro quibus fiunt reuelationes: nam aliquando Deus reuelat bona futura aliquibus, & tunc boni sunt, si verò mutentur ad malum, sæpè Deus reuocat, & reuelat contrarium. Sic etiam Deus prænunciat mala contra aliquos sæpè, quia illi mali sunt, & posteà illi dolent de peccato suo, & Deus prænunciat bona. Si tamen prenunciauerit bona contra aliquem, qui in bono statu est, & ille semper sic maneat, nunquàm variabitur reuelatio de bono in malum, & si prænũcietur de aliquo malo, quia malus est, & maneat semper in malo suo, nunquã variabitur prophetia. Sic patet Ierem. 18. scilicet, Repentè loquar aduersus gentem, vt eradicem, & destruã, & si pœnitentiam egerit à malo suo, agam & ego pœnitentiam super malo, quo cogitaueram, vt facerem ei, & subitò loquar de gente, & regno, vt ædificem, & plantem illud, & si fecerit malum in oculis meis pœnitentiam agam super bono, quod locutus F

A

sum, vt facerem ei. Ergo si non mutatur homo, nunquàm Deus mutat dictum suum, sed Achab ante hoc erat malus, scilicet quando locutus est Michæas in prima responsione, & in secunda, ergo non variaretur reuelatio ex parte Dei.

Item patet, quod non dixit Michæas hoc tanquàm à Deo sibi reuelatum, quia postquàm dixit istud, dixit ei Achab, adiuro te vt non loquaris mihi, nisi quod verum est in nomine Domini. Ergo ipse Achab videbat, quod Michæas non respondebat ista ex parte Dei, & tunc Michæas adiuratus respondit ei veritatem.

Dicendum ergo, quod Michæas dixit ista, non tanquàm asserens, sed tanquàm optans, scilicet ascende, & vade prosperè, id est, vtinam posset ascendere, & ire prosperè. Et hoc tenet Nicolaus.

Opinio Lyrani reijcitur.

Sed istud non stat. Primò, quia si ista dicerentur per modum optandi, non esset responsio in his verbis, quia responsio fit indicando, & non optando cùm fiat per affirmationẽ, vel negationem, quæ solùm est in indicando, & tamen Michæas dixit ista modo responsiuo. Quod patet ex verbis Achab, scilicet adiuro te, vt non loquaris mihi, nisi quod verũ est, ergo putabat Achab, quod loquebatur Michæas falsum, & tamen si loqueretur modo optatiuo, non esset verum, vel falsum, quia ista solùm sunt in oratione indicatiua, ergo loquebatur per modum indicandi.

B

Secundò patet, quia si Michæas locutus fuisset ista per modum optãdi, apparuisset manifestè, quod putabat ipse, quòd non sic euenturum erat, quia id, quòd quis scit certissimè euenturum, nõ optat, & tunc Achab colligeret ex verbis Michææ manifestè, quòd habiturus esset mala in Ramoth, & tamen contrarium colligebat, scilicet, quòd euenturum esset bonum, ideo dixit adiuro te, vt non loquaris mihi, nisi quod verum est, & tunc respondit Michęas de morte eius, ergo videtur, quod ista verba non dicebantur optatiuè, sed indicatiuè. Nemo autem poterit dicere, quod Michæas dixit istud indicatiuè, vt adularetur regi, sicut faciunt palpones, qui falsas collaudationes dicunt, vt placeant. Nam hoc non conuenit Prophetæ Dei, qui erat vir iustus, & potissimùm, quia immediatè dicturum contrarium, non est tamen adulatio conueniens, nisi quando aliquo colore tegi potest, quia aliàs potiùs est irridere, vel insanire.

Respõsio auctoris.

Dicẽdum ergo quod Michæas sciebat istud non esse verum, dixit tamen illud ad conuincendum malitiam regis, qa Achab oderat valdè Michæam, eo quod prophetabat ei mala, nunc verò prophetauit bona, vt non putaret, quod prophetabat mala ex desiderio inimicandi ei, & tamen dixit verba ista tali modo, vt non videretur sentire id, quod dicebat. Quod patet ex verbis Achab, qui adiurauit eum, vt loqueretur verum, ideo quanquã Michęas falsum diceret, non mentiebatur, nec peccabat, quia non dicebat cum intentione significandi falsum, & etiam ex habitudine loquendi, & hoc excusabat mendacium. Nam dato, quòd Michæas locutus fuisset falsum, non cum intentione fallendi, si tamen habitudo sua loquẽdi esset tanquàm asserentis, illud mentiretur.

C

Dixit autem rex ad eum, iterum atque iterum adiuro te. Intellexit Achab ex modo loquendi Michææ, quod non dicebat verum, nec cum intentione, vt istud teneretur, ideo adiurauit eum per Deum, & dixit, adiuro te iterum atque iterum ad significandum instantiam requirendi veritatem. Sic enim quædam in iure cum magna instantia petũtur, scilicet Apostoli ab appellantibus quæ petuntur instanter, instantiùs, instantissimè: pallium quoque archiepiscopale non datur, nisi instanter petentibus, vt patet in Decretis dist. 100. *Vt non loquaris mihi, nisi quod verum est.* Scilicet, hoc, quod dicis non puto esse verum.

In nomine Domini. Id est, nunc nõ loqueris in noĩe Domini, id est, ex parte Dei, quod ipse tibi reuelauit, sed loqueris de corde tuo: ideo falsum dicis, adiuro te ergo, vt non loquaris mihi, nisi id, quod Deus dixit. *Et ille ait.* Nunc Michæas adiuratus respondit veritatem.

Vidi cunctum Israel dispersum in montibus. Id est, Deus reuelauit mihi, quòd totus Israel dispergendus esset in montibus. Vel ostensa est mihi imago Israëlis dispersi in montibus, & hoc verum est, quia istæ reuelationes fiunt in visione imaginaria tanquàm res videatur oculariter.

Qui si oues non habentes pastorem. Hoc dicebat propter mortem Achab, quia ipse in bello occidẽdus erat, & eo mortuo manerent Israëlitæ in bello sine duce, sicut oues sine pastore.

D

Et ait Dominus, non habent isti Dominum. Scilicet quando ostensum est Michææ, quod Israëlitæ mansuri erant sine rege mortuo Achab in bello, videbatur sibi, quod Deus dicebat, non habent isti Dominum, scilicet iam mortuus est. *Reuertatur vnusquisque in domum suam in pace.* Etiam Deus dicebat hoc, quia postquàm mortuus est Achab reuersi sunt omnes Israëlitæ in domos suas, & dicitur, quòd reuertantur in pace, scilicet quia non occisi fuerunt in bello, nec persecutus fuit eos rex Syriæ. Ex quo apparet, quòd quasi nullus mortuus fuerit in bello.

An solus Achab mortuus fuerit in hoc bello.

QVÆSTIO XI.

QVÆRETVR, quomodo poterat esse, quòd non morerentur multi Israëlitæ in bello, quia Deus dixerat suprà 20. quia dimisisti virum, dignum morte, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius, ergo sicut occisus est Achab, ita populus eius occidendus erat.

Responsio Rab. Sal. Lyrani opinio refellitur.

Respondet Rab. Salom. quod populus Israel tradendus erat in bello pro peccato Achab, quia dimisit Benadad recedere. Dicit tamen, quod sanguis Michææ, qui erat vir iustus, quando effusus est, satisfecit pro populo, ne teneret in bello, sed non satisfecit pro Achab, eo quod erat vir iniustus. Istud fuit, quando Michæas dixit cuidam viro, quòd percuteret eum, & percussit, atque fluxit sanguis, suprà 20.

E

Sed dicendum, quod non stat, quia effusio sanguinis Michææ, vel alterius Prophetæ cuiuscunque fuerit, non suffecit ad satisfactionem pro peccato populi, quia ad hoc requirebatur meritum excessiuum, quale non est in toleratione angustiarum vnius hominis, ideo licet per orationẽ vnius hominis puri Deus, interdum cesset agere mala, quæ intendebat, tamen non meretur passio vnius hominis puri, vel labor suus remissionem pœnæ pro toto populo. Christus autem qui non fuit homo purus potuit mereri liberationem populi ab omnibus peccatis suis.

Secundò patet, quia dato, quòd illa effusio sanguinis fuisset sufficiens ad tollendum peccata totius populi, tamen nũc non satisfecit pro aliquibus peccatis populi, quia illa effusio sanguinis non facta est, vt esset satisfactoria pro peccatis populi, sed solùm, vt non cognosceretur Propheta ille, vt declaratum est suprà vigesimo, ergo non poterat proficere ad remissionem.

Tertiò patet, quia postquàm effusus est sanguis ille, dixit Propheta, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius, ergo videtur, quod adhuc effuso sanguine tenebatur populus Israel ad hoc, quòd traderetur cum rege suo, ideo dictum Rab. Salom. non stat.

F

Tenet tamẽ illud Nicolaus: Ponit etiam aliam rationem, scilicet quod non fuit sic de populo, sicut de ipso Achab, quia de Achab dictum est, erit anima tua pro anima eius: de populo tamen non dictum est, quòd esset anima cuiuslibet de populo Achab pro populo Benadad, ideo solus Achab mortuus est. Sed adhuc istud non multum agit, quia idem est quòd dicatur, eris tu pro illo, vel erit anima tua pro illo, & quòd dicatur erit anima populi tui pro anima populi eius, vel erit populus tuus pro populo eius, quia scriptura nõ accipit animam pro spiritu viuificante, sed pro persona, sic patet Gen. 46. & Exod. 1. scilicet septuaginta Animæ egressæ sunt de femore Iacob, id est, septuaginta personæ, quia anima non redditur de femore. Sic etiam Leuit. 2. & 4. & 5. dicitur anima cùm obtulerit sacrificium, & tamen manifestum est, quod anima non offert sacrificium, sed homo.

Dicendum igitur vno de duobus modis. Primò, quia ista sententia reuocata erat, quando pœnituit Achab, nam prædixerat ei mala Elias pro omnibus peccatis suis, præced. cap. & quia doluit Achab Deus reuocauit sententiam dicens, quòd in diebus eius non inferret mala, sed in diebus filij sui, nunc verò occisus fuit Achab in bello non pro illis peccatis prioribus, sed pro alijs peccatis, quæ fecit post pœnitentiam, populus autem non peccauit post, vel dato, quòd peccauerit

A

iam ſententia prima reuocata erat, & per eam non debebat dari populus in manus hoſtium.

Aliter dici poteſt, quòd completa fuit ſententia Dei ſuper populum, ſcilicet quòd populus Achab fuit pro populo Benadad. Ex hoc tamen non ſequebatur, quòd omnes Iſraëlitæ deberent mori in bello, vel valde multi ipſorum, quia eſſe populum Achab pro populo Benadad, poteſt intelligi dupliciter. Vno modo, quòd erit pro illo, id eſt occidetur pro illo, ſcil. quòd ſicut occidendus erat populus Benadad, ita occideretur populus Achab. Alio modo, quòd eſſet populus Achab pro populo Benadad, id eſt traderetur pro illo ad aliquã pœnam, & iſta pœna erat, quòd aliqui eorum perirent in bello, vel ſaltem, quòd vincerentur, & fugerent: nam Iſraëlitæ ſi non peccaſſent ipſi, nec Rex eorum, ſemper habuiſſent victoriam contra regem Syriæ, quia tamen peccauerunt, victi sũt, & hoc erat, quòd traderetur populus Achab pro populo Benadad. Simile patet ſupra 20. cùm Deus dixit ad Achab, vidiſti omnem hãc multitudinem, ego tradam eam hodie in manu tua, & tamen manifeſtum eſt, quòd illa vice non occidit Achab omnes de populo Benadad, quia plurimi eorum fugerunt, ita ergo nunc, quamquam Iſraëlitæ fugerent de bello, & non occiderentur, niſi pauci, vel nulli, dicebantur tradi in manus regis Syriæ. Aliter tamen traditus fuit Achab, & aliter ipſi, quia Achab traditus eſt, & mortuus fuit, populus autem traditus eſt, & non occiſus fuit, & hoc quia Achab pec-

B

cauerat dimittendo Benadad populo inconſulto, nec fiebat de voluntate populi, ideo pœna, quæ dabatur populo erat pro peccato Achab, debebat igitur populus minus puniri quàm Achab.

Dixit ergo rex Iſraël ad Ioſaphat, nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonũ, ſed ſemper malum? Videns Achab, quòd reſpõderat malũ Michęas, & in hoc cõcordabat dicto ſuo priori, repetiuit illud hic, dicens: nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum? Quaſi dicat, benè ſciebam, quòd ſuperfluum erat vocare eum, quia nũquam prophetat mihi bonum, ſed ſemper malum. Vnde etiam antequam vocaretur manifeſtum erat mihi, quòd malũ annunciaturus erat.

Ille verò addens ait, propterea audi ſermonem Domini. Quia Achab iratus fuit hic Michææ dicenti ea, quæ Deus iubebat voluit ſuperaddere ipſe Michæas alia duriora, in quibus magis irritaretur Achab, ideo dixit, propterea audi ſermonem Domini, id eſt quia indignatus es mihi dicenti veritatem audi alia grauiora. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Declarauerat Michæas ſuprà mortem Achab in confuſo. Hic autem declarat eam magis in particulari, & oſtendit quomodo prophetæ Achab mentiebantur, & ad hoc inducit viſionem, in qua apparuerunt ſibi omnia iſta, dicens: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum. Iſtud non erat ſecundùm veritatem, quia Deus non ſedet in ſolio, ſiue in alio loco, cùm non ſit corporeo, ſed vtitur propheta modo loquendi humano, ita quòd imaginemur Deum tanquam regem potentiſſimum ſedentem in ſolio excelſo ad ſignificandam maieſtatem ſuam. Sic dixit Iſaias ſe vidiſſe, ſcilicet, Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, Iſai. 6.

C

Exercitus cœli quid.

Et omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei à dextris, & à ſiniſtris. Vocatur exercitus cœli multitudo Angelorum, qui dicebantur aſſiſtere Deo, & non ſedere, ſed ſolus Deus dicebatur ſedere, exercitus autem Angelorum dicebatur aſſiſtere, quaſi ad ſeruiendum, quia miniſtri debent aſſiſtere, & non ſedere. Sic patet Dan. 7. vbi ponitur Deus ſedens, & dicitur, aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, & ſequitur: Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies cẽtena millia miniſtrabant ei. Vocantur autem Angeli exercitus Dei, quia ad modum virorum exiſtentium in exercitu Deo miniſtrant inferendo pœnas, quibus ipſe iubet, & liberãdo à periculo eos, quibus ipſe voluerit ſubuenire, & iſte eſt actus bellicus, ideo vocantur exercitus. Sic enim Iob 25. Angeli vocantur milites, cùm dicitur, nunquid eſt numerus militum eius, id eſt Angelorum.

Nicol. repellitur.

Nicolaus dicit, quòd à dextris dicebantur aſſiſtere boni Angeli, à ſiniſtris verò mali: nam interdum mali Angeli ſic ſtant coram Domino. Patet Iob 2. cùm dicitur, quòd cũ quadam die filij Dei venirent, & ſtarent coram Domino, venit, & ſtetit inter eos Sathan.

Sed dicendum, quòd iſtud non eſt conueniens, quia motiuum Nicolai eſt, eo quòd pars dextra dicitur honorata, & pars ſiniſtra non, ideo vult, ideo vult, quòd illi qui erãt in dextra eſſent boni Angeli, qui verò in ſiniſtra eſſent mali. Hoc poſſet confirmari per id, quod habetur Matth. 25. ſcilicet cõgregabuntur omnes gentes ante eum, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis, & ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris, & ſic mali erunt in parte ſiniſtra.

D

Quod Angeli mali nõ aſſiſtebãt Domino.

Dicendum, quòd iſtud motiuum non eſt ſufficiens, quia illa comparatio Chriſti, Matth. 25. non ponitur ad ſignificandum, quod ſic realiter erit, quòd mali ſedeant in die iudicij à ſiniſtris, & boni à dextris, & ſic Deus iudicet, ſed aliter fiet, ſcilicet, quòd omnes boni eleuabuntur in aëre, & manebũt ibi iudicantis in circuitu Chriſti vtentes dote leuitatis corporis, omnes autem mali graues, ſicut terra manebunt ſuper terrã, & ſic fiet iudicium. Sic patet 1. ad Theſſal. 4. ſcilicet, Nos qui qui viuimus, qui relinquimur ſimul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Chriſto in aëra, de quo ibi declarabitur. Chriſtus autem dixit, quod quidam ſederent à dextris, & alij à ſiniſtris, non quòd ſic futurum eſſet, ſed ad deſignandum differentiam meriti. Item dictum ſuum non eſt verum, quia hic non ponitur iſta imago Dei ſedentis, & Angelorum ſtantiũ ad dextram, & ad ſiniſtram, ad ſignificandum differentiam meriti, & dignitatis Angelorum bonorum, & malorum, ſed ad ſignificãdum honorem maieſtatis Dei, quia ad hoc, quod eſſet honorat⁹, oportebat quòd aliqui eſſent ad dextram ſuã, & aliqui ad ſiniſtram ne nudus ex vna parte videretur, ideo eſſent Angeli boni ex vtraque parte, quia magis ſignificaretur honor in hoc, quòd aſſiſtebant ei boni Angeli, quàm cũ aſſiſterẽt mali. Simile patet Dan. 7. vbi ponitur Deus ſedens, & quòd millia millium miniſtrabant ei, & decies centena milia aſſiſtebant ei, & tamen omnes illi erant Angeli boni. Item patet efficacius, quia dicitur hic in litera, vidi Dominũ ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum cœli aſſiſtentẽ ei à dextris, & à ſiniſtris, ergo tam aſſiſtentes à dextris, quàm à ſiniſtris, erant de exercitu cœleſti, id eſt de Angelis.

E

Quomodo facta fuit reuelatio iſta Michææ, & an poſſit viſio imaginaria fieri in vigilia.

QVÆSTIO XII.

QVÆRETVR, quomodo fuit facta iſta reuelatio Michææ.

Reſpondendum, quòd multi modi ſunt, quibus Deus Prophetis aliquid reuelat, ſcilicet apparente eis aliquo Angelo, & loquente, vel audita aliqua voce facta ab Angelo, & nõ apparente aliqua effigie loquentis, vel quòd in ſomnio aliquid demonſtretur, vel in vigilia, ſiue apparitione aliqua, & ſine voce reueletur aliquid intellectui noſtro à Deo, & hoc cum ecſtaſi, ſiue ſine ecſtaſi, de quibus modis declaratum eſt ſupra 13. ſed non poſſunt aſſignari hic omnes iſti modi. De primo patet, ſcil. quòd non apparuerit aliquis Angelus ad loquendum, quia non dixit Deus locutus eſt mihi tale, vel tale, ſed vidi Dominum.

F

Quot modis Deus aliqd reuelat prophetis.

Secundus modus etiam non ſtat, quia ille ſolum eſt, quando aliqua vox auditur, per quam aliquid reuelatur, reuelatio tamen Michææ nõ conſiſtit in audiendo, ſed in videndo. Manent autem alij modi, de quibus eſt dubium, ſcil. an fuerit per noctem in ſomnio, vel fuerit per diem aliqua reuelatio per quam illuſtraretur intellectus.

De primò dicet aliquis, quòd non fuerit, quia ille eſt per ſomnium, & tamen Michæas non vidit iſta per ſomnium, ſed vigilans, quia coram rege ſtans accepit à Deo iſtam reuelationem, vt declaratum eſt ſupra in quadam quæſtione.

Dicendum, quòd quilibet iſtorum duorum modorum vltimorum poteſt hic aſſignari, ſcil. quòd fuerit per ſomnium, vel quòd fuerit in vigilia per illuſtrationem intellectus. Et primus videtur magis conuenire ſuperficialiter, quia dicit Michæas, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & omnem exercitum ſuum à dextris, & à ſiniſtris. Iſtæ tamen viſiones imaginariæ ſunt, ſcilicet per quaſdam imagines cauſatas in phantaſia, quia realiter iſta videri non poſſunt, cùm nihil tale ſit, operationes tamen phantaſiæ, quæ vocãtur viſio-

nes,

A

nes,in ſomnio fiunt,ideo iſtud in ſomnio fieret. Sic patet de Daniele uius tota prophetia fuit per viſiones imaginarias, & tamen ipſe dicit aſpiciebam in viſione noctis.Dan.7. Vocatur autem viſio noctis ſomnium, ſi tamen hoc dixerimus, videbimur dicere contra id, quod habetur ſuprà in litera, quando Michæas reſpondit nuncio regis, ſcilicet viuit Dominus, quòd quodcunq; dixerit mihi Dominꝰ,hoc loquar, ergo nondum Deus dixerat ſibi aliquid.

Dici poteſt,quod Deus reuelauerat ſibi in nocte præcedenti per ſomnum, quomodo Achab quæſiturus erat ab eo hoc,& oſtendit ei iſtam viſionem,quæ habetur hic. Cùm verò dicitur,quod Michæas dixit quodcunq; mihi dixerit Dominus hoc loquar,dixit iſtud, quia quanquàm Deus ſibi reuelauerat, tamen adhuc poterat reuelare aliquid aliud,& iubere,quòd diceret illud,& non id,quod prius ſibi reuelatum fuerat, & tunc Michæas diceret illud. Sed adhuc melius eſt, quòd teneamus id, quod ſuprà diximus, ſcil.quòd iſta reuelatio facta fuerit coram rege, poſtquàm ibi Michæas fuit. Et tamen adhuc non dicemus,quòd fuerit facta iſta reuelatio p ſolam illuſtrationem intellectus, ſed etiã per apparitionem imaginariam principaliter, ſcil.quòd exiſtẽte Michæa coram rege Deus cauſaret in phantaſia ſua quandam imaginem Dei ſedentis in ſolio,& Angelorum aſtantium, & imaginem ſermonum,quos Deus loquebatur, & eorum, quæ dæmon dixit de deceptione Prophetarum Achab.Nec debet hoc videri alicui durũ,quia licèt cõmuniter fiant viſiones imaginariæ in ſomno,tamen interdũ fiunt in vigilia,faciliùs tamen fiunt in ſomno propter hoc,quòd virtutes animales non intendũt diuerſis operibus tunc. Quòd autem fiat vigilia patet Act.7. quia cùm diſputaret Stephanus cum Iudæis,dixit,ecce video cœlos apertos,& Ieſum ſtantem à dextris Dei, & tamen illud non poteſt intelligi de viſione reali, quia non poterat virtus oculi ſui pertingere vſque ad cœlum beatorum. Etiam viſio non fit ſine ſpecie obiecti tranſeunte per medium vſque ad oculum, quædam tamen corpora cœleſtia ſunt ita denſa, quod non permittunt tranſitum ſpecierum, ſicut eſt in 8. ſphæra, in qua ſunt ſtellæ fixæ, cuius color iudicatur azurinus,cùm cœlum ſerenum eſt. Item dato,quòd poſſet ſpecies rei viſibilis peruenire ab extremo cœlo ad oculum noſtrum, non potuiſſet videre beatus Stephanus Chriſtum ſedentem à dextris Dei,quia Chriſtus non ſedet à dextris,nec à ſiniſtris Dei,ideo neceſſe erat, quòd eſſet iſta viſio imaginaria cauſata in ſola phantaſia B. Stephani, & tamen appareret ei, quòd realiter videbat cœlos apertos, ideo eleuabat oculos in cœlum.Manifeſtum eſt tamen,quod tunc beatus Stephanus nõ erat in ſomnio,ſed in vigilia,ergo viſiones imaginariæ interdum fiunt in vigilia.Item patet,qa naturaliter hoc poteſt cauſari:nam ſecundum, quod ait Ariſt. deſcendẽte plurimo ſanguine ad principium viſiuum defert ſecum formas viſibiles, & videtur alicui videre quod non videt. Item dæmones poſſunt permutare phantaſmata in phantaſia noſtra, ſecundùm quam permutationem videtur nobis, quod videmus nobis præſentes res illas,quarum ſpecies dęmones in nobis permutant. Nam iudicium de re viſibili non fit in centro viſus, ſed in ſenſu communi, aliàs oportebat quãlibet rem iudicari eſſe duas,eo quod ſunt duo centra oculorum. Fit ergo iudiciũ in ſenſu communi poſtquàm peruenerint ſpecies receptæ p duos oculos ad vnitatem nerui cõcaui, qui vocatur opticus, ideo ſi aliquãdo contingat ſpecies reſeruatas in cerebro noſtro in phantaſia, & memoria decurrere ad neruum concauum,in quo fit iudicium de viſibili,neceſſariò apparebit nobis,quod videmus illas res præſentes, & ibimus ad eas, ſicut ad nobis præſentes Sic contingit interdum quibuſdam ægris,qui patiũtur in cerebro fieri perturbationem in ſpeciebus defluentibus ad ſenſum communem, & tunc in vigilia, dicunt ſe videre aliqua,quę alij non vident.Hoc etiã contingere poteſt hominibus nimis paſſionatis in amore, quòd in vigilia procul poſiti ab ea,quam diligunt videantur ſibi præſentem videre illam, & currunt in amplexus eius,& cùm nihil inuenerint, quia nihil erat,dicunt ſe à dæmone deluſos, & tamen nulla fuit deluſio dæmonis, ſed paſſio quædam cerebri propter vehementiſſimũ amorem, in qua decurrit ſpecies eius, quæ amatur ad ſenſum communem. Et ſicut dicimus de viſibilibus ſpeciebus, quòd ſi decurrãt de interioribꝰ cellulis ad neruum concauum, videbimur videre res nobis

B *Viſiões imaginaria fiunt etiã in vigilia*

C *Iudiciũ de re viſibili non fit in centro viſus, ſed in ſenſu cõmuni.*

præſentes,ita ſpeciebus audibilibus, & tangibilibus, & ſic in omnibus alijs generibus ſenſationum decurrentibus ad organum ſenſus communis, in quo fit iudicatio de omni ſenſibili,videbimur audire realiter voces, quas aliàs audiuimus, & odorare redolentia, quæ aliàs odorauimus, & cibos,quos guſtauimus,& generaliter omnia, quæ accidũt in ſomno accident in vigilia in nobis, ſi poſſent ſpecies conſeruatæ in interioribus cellulis decurrere ad anteriorem cellulam ſenſus communis, ſed dæmonibus, & Angelis facillimum eſt reducere quaſcunque ſpecies conſeruatas interiùs ad organum ſenſus communis, ergo poterunt facere, quòd videamur videre,& audire quæcunq; ipſi voluerint, quanquàm realiter non videamus,nec audiamus. Patet igitur quòd viſio imaginaria poterat cauſari in Michæa Propheta in vigilia opere Dei,cùm etiam potuiſſet cauſari naturaliter. Et hoc melius eſt, & tenebimus quod ſuprà aſſeruimus.

D

Et ait Dominus,quis decipiet Achab regẽ Iſrael? Videbatur Michææ, quòd Deus ſtans in ſolio ſuo excelſo loquebatur aſtantibus dicens,quis decipiet Achab?

Vt aſcendat,& cadat in Ramoth Galaad? Id eſt,deceptio debebat eſſe,quòd perſuaderetur Achab bonum eſſe ire in Ramoth,& quòd habiturus eſſet victoriam, & ſic aſcenderet,& moreretur in bello.

Et dixit vnus verba huiuſcemodi & alius aliter. Id eſt, vnus de aſtantibus dedit vnam ſententiam,& alius aliam,ita quòd nõ concordabant inter ſe ſicut ſolet eſſe in congregationibus deliberatiuis, & nulla iſtarum conueniens reputata eſt, niſi illa,quam dixit poſteà ſpiritus,vt patet infrà.

E

Egreſſus eſt autem ſpiritus,& ſtetit coram Domino. Scilicet iſte ſpiritus non ſtabat prius coram Domino cum alijs aſtãtibus, ſed nunc egreſſus eſt de loco ſuo, & ſtetit coram Domino cũ alijs de exercitu cœli.

Et ait ego decipiam illum. Iſte ſpiritus putauit faciliter ſe poſſe decipere Achab,& ipſe erat dęmon,cui competit officium decipiendi.

Cui locutus eſt Dominus in quo ? Id eſt, ante hoc Deus non viderat ſententiam alicuius de aſtantibus conuenientem ad decipiendum Achab,nunc verò quia ſpiritus promiſit quòd poſſet decipere, quæſiuit Dominus in quo,id eſt, quomodo poſſet. Hoc dicitur ſicut quando aliquis promittit ſe facturum aliquid magnum, de quo cæteri dubitant, quærunt quomodo poterit illud facere, & ita Deus inducitur quaſi petens conſilium,& neſciens quomodo ſpiritus decepturus eſſet Achab.

Et ille ait,egrediar,& ero ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius. Dedit modum ſpiritus. quo falleret Achab,ſcilicet quia ſciebat,quòd Achab omnia facta ſua ageret cõſilio Prophetarum,& potiſſimè in bello cùm ſit res ardua,ideo ſi Prophetæ eius fallerentur reuelando eis mendacium facillimè Achab falleretur,quia crederet eis.

F

Et dixit Dominus decipies,& prævalebis. Iſtud dicitur tãquàm audito conſilio illius ſpiritus Deus iudicaret illud conuenientiùs omnibus ſententijs prioribus,& approbando dicit, & decipies,id eſt, verum eſt, quòd poſſis ſic decipere, & prævalebis,id eſt,deduces rem ad effectum.

Egredere,& fac ita. Approbata ſententia ſpiritus Deus diſſoluit congregationem deliberatiuam, vel viſus eſt diſſoluere illam, & miſit ſpiritum ad exequendum id, quod dixerat, ſcilicet egredere, id eſt,egredere ab hinc, & vade ad Prophetas Achab, & fac ita, ſcilicet ſicut dixiſti loquendo eis mendacium.

Nunc igitur ecce dedit Dominus ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum tuorum, qui hic ſunt. Poſuerat ſuprà Michæas diuinam viſionem,nunc autem inducit ex his, quæ ibi vidit intentam concluſionem, ſcilicet quod Deus dedit ſpiritum mendacij in ore omnium Prophetarum Achab,& dicit,nũc igitur, id eſt, quia ſic eſt,quod ego vidi Dominum,& omnia quæ ſuprà enarraui,ſequitur ex hoc,quòd Prophetæ tui omnes mentiuntur, eo quòd Deus miſit ſpiritum mendacij, vt falleret eos.

Et Dominus locutus eſt contra te malum. Id eſt, Deus diſpoſuit facere malum tibi,& dixit ſpiritui, quòd falleret te,vt morereris in bello,ideo vide quid facis eundo ad bellum.

Spiritus malus, qui decepit Achab quis fuit, & an esset anima Naboth.

QVÆSTIO XIII.

QVÆRETVR, quis erat iste spiritus, de quo hic dicitur, quòd egressus est spiritus, & stetit coram Domino.

Respondet Rabi Sa. quòd iste erat spiritus Naboth occisi. Motiuum autem suum est istud, quia vocatur iste spiritus solùm. Etiam, quia suprà immediatè fuerat positum de morte Naboth: ideo vult istam esse sententiam suspensiuam, & continuatam. Et vocatur hic spiritus ipse spiritus Naboth non expresso nomine illius, cuius est: quasi adhuc loquamur de ipso Naboth. Etiam dicit hoc, quia putat, quòd spiritus Naboth ad vindictam mortis Naboth voluerit fallere Prophetas Achab, vt moreretur Achab in bello.

Sed dicendum, quòd ista positio non stat, quia Naboth erat vir iustus, & anima sua esset in requie in lymbo Sanctorum: ideo non egrederetur inde, vt veniret ad fallendũ Prophetas Achab.

Item animæ siue bonorum, siue malorum nunquàm veniunt ad fallendum alios homines, nec ad torquendum, cùm istud sit officium dæmonum: ideo dato, quòd anima Naboth esset damnata, non veniisset ad fallendum Prophetas Achab.

Item patet, quia anima Naboth erat cum Sanctis, si tamen ipsa desideraret fallere, peccaret, animæ tamẽ bonorum post mortem peccare non possunt, sicut animæ malorum non possunt benè agere, scilicet istæ propter obstinationem in malo, & illæ propter confirmationem in bono: ergo non desideraret fallere Prophetas.

Item quòd moueretur ista anima ad desiderium vindictæ irrationabile est, quia desiderium vindictæ peccatum est, & non competit animæ viri iusti.

Item Rabi Sa. præsupponit tanquàm ista fuerint realiter, scilicet quòd concilium teneretur, quomodo deciperetur Achab, & quòd spiritus locutus fuerit, & tamen nihil istorum fuit secundùm rem, sed fuit visio imaginaria ostensa Prophetæ à Deo ad inducendum inde quod Prophetæ Achab mentiebantur, & tamen nec apparuit ibi aliquis spiritus, nec quidquam locutus est: ideo si aliqua deceptio fuit, illa facta est ab illo, cuius officium est decipere, & mentiri, & iste est diabolus: ipse enim mendax est, & pater mendacij. Ioan. 8.

Quomodo potuit esse quòd Deus mitteret aliquem ad decipiendum Achab.

QVÆSTIO XIIII.

VLTERIVS quæretur, quomodo potuit esse, quòd Deus iuberet alicui, quòd deciperet Prophetas Achab mentiendo, qa istud videtur esse valdè iniustum, quòd Deus aliquos decipiat.

Repondendum, quòd hic sunt duo, scilicet quæ fuit veritas in conclusione eorum, quæ inducit hic Michæas: secundum est quomodo ista visio tota applicatur ad cõclusionem intentam à Michæa. Ad primum dicendum, quòd veritas fuit, quòd Achab erat vir malus, & Deus volebat, quòd moreretur in bello, siue istud acciderit propter multa mala, quæ fecerat antequàm pœniteret, præcedenti capitulo, siue fuerint propter aliqua, quæ egit postquàm pœnituit, cùm etiam posteà sequeretur idola, & Prophetas idolorum. Ad executionem autem huius pœnæ oportebat, quòd Achab deciperetur putando, quod bonum erat sibi ire in Ramoth, & quòd obtineret victoriam, quia aliàs nollet ire, non poterat autem decipi Achab nisi per dicta Prophetarum. Nam dato, quòd alij homines iudicio humano diffinirent bonum esse ire in Ramoth, nõ assentiret Achab, quia ista iudicia poterant falli.

Iudicia autem Prophetarum sunt sententiæ Dei, ideo non possunt falli, & ob hoc si Prophetæ prænunciarent Achab prosperum, vel aduersum, moueretur Achab ad agendum per iudicia illorũ, ideo deceptis ipsis deciperet Achab, & potissimè si omnes quadringenti Prophetæ sui deciperentur, quia tunc cũ omnes vno ore loquerentur bona, crederet Achab certissimè quod verum dicebant, quia aliàs difficile erat omnes eandem reuelationem recipere, dæmon autem cuius officium est mentiri, quia mendax est & pater mendacij, Ioan. octauo, decepit omnes istos Prophetas Achab. Et modus fuit, quia omnes isti prius per artes superstitiosas, scilicet per consultationes dæmonum respondebant de occultis, & dæmon solebat per eos sæpiùs vera dicere, nunc verò decepit omnes ipsos reuelando omnibus eis mẽdacium, ipsi verò firmiter credebant verum esse id, quod reuelatum erat eis, & ob hoc constanter asserebant coram Achab, & ausus est Sedecias Propheta Baal percutere Michæam Prophetam Domini tanquàm mentitum. Istam autem deceptionem fecit dæmon, & in hoc executus est via ad complendum iustitiam Dei, Deus tamen non iussit hoc dæmoni, nec mouit eum aliquatenùs ad istud sed solùm permisit falli Achab propter peccata sua, quia ipse merebat hoc, sicut permittit homines mala pati propter peccata. Nec oportebat, quòd aliquis incitaret dæmonem ad fallendum, quia ipse semper desiderat fallere si permittatur, & quòd non fallat nos semper, solùm est quia Deus non permittit nos semper falli. Nunc verò vidit dæmon Achab destitutum diuino auxilio & Prophetas eius, ideo vtrosque fefellit. Achab quidem, quia in multis peccauerat, Prophetas verò eius quia ipsi merebantur falli cùm dæmoni confiderent.

Ad secundum dicendum, quod de ista visione, quæ hic inducitur nihil realiter fuit, scilicet, quod ipsa non fuit, ita quòd Deus, & Angeli congregarentur ad deliberandum quomodo falleretur Achab, nec etiam Michæas aliquid tale vidit, sed solũ fuit visio causata in imagine, sicut accidit dormientibus, & ista tota fuit ad inducendum quod Prophetæ Achab mentiebantur, & sicut poterat Michæas dicere istud sine visione aliqua, ita dixit cum visione: & hoc ad magis imprimendum, scilicet, quia homines rudes magis mouentur per ea, quæ sensibilia sunt, quàm per ea, quæ solùm pertinent ad intellectum. Dicit autem Michæas: quòd vidit Dominum super solium, & exercitum cœli, id est, Angelos in circuitu. Nihil tamen tale fuit, quia nec Deus locum habet, nec Angeli possunt esse à dextris, vel sinistris, si tamen realiter fuisset quòd Deus conuocaret concilium, sicut Poëtæ fingunt Deos suos conuocari in concilium à Ioue Deo magno, sic esset quod quidam de Angelis starent à dextris, & alij à sinistris ad honorem Dei ad hoc quòd competeret eis modus humanus in sedendo, sicut competebat modus humanus in petendo consilium.

Sic enim Poëtæ de dijs suis dicunt, quod conueniunt ad domum magni Iouis, quæ est in circulo lacteo cœli, qui vocatur Galaxias, & ibi sedent in circuitu eius, & deliberant de agendis, vt ait Ouidius 1. Metamor. & Virgilius 10. Æneid. & Martianus Capella lib. 1. de nuptijs Mercurij, & Physiologię. Dicit etiam quod Dominus quæsiuit quis deciperet Achab. Hoc autem non poterat esse, quia Deus non desiderat, nec vult aliquem fallere.

Item dato, quòd vellet aliquem fallere, sciret qualiter falleret, & non oportebat, quòd vocaret Angelos in concilium, vt videret qualiter posset fallere Achab, quia Deus nullum habet in consiliarium Isaiæ 41. scilicet, quis adiuuit spiritum Domini, aut quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi? cum quo inijt consilium, & instruxit eum? idem ad Romanos vndecimo. Nunquàm ergo concilium vocat Deus, ideo mentiretur Michæas, si assereret ista sic accidisse. Dixit etiam quod vnus de astantibus dicebat sic, & alius sic, & nullius visa est sententia bona quousq; venit spiritus, & locutus est, & tamẽ istud non poterat esse verum, quia quanq; in naturalibus dæmones, & Angeli boni sint æqualiter perspicaces: tñ Angeli boni sunt perspicaciores propter quotidianas reuelationes, & visionẽ in verbo, ideo potiùs scirent Angeli quomodo fallendus esset Achab quã ipse dæmon, sed ponit hoc ad significandũ promptitudinem dæmonis, & efficaciam in fallendo, quia cùm laudetur consilium eius plusquàm consilium Angelorum, videtur, quod valdè conueniens erat.

Dixit etiam quod Deus dixit spiritui, in quo decipies? quasi ad significãdum quòd Deus nesciret quid cogitauerat

Anista visio fuerit realis.

A

ſpiritus, ſed inducitur hoc, vt ſpiritus reſpondeat, & tunc Deus laudet conſilium eius. Hoc autem eſt ad ſignificãdum valdè bonum fuiſſe conſilium dæmonis, cùm Deus illud approbet.

Dixit etiam quod Deus dixerat ſpiritui egredere, & fac ita. Hoc autem non fuit ſic, quia cùm non congregatum fuerit aliquod concilium, nihil Deus iuſſit in eo.

Item dato, quòd congregatum fuiſſet veraciter cõcilium, Deus non iuſsiſſet ſpiritui, quod falleret Prophetas, ſed inducitur ad ſignificandum promiſſionem Dei, & vt non intelligatur, quòd ſolum Deus permiſit, ſed etiam, quòd dæmon illud fecit, dixit Michæas, quòd Deus dixerat egredere, & fac ita & etiam decipies, & prævalebis.

Acceſſit autem Sedecias filius Chanaam, & percuſſit Michæam in maxillam. Ille Sedecias erat principalis inter omnes Prophetas Achab, & cum vidit quòd Michæas dixit omnes prophetas Achab mentitos fuiſſe percuſſit eum tanquam vindicans iniuriam.

Et dixit mene ergo dimiſit Spiritus Domini & locutus eſt tibi? Illud dixit Sedecias quaſi ridendo Michæam, ſcilicet Michæas ſecundùm hoc ſpiritus Domini dimiſit me, & locutus eſt tibi? quaſi dicat, ridiculum eſt hoc, & fundabat ſe Sedecias, quia ipſe, & omnes Prophetæ Achab ſuſceperant vnicam reuelationem, quam putabat eſſe veriſſimam, ideo credebãt omninò, quòd mentiretur Michæas, ſed iſta verba inducuntur magis per modum irriſionis, 2. Paralipomenon 18. ſcilicet, per quam viam tranſiuit ſpiritus Domini à me, vt loqueretur tibi? quaſi dicat, nõ poterat venire ad te, quin prius veniret ad me, cùm ego ſim Propheta dignior, quomodo ergo deceptus ſum ego, & tu vidiſti verum?

B

Quare Sedecias percuſſerit Michæam in maxilla.

QVÆSTIO XV.

QVÆRETVR, quare Sedecias percuſſit Michæam Prophetam.

Reſpondẽdum, quod hoc fecit principaliter in vindictam iniuriæ, quia dixerat Michæas Prophetas omnes Achab fuiſſe deceptos. Etiam percuſſit eũ, quia putabat, quod repugnabat veritati: nam certiſſimè credebat Sedecias, & omnes alij Prophetæ Achab, quòd verum reuelatum fuiſſet eis, quia cuilibet eorum facta eſt reuelatio ſingillatim, & omnibus reuelatum eſt idem, ideo omnes prophetabant eadem quaſi vno ore coram rege, vt patet ſuprà, credebant ergo ipſi quòd mentiretur Michæas.

Item fecit hoc Sedecias ad oſtendendum, quod Michæas falſum loquebatur, quia cùm percuteret eum, & non exareſceret manus eius videbatur, quod non erat Michæas Propheta Domini, quia aliàs exareſceret brachium, ſicut fuit de Ieroboam, qui extenderat manum contra Prophetam Dei, & exaruit illicò, nec potuit eam ad ſe retrahere ſuprà decimotertiò, apparebat ergo Michæam falſum dixiſſe. Fuit tamen in hoc Achab nimis iniuſtus, & inurbanus, quia cùm vocaſſet ad ſe Prophetam Domini, & coram ſe alapa percuteretur, non curauit iniuriam eius, grauiter tamen debuerat illã vindicare, tum quia iniuſtè percutiebatur Michæas, quia nõ apparebat eum falſa dixiſſe, tum quia ſi conſtaret falſa dicere, non erat puniendus per Sedeciam propria auctoritate, ſed per regem, tum quia fuit percuſſus coram rege, & in hoc etiam ipſe rex offendebatur, non tamen curauit Achab, ſi percuteretur Michæas, immò potiùs lætatus eſt, quia oderat Michæam, & quia nunc prophetauerat ei mala. Michæas tamen erat vir iuſtus, & tacuit patienter ferens, quanquàm pro veritate ſupplicium ferret.

C

Et ait Michæas viſurus es in die illa, quando ingredieris cubiculum, intra cubiculum, vt abſcondaris. Quanquàm iniuſtè percuſſus eſſet Michæas non reſpondit durè, immò nec dixit cur me percutis, ſed ſolùm reſpondit ad id quod Sedecias prius dixerat, ſcilicet me ne dimiſit ſpiritus Domini, & locutus eſt tibi? & dixit Michæas viſurus es in die illa, id eſt, tu videbis quod ego vera loquor in die illa, quando præ timore intrabis in cubiculum occultiſſimum, vt non inueniaris.

D

Quæ fuit dies illa in qua latuit Sedecias in cubiculo.

QVÆSTIO XVI.

QVÆRETVR, quomodo fuit iſtud. Aliqui dicũt quòd fuit tempore Iehu regis Iſrael, qui occidit totam poſteritatem Achab, & etiam occidit omnes ſacerdotes, & Prophetas Baal, ſequenti libro, cap. 10. & tunc Sedecias, qui erat præcipuus de Prophetis Achab, abſconditus eſt in cubiculo ſecretiſſimo, vt non inueniretur.

Sed iſtud non ſtat, quia Michæas dicit hic, quòd Sedecias videret in illa die falſam fuiſſe prophetiam ſuam, & veram prophetiam Michææ, & tamẽ in illa die non cognoſceret Sedecias veram prophetiam Michææ fuiſſe, quia etiam ſi occideretur ipſe & alij Prophetæ Baal, nõ putaret, quod hoc erat propter verba Michææ, ſed quia cultores erant Baal.

Item non eſt veriſimile, quod in die illa, qua vocati ſunt Prophetæ Baal à Iehu, lateret Sedecias intra cubiculum, quia tunc non vocauit eos Iehu tanquàm ad nocendum ipſis, ſed potiùs ad benefaciendum, & dedit eis veſtes nouas, ipſique gratis venerunt intantum, quod nec vnus defuit ſequen. lib. cap. 10.

Item non ſtat, quia Michæas dicebat, quòd cognoſceret Sedecias in die illa, in quo innuebat, quòd non cognoſceret ante diem illam quæcunq; illa fuerit, & tamen manifeſtum eſt quod ante tempus Iehu cognouit Sedecias veram fuiſſe prophetiam Michææ, ſcilicet illicò, vt mortuus eſt Achab, ideo non intelligebatur de tempore illo.

E

Sed dicẽdum, quod hoc fuit in die illa, qua populus redijt de bello occiſo Achab. Nam tunc cùm Sedecias fuiſſet præcipuus, cuius conſilio Achab iuerat ad bellum, filij Achab, & maiores populi mox vt venerunt de bello, inquirebant Sedeciam ad occidendum eum, & ſatis veriſimile eſt, quòd occiderint, & tunc Sedecias latuit in cubiculo ſecretiſſimo, vt non inueniretur, & ipſa die ſciuit ſe mentitum fuiſſe, & Michæam dixiſſe vera.

Et ait rex Iſrael tollite Michæam, & maneat apud Amon Principem ciuitatis. Scilicet ponite eum in carcere in domo Amon Principis ciuitatis huius, ſcilicet Samariæ. Vocabatur ille princeps ciuitatis, id eſt maior in tota ciuitate; vel princeps, ſcilicet, quia commiſſa erat ſibi illa ciuitas ſicut alijs principibus erant commiſſæ aliæ partes regni in cuſtodiam, vel ad colligendum tributa in illis partibus, vel ad prouidendum regi de ſumptibus colligendo neceſſaria pro cibis domus ſuę in regionibus illis. Sic enim Salomon habebat duodecim præfectos ſuper duodecim partes regni, qui in illis colligebant neceſſaria pro cibis regis, & illi vocabãtur præfecti prouinciarum, & vrbium ſuprà quarto, ſic etiam accipitur ſuprà decimoſexto, ſcilicet erat autem Hela in Therſa bibens, & temulẽtus in domo Aſa præfecti Therſa, id eſt, ille erat princeps, vel præfectus vrbis.

Michæas incarceratur.

F

Et apud Ioas filium Amalec. Iſte erat alius vir potens in vrbe, & ambobus commiſit rex Michæam, vt nõ poſſet fugere de manibus eorum. In Hebræo dicitur.

Apud Ioas filium regis. Iſta diuerſitas eſt, quia in Hebræo Melech ſignificat regem, & faciliter poteſt eſſe deceptio in ſcriptoribus dicendo Melech, vel Amalec, ideo fortè tempore Hieronymi in Biblijs Hebraicis dicebatur Amalec, & poſteà errore librariorum detractum eſt aliquid, & dicitur Melech. Nec calumnientur Hebræi ſcriptores ſuos non potuiſſe errare, aut nunquàm erraſſe, quia licèt confiteamur ſcriptores ſuos diligentiùs ſcribere quàm librarios noſtros, tamen non ex hoc ſequitur eos omninò eſſe impeccabiles.

Litera Hebraica differẽs à noſtra.

Item qa ſui Doctores, ſcilicet R. Dauid Kimhi, & alij confitẽtur quod in 21. cap. Ioſue, vbi ponunt ciuitates Leuitarũ deficiunt in omnib⁹ Biblijs ſuis modernis duo verſus, qui tñ habent in Biblijs noſtris, & ipſi dicunt, quod ab antiquo fuerunt illi in Biblijs eorũ: ita ergo potuit hic eſſe error in Amalec quantũ ad librarios ſuos. Aliter poteſt dici, quod tempore B. Hieronymi erat in litera Hebraica filiũ Melech, id eſt regis, & tamen ipſe & Iudæi pro tunc putabant ibi eſſe corruptam literam, & debere dici Amalec, quia ſi iſte Ioas eſſet filius regis, ſcilicet Achab, nõ diceret Achab, maneat Michæas apud Ioas filium regis, ſed apud Ioas filium meum.

A

Cur Achab posuit Michæam sub custodia.

Qvæsto XVII.

Qværetvr, ad quid iubebat Achab nunc poni Michæam in custodia.

Dicendum, quod Achab oderat valdè Michæam, vt ipse suprà dixit, & hoc quia prophetabat ei semper mala, & propter istud desiderabat semp occidere ipsum, volebat tamen habere colorem, nunc autem iussit eum poni in carcere, vt quâdo rediret de bello, occideret eum, & hoc quia putabat ipsum mentitum, & iustum videbatur, quòd Propheta mendax occideretur, quia fingebat ea, quæ Deus non dicebat, sic enim Deus iussit, Deuteronomij 13. quod Propheta fingens, quæ non audierat occideretur, & ad maiorem vindictam iussit, vt nunc quamdiù teneretur Michæas in carcere, daretur ei panis afflictionis, & aqua angustię donec reuerteretur ipse de bello, scilicet vt tunc occideret ipsum conuincens eum mentitum.

Et dicit eis. Scilicet ad Amon, & ad Ioas, in quorum custodia mansurus erat Michæas.

Hæc dicit rex, mittite virum istum in carcerem. Scilicet ne effugiat timens mortem.

Et sustentate eum pane tribulationis. Vocatur panis tribulationis, quem homo acquirit cum magno labore, & dolore, sic dicitur Psalmo 123. Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris, interdum autem accipitur pro pane, quem homo comedit, & tribulatur comedendo, quia modicum sibi datur, ita vt famem nō tollat, sic accipitur hic, quia ad hoc, quòd non moreretur Michæas fame, sed Achab occideret illum in reditu de bello, iussit illum sustentari cibo, & tamen, vt affligeretur, iussit illi dari modicum de pane. Sic patet 2. Paralipomenon decimooctauo, scilicet, mittite eum in carcerem, & date ei panis modicum, & aquæ pauxillum.

B

Et aqua angustiæ. Vocatur aqua angustiæ aqua pauca, quæ angustè datur, & non ad saturitatem.

Donec reuertar in pace. Scilicet donec reuertar de bello, quasi dicat, tunc occidam ipsum pro mendacio.

Dixitq; Michæas si reuersus fueris in pace, non est in me locutus Dominus. Dixerat Michæas, quod Achab moriturus erat in bello: Achab verò dicebat, quòd reuerteretur in pace, ideo dixit Michæas, si reuersus fueris in pace, non est locutus in me Dominus, scilicet, quia contrarium erit eius quod ego reuelaui.

Et ait, audite populi omnes. Michæas admonuit hic omnes, vt audirent, quia loqui volebat aliquid contra Achab, & tamen, quia Achab noluit audire eum, & fecit quod nullus ei præstaret audientiam, cessauit dicere id quod incœperat dicere.

C

Quare Achab iuit ad bellum, cùm prædixisset ei Michæas malum euenturum.

Qvæstio XVIII.

Qværetvr, quomodo rex Achab voluit ire ad bellum, cùm prænunciasset ei Michæas Propheta Domini, quòd moriturus esset in bello.

Respondendum, quod Achab credidit mentitum fuisse Michæam, & quòd prosperè ei eueniret: ideo nō obstante dicto eius iuit in bellum. Quòd autem crederet Achab mentitum Michæam, patet, quia dixit quòd teneretur in carcere, quousq; ipse rediret de bello in pace, Michæas tamē dicebat, quòd moreretur ibi, ideo videtur, quod credebat eū falsum dicere. Motiuum autem ad hoc erat multiplex.

Primum erat, quia omnes Prophetæ Baal vno ore prænunciabant bona ipsi Achab, solus autem Michæas prænunciabat malum, sed nunc non constabat quis illorum verum diceret, ideo rationabilius erat credi multitudini quousque Michæas probaret illos mentitos, & hoc potissimè, quia Prophetæ Baal multoties reuelantibus dæmonibus vera prænunciabāt, ideo putabat Achab, quòd etiam nunc vera prænunciarent.

D

Secundum motiuum erat, quia Deus excæcabat ipsum Achab, vt caderet in bello, vt colligit ex dictis Michææ: ideo dato, quòd dictum Michææ esset valdè rationabile, & dicta aliorum Prophetarum essent non habentia colorem, assentiret potiùs Achab dictis illorum, quàm dicto Michææ.

Tertium motiuum erat, quia ista conditio est naturæ humanæ, scilicet quòd homines faciliter inclinentur ad credendum vera esse illa, quæ pertinent ad eorum fauorem, quanquàm rationabiliora sint ea, quæ contra ipsos sunt: Achab autem desiderabat ire in Ramoth Galaad, ideo faciliter crederet illis, qui dicerent ei prosperum esse iter, difficiliter autem contra asserentibus.

Quartum motiuum erat, quia Michæas percussus fuit in maxilla à Sedecia, quando prophetauit, & tamen nulla pœna inflicta est Sedeciæ, credebat autem Achab, quod si Michæas esset Propheta Domini, & nunc à Deo missus fuisset, quòd non mansisset impunitus Sedecias. Sic patet de Ieroboam, qui extendit manum contra Prophetam Domini, & illicò aruit suprà decimotertio, & tamen hic quāquàm magis nocuisset Sedecias Michææ, nihil mali passus est.

Quintum motiuum fuit, quia videbatur Michæas repugnare verbis Eliæ: nā Elias dixerat, quòd moreretur Achab, & canes lingerent sanguinem eius, vbi linxerant sanguinem Naboth, istud autem fuit in Iezrahel præcedēti capitulo, sed Ramoth Galaad distabat à Iezrahel, quia Ramoth Galaad est in sorte Gad ad orientalem partem Iordanis, Iosue decimotertio, Iezrahel verò est in sorte dimidiæ tribus Manasse ad occidentalem partem Iordanis, Iosue decimoseptimo. Distāt autem ista loca inter se quindecim milliarijs, vel quasi, vt colligitur in libro de Situ terræ sanctæ: ideo Elias, & Michæas videbantur sibi repugnare, & sic non erat standum dicto Michęæ, quia Elias erat Propheta dignior, cui potiùs credendum erat, ista duo motiua vltima ponit Iosephus 8. Antiquitatum.

E

Sed dicetur dato, quod Achab, qui erat vir impius, & idolis deditus, assentiret Prophetis Baal potiùs, quàm Michææ Prophetæ Domini, quomodo Iosaphat rex Iudæ, qui erat valdè catholicus assensit Prophetis Baal contra Michææ Prophetam Domini?

Dicendum, quod Iosaphat non assentiebat Prophetis Baal, immò dato quòd omnes prophetarent, nihil credidit, sed petiuit, an esset ibi aliquis de Prophetis Domini, vt patet suprà. Fuit tamen motus ex duobus: primò, quia credendum est, quòd Deus mouerit ipsum ad non adhibendum fidem multam verbis Michææ, & hoc quia si ipse crederet illi, nollet ire in bellum, & indirectè impediretur mors Achab, quam Deus intendebat, quia non eunte Iosaphat, in bellum, nollet ire Achab. Secundum fuit, & principaliùs propter contradictionem apparentem inter verba Eliæ, & verba Michęæ, vt suprà inductum est: Iosaphat potiùs credebat verbis Eliæ quàm alicuius Prophetæ, quia erat vir famosissimus.

F

Ascendit itaq; Hic ponitur belli congressus, scilicet qualiter Achab contra Syriam pugnauerit, & dicitur.

Ascendit itaque rex Israel, & Iosaphat rex Iuda in Ramoth Galaath. Scilicet contemptis verbis Michęæ ascenderunt in bellum isti duo reges in Ramoth Galaath tanquàm nihil mali euenturum foret.

Dixitq; rex Israel ad Iosaphat, sume arma, & ingredere prælium. Vsus est Achab quadam cautela mutans habitum in bello, & faciens quòd rex Iuda non mutaret habitum, ideo dixit ei, sume arma tua, id est, sume arma regalia in auro fulgētia, quæ propter fulgorem distinguebantur à cæteris, & apparebant quod erant regalia, sic patet de armis Salomonis. Nam ipse fecerat de auro purissimo ducenta scuta, & trecentas peltas suprà decimo, & ista portabantur coram rege, quādo ibat ad templum, vel aliàs extra domum suprà decimoquarto, sic etiam gentes faciebant arma regalia fulgentia in auro, vt colligitur 1. Machabæorum 6. scilicet, Refulsit sol in clypeos aureos, & æreos, & resplenduerunt montes ab eis, sicut lampades ignis.

Et induere te vestibus tuis. Id est, induere vestibus regalibus. Ista erant aliqua insignia regalia, quæ ponebātur super arma, & vocantur vestes.

Porrò rex Israel mutauit habitum, & ingressus est bellum. Scilicet

licet mutauit habitum quantum ad insignia regalia, quæ noluit sibi retinere, sed cepit arma, sicut homo priuatus, & tamen 2. Paralipom. 18. dicitur, dixit Rex Israël ad Iosaphat, mutabo habitum, & sic ad pugnandum vadam: tu autem induere vestibus tuis.

Quare Achab mutauit habitum regalem, Iosaphat verò retinuit.

QVÆSTIO XIX.

QVÆRITVR quare Achab mutauit habitum Regalem, & voluit, quòd Iosaphat retineret sibi insignia Regalia.

Aliqui dicunt, quòd hoc fecit Achab ad honorandũ Iosaphat, quia veniebat in auxilium eius, ideo voluit, quòd ille potiùs appareret honoratus quàm ipse.

Aliter potest dici, & fortè melius, quòd Achab non crediderat aliquod malum euenturum sibi in bello sicut dixerat Micheas, voluit tamen cautè se habere mutando habitum, vt sic non cognosceretur, quòd erat Rex, & minus pugnaretur contra ipsum, & sic facilius euaderet.

Tertiò dici potest, quòd Achab ibat in bello cum Iosaphat, & erant duo Reges, noluit autem Achab quòd Syri putarent duos Reges pugnare contra Syriam, sed vnicum, ideo oportebat quòd ipse deponeret insignia. vel Iosaphat. Voluit
B autem potius ipse deponere quàm Iosaphat, vt honoraret eũ, quia gratis venerat ad adiuuandum ipsum.

Quartò dici potest, quòd Achab fortè cognoscebat modum regis Syriæ in bello, scilicet quòd volebat pugnare contra solum Regem Israël, & non contra aliquem de suis. Sic enim præceperat hic omnibus seruis suis, vt patet in litera, ideo vt non cognosceretur, ne valde persequerentur eum, mutauit habitum. Et dato quòd non cognosceret Achab istam esse intentionem Benadad regis Syriæ, tamẽ poterat hoc colligere ex eis, quæ facta sunt in alijs bellis. Sic enim consueuerat pugnare Achilles in bello Troiano, sic etiam aliqui reges interdum fecerunt, qui solùm putauerunt vtile esse pugnare contra ducem exercitus, relictis cęteris. Achab igitur cognoscens ista, mutauit habitum, & tanquam priuatus ingressus est bellum sine insignijs Regalibus. Iosaphat autem putabat sibi honorem magnum impendi, cùm ipse solus insignia Regalia gestaret, sed è contrario fiebat, sicut res ipsa monstrauit, quia omnes Syri congregati super ipsum, in breui eum occisuri erant, nisi clamasset se non esse regem Israël, vt patet infrà.

Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus. Isti 32. principes erant duces totius belli, quamquam vocentur hic solùm principes curruum. Isti sunt, quos posuit Benadad pro trigintaduobus Regibus: nam in primo bello quod habuit contra Achab, habuit in exercitu suo triginta-
C duo Reges, & omnes fugerunt à facie Achab, ideo serui Benadad dixerunt ei, vt poneret trigintaduos principes loco trigintaduorum Regum. suprà vigesimo, & ibi causa declarata est, postea semper habuit istos trigintaduos principes in bellis.

Dicens non pugnabitis contra maiorem, & minorem quempiam, nisi contra regem Israël solùm. Istud ponitur hic ad reddendum causam eius, quod sequitur, scilicet quomodo Syri circundederunt regem Iosaphat putantes eum esse Achab, & durè pugnabant contra ipsum.

Benadad quare præcepit seruis suis, quòd pugnarent solùm contra Achab.

QVÆSTIO XX.

QVÆRETVR, quare præcepit Benadad seruis suis, quòd contra solum Achab pugnarent.

Respondet Rabbi Salomon, quòd hoc fecit, quia quando Michæas loquebatur ipsi Achab, quòd moriturus esset in bello, præsens aliquis erat de seruis Benadad, quamquam Israëlitæ eum nõ cognoscerent, & tunc audiuit, quòd solus Achab moriturus erat in bello, & populus rediturus erat in pace.

Credebat autem Benadad, quòd non posset ipse peruertere sermonem prophetiæ, occidendo aliquem de populo, ideo iussit contra solum regem pugnari. D

Sed dicendum, quòd istud non multum stat: nam non est verisimile, quòd tam parua diligentia esset in seruis regis Achab, quòd aliquis de seruis Benadad posset stare coram Achab, & ipsi non viderent illum.

Dicendum ergo, quòd Benadad hoc egit ex quadam cautela, quia putauit sic se facilius cõsecuturum victoriam. Nam si pugnando occideret Regem, reliquus populus, licèt multus esset, non habens ducem, recederet, sicut postea factum est, ideo melius erat pugnare contra solum Regem irrumpendo vsque ad ipsum, licèt in hoc maior labor esset Syris, quàm pugnare cõtra totum exercitum: quidam enim duces bellorum istum modum pugnandi tenuerunt. Sic aliquando fecit Achilles in bello Troiano, vt suprà dictum est, & fortè iste erat modus pugnandi Benadad, vt in plurimum, & propter hoc Achab volens euadere istum modum pugnãdi, mutauit habitum.

Cùm ergo vidissent principes curruum Iosaphat, suspicati sunt, quòd ipse esset rex Israël. Solus enim Iosaphat insignia Regalia portabat, cùm Achab mutasset habitum, & ob hoc putauerunt istum esse Regem.

Et impetu facto pugnabant contra eum. Scilicet, omnes principes exercitus Benadad conuenerunt ad pugnandum cõtra eum, quia sic iusserat Benadad. E

Et exclamauit Iosaphat. Scilicet, videns se à toto exercitu vallari, clamauit. Sed dicetur, quid clamauit? Aliquis dicet, quòd clamauit petendo auxilium ab exercitu suo, & regis Achab, scilicet, vt sicut totus exercitus Syriæ conuenerat super ipsum, ita totus exercitus Israël conueniret ad adiuuandum ipsum.

Aliter dici potest quod clamauit, dicendo se non esse regem Israël, scilicet quia videns Iosaphat omnes conuenisse super ipsum, putauit quòd credebant eum esse regem Israël, & ad hoc cõueniebant, vt occiderent eum, cùm esset belli dux, ideo clamauit se non esse regem Israël, vt non in vanum laborarent, pugnando contra eum.

Aliter dici debet, & istud est verum, quod clamauit, scilicet inuocando Dominum, quia Iosaphat erat vir Catholicus, & cùm vidisset super se totam multitudinem exercitus, putauit se non posse liberari, nisi per Deum, ideo clamauit, vt Deus exaudiret, & liberaret eum. Sic patet 2. Paralipom. 18. scilicet, at ille clamauit ad Dominum, & auxiliatus est ei, & auertit eos ab illo.

Intellexerunt q̃, principes curruum, quòd non esset rex Israël. Isti principes curruum vocantur principes totius exercitus, & secundo Paralipomenon decimooctauo, dicuntur principes equitatus. Intellexerunt autem isti, quòd Iosaphat non esset Rex Israël, & hoc fortè ex clamore, quia agnouerunt vocem eius non esse vocem Achab. Vel quia apparuerunt aliqua alia signa in clamore eius, per quæ cognitum est. F Et hoc Deus fecit, scilicet, quòd faciliter cognosceretur, vt non pugnarent contra ipsum, & in hoc auxiliatus est ei. Sic patet secundo Paralipomenon decimooctauo, scilicet, at ille clamauit ad Dominum & auxiliatus est ei, & auertit eos ab illo.

Et cessauerunt ab eo. Scilicet, cessauerunt persequi ipsum, & ideo post hoc non habuerunt Syri fortissimum bellum contra Israëlitas, quia nõ erat aliquis quem persequerentur, cùm nullum cognoscerent esse regem Israël, & ob hoc pauci perierunt in bello de Israëlitis, quamquam durauit bellum vsque ad vesperum.

Vir autem quidam tetendit arcum, sed in incertum sagittam dirigens. Iste erat de Syris, & direxit sagittam contra multitudinem Israëlitarum, sed non cõtra aliquem eorum specialiter: ideo dicitur, quod dirigebat in incertum.

Et casu percussit regem Israël. Scilicet percussit Achab casu. *Occisio Achab* Dicitur casu, quantum ad ipsum sagittatorem, quia ipse nõ intendebat percutere Achab, nec aliquem de Israël specialiter, sed direxit ad totam multitudinem: non tamen fuit percussio Achab totaliter à casu, quia Deus intendebat occidere Achab in bello, cùm hoc prædixisset per Michæam Prophetam, ideo ipse mouit sagittatorem, vt dirigeret sagittam ad illam partem, in qua necesse erat percuti Regem Achab.

A

Inter pulmonem, & ſtomachum. Scilicet percuſſio ſagittæ fuit inter pulmonem, & ſtomachum, ideo Achab breuiter poſt mortuus eſt: In Hebræo dicitur

Inter ſquamas, & loricam. Vocantur ſquamæ quædam laminæ magnæ de ferro, quę pertinent ad armaturam ſuperiorem: lorica autem eſt armatura inferior de circulis ferreis minutiſſimis.

Erat autem aliquis locus in quo eleuabatur ſquama, & patebat medium inter ſquamam, & loricam, & per illud introiuit ſagitta, & ille locus erat fortè inter pulmonem, & ſtomachum, & ſic litera noſtra, & Hebraica non differunt, niſi quia litera noſtra ponit locum percuſſionis in carne, litera autem Hebraica ponit locum percuſſionis in armis.

Aliter poteſt dici, quòd iſtud prouenit ex æquiuocatione, quia per iſta nomina, per quæ Hebræi intelligunt loricã, & ſquamas intellexit Hieronymus, & fortè intelligebant tũc Hebræi ſtomachum, & pulmonem, & tamen 2. Paralipomenon decimooctauo dicitur, quòd percuſſus eſt Achab inter ſcapulas, & ceruicem, & ſic differunt etiam iſta duo loca in carne.

Reſponderi poteſt, quòd iſta litera, & illa notant locum percuſſionis in carne, & vtrumque fuit locus percuſſionis: prius tamen percuſſus eſt inter ſtomachum, & pulmonem, & deinde vulnus extentum eſt verſus ceruicem, quia fortè ſagitta perforauit tunc corpus Achab, & apparuit aliqua pars

B

eius apud ceruicem. Aſcendit autem ſagitta à parte inferiori ad ſuperiorem, eo quòd rex Iſraël erat in loco ſuperiori quã ſagittator.

Et ille dixit Aurigæ ſuæ. Auriga erat, qui dirigebat currum. Modus autem pugnandi in curribus erat iſte, ſcilicet, quòd currus habebat quatuor equos, vel duos, & erant ſuper currum duo viri: vnus erat in curru, & ille habebat multa iacula ſecum, & alia genera armaturæ, & ille pugnabat: alius erat in temone currus dirigens equos huc & illuc, & iſte non pugnabat, & iſte vocatur auriga, id eſt, dirigens currum, ideo Achab dixit aurigæ ſuo, quòd verteret currum.

Verte manum tuam, & eĳce me de exercitu: quia grauiter vulneratus ſum. Scil. nunc Achab tendebat in hoſtes, & qũ vulneratus eſt, dixit aurigæ ſuo verte manũ tuam, & eĳce me de exercitu, ſcilicet, cõuerte te ad partem exteriorẽ exercitus, quia iam non poſſim pugnare cùm ſim vulneratus, non tamẽ ſufſit, quòd omnino educeret eum de exercitu, quia ibi manſit vſque ad veſperum quando mortuus eſt.

Commiſſum eſt ergo prælium in die illa. Scilicet, in die illa qua occiſus eſt Achab commiſſum eſt bellum, & in ipſa die finitũ eſt, immò nec durauit per totam diem, quia præcone clamante mortuum eſſe Regem, omnes receſſerunt.

Et rex Iſraël ſtabat in curru ſuo contra Syros. Scilicet, quamquã eſſet percuſſus, noluit omnino exire de bello, ne alij ſcandalizarentur, & fugerent, ſed ſolùm ſubtraxit ſe de loco illo,

C

in quo erat grauis pugna, & ſtetit in parte exteriori aciei, & ibi manſit quouſque mortuus eſt. Et dicitur, ſtabat in curru, ſcilicet, iam non diſcurrebat hinc, & inde ad pugnandum, ſicut prius, ſed ſtabat, id eſt manebat.

Et mortuus eſt veſperi. Scilicet, poſt meridiem aliquanto tẽpore ante quàm ſol occumberet, nam antequam occumberet ſol, cognita eſt mors regis, & nunciata per caſtra.

Fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum currus. Scilicet, ſemper fluebat ſanguis de vulnere Achab in ſinum currus, id eſt ſuper pauimẽtum currus. Hoc dicitur ad ſignificandum quòd illa pars currus fuit tincta ſanguine, & poſtea canes linxerũt eam, quando venit currus in Samariam, vt patet infrà, & hoc fuit, vt ſignificetur completum quod dixerat Dominus, ſcilicet, canes lingent ſanguinem Achab, præced. cap.

Et præco perſonuit in vniuerſo exercitu antequam ſol occumberet, dicens: vnuſquiſque reuertatur in ciuitatem, & in terram ſuam. Mortuus fuit Achab ante ſolis occubitum, & cognita morte eius prẽco inſonuit per caſtra, vt recederet quilibet in locum ſuum, quia iam non erat tempus pugnandi cùm rex mortuus fuiſſet, & iſta denunciatio fuit ante ſolis occaſum.

Sed obijcitur, quòd nõ potuerit eſſe ante ſolis occaſum, eo quòd rex mortuus eſt in ipſo occaſu ſolis, & tamen denunciatio præconis fuit poſt mortem: ergo non fuit ante ſolis occubitum. Patet hoc 2. Paralip. 18. ſcil. Rex Iſraël ſtabat in curru ſuo vſque ad veſperam, & mortuus eſt occidente ſole.

D

Dicendum, quòd accipitur ibi occidente ſole non ſtrictè pro ipſo puncto caſus ſolis ſub horizonte, ſed pro aliquanto tempore, quod eſt ante ſolis occaſum ſecundùm acceptionẽ vulgarem: ideo licèt nondum occidiſſet ſol, dicebatur occubuiſſe, vel occidere quando mortuus eſt Achab. Iſta autem litera accipit magis ſtrictè ſolis occaſum: ideo vult, quòd ante ſolis occaſum mortuus fuerit Achab, & denunciata fuerit mors eius per exercitum.

Mortuus eſt autem rex, & perlatus eſt in Samariam. Erat Samaria metropolis regni, & ſepeliebantur ibi reges, ideo Achab ductus eſt illuc ad ſepeliendum.

Sepelieruntq; Regem in Samaria. Ibi ſepultus fuerat pater eius Amri, ſuprà 16.

Et lauerunt currum eius in piſcina Samariæ. Defluxerat ſanguis eius in currum, vt patet ſuprà, & erat currus intinctus ſanguine: ideo lauerunt eum piſcina Samariæ. Vocatur piſcina lacuna quædam in Samaria, & ibi lotus eſt currus depoſito cadauere Regis de curru. *Piſcina quid ſit*

Et linxerunt canes ſanguinem eius. Scilicet, antequam lauaretur, & quando lauabatur, canes propter dulcedinem ſanguinis humani applicantes currui lingebant ſanguinem, qui erat in eo.

Et habenas lauerunt. Id eſt etiam lauerunt habenas equorũ, quæ erant tinctæ ſanguine. In Hebræo habetur.

Et armaturas lauerunt. Scilicet, omnia arma Regis, quę ſanguine erant perfuſa.

E

Iuxta verbum Domini quod locutus fuerat. Iſtud locutus eſt per Eliam præcedenti capitulo dicens, quòd canes lingerent ſanguinem Achab.

Sed aliquis obijciet, quòd nõ fuerit completum verbum Domini: nam dixit Elias, quòd canes lingerent ſanguinem Achab in loco, in quo linxerant ſanguinem Naboth: linxerunt tamen ſanguinem Naboth in Iezrahel, & ſanguinem Achab in Samaria. *Prophetia Eliæ adimpleta eſt contra Achab*

Reſponſum fuit ad hoc præcedenti cap. quòd accipiebatur locus largè, ſcilicet pro tota regione, & ſic idem locus erat Iezrahel, & Samaria.

Rab. Sal. vult quòd etiam accipiendo ſtrictè linxerint canes ſanguinem Achab in loco, in quo linxerant ſanguinem Naboth, ſcilicet in Iezrahel, dicens: quòd in Iezrahel erat armamentarium Regis, & illuc portata ſunt arma, in quibus mortuus eſt Achab, & lota fuerunt ibi, & tunc canes linxerũt ſanguinem Achab in loco, in quo linxerant ſanguinem Naboth. Sed iſtud non ſtat, quia videtur ſatis fictum, & etiam ſine neceſſitate, quia verbum Domini completum fuit canib⁹ lingentibus ſanguinẽ Achab in Samaria: ad quid ergo oportebat poni fictionem Rab. Sal.

Dicendum ergo quòd nihil tale fuerit. Si autem aliquis dicat, quòd non fuit completum verbum Domini, quia canes non comederunt carnem Achab, ſicut dixit Elias præcedenti cap. Dicendum quòd ibidem iam reſponſum eſt.

F

Reliqua verò ſermonum Achab, & vniuerſa quæ fecit. Scilicet nõ ſunt hic ſcripta omnia geſta eius, & dicta: ideo remittit litera ad alium librum, vbi ſunt.

Et domus eburnea, quam ædificauit. Non eſt ſcriptum de iſta domo eburnea, quid eſſet, aut qualiter facta, conſtat tamen, quòd fuit aliquid valde pretioſum, & Scriptura ponit hic illa inter geſta magnifica Achab. Non eſt tamen credendum, quòd tota eſſet eburnea, ſed ſolùm aliquę feneſtræ, vel portę, aut ſaltem operimẽta parietum. Nam & iſtud erat ſatis ſumptuoſum.

Cunctarumq; vrbium, quas extruxit. Aliquas vrbes de nouo fabricauit Achab, faciendo muros ad nouiter habitandum, alias autem deſtructas refecit, & iſtud etiam vocatur extruere, vel ædificare, vt declaratum eſt ſupra 12.

Nonne hæc ſcripta ſunt in libro ſermonum dierum regum Iſraël? Scilicet ibi ſcripta ſunt omnia: nam in libro illo particulariter narrantur geſta omnium regum Iſraël.

Dormiuit ergo Achab cum patribus ſuis. Scilicet mortuus eſt, ſicut patres ſui. Et hic accipitur dormire contra communem modum accipiendi in Scriptura, quia ſemper conſueuit accipi pro morte naturali, quæ eſt ſine violentia.

Et regnauit Ochozias filius eius pro eo. Iſte Ochozias erat maior inter filios Achab: ideo conſtitutus eſt in regem, qui breui tempore regnauit, & ſucceſſit ei frater ſuus ſoram, quia

A non habebat filium, ſequenti libro, capite primo.

Ioſaphat verò. Hic ponitur Ioſaphat conditio. Nam Achab, & Ioſaphat regnauerunt ſimul pro maiori parte regni vtriuſque: ideo ponitur ſimul vtriuſque hiſtoria, pauca tamen ponuntur de regno Ioſaphat, eo quòd iſta magis exprimuntur 2. Paralip. 19. & 20. & dicitur:

Ioſaphat verò filius Aſa regnare cœperat ſuper Iudam. Scilicet, quando mortuus eſt Achab iam cœperat regnare Ioſaphat ſuper Iudam, & multis diebus regnauerat.

Anno quarto Achab regis Iſraël. Scilicet in quarto anno Regis Achab cœpit regnare Ioſaphat. Intelligendum eſt de principio quarti anni, ita quòd ſolùm regnaſſet Achab tribus annis ſuper Iſraël, quãdo cœpit regnare Ioſaphat ſuper Iudam. Quod patet, quia Aſa pater Ioſaphat regnauit quadraginta vno annis, ſuprà 15. & in anno trigeſimooctauo eius, cœpit regnare Achab, ſuprà 16. manebant ergo tres anni de regno Aſa ſuper Iudam, quando cœpit regnare Achab in Iſraël, & poſt iſtos tres annos mortuus eſt Aſa, & ſucceſſit ei Ioſaphat filius ſuus, & ſic regnare cœpit in principio anni quarti Achab.

Triginta quinq; annorum erat cùm regnare cœpiſſet. Cœpit regnare in magna ætate, eo quòd pater ſuus Aſa regnauerat multo tempore, ſcilicet quadraginta vno annis.

Et viginti quinq; annis regnauit in Ieruſalem. Et hoc patet, quod regnauit adhuc ſex annis poſt mortem Achab, quia Achab regnauit ſolùm viginti duobus annis, ſuprà 16. de quibus ſubtrahantur tres, qui iam fluxerant, quando cœpit regnare Ioſaphat, manent decemnouẽ: regnauit tamen Ioſaphat vigintiquinque, ergo ſex annis poſt Achab mortuus eſt.

Nomen matris eius Azuba filia Salai. Ponuntur nomina matrum regum Iuda, & non dicitur ſic de patribus, quia conſtat per ſucceſſiones regum quis cuius filius fuerit.

Et ambulauit in omni via Aſa patris ſui. Aſa fuit vir bonus, & abſtulit immunditias idolorum de terra, quas fecerant patres ſui, ſuprà 15. nec fuit Aſa culpabilis in aliquo, niſi in ſenectute ſua, ſcilicet circa finem regni, quando petiuit auxilium à Benadad rege Syriæ contra Baaſa regem Iſraël, & poſtea incarcerauit Prophetam Domini, quia locutus fuit ei, increpãdo ipſum, 2. Paralip. 16. Sic autẽ Ioſaphat ſecutus eſt viam Aſa in omnibus, quę ille benè egit, in his autem, in quibus peccauit, non ſecutus eſt ipſum.

Excelſa dupliciter.

Fecitq; quod rectum erat in conſpectu Domini. Scilicet fecit sẽper bonum, quod Deus iudicabat eſſe bonum.

Veruntamen excelſa non abſtulit. Scilicet quamquam bonus fuerit non abſtulit excelſa, id eſt altaria, quæ erant in montibus, vel ipſa templa varia, in quibus offerebantur ſacrificia.

Sciendum autem, quòd excelſa accipiuntur dupliciter, vno modo pro altaribus, in quibus colebantur idola, & erant iſta altaria in montibus, & in alijs locis excelſis. Sic accipitur ſuprà 13. & 15. Alio modo vocantur excelſa altaria diſperſa per diuerſa loca, in quibus colebatur Deus, & iſta erant multa, antequam ædificaretur templum Salomonis. Sic patet ſuprà tertio, ſcilicet quòd Gabaon erat maximum excelſorum, & tamen Gabaon erat locus, in quo erat altare Domini, quod fecerat Moyſes, & multa alia erant ſimilia. Nunc verò poteſt intelligi, quòd iſta excelſa erant, in quibus colebantur idola, vel in quibus colebatur Deus extra Sanctuarium. Et ſi ſecundo modo, minus culpabilis erat Ioſaphat, quàm ſi primo modo: ſic enim Ioſias abſtulit excelſa, quorum quædam erant ad cultum Dei, & alia ad cultum idolorum: ideo ſacerdotes primorum excelſorum non occiſi ſunt, ſacerdotes autem ſecundorum fuerunt occiſi, ſequenti lib. cap. 23.

Excelſa dupliciter.

C

Adhuc enim populus ſacrificabat, & adolebat incenſum in excelſis. Scilicet quamquam eſſet factum templum Salomonis, tamen populus faciebat ſacrificia in multis altaribus, quæ facta fuerant ante conſtitutionem templi Salomonis, & etiam adolebat ibi incenſum, ſcilicet cremabat incenſum ad honorẽ Dei. Iſta enim duo erant conſueta ſimul tam in cultu dæmonum quàm in cult Dei, ſcilicet ſacrificia fieri, & incenſum cremari. De cultu Dei ſatis patet. De cultu dæmonum patet ſuprà 13. vbi Ieroboam obtulit ſacrificia, & poſuit incenſum ad colendum vitulos.

Pacemq; habuit cum Ioſaphat rege Iſraël. Scilicet cum Achab qui regnabat eo tempore, quo regnauit Ioſaphat. Etiam habuit pacem cum Ochozia filio Achab, qui regnauit poſt Achab tempore Ioſaphat, ſcilicet in ſex annis ſequẽtibus, quibus vixit Ioſaphat poſt mortem Achab, vt ſuprà declaratum eſt, & iſta pax fuit, quia Ioſaphat accepit pro filio ſuo Ioram in vxorem filiam regis Achab, 2. Paralip. 18.

D

Reliqua autem verborum Ioſaphat, & opera eius quæ geſſit. Scilicet non ſunt hic ſcripta: fuit etiam vir valde religioſus, & valde ſolicitus in timore Domini, & attendens, vt iudices in regno ſuo ſine acceptione perſonarum iudicarent, vt patet 2. Paralip. 19.

Et prælia. Multa fecit prælia, ſed vnum fuit valde notabile, in quo apparuit manifeſta virtus Dei, de quo 2. Paralip. 20. ſcilicet quòd ipſo nihil agente hoſtes ſui ſe occiderunt.

Nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Iuda. Scilicet ibi ſcripta ſunt diligenter omnia.

Sed & reliquias effœminatorum, qui remanſerant in diebus Aſa patris ſui, abſtulit de terra. Effœminati vocãtur viri facti vt fœminæ in coitu ſodomitico. Multi enim erant in Iſraël, immò interdum erant in publicis lupanaribus. Et quidam ſummus ſacerdos Iudæorum conſtituit Ephebiam, id eſt lupanar virorum ſodomiticorum apud templum, 2. Machab. 4. Aſa autẽ pater Ioſaphat abſtulerat effœminatos de terra, quia multi fuerant tempore Abiæ patris eius, & Roboam aui eius, ſuprà 15. manſerunt tamen aliqui, quos non potuit eradicare Aſa, Ioſaphat autem abſtulit illos.

Effœminati q.

B

Nec erat tunc rex conſtitutus in Edom. Id eſt in Idumęa non erat tunc rex: iſtud dicitur, quia Idumæa erat ſubiecta regi Ioſaphat, & non erat aliquis Rex in illa, ſed Ioſaphat imperabat ſicut Rex. Ante hoc autem Reges erant in Idumæa: nam Dauid ſubiecit ſibi regem Idumęæ in tributarium, deinde manſerunt Idumæi ſub poteſtate regum Iuda, ideo erat in poteſtate eorum conſtituere reges in Idumæa, vel non. Nunc autem non erat Rex tempore Ioſaphat, ſed poſt modicum tempus fuit Rex conſtitutus. Nam tempore Ioram regis Iſraël erat Rex in Idumæa, & etiã tempore Ioſaphat paulo antè mortem ſuam. Quod patet, quia ſequenti libro, cap. 3. vbi dicitur, quòd rex Ioſaphat, & rex Iſraël, & rex Edom iuerunt contra regem Moab ad bellum.

E

Rex verò Ioſaphat fecerat claſſes in mari, Iſtud intelligitur de mari Rubro, quia per illud tendebatur ad inſulam Ophir, in qua erat aurum, & ad ferendum de iſto auro poſuerat claſſes Ioſaphat in mari, Salomon tamen fecerat claſſem ad eundum in Ophir, & tamen illa erat in mari Rubro, ſuprà decimonono capitulo, ſic etiam patet, quia dicitur hic, quòd confractæ ſunt claſſes in Aſiongaber, & tamen Aſiongaber eſt in mari Rubro, vt patet allegato capit. faciebat autem hoc Ioſaphat, quia ipſe erat dominus terræ Idumææ, & faciebat in ea quicquid volebat. Aſiongaber eſt littus maris Rubri in terra Idumææ: ideo poterat ibi facere claſſes, vel quid voluiſſet. Et ob hoc dicitur quòd non erat tunc Rex in Edom, ſcilicet & ob hoc erat ille potentior ad hoc, quòd faceret claſſes, aut quicquid vellet in terra Edom.

F

Quæ nauigarent in Ophir propter aurum. De iſta inſula Ophir declaratum eſt ſuprà 10. & non ſolùm mittebat naues Ioſaphat in Ophir, ſed etiam in Tharſis, quamquam aliquando videtur, quòd accipiatur Tharſis pro Ophir.

Aſiongaber quid.

Et ire non potuerunt, quia cõfractæ ſunt in Aſiongaber. Eſt Aſiongaber littus in mari Rubro in terra Idumææ, vt patet ſuprà 10. & ibi erant claſſes, ſed commotio magna in mari confregit claſſes. Iſtud factum eſt à Deo in pœnam Ioſaphat, ſcilicet quia habebat amicitias cum Ochozia rege Iſraël, & fortè mitebat cum eo naues in Ophir, & vtræque confractæ ſunt. De hoc 2. Paralipom. 20. ſcilicet, quia habuiſti fœdus cum Ochozia percuſſit Dominus opera tua, contritæq; ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.

Quare Deus cõfregit naues.

Tunc ait Ochozias filius Achab ad Ioſaphat, vadant ſerui mei cũ ſeruis tuis in nauibus. Ochozias rex Iſraël dixit hoc ad Ioſaphat, quia poſtquam confractæ ſunt naues, fecerunt alias Ioſaphat & Ochozias, & voluit Ochozias, quòd ſerui eius irent cũ ſeruis Ioſaphat, ſicut ſerui Salomonis ibant cum ſeruis Hiram regis Tyri, ſuprà 9. & 10.

Et noluit Ioſaphat. Iſtud fuit, quia Propheta dixerat Ioſaphat quòd ex eo quod habebat amicitiam cum Ochozia, cõfractæ ſunt naues eius, 2. Paralipom. 20. & propter hoc ſeparauit ſe poſtea ſemper à communicatione Ochoziæ.

A

Dormiuit autem Ioſaphat cum patribus ſuis. Scilicet mortuus eſt, & hoc morte naturali, quia nō perijt in bello. Erat autem 60. annorum, quando mortuus eſt: nam quando cœpit regnare erat 35. annorum, & regnauit poſtea 25. qui ſunt 60. vt patet ſuprà in litera.

Et ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid patris ſui. Scilicet ſepultus eſt in caſtro mōtis Sion, quod vocatur ciuitas Dauid, prę-

Sepulchrā regum in Dauid

ced. lib. cap. 5. Et ibi fecerat Dauid quendam locum, in quo ſepelierunt Reges poſteri ſui, vocatur autem pater Ioſaphat, non quòd eſſet pater eius immediatus, ſed quia deſcendebat de progenie illius: nam inter Dauid & Ioſaphat fuerunt quatuor reges, ſcilicet Salomon, Roboam, Abia, Aſa, & iſti erant magis immediati Dauid, quàm Ioſaphat.

Ochozias autem filius Achab regnare cœpit ſuper Iſraël in Samaria. Iſte Ochozias fuit contemporaneus, vt aliqui volunt, partim ipſi Ioſaphat, & partim filio eius Ioram. Nam prius mortuus eſt Ioſaphat, quàm Ochozias, eo quòd ille, qui ſucceſſit Ochoziæ cœpit regnare anno ſecundo Ioram filij Ioſaphat, ſequenti libro, capitulo primo. Sed falſum eſt, quia prius mortuus eſt Ochozias, quàm Ioſaphat, vt declarabitur ſequenti lib. cap. 1. & 3.

Anno decimoſexto Ioſaphat regis Iudæ. Sed in fine decimiſeptimi anni regni Ioſaphat: ſic patet quia computando annos Achab, & Ioſaphat, proueniet iſte annus regi Ochoziæ.

B

Sed obijcietur, quòd non regnauerit in anno decimoſeptimo Ioſaphat, eo quòd Ioſaphat cœpit regnare anno quarto Achab, & tamen Achab regnauit annis vigintiduobus: ergo manent vſq; ad mortem Achab anni decemocto minus. Nam ſi computetur reſiduum tempus à principio anni quarti, erunt anni decemnouem: ſi autem à fine anni quarti erunt anni decemocto, & tamen nunquam ſtabit, quòd ſint anni decemſeptem, ita quòd in decimoſeptimo Ioſaphat regnauit Ochozias.

Reſpondendum, quòd hic oportet poni duo. Primum eſt, quòd Ioſaphat cœpit regnare in fine anni quarti regni Achab, & ſic manent decemocto anni de regno Achab vſque ad mortem ſuam. Secundum eſt, quòd viginti duo anni quibus regnauit Achab, ſuprà 16. non fuerint integri, ſed fuerit annus vigeſimus ſecundus incœptus, & non conſummatus, & tunc non manebunt à principio regni Ioſaphat vſque ad mortem Achab anni decem, & octo completi, & non vocabuntur illi decemſeptem, & ſic accipitur hic, quia multoties in Scriptura anni inchoati non computantur, ſed integri ſolùm, & ex hoc inſurgunt in Scriptura multæ difficultates.

Regnauitq; ſuper Iſraël duobus annis. Mortuus eſt immediatè, quia malus erat, & Deus ei non conceſſit vitam, vt patet ſequenti libro, cap. 1. Sed obijcietur, quòd regnauit maiori tempore, ſcilicet ſeptem, vel octo annis. Quod patet, quia Ioſaphat vixit annis ſeptem ad minus poſt mortem Achab, vt ſuprà declaratum eſt, & tamen adhuc non videbatur mortuus

C

Ochozias, quia frater eius Ioram ſucceſſit ei, & ille regnauit anno ſecundo Ioram regis Iudæ, qui Ioram regnauit poſt Ioſaphat, ſequenti lib. cap. 1. Reſpondendum, quòd Ochozias non regnauit niſi duobus annis, & iſti fuerunt incompleti, quia ſequenti libro, cap. 3. dicitur, quòd Ioram, qui ſucceſſit Ochoziæ regnauit anno decimooctauo regis Ioſaphat, contrarietas autem apparens inter hanc literam, & ſequenti lib. cap. 1. tolletur ibidem.

D

Et fecit malum in conſpectu Domini. Scilicet colendo idola, nam etiam quando decidit in ægritudinem, non conſuluit Dominum ſuper ea, ſed miſit ad conſulendum Beelzebub deum Accaron, ſequenti lib. cap. 1. *Et ambulauit in via patris ſui, & matris ſuæ.* Scilicet in via Achab patris ſui, & Iezabel matris ſuæ: iſti enim fuerunt valde idololatrę ſuper omnes reges qui præceſſerant eos, præced. cap. & hoc potiſſimè in cultu Baal, quem valde zelabat Iezabel, vt declaratum eſt ſuprà decimooctauo.

Et in via Ieroboam filij Nabath qui peccare fecit Iſraël. Scilicet, coluit vitulos aureos, quos fecerat Ieroboam primus rex Iſraël poſt diuiſionem regni, & iſte fecit peccare Iſraël, ſcilicet introducendo idololatriam per vitulos aureos, & iubendo, ne quis iret ad templum Domini, ſuprà 12.

Seruiuit quoq; Baal, & adorauit eum. Scilicet iſte Ochozias ſeruiuit Baal obſeruando cæremonias cultus, & adorauit eū, ſcilicet, humiliando ſe coram illo.

Et irritauit Dominum Deum Iſraël. Scilicet, prouocauit eum ad iram per idololatriam.

Iuxta omnia, quæ fecerat pater eius. Id eſt fuit idololatra ſicut pater ſuus Achab. Ille enim venditus eſt ad faciendum malū, præcedenti cap. ita & iſte: plus tamen videtur peccaſſe Achab quàm Ochozias, eo quòd Achab non ſolùm coluit idola, ſed

E

etiā ſuaſione impijſſimæ Iezabel occidit prophetas Dñi, ſicut patet ſuprà decimooctauo. Nam quamquam dicatur quòd occidebat eos Iezabel, tamen manifeſtum eſt, quòd aliquid conferebat ad hoc Achab, nam niſi ipſe conſentiret, non auderet Iezabel occidere tot viros ſine cauſa, & potiſſimè prophetas Domini, conſentiebat ergo in hoc Achab præſtans quandam auctoritatem ad hoc quod fieret, ideo ipſe videbatur occidere illos, cùm poſſet prohibere ſolo verbo leuiſſimè, & tamen non ſolùm non prohibebat, ſed etiam conſentiebat. Etiam Achab occidit Naboth virum iuſtum, vt acciperet vineam eius, ſicut declaratum eſt præcedenti ca. Ochozias autem nihil tale fecit, ſed ſolùm culpatur de idololatria, ideo minus peccauit quàm Achab: & ſic fuit ei minor pœna inflicta, quia Achab occiſus fuit in bello, vt patet hic. Ochozias autem perijt ægritudine, ſeq. lib. cap. 1.

LONGA in expoſitione huius Tertij libri mora protracta enucleando quaſdam veritates latere volentes hucuſque inſudauimus, quod iuxta ſpiritus diſpertitoris menſuram paruulam licèt nobis collatam egiſſe credimus, rectè tamen, an ſecus factum ſit arbitrij noſtri non eſt. Hoc enim ſpeculatoribus huius operis, non deſidioſis, & faſtidioſis lectoribus, ſed ſolerti indagine cuncta rimantibus relictum eſſe volo. Ita tamen, vt inuidiæ corrodenti locus nullus hic relictus ſit. Hæc enim omnia lacerat, quæ benè dicta more canino delatrat. Ideo contra eam beneuolos defenſores peto

F

Hieronymi noſtri formulam tenens, qui in ſingulis præfationibus ſuis inuidentium rabiem deteſtatur, & fugit, adiutores ſui petens Paulam & Euſtochium ſuis eum orationibus protegentes.

* * *
* *

Expoſitionis literalis Alphonſi Toſtati in Tertium Librum Regum Finis.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Signat. Top.
Est. 22
Tab. 5
Num. 2

Alfonsi Tostati Hispani Abulensis Episcopi OPERVM Tomi 7. Pars. I.

Continens Commentar. in lib. 3. Regum

A-1212
4965